


BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIX
F
27
NAPOLI

CHRONICON
GENERALE ORDINIS
S. BENEDICTI
PATRIARCHÆ MONACHORUM.

AB

Adm. R. P. ANTONIO DE YEPES, Montis ferrati Monacho, S. Theologiæ Doctore conditum Hispanicè.

A P. THOMA WEISS, Neresheimensi in Suevia Monacho, Latinè versum auctumq.

TOMUS SECUNDUS.







COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud CONSTANTINUM MUNICH Bibliopolam
Anno Iubilæi M. DC. L.
Cum Gratia & Privilegio S. C. M. ad Decennium.



REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO D. BENEDICTO, INSIGNIS MONASTERII S. LAMBERTI in Styria, Ordinis S.P.N. BENEDICTI, religiosissimo Abbati,

QVi ſerit beneficia, Deum imitatur, perpetuò effundentem. Eſt tamen quoddam genus hominum (plus nimiò ingratum;) quod eos odit quibus magna munera debet, nec unquam de exſolvendo cogitat. Mihi autem Tuis beneficiis onuſto, ut ferre amplius vix valeam, grave hactenus fuit, par pari rependere non poſſe, ut par erat, cum bonorum luſorum numero haud habeatur, niſi qui prompta manu reddit pilam, quam acceperat. Itaq; bene me rem meam, ſimulque publicam geſturum putavi, ſi vaſti Orbis miraculum, mundique publicam facem S.P.N. BENEDICTUM cum omni ſua familia è tenebricoſis archivis, & bibliothecarum obſcuris angulis in lucem evolverem, libroque uno junctos tot Divos Tibi venerabundus dedicarem. Factum Bonum, mea quidem ſententia. Si enim ſpeculum deſideras, non poteram alibi te tibi preſſius ad unguem oſtendere, aut purius. Neq; deinde ad alium volumen hoc quàm ad Te pertinebat. Nam S. Lamberti acta refert, cujus honori tuum ſtat Monaſterium. Immemor quoque jam collocatorum apud me beneficiorum, ſumptus haud exiguos in typum feciſti. Quid verbis opus eſt? togæ pallium addidiſti. Eos qui legent (ipſum argumentum multos ſolicitabit, & rerum magnitudo) qui legent, inquam, una mecum Tibi gratias acturos, facile poteris exiſtimare. Et videris quam nobili Te loco poſuerim, dum huic ſanctorum Monachorum albo nomen Tuum litteris grandioribus inſcripſi, albo per ſpatioſum Orbem ituro? Omnes igitur ubique gentium inter Ordinis noſtri beata ſidera Te in primo limine conſpicient: quotquot Tomum hunc manibus verſabunt, Benedictum, ad S. Lamberti Abbatem, laudibus tollent, quod nihil antiquius habuerit, quam Monachorum Patriarcham, quocum ipſi nomen commune eſt, Orbi reſtituere; ejuſque immenſa ſerie religioſiſſimos filios in hoc Honoris templum ære ſuo evocare. Quocirca non eſt, optime Præſul, quod metuas, ut memoria Tui apud ſeros poſteros deleatur. Quid? Non una in Styria, ſed omnibus in terris, quas annales hi adibunt, vives, præcipuè apud Germanos dum cognoſcent, quibuſnam Apoſtolis fidem poſt Deum, ſacra, & ſalutem ſuam debeant.

Præterea, non beneficiorum tantùm, ſed etiam aliarum rerum quamplurimarum invitatu Tomum iſtum Tibi inſcribendum duxi. Venerat in mentem, Saliſburgi meas Te prælectiones olim frequentaſſe, magnumque auditorio ornamentum tecum attuliſſe. Capiebat me inſuper ſpectata Tua in Numen divinum pietas. Simul enim rebus S. Lamberti præfectus es, quaſi poſita aliorum negotiorum cura, totum animum in templum undiq; excolendum convertiſti, cujus tanta hodie reverentia & majeſtas eſt, ut neſciam an non cætera per provinciam ei palmam concedant. Abbatis

profectò munus non poteras aliunde gloriosius auspicari. Principia & finē diligentius fama notare solet. Præterea, templo suis numeris absoluto, non inerti Te otio indulsisti, sed cùm patrum commodè habitarent Tui, ac multò plures, qui sub signis Sanctissimi Patris nostri BENEDICTI stipendia facerent, conscribere animum induxisses, ingens facinus edere ausus, submota vetere fabrica novum Monasterium longe amplissimum molitus es, cujus ingeniosa & mirabilis architectura, nec non magnificentia prope singularis, illustrissima Ordinis nostri Cœnobia in certamen vocare queant. Præclarum specimen magnitudinis animi Tui dedisti, sapientissime Antistes: nec quisquam hodie ambigit, magno Monasterio Tuo multo majorem Te esse: & si aliquando fata mundi aliter disponat Deus (rebus enim gerendis ingens obex bella sunt) incredibilia Te facturum. Quid erubescis Præsul? Falsa blaterare, ac ea quæ vera sunt premere, ejusdem piaculi existimo.

Cæterùm, si quis & me percunctetur, Cui BONO tam longè latèque patens fabrica: non hæsero, sed extemplò respondebo: *Omnibus bonis, qui Deo Opt. Max nobilem hic loci servitutem servire (id est, regnare) cupiunt.* Immò, jam Numinis primò benignitate, deinde Tua ipsius virtute perfectum est, ut hodie non sacri Ordinis candidati cellis, sed cellæ candidatis desint. Quis enim, obsecro, non illi cœtui libentissimè se immisceat, qui religiosam disciplinam sanctissimè colit. Nihil enim Tuo in Monasterio curvi est: nam omnia exigis ad Regulam. Quis deinde non ardentissimè ei se Abbati committat, qui repetenti Numini rationes, annumerare animas paratus est, quæ in ipsius fidem ac tutelam venerunt? Qui exemplo bonos facit?

Ædem magnæ Matri Dei nunc quoque in latius spatium educis Cellis, auro quidem Austriaco, Tu tamen etiam aliquid aspergis. Quoties enim pauperes clamant, quoties templa desiderant, loculi Tui in procinctu sunt. Adhæc, cura, industria, assiduitas, architectura, à Te uno proficiscuntur. Nemo credet unquam ita paucis ac difficilibus annis tam multa Te confecisse, quorum partem haud exiguam omitto, ne longior sim justo. Indignabitur successor omnia domi forisque à Te occupata, nec ullum sibi virtutis exercendæ locum à Te relictum. Tacere me jubes? Famam cópesce, infinita per ora volantem, Teque celebrantem. Nolito igitur, quæso, id velle, quod fieri non potest.

Quod si tamen laudantem me ferre nequis, nihil dicam de eximia prudentia qua præditus es: de vitæ integritate, humanitate, de tranquillissimo pectore Tuo, quo suavissimè imperas. Prætereo quoque animi submissionem, qua descendis ad inferiores, tanquam dignitatis Te Tuæ cepisset oblivio: neque commemorabo insignem diligentiam, qua rem à Monasterio S. Lamberti in Styria inferiore quondam avulsam, restituisti: neque evulgabo, docuisse Te sacros præsules, multa sibi negotia imponere, quisquis vertici infulam imponeret, ac vix tanti esse habuisse mitram, neque virtutibus & egregiis factis exornasse: saltem fas sit mihi, facere verborū hocce compendium: *Reverendissimus D. Benedictus, Abbas ad S. Lamberti, & magni Antistitis, & genuini Monachi omne fert punctum.*

Postremò, Tomum, quem devotissime porrigo, ut explicata ter fronte manuque prompta capias, etiam atque etiam oro: stylo nudum illum & sine ornatu; nimirum ad Tuum stomachum facto. Quibus enim mens sapit probant libros, quibus succi plus inest, quàm coloris. Hunc autem meum minimè Tibi commendo, cùm certus sim amaturum Te argumentum. Ita superi Te mihi, Monasterio, & sacro Ordini servassint.

In Monasterio Neresheim XVIII. Kal. Feb. an. M.DC.XLVIII.

LICENCIA

De la Inquisicion de Logroño, para passar este volumen de Navarra à Castilla.

En el Tribunal del santo Oficio de la Inquisicion de la Ciudad de Logroño fue presentada la segunda parte de la Coronica General de San Benito, q se pidio licencia para passarla de Navarra à castilla: que viendola cometido al Padre presentado Fray Pedro Venero Prior de Valcuerna, la approvò: y los Señores Inquisidores dieron licencia para passar el dicho libro, de que da testimonio Francisco Parolo de la Fuente Secretario. Año 1609. à quatro de Iulio.

APPROBATIO

Patris Fratris Petri Veneri, Prioris Conventus Nostræ Dominæ de Valcuerna, Ordinis Prædicatorum, & Qualificatoris sancti Officii.

Ex mandato Vestræ Dominationis vidi ac legi Centuriam Secundam & partem Centuriæ Tertiæ, quæ conficiunt Tomum secundum Chronici Generalis Ordinis gloriosi Patris S. Benedicti, compositi à Magno F. Yepes, nihilque inveni Catholicæ Fidei, vel bonis moribus adversum, sed potius insignem eruditionem, & infinita Sanctorum exempla, quæ hactenus velut thesaurus absconditus in ista sacra religione latebant: quem proinde refodere & in lucem emittere operæ pretium fuerit, cum inde locupletanda sit Ecclesia, & fideles animandi ad viam virtutis gnaviter persequendam. Conveniens igitur & justum est, ut tantæ doctrinæ liber per hæc regna vulgetur, ne tanto bono carere cogantur, cum in iis Christianitas magis, quàm in aliis, floreat. In cujus rei fidem has litteras mea manu subscriptas dedi in Conventu nostræ Dominæ de Valquerna de Logroño, Ordinis Prædicatorum 18. Iulii anno 1607.

F. Petrus Venerus.

LICENCIA

Del Consejo Real, para entrar este Libro en Castilla.

Pidiose Licencia al consejo Real de castilla para poder passar el Segundo Tomo de la Coronica General de San Benito, *de Navarra à castilla: que los Señores del consejo mandaron le viesse el Padre Maestro Fray Francisco de Tamayo, Qualificator suprema Inquisitionis: el qual aviendo le visto le aprovo en la forma seguiente.*

APPROBATIO

Patris Mag. F. Francisci de Tamayo, Concionatoris Ordinis S. Francisci de Paula, Qualificatoris supremæ Inquisitionis.

Ex mandato supremi Consilii Castellæ non absque magna spirituali voluptate vidi Tomum Secundum Chronici Generalis Ordinis gloriosi Patriarchæ S. Benedicti, scriptum per P. Mag. F. Antonium Yepes, de quo idem censeo quod de Tomo primo, non solùm quod nostræ sanctæ fidei nihil contrarium habeat, aut bonis moribus, sed etiam quod author insigni tam divinarum quàm humanarum litterarum peritia & dexteritate histo-

historiam tractet, luce dignam, ut Ecclesia fructum spiritualem ex ea capiat. Datum Madriti in Conventu Victoriæ 11 Sept. Anno 1609.

F. Franciscus Tamayus, Qualificator supremæ Inquisitionis.

YO Christoval de Leon Secretario de Camera del Rey nuestro Señor, uno de los que en el Consejo residen, doy fè que aviendose pedido à los Señores del por parte de la Orden de S. Benito se mandasse dar licencia para poder entrar en estos Reynos el libro de la Segunda Parte de la Coronica General de la dicha Orden en el Reyno de Navarra. Por los Señores del Consejo, se diò licencia à la dicha Orden para poder entrar en estos Reynos el dicho libro, como consta del dicho pedimiento, y del decreto del dichos Señores, que en mi officio queda, a que me refiero. Y para que dello conste de pedimiento de la parte de la dicha Orden, doy esta fe. En Madrid 17. Septemb. An. 1609.

Christoval Nuñez de Leon.

COMMISSIO
Generalis Congregationis S. Benedicti Vallisoleti.

NOs Mag. F. Antonius Perez, Monasterii S. Benedicti Vallisoleti Abbas, ejusque Congregationis Generalis &c. Patri Mag. F. Emmanueli Angles, nostræ Dominæ de Vrache Abbati, nec non Vniversitatis illius Patribus Magistris mandamus per præsentes, ut tres Tomos à Patre Concionatore F. Antonio de Yepes, Ordinis nostri Chronographo, compositos, ac inde ab ipsa origine petitos, legant, suamque de illis sententiam nobis significent, ut intelligamus quid de impressione nobis factu sit opus. Datum in Regali Monasterio S. Benedicti Vallisoleti 13. Iun. 1607.

Generalis S. Benedicti.

Ex mandato suæ R.^ma Paternitatis
F. Antonius de Alvarado.

APPROBATIO
Patrum, Abbatis, Magistrorum & Professorum Vniversitatis Vrache.

EX mandato Reverendissimi Patris nostri Mag. F. Antonii Perez, Regalis Monasterii S. Benedicti Vallisoleti Abbatis, & Congregationis Generalis, Tomum Secundum Chronici Generalis Ordinis nostri gloriosi Patris S. Benedicti legimus, censemusq. materiam juxta utilem & praclaram esse, adducendoque multos Reges, Principes, aliosq. viros illustres, qui magnitudinis sua obliti, calcatisq. palatiorum voluptatibus, heroicas virtutes cum mirabili rigore conjunctas in Monasteriis exercuerunt, torpentibus calcaria additurum, & patrimoniorum decoctoribus persuasurum, ut opes suas potius in cultum divinum piasq. causas conferant. Eam verò scribendi rationem adhibuit P. Mag. F. Antonius de Yepes (quippe longo historia usu edoctus, vestigiisq. eorundem sanctorũ Monachorum, quorum acta refert, insistens) ut Tomus hic inoffenso pede percurri, proindeq. auctori licentia imprimendi concedi possit. In Vniversitate nostra Domina de Vrache 2. Novemb an. 1608.

Magister F. Emmanuel Angles, Abbas & Rector Vniversit. Vrache.

F. Ferdinandus de Amescua. F. Pedro Marin.
F. Maurus Garcia. F. Gabriel de Gevara. F. Iohan Martinez.

Per mandatum Vniversitatis F. Petrus de Vrbina, Notarius & Secretarius.

APPROBATIONES.

LICENTIA

[illegible] Congregationis S. Benedicti, [illegible]

NOs [illegible] Perez Abbas S. Benedicti Val[illegible], [illegible] P. [illegible] Yepes per præsentes damus l[illegible], ut obt[illegible] [illegible] ac[illegible] [illegible]um [illegible] Chronico [illegible] N. S. B[illegible] [illegible] æ Religionis te[illegible]m & [illegible] tes ip[illegible]us [illegible] gratos fore. Q[illegible] ut an[illegible] præcipimus [illegible] ne [illegible], inutili [illegible] differat. Dat. ad S. Salv[illegible]m de Dna. [illegible] De[illegible] an[illegible] 8.

APPROBATIO

P. D[illegible] de Gua[illegible] Lectoris Theol. in Soc. Iesu Collegio Pamplonæ.

EX mandato [illegible] Consilii Regni Navarræ [illegible] Gene[illegible] Ordinis [illegible] Patriarchæ S. Benedicti, per [illegible] R. P. Mag. I. A[illegible] [illegible] Mo[illegible] [illegible] mori[illegible] [illegible] tum [illegible] Auct[illegible] [illegible] Rei[illegible] [illegible] De[illegible] ipsius [illegible] qui Co[illegible] interpretati me[illegible]entur [illegible] & [illegible] putatur. Dat. in [illegible] Soc. [illegible] Collegio Pampilonæ 2 Aug. an. [illegible]

BENEVOLE LECTOR SALVUS SIS.

BO[illegible] [illegible]

[illegible]

AD LECTOREM.

Tantum enim terrarum excolaere [illegible] cæcos incolas di[illegible] imbuendo [illegible] absolvam, nulla quasi pars [illegible] tempora dete[illegible] vel nota erat, in quam M[illegible] nostri eam sacro Evangelio non penetrassent, quorum ingentes ani[illegible] nec [illegible] torrida la[illegible] nec polus Arctous eum toto mari glaciali potuit exhaurire [illegible] Numina studi[illegible] vandaram aedebant, ni[illegible] ignes, astum, nives, pluvias, cæteraq; cæli injuri[illegible] aestimarent. O sancte Deus quam cuperem parvam saltem [illegible] ex magno ill[illegible] igne, quo isti [illegible] in pectus hoc meum illabi! Non alt[illegible] cunctarer, quo dum mare glaciale emetiri [illegible] S[illegible] Apostolorum [illegible] At [illegible] entram, meam [illegible] cadum, [illegible] calamum [illegible] imparem. D. Petrus è navi se in m[illegible] & mora impatiens [illegible] conventuras [illegible] ad [illegible] casus adversus [illegible] unas cœpit, mox animum [illegible] de[illegible] profundum [illegible] opem Servat[illegible] est. In me vero undiq; impetum facient [illegible] Annum [illegible] hoc [illegible] si [illegible] huic æquori suscepti negotii indebitam ex merito deberem. [illegible] eam res mea jam redeat [illegible] turpe [illegible] revocare gradum, [illegible] quam [illegible] semel credi [illegible] superest ut Imperatori maris supplie[illegible] tenacem fluctuanti manum [illegible] quod [illegible] modo eorum precibus consequuturam [illegible] eorum [illegible] verum etiam [illegible] qui cælo pridem recepti frangi meam navem, [illegible] egregia facinora tumidis fluctibus propinare nollent, & aboleri.

Porro, [illegible] exponamus, sed præter [illegible] in annos eadem referamus, demirentur quidam Annalis im[illegible] quam [illegible] huic operi [illegible] impo[illegible]. Atqui non te fugit, si Prologi nostri Centuria prima [illegible] planam ac nudam esse rerum [illegible] narrationem, nulla [illegible] accuratam anxia habita ratione Chr[illegible] [illegible] ideoq; [illegible] debere tempori: Annalibus [illegible] maxime licere, verum quid in quemlibet annum [illegible] erit. [illegible] idem vulgandum esse, quibus compedibus [illegible] per annos Sancti, si videbitur, vel Pontificem, Imperatoris, aut Regis vitam perpetuam [illegible] nec ad finem perveniat [illegible] velut [illegible] in totam mensam simul apponas, eo quod omnia fercula unam [illegible] spectent. Itaq; parem verb[illegible] [illegible] pane [illegible] superest [illegible] annorum ac mensium observator est Annalium conditor: neque quod [illegible] obs[illegible] sedalit [illegible] qua annus alia co[illegible] erant, re[illegible] interim ad varia [illegible] qua eandem ad annum exigenda [illegible] Unde [illegible] rebusq; crebro mutatis non raro Lectoris cerebrum corrumpitur. Quid uno [illegible] anno, inquam, accideret, refert, videlicet Pontifex Max. inauguratus [illegible] Regis [illegible] ortum. bellum à quopiam duce motum [illegible] Monasterii prima fundamenta [illegible] vero haudquaquam pertexit, sed cætera in [illegible] annos degerit atq; [illegible] Quis Pontificum, Regum, Ducum, [illegible] Monasterii, [illegible] nos anno dedit, [illegible] post [illegible] anno [illegible] accurandum asseret. Interea [illegible] sibi lego [illegible] modò Papam aut Regem obliterabunt, qui nisi perpetuo inculcentur, ex memoria [illegible] Quapropter unius vero [illegible] Pontificem, [illegible] Regum [illegible] me indice, occupant Annales. Cum enim susceptam semel argumentari [illegible] non dimittitur, neq; auctor extra [illegible] Lectores [illegible] excedere nequeunt, dum [illegible] tramite ad postremum & ultima contiana [illegible] Verum historia universalis cum per totum [illegible] orbem [illegible] mille texatur filis, [illegible] legibus teneri nec [illegible] nec potest. Quam graviter [illegible] Lectorem [illegible] atq; etiam benev[illegible] [illegible] patas, si [illegible] Sanctis sexcentis narrare [illegible] adhuc [illegible] & [illegible] habere cupiens. Certe indignabitur toties sua [illegible] quoties facit, non semper remitti [illegible] ne semper propenso in pigerrimo capite [illegible] ut sit [illegible] movens, [illegible] dominum [illegible] ad [illegible] perpetuò addacit, quo pacto sistere equum, [illegible] eodem nocterat. Quocirca frænum, si sapit, nonnunquam [illegible] ac plus debito [illegible] aliquando [illegible] effundit, ut Pe[illegible] spumante [illegible] Talem historicus præstare [illegible] ut [illegible] incepta [illegible] revocare [illegible] non raro dissimul[illegible] licet. Videat enim quamplurimos Scripto[illegible] in turpem [illegible] dum semper plus [illegible] multa narrant, quæ nunquam alibi acciderunt. Insuper historia universalis conditorem brevitati operam dare non convenit. Nam multa memoratu digna omittet.

Itaq; calamum [illegible] uberum, effundet. aliquando [illegible] remet, modo à tempore, occasione per omnia, rebusq; [illegible] petit. Cum [illegible] verterem [illegible] nostra [illegible] paucis [illegible] saltem, [illegible] Ordin[illegible] Bened[illegible] [illegible] interponendo. noluit [illegible] modo me [illegible] nec quidem annalium le[illegible] me addicere [illegible] ne in [illegible] revera aqu[illegible] cogerer. Aus[illegible] tanta multitudo [illegible] Monach[illegible] quasi cælo repente delapsa, mihi obviam dat. [illegible] ad in publicum [illegible] capit. [illegible] Religio [illegible] quam Ecclesia Dei mirifice inclarati, neq; [illegible] Apage [illegible].

Cæterum quando nomina per [illegible] Septentrione [illegible] triste ac barbarum sonant, con[illegible] landam de [illegible] Hispanorum auribus rata, eadem ad [illegible] revocata, [illegible] ad idioma expolivimus.

Imprimis igitur si unus duo tulit nomina (quamvis unum [illegible] alterum [illegible] latinam [illegible] usurpavimus barbarum rejecimus. [illegible] exem[illegible] [illegible] Ultra [illegible] Ar[illegible] domo Anglus, nonnulli Historici V[illegible] [illegible] Nos [illegible] studeamus. [illegible] relicto [illegible] dammus. [illegible] ad [illegible] fastigium [illegible] V[illegible] nomen erat [illegible] semper & ubiq; Bonifatium ap[illegible] [illegible] Re[illegible] purgum, Ratisbonam [illegible] burgum, Argentinam [illegible] Germania urbe[illegible] nuncupo. vitatis barbaris vocibus de quibus Poeta canit

Nomina sunt ip[illegible] o pæne [illegible] imend[illegible] [illegible]

[illegible] quando in nomina mulierum propria [illegible] syllabas ferè ad linguam [illegible] trahe. Videlicet, C[illegible] Gertrudu, Eanfledu & [illegible] Chane[illegible] [illegible] E[illegible]

Postremo, cum multas consonante conjungere [illegible] Alemanni [illegible] sed frustra conant [illegible] pedire non po[illegible] ego [illegible] taler [illegible] exem[illegible] gratia [illegible] Monasterii in E[illegible] [illegible] tatum H[illegible] [illegible] barbarum [illegible] ab duriusc[illegible] nobilet [illegible]

[illegible] Ordinis S. P. Benedicti abiq; terrarum [illegible] quas Germania & reliquus Septentrio [illegible] rat.

CHRONICON GENERALE ORDINIS S. P. NOSTRI BENEDICTI PATRIARCHAE MONACHORUM.

CENTURIÆ SECUNDÆ.

Annus Christi 611. Annus S. Benedicti 131.

CAPUT I.

Status Romanæ Ecclesiæ atq; sacri Ordinis nostri, oculis objicitur.

Cum orbis unum haberet dominum quævis historia insignis in promptu erat.

DVm res Romana ad hue stabat, quid quovis tempore gestum esset, promptum erat prodere. Etenim major pars Orbis detecti ab uno pendebat Domino, cognitisq; annis quibus quisque Cæsarũ imperitabat, egregia facta, memoriaque digna, nullo negotio deprehendebantur Immodica vero machina, atque ut credebatur æterna, insulis undique barbaris soluta collapsaque uti plures postea dominos, Orbem miscentes, accepit, illico historia laborare, confundi, deniq; oblitterari. Multitudo ipsa peperit confusionem, offuditque densas tenebras, ut in paucos admodum historicos inciderimus, qui nobis facem absque fumo per hæc tempora præferrent. Tu tamen, bone Lector, mihi cedo dexteram, atque presse sequere. Nam principes & Reges in conspectum dabo, qui cum imperio Christianorum terras hisce sæculis tenuere, præsertim eos, qui Europæ tunc jura dabant, quam mundi partem vel maxime ordo noster occupavit. Hinc palam fiet, qui nam ex illis animum ad Religionem nostram ornandam adiecerint: monasteria fundaverint: opibus & honoribus auxerint: quas item provincias vel regna D. Benedicti alumni ad Ecclesiam Catholicam traduxerint. Ad clavum navis S. Petri hoc tempore Bonifacius IV. sedit, albo de nostro Monachus, qui insignem clausulam Tomo superiori addidit. Imperiũ Romanum ex Italia una cum Imperatore jam migraverat Constantinopolim, quam novam Romam dicebant: eratque civitas hæc caput totius imperii Orientis. Solium insidebat Heraclius I. laude dignus Princeps si prima spectes Nam subditas gentes sapienter rexit: ab hostibus sacræ fidei insignes victorias retulit: Persas ac Parthos subegit: Chosroen ingenti strage affecit, luculentæ victoriæ Crux Dominica præmium fuit, quam is suis humeris in Calvariæ montem retulit, felix futurus, si inter hæc magna, & memorabilia facinora diem obiisset. Vltimi anni nævum non unum viro asperserunt, quibus parva quædam scintilla, vel ab ipso neglecta, vel ab aliis, qui debebant, non extincta, evolavit ac viribus paulatim aucta, Africam totam ac Europæ partem inflammavit.

Bonifacius IV. Pontifex Max.

Imperii sceptrum Heraclius I. moderatur.

Humana inter monstra fere familiam ducit Mahomed. Hic regnante Heraclio ex orco emersit, homo multo turpissimus, versipellis, tollere ac ponere cornua gnarus: insidiis mortalium animis struendus non ineptus. Itaque prophetam se jactitans, nec parum negotii a Deo sibi datum simulans, legem Iudæorum, Christianorum, Hæreticorum, Paganorum, in unum chaos confudit, ut nihil monstrosius sol iste conspexerit. Veneri inprimis habenas laxavit, & quidem nimia peccandi potestate facta, pauci quidam se addixerant: sed paulatim vicinæ nationes frequentius adductæ sunt, donec omnes penitus in vetitum nefas, sectamque nefandam ruerunt. Arabes ante alios in verba impii hujus magistri jurarunt (nam gente Arabs fuit) verum cum ipsius dogmatibus nihil videretur immundius, nihil à ratione alienius, ille vi ac ferro potius, quam argumentis, ea inculcanda putavit. Indigna secta, quæ in herba extingui po-

Exemplum monstrorum humani generis Mahomed Doctrinæ suæ viam ferro aperuit dormitante Heraclio Imp.

terat, tantas progressu temporis sumpsit vires, ut hodie frustra de remedio cogitemus. Nam mille jam fluxere anni, quod dirum venenum vomuerit fatalis hæc hydra, videmusque nostra ætate summo sedere fastigio insignem acinace Alcoranum.

Saraceni pedem quoquoversum promoveant.

An non quæso, Turcæ nunc toti incumbunt Africæ? majori parti Asiæ? Græciæ? Thraciæ? Illyrico? ut provincias regnaque alia omittam. Vbi inter homines esse desiit turpissimus bipedum Mahomed, Califa primus (quo nomine caput suæ sectæ notant Arabes) gloria & flagitiis animum stimulantibus, summa ope bellum paravit. Dum igitur Heraclius cum Græcis non eo, quo par erat, ardore hastam corripuit, Saraceni magno impetu Persiam invaserunt: præclarum regnum victrici ferro subegerunt: Labentibus insuper annis tota Africa potiti sunt: tandem per fretum Cadiz vela facientes, in Hispaniam se intuleruot: templa, Monasteria, solo æquarunt: nihil profacro, nihil pro divino habuerunt: unde nobis incolis vel hodie quoque cadunt lachrymæ.

Hispaniæ Fl. Gundemarus imperat:

Sed abstersis in præsens lachrymis, penes quos id temporis sceptra alia fuerint, dispiciamus. Vuiterico fatis in Hispania sublato, Flavius Gundemarus successit. Illa nec amplius in multas divisa erat sectas: nee variis tenebatur nationibus. Nam VVandali concesseraot in Africam: Suevi tandem missi fuerant sub jugum, Gothis solis Hispaniam imperin prementibus. Re deinde Ariana à S. Leandro eversa, Catholica fides ubique coli cœpir: vulsis vitiis succrevit virtus, ut quisque quibus polluit, ita animum ad Monasteria D. Benedicto erigenda appulit quibus nonnulla hodie quoque staot: alia à mauris diruta jacent.

Galliæ Occident. Clotarius Austrasiæ Theodebertus, Burgundiæ Theodoricus.

Nostri porro vicini Galli, bellis civilibus impliciti, huc illuc agitabantur. In Neustria (quæ pars Galliæ Occidentem spectat) Clotarius, Chilperici & Fredegundæ filius: in Austrasia Theodebertus: in Burguodia Theodoricus (uterque Childeberto editus, nec non Sigeberti, & Brunechildis Athanagildi VVisigothorum in Hispania Regis filiæ, nepos) regnabant. Interea expeditionem in Septentrionem meditabuntur nostri Monachi & vero etiam susceperunt, per superiorem & ioferiorem Germaniam habendo sacras conciones: cum idolis ac idololatris conferendo gradum: Christianis pagos & urbes complendo: multa passim domicilia Ordioi condendo, desudantibus maxime SS. Ruperto, Columbano, Amando cum sociis.

Fervet opus conversionis apud Monachos S. Benedicti

Ergo Rheno Danubioq; superatis, magno ardore in regiones aquilonares feruntur: provectique longius, Daniam, Sueciam, Gothiam, petunt: Evangelium promunt: incolas gnaviter imbuunt: Ecclesiæ Dei lachrymas, quas mœsta assiduo spargebat, eo quod Oriens ad turpem Mahomedem desiceret, brevi sistunt. Ita suo Orbi prospicere consuevit Optimus Max. Deus, ut parte una secessionem ad idola vel hæreses faciente, ad veram religionem accedat pars alia. Dum igitur Oriens atq; meridies vertigine acti desciverunt, ecce tibi l mundi conditor atque pater Monachorum nostrorum opera sibi septentrionem atque Occidentem adscivit. Immo credo (neq; id absq; causa) si numerum animarum aliquis tunc temporis inivisset, plures in album Ecclesiæ Catbolicæ relatas fuisse, quam Mahomedi nomen dedisse. Quin hodie etiam hoc suum solenne obtinet Numen.

Sæpe in jactura lucrum est:

Mahomed. Lutherus, Calvinus, testimonium dixerint.

Postquam enim Lutherus & Calvious infames hæreses ex sinu suo apposuerunt, Europa vero obviis eas manibus excepit, hem, India orientalis & occidentalis locum sibi datum maximo incremento occuparunr. Hoc cum ita, pereunribus innumeris animab', à diabolo per Mahomedem sub jugum missis, alumni D. Benedicti non parvo Ecclesiæ solatio fuere, dum sua cura infinitas alias eidem pepererunt. Septentrio enim conversus, certe opus Ordinis S.P.N. Beoedicti est. Sed agedum, nunc alpes perrumpamus, nosque aliis provinciis committamus, ipsarum imperia explorando.

Italia graviter vexatur.

Italia varie jactata hac tempestate fuit, plures dominos graviter ferens. Nam quædam loca adhuc ad Imperatorem Constantinopolitanum pertinebant, Exarchus autem Ravennam insidens, ubi pacis ac belli momenta dispooebat, maximas sibi per asseclas vires conciliarat. Longobardi insuper ea io terra altas jam egerant radices, feroces ingenio ac bellicosi, quorum Reges postea in hæresin prolapsi sunt Arianam. Id temporis sceptrum tenuit Agilolphus cum Dheodelinda, iosigni fœmina, quæ aliquamdiu Adalvvaldo filio tutelam gessir. Verum illa demortua, hic cum Rothare Longobardorum Rege totam Italiam io turbas conjecit: sacra profanaq; miscuit: locis quæ Imperatori parebant, assiduo bella intulit: unde hæresi adeo grassante, incradibile dictu est, quantum detrimentum res Catholica ceperit. Porro miraculo fuit, quanto animo discipuli Sancti Columbani his malis obviam juerint, donec intempestive ovans hæresis, paulatim relicta Italia, terga vertit. Ea ætate Resp.

nero-

Res Venetorum per hoc tempus aucta.

venetorum caput è fluctibus sustulit, quæ pridem in Adriatico mari, sedem collocaverat. Imprimis enim ingens multitudo, Attilæ tyranni metu perculsa, eo se conjecerat: nunc autem incolarum numerum auxerunt vagæ turbæ, Longobardorum, ac Imperialia arma declinantes. Catholicorum ditiones Monasteriis Ordinis nostri frequentes erant: nec Longobardi quidem, etsi Ariani, manus aut vim illis attulere: Numine videlicet id agente, ut à nostris ad sinceram fidem revocarentur.

Siciliam colunt Monachi Latini & Græci.

Siciliam non modo Latini Monachi, à S. Placido & D. Gregorio introducti in federant, verum etiam Græci, D. Basilii alumni. Cum enim hæc insula diu paruerit Græcis, Coloniæ è Græcia huc ductæ sunt.

Insulæ maris Oceani, in quibus Romanæ fidei locus erat, Monasteriis plane complebantur. Cæteris numero Monachorũ Hibernia abundat Monachis & Monasteriis ac Cœnobiorum amplitudine Hibernia præstitit, unde Europa tota celebrabatur. Quod integra eximiorum Monachorum examina alias in provincias & regna hoc ætatis insula ista dimiserit, domi etiam ingenti copia retenta, nemo nescit. Quam frequentes in Scotiam & Galliam migrarint, supra prodidimus: nunc illis instabimus, qui in utravis Germania Apostolorum officio functi sunt.

Quod si oculos vel iter in insulam maiori Britanniæ vicinam, flectere libeat, magnam ejus partem (quam Scotiam ipsi appellant) Catholicam fidem Hibernis Monachis debere videbis. Sed ne error aliquis te implicet, monendus es primos Hiberniæ incolas vulgo Scotos fuisse dictos: Hiberniam vero ipsam, Scotiam majorem. Cum igitur populares in Britaniam majorem, quæ Septentrionem respicit, secessissent, ei provinciæ mox nomen Scotiæ imposuerunt, simulque Religionem Catholicam in eandem intulerunt, quæ plurimos duravit annos. Regnum tunc ab Eugenio IV. pendebat, Rege historicis percelebrato, quippe quem S. Columba ad virtutem erexerat ac fidem. Reliqua insula, quam hodie Angliam vocamus, sincera fide ut plurimum vacua erat, quam tamen cum mordicus tenerent Bretones, veluti à majoribus suis acceptam, in VVallliam ab Anglis rejecti sunt. Solum Cantiæ regnum integrum Ecclesiæ tum adhærebat, Rege Edelberto, qui etiamnum potiebatur rerum, à Gregorii Magni discipulis ad Christianos traductus. Illo autem mortuo, nutare atque labi res Catholica cœpit. Succollarunt graviter à Maximo Pontifice immissi Monachi nostri, quique ut suppetias primis ferrent postea in insulam se contulerunt, ut regante Osvvaldo fides propemodum ubique restituta fuerit: nec non Anglia nostri ordinis Cœnobia quam plurima numerarit. Regulam enim id temporis non aliam, quam D. Benedicti Religiosis Anglicanis cultam fuisse, exerte Ioannes Diaconus affirmat, quod nos in loco palam faciemus. Hæc cum ita, materia quam luci demus, non deest, immo superest etiam, ut scribentis tu potius desideraturus sis industriam. Quantum piæ preces apud Numen valeant nostin? Tales pro me interpone, & ego tibi spondeo, *utile ac dulce* simul hoc volumine te habiturum.

Hibernia olim S. ona major dicta.

Cantiæ rex Edelbertus, opera Monachorum Christo se dedit.

Iohan Diac. l. 4. 52 vita S. Greg.

CAPUT II.

S. Columbanus gente Hibernus, vitæ instituto Monachus Benchorensis: per Franciam, Alemanniam ac Italiam divini verbi præco.

Author vitæ S. Columbani Ionas Monachus, eius æqualis. Adi etiam Bedam Tomo. Sigeb. de vir. ill. Anton. Trithem Sanct. 2. Nov.

MAgna profecto voluptate afficior, in hujus anni atque Tomi primo limine se se mihi offerre S. Columbanum. Præterquam enim quod sanctitate multis aliis præstiterit, ideoque antiquis percelebratus fuerit innumeros profecto Monachos instituit, qui dum se in Patris sui velut unici exempli, mores formarunt, in virtutis & doctrinæ summum fastigium evaserunt: sacris, iisque publicis honoribus admoti sunt, nec non quamplurimis Monasteriis Ordinem auxere. Cæterum ex Hibernia in Galliam trajecit regnante Sigeberto, Clotarii Regis, nostri Ordinis studiosissimi, filio, qui præter alia beneficia hoc quoque contulit, quod nova condendi Cœnobia potestatem fecerit, auctore S. Columbano, qui plures insignes discipulos eduxit, quam id ætatis quisquam alius, unde magnam hujus Tomi partem occupabunt.

Vastissimi regni Sigeberti haud exiguum onus excepit Childebertus, quod ejusdem postea fatum inclinavit in Theodoricum, cui Burgundiæ regnum hæreditate obtigit. Hic si majorum suorum vestigia legisset, Monachos amaturus fuisset, atque ante alios S. Columbanum sæculi illius decus ac ornamentum. Sed juvenem Regem alio suæ libidines rapuere, & qui tales sunt, homines vitæ integros à se removent, quod is factitavit. Sed nunc de viro Dei subiiciamus, quæ Ionas Monachus, Venerabilis Beda, nec non alii nobis suppedidarunt.

S. Columbanus gente Hibernus.

Igitur S. Columbanus etsi mirifice collustrarit Galliam, gente tamen Hibernus erat,

bono publico totius Europæ natus. Scotum Ionas appellat, eo quod Hiberniam, veterem Scotiam dicerent. Intereſt hoc te animadvertere ob litem, quæ hodiernæ Scotiæ cum antiqua ob civem ita illuſtrem intercedit. Cæterum Hibernia præter Columbanum iſtum, quem nos præ manibus habemus, alterum quoque genuit, qui non parvum ipſe quoque decus momentumque tam Angliæ quam Galliæ attulit. Hunc ut plurimum Columbam vocant, quod nomen nos quoque ei imponere ſolemus ut appareat diverſos fuiſſe. Sat prolixam viri fecimus mentionem Tomo I. quapropter calamum iterum agamus ad Columbanum alterum: quem cum Deus Optimus, ad res maximas in Eccleſia gerendas deſtinaſſet, Orbi novam facem accenſurus, prius quam ex utero ederetur qualis futurus eſſet matri prodidit. Hæc enim noctu ſuavi ſomno capta ſolem aliquem ſuo ſe ventre complecti ſibi viſa eſt, quoquoverſus radios ſpargentem. Nec potuit ſe tenere, quin è viris, doctrina & Sanctimonia claris, ſciſcitaretur, quonam ſpectare objectam hãc ſolis imaginem cenſerent. Perfacilis & expedita reſponſio erat; à ſobole, quam uterus ferret, multas provincias illuſtrandas. Gaudio geſtiens mater, omnem nato curam adhibuit ut olim reſponderet exſpectationi.

Tom. 1. an. 565

Solis imago, incluſa utero, obiicitur matri acquieſcenti.

Hinc additi magiſtri, qui Grammatica, Rethorica, Dialectica, Matheſi, ſacriſque litteris imbuerent, quibus inprimis excelluit. Litteras comitabantur, vel potius anteibant, virtutes. Frons, oculi, vultus ſuo decore alienos oculos mirifice in ſe convertebant: hinc juveni cacodæmones tendere laqueos, perque laſcivas fæminas eos diſponere: at nunquam potuit adduci, ut tantum flagitium in ſe admitteret.

A prima pueritia litteris excolitur.

Fuerat id temporis in inſula magnæ pietatis matrona (vitam ſolitariam colebat) quæ fluctuanti non modo viam vitæ digito monſtrabat, ſed inſuper identidem in aures deponebat, mundum valere juberet: pericula quæ ipſi à diabolo, carne & occaſione imminerent, fugiendo vitaret: quin è re ſua facturum, ſi domo, ſi patria quoque excederet. Plus hæc bona Suada apud Columbanum potuit, quam matris cognatorumque preces aut lachrymæ. Tenentibus enim iſtis, erupit juvenis, atque evaſit. Priuſquam vero nomen Monaſterio daret, cuidam Senili ſe applicuit, quem ſacrorum librorum longe peritiſſimum ferebant. Scilicet hanc ipſi mentem divinum Numen injecerat, ut Evangelii ſui futurum præconem inſtitueret. Non perdidit operam Senilis, cujus auditor è Schola in Monaſterium dimiſſus, pſalmos quantumvis non magnus natu egregie expoſuit, aliaq; lectu digna lucubravit; quod Ionas ejusdem diſcipulus narrat. Itaq; jam plenus litterarum Columbanus, quo pacto mundi vinculis penitus excuſſis, ſe totũ manciparet Deo, animo anxio voluere cœpit. Huc illuc terga verſantẽ advertit, non certiorem ad Deum viam eſſe, quam vitam Cœnobiticam. Ergo hanc viã terere, ſecum ardens conſtituit. Monaſteriũ Benchor, eiuſq; antiſtes Congellus omnium ore tum celebrabantur. Huc propere contendit: Abbatẽ adit: cucullum petit: accipit. Quanto ſpiritu Monachum agere cœperit, incredibile dictu eſt: neque auxilia deerant novitio aſcetæ (ducendi enim prorſus ſunt tyrones) quibus inſtructus ſcopum ſuum tangeret. Sancti ſenes docilem juvenem non modo erudiebant, ſed inſuper virtutem ipſius varie tentabant & exercebant. Ille vero volens lubens Crucem Chriſti in humeros tollens, ſua quoque ſponte ſupplicia ab innoxio corpore ſumebat, ut cæteros in magnam ſui converterit admirationem. Extractis hanc ad normam aliquot annis, deſiderium inceſſit jam viro, quinque talenta, quę dono cœlitus acceperat, plura potius inter regna diſtribuendi, quam uni Hiberniæ impendere. Legem S. Benedictus ſuis ſanxit Monachis, ut ſubrepentes cogitationes Abbati aperirent. Non aliud conſervandæ humilitati, & technis è tartaro ſtructis gnaviter reiiciendis præſentius remedium eſt Monachis juvenibus. Et nimium quantum ægre cacodæmoni facit, ora angeli lucidi ſumenti, ſi ab Abbate interceptus forma non ſua exvatur, prodaturq;. Tulit igitur ad Patrem ſuum Congellum Columbanus, in animo ſibi eſſe, paganos fide Chriſtiana imbuere: Chriſtianos ſub vitiis ſtipendia facientes, ad virtutis ſigna reducere. Vbi intellexit Congellus profectionem eum ad externas nationes meditari, non parum indoluit, cum quod utilis eſſet Monaſterio, tum quod propter virtutem multis aliis ipſum anteponeret. Simul etiam in mentem venit, quantos fructus talis è viri laboribus perceptura Eccleſia eſſet, nimirum quem pietas in Deum, charitas in cæcos mortales, eruditio, prudentia, morumque ſuavitas ſtiparent: quæ quamvis pondus apud ſanctum antiſtitem haberent, nihil tamen in præſens ſtatuit. Re autem cum divino Numine per orationem communicata (quod etiam à ſuis fieri imperavit) ſenſit cœlum annuere profectioni. Non mora, junguntur dexteræ & amplexus: Abbas diſcipulo prçcincto bona verba dicit: ſolvitur è portu; comites ſe addunt duodecim Monachi alii, Apoſtolorum numerum

Senili, ſe in diſciplinam dat.

Exponit Pſalmos etiamnum juvenis.

Inter Monachos Benchorenſes nomen profitetur.

Beda c. 5.

S. Reg. c. 7.

Meditatur expeditionem in exteras provincias.

æquaturi,eorumq; officium obituri.Hos inter maxime eminuit S. Gallus, notũ & charũ Helvetiis nomen,cui etiamnũ hodie perquã nobile Monasterium stat in gentis illius terra,egregiorũ facinorũ ejus monumentũ.

In Galliam secum 12. Monachorum ductor.

Postquam ventum in Angliam fuit,ductis ibi aliquot diebus solũ verterunt,quod cæleste numen illum agrum discipulis Gregorii Magni excolendum destinasset. Inde petita Gallia est,quę tum patebat latissime,quippe cui non paucæ provinciæ magnæ Germaniæ subjectæ erant. Quamvis autẽ in medio regno Christianę religioni locus esset,extrema tamen ope indigebant,veluti Austrasia, quam ea tempestate Sigebertus Clotarii filius moderabatur, qui novos hospites benigne excepit, quos paulo post sua quoque virtus Regi commendavit.Quin morũ suavitate,modestia,patientia,animi submissione,corporum afflictatione, non tantũ multitudinis oculos,sed etiã animos rapuerunt. Traxit res ista Regem,ut rogaverit Columbanum, sedem alicubi suo in regno cum sociis poneret:annonam se assignaturum.Meminit hospes magnas gratias Sigeberto, ne autem censum potius quam animas quęrere videretur, negavit se possessiones admissurum;inde in Eremum secedens,locum Monasterio condendo capessivit. Montem accolæ vogesum seu vosagum appellabant,qui tam in Lotharingiam quam Burgundiã exporrectus, ac Alemanniam spectans, olim non ignobilem arcem babuit. Ruderibus potitus S.Columbanus,adhibitis etiam quę sylva suggerebat,tuguria potius,quam ædes excitavit,quibus se se Monachi adversus cæli injurias munirent.

Beda c. 5.

Locum in monte vogeso pro Monasterio capit.

Pauperrimum in modum hic loci tolerarunt vitam: fervebant nihilominus oratio & contemplatio: personabat Chorus: itum quoq; ad eos qui in proximo habitabant, & tam fidei quam virtutum semina jacta. Poterant tanti labores vires frangere. Vt ut fuerit, herbæ & radices mensam instruxere. Vnus autem de cœtu ita detriverat valetudinem,ut prorsus succubuerit. Solicito Columbano haud erat in manu quo jacentem recrearet: sed uterq; curæ fuit cõmuni mortalium patri Deo. Forte viro cuipiã satis copioso sua uxor inciderat in morbũ:nec spes vitæ longius producẽdæ supererat.Mœstissimi fors mariti memoriã Columbanus cum sociis subit,quorum Sanctimoniam fama jam vulgaverat. Ergo in viam se dat annona prosequente: præceps contendit in Monasterium: qua causa adsit, exponit: S. Columbani & discipulorum preces exposcit: & gratiam initurus dona offert. Illi ultro miserescentes,incumbunt in orationem:

Beda c. 6.

Valetudini laboranti Monacho medicinam facit Deus.

postea hominem exoneratum dimittunt. : hic salvam uxorem & incolumem offendit.Rogata quanam hora morbo soluta esset,eam indicavit, qua Sancti Monachi preces nuncuparunt. Ita bonus Deus utrisque consultum ivit.

Cæterum in paucos dies suffecit hic commeatus,moxq; pulsa fames rediit, quã herbis iterum atq; leguminibus à se satis, levarunt. Dixisses ita abunde cœlestibus eos deliciis frui,ut corpora vix obiter curarent,ciborum obliti.Supremo tamen patrifamilias haud exciderunt,qui ultimã inopiam, quacum S. Columbanus sociiq; cõflictabantur, Carantoco Salicis Cœnobii Abbati manifestam fecit,utq; egenis opẽ ferret, in mãdatis dedit.Non mora, accito Abbas œconomo, quid fieri vellet, exposuit.Eadem celeritate hic morẽ gerens,jumenta esculentis onerat: petit Eremum:sed densis arboribus immersus nescivit quo se verteret.Sciverũt jumenta:nã magno nisu per stirpes & obstantia virgulta penetrarũt:demũ recta ad Monasteriũ delata sunt.Inde ex deserto elapsa fama,ultimam S.Columbani discipulorumq; egestatem (in quam se sponte conjecerant)nec nõ præsentem Dei opt. semper manum circũquaq; sparsit. Quapropter excitata vicinia, nonnunquam submisit unde vitam sustentarent esuritores. Vices Columbanus retulit, ægrotis valetudinem secundã impertiendo.

Fame laborantibus denuo subvenit Numen.

Igitur paulatim salutis petendæ gratia frequentari desertũ cœpit: quocirca versare se Sanctus : quærere quid ageret : aditus ad Monasterium adeo non interclusos,sed jam apertissimos esse, ac perpetuo teri moleste ferre.Non enim potest satis narrari,quam is studuerit solitudini,& operosæ quieti. Tandem invenit,quod conduceret suis rationibus.Nimirũ imminẽte die aliquo festo, mutata sede altius in desertum penetravit, & obscuram in specum, quæ lupis cubile præbebat,se se subducere consuevit, commeatu penitus destitutus,nisi quem suggerebat sylva.Si quid interea negotii inciderat,Domualis mittebatur qui ad Sanctum ferret, tum responsa referret. Quo pacto & in antro is erat, & in Monasterio. Idem Domvalis, non vacus vel expeditus, sed onustus aqua hoc itineris conficere debebat. Fuit, ut aliquando palam fateretur S. Columbano, liquido premi se hoc onere. Specum alte esse suspensum:accessum arduum,ideoq; perdifficilem:angustam insuper semitã, ad fallendum pedes plane ipsa natura comparatã. Pondus habuere verba hæc apud pientissimũ patrẽ:nec mora,Moysen imitatus,precib' pulsavit cœlũ pro latice.tũ ministro baculum porrigens,rupem verberare jussit: mi-

S. Columbanus ante festa solemniora in quandam specum se subducere solitus.

Beda c. 8.

raculum! Illico tanta erupit aquæ copia, ut fontem fecerit, in secula non pauca durantē.

CAPUT III.

S. Columbanus religiosos milites scribit.

NObile Monasterium Luxoviense conditur. Aliquantum temporis S. Columbanus in monte Vegeso cum sociis Hibernis extraxerat, nō adsciscendo tyrones, seu Monachos novitios. At ubi longe lateq; vulgatum est, rebus religiosissimi viri interesse Numen; nec eum cum suis vitam occupare quotidianam, sed austeram admodum, & genere disciplinæ singularem, quam plurimi advolarunt, pulsantes ostium, ut in beatum cœtum admitterentur. Hic quamvis sese extenderet Columbanus, animadvertit tamen locum permagno Monasterio, quod is animo voluebat, iniquiorem esse. Ergo inde se movens, locum cepit alium, cui Luxovio nomen, octo milliaribus à priore dissitum. Ferunt hic quondam thermas fuisse frequentatas, ædibus superbis circumfusis, arte ac opere gentilium. Signa vanissimorū Deastrorum passim deserta stabant, sed ædificia Gallis olim irrumpentibus miserum in modum afflicta, ruinæ suæ imcumbebant, stirpibus obsita, errantium potius ferarum lustra, quam hominum domicilia. Pendentes hinc inde parietinas solo æquavit junctis Monachorum manibus sedulus Antistes: areæ ingens spacium perpurgavit: Idolis S. Crucem, Nostri Servatoris eiusque Matris, nec non aliorum Sanctorum, imagines substituit. Bonum factum! Etenim repente tot mortales nomina dederunt, ut jam Luxovium cæteris Galliæ Monasteriis parum concedere visum sit. Quod si dixero, id virorum illustrium & Cœlitibus adscriptorū copia cum quovis Europæ Asceterio conferri posse, forsan à vero haud aberravero.

S. Columbanus locum capit Luxovio ædificando.

Libet tantum aliquos exempli gratia in theatrum producere. Veniunt autem S. Eustasius, proximus à S Columbano Abbas: S. VValpertus, tertius: S. Faro quartus: S. Amatus: S. Romaricus. S. Nivardus Abbas imprimis Luxoviensis, post Episcopus Rhemensis. Præter hosce Antistites fama quoq; celebravit SS. Bertulphum, Agilum, Gibertum, Elmum Martyrem, Eufredum, Ranacarium seu Rachnacarium Episcopum Augustodunensem, Acharium, Leodegarium Martyrem, Gallum, Attalum, Audomarum, Bertinum, VVinocum, Chagnoaldum Episcopum Lugdunensem, Deicolam, VValaricum, ac alios multos Ecclesiæ calculo Divis additos. Cæteri laude ac luce quoque digni, quorum numerus haud exiguus est, nobis prætereundi sunt, ut brevitati morem geramus: veluti Angelomus, cui partum nomē

Luxovium illustrium virorum copia vix ulli Monasterio cedit.

à Cōmentariis, in libros Regum elaboratis: Amularius Fortunatus hagiographus Poeta, Antistes Trevirensis, postea creatus Cardinalis: Drogus Archiepiscopus, Caroli magni filius. Porro S. Columbano adhuc res administrante, tot se se in beatam illam societatem inserebant, ac intrudebant, ut trecenta capita (quidam ferunt quadringenta) fuerint censa. S. Eustasio postmodum Abbatis munus obeunte, sexcentesimum numerum impleverunt. De trecentis publicam hanc vocem jecit antiquitas: *Qui omnes sancti esse creduntur, excepto uno Ebroino.* Aliā enim viam institit miser: Hæc cum ita, non vitio nobis dederis, quod numerū certum egregiorum hujus Cœnobii Monachorum haud ineamus. Ebroinus tamen sic abire non debet. Fuerat is Major Domus Franciæ, paucis gradibus Regibus ipsis inferior. Venit in mentem, exvere dignitatem, induere cucullum. Atqui paulatim in Monasterio frigere cœpit: dumque animi mollitiem tempestive non ejecit, huc illuc à cogitationibus raptus, tandem solum vertit. Sunt qui credunt, si pedem fixisset, Saulem inter Prophetas futurum fuisse. Tantum enim pondus trecenti sancti incolæ apud Deum habituri fuissent, ut Ebroinum quoq; traxissent. Itaq; infelix Monachus res sibi suas habere jubens, spretis ovibus lupis se commisit. Quamvis autē Sanctus ipse haud fuerit, Sanctos tamen fecit. Testes nimirū Martyres alibi adducem[9].

Cœtus Luxoviensis sexcentorum Monachorum.

Ebroinus corvus inter columbas.

Morem *Laude perenni* compellandi Numen, ex Monasterio Benchorensi Columbanus Luxovium trāstulerat. Neq; difficile fuit, horas horis, choros choris componere, tantæ Monachorum multitudini. Aliud tamen est, quod nos perpetuæ psalmodiæ anteferimus. Nimirum hujus loci ascetæ usq; eo in cœlum penetrarant, ut non modo in templo, sed etiam in cellis, horto, agris, ubiq; toti à Numine penderent: nullam aliam cogitationē contemplationi divinæ Majestatis mitertexerent: vix ullam vocem, nisi de suo Deo funderent. Nemini vero mirum videri debet, nulli vitio patuisse aditum, ubi otio nullus locus erat. Tempus, quod à choro & opere subsecare licebat, studio sacrarum litterarum, nec non concionibus impendebatur, ut Ecclesiæ & Episcopatus in parte felicitatis posuerint, si quando Monachum Luxoviensem nancisci obtigit.

Luxovium Laude perenni Deum celebrat.

Vetere fertur proverbio, *Non scire præesse, qui subesse non didicisset.* Malus profecto ei vis expectationem fallet, si fiat consul: nec ducis officia callebit, gregariæ militiæ ignarus. Dum Monasterium Luxoviense diligentius lustramus, viros tam præstantes, sedulæ revera obediētiæ in acceptis

Obedientiam summo studio colit.

ferendos, deprehendimos, cujus plura ſpecimina præter conſuetudinem noſtram dabimus, quod obedire omniũ Ordinum interſit, hocq; fundamento noſtra Religio ipſis undecim ſæculis ſteterit. Regula D. Benedicti, de Obedientia in manibus habetur. Itaq; cũ S. Columbanus aliquãdo ſuo in ſeceſſu, cujus ante meminimus, quinquaginta dies contriviſſet, annona vero religioſum cœtum defeciſſet. S. Gallo negocium dedit, ut aliquid ex Bruſca flumine expiſcaretur. Hic melius culinæ conſultorum ſe ratus, ſi rete in Ligonem, fluvium alium ſpargeret. Ergo Ligonem feſtinus adit: lina propere explicat: frequenter ducit: ſed piſces, quos jã ſpe devoraverat, nullos capit. Feſſus labore inani, ad S. Columbanum revertit, plenus querelarum, ſcilicet piſcatum ſe eſſe in aëre. Atqui dignam, ſubjecit pius Pater, proprii arbitrii perſolviſti pœnam. Si dicto mihi audiens fuiſſes, operam haud perdidiſſes. Quocirca Bruſcam pete: non redibis vacuus. In pedes illico ſe conjecit Gallus, & vix dum rete in undas imperatas immerſerat, cum ingens piſcium copia inhæſit. Quapropter diſcipuli nec latum deinceps unguem à mandato ſui magiſtri diſcedere ſunt auſi.

S. Reg. c. 5.

S. Gallus dum ſuo arbitrio utitur, piſcatur in aere.

Fuit ut pleroſq; invaderent morbi. S. Columbanus in antro, quo ſe abdere aſſueverat, certior factus, celeri gradu in Monaſteriũ ſe retulit: abjectos in lectulis viſit, animavitq;. Incẽſus ſubito bona ſpe, omnes languẽtia corpora è ſtrato corripere: ad porrectã alicubi areã cõtẽdere: fruges terere: inq; horreũ cõdere juſſit. Miraculũ! E lectulis ſe ſe certatim quãplurimi evoluẽtes, in opus ſedulo incubuerũt, ecce obediẽtiæ ſtudio impulſi. Opere abſolutos amãtiſſimus pater ꝓ copia Cœnobii recreavit, ſaluteq; integra donavit. Illis vero, qui tantã ſanctæ obediẽtiæ rationẽ nõ habuerũt, ſed tergiverſari, q̃ frugi eſſe, maluerũt, graviſſimos morbos denũciavit. Quidvis? Uno anno, ac eo amplius, cũ adverſa valetudine confictandũ fuit, & propemodũ mors ipſa oppetenda. Hæc opercula hiſce patellis impoſuerat poſthabita obediẽtia. Credidiſſent Abbatis ſui edictum cœli imperiũ eſſe, melius cũ illis actũ fuiſſet.

Beda. c. 11.

S. Columbanus ægrotos recte valere jubet: ſurgunt, ac valent.

Ex pleto jam Monachis Luxovio, multis nihilominus adhuc eo adſpirantibus, novũ Monaſteriũ (Fontanẽſe dici voluit, q̃ fontibus ſcateret locus) ædificavit: quo cum brevi bene magnus tyronũ numerus confluxiſſet, Abbatẽ cõſtituit, ipſe vero in utrumq; Aſceterium interus, ſupremũ ephorum agebat. Hic quoq; obediẽtia ꝓ vitæ religioſæ fundamẽto jacta eſt. Menſis volvebatur Auguſtus, quo metendæ fruges erant. Sed cõtinuæ pluviæ meſſores intra tecta coercebant, nec ſpẽ mitioris cœli in tanta inclementia cõcipere licebat, ſpiſſis nubibus pejora ſemper minitantibus. Nihilominus S. Columbanus ſuos falcibus inſtructos in agros abire juſſit: quatuor probatiſſimæ virtutis ſenes, quos ſecum ex Hibernia adduxerat, per arvorum ampla ſpacia in crucẽ diſpoſuit. Hi quaſi ſigno dato, ſimul invadunt maturas ſegetes: ſuccidũt, legunt, in horreum cõvehunt: hæcque omnia prompte, ac ore cõpreſſo. Quid cœlum? Circumquaq; imbrem effudit maximum; at S. Columbano ejuſq; diſcipulis deſudantibus, ne quidem guttulam aſperſit: tanti eſt majoribus obedire.

Monaſterium Fontanenſe molitur.

Beda. c. 13.

Cadente denſa pluvia nulla guttula in obedientes S. Columbani Monachos incidit.

Multi nobili ſanguine Burgundionum orti, degebant in Monaſterio: Aliquãdo rus abire, ac opus inſuetum facere juſſi ſunt. Theodegiſus dũ falcẽ ineptius tractavit, ꝓ culmis digitum ſibi deſecuit, ita ut tantum à cute dependeret. Sãctus pater ocyus ad diſcipulum obedientem ſe admovet: ſaliva vulnus imbuit: digitum manui adglutinat: hic ſponte conjungitur: Theodegiſus non minus prompte, ſed magis caute, quam antea, officium fecit. Adeo hic loci fervebat obedientiæ ſtudium, ut exiguus nutus Abbatis, & ſyllaba etiam, circumagerent Monachos, quo is cunq; vellet. Aliquãdo Cellerium ad ſe accerſivit. Iſte cum id temporis cœna immineret, ſubjecto cãtharo cerviſiam è dolio excipiebat: audito vero ſuum cieri nomen, ſtatim ad Abbatem contendit, epiſtomium manu referẽs. Dimiſſo jam à S. Columbano venit in mentem, dolium à ſe non fuiſſe prius obſtructum, quam abſcederet. Ergo væ miſero mihi! inquit. Actum eſt de cerviſia! Inter hos queſtus pervenit in cellam: reperit cantharum plenum, & quod ultra proruperat, ita ſuſpenſum in aere, ut nec gutula defluxerit. Omnes ad unum Monachi in ſummum ſtuporem dati ſunt, obedientiam ſuo pondere identidem æſtimantes.

S. Columbanus abſciſſum digitum manui reddit.

Beda. c. 14.

Beda. c. 15.

Effuſa è dolio aperto cerviſia in aere pendet, nec fallit guttula, eo quod Cellarius dicto abſq; mora fuerit audiens.

Quidam Monachus (Columbano itidem nomẽ erat) vir raræ virtutis, & magni Colũbani ex Hibernia comes, graviter ex valetudine laborabat. Admotus fermè ultimæ vitæ lineæ, videre viſus eſt (ita ſcribit Ionas, homo diligens ac ſolers) neſcio quem Cœlitẽ mire ſplendidum ſibi allabi, velle ſe, dictitantem, corpore ſolutum ad Superos ſecum abducere, niſi Abbas ipſius, Numen aliud orando, obicem poneret. Ægrotus Theodegiſum miſit ad S. Columbanũ, rogatũ ut ad ſe veniret. Offendit in lachrymas & preces incũbentẽ, qui tamẽ cõpellatus, ſe oſtendit quod vellet Infirmus, mox eſſe facturum. Ingreſſo in cubiculum ſupplicavit moribundus, ne ſe ultra detineret, Numen precibus pro ſalute ſua fatigando, ſed potius moriendi faceret

Beda. c. 16.

Ægrotus impetrata à S. Columbano moriẽdi facultate exhalat animam.

Ionas ap. ad Nov.

potestatem, duces atq; comites in cœlum, coram adesse. Annuit petitioni mitissimus Pater: sacrum viaticum dari curat abituro: tum singuli de cœtu in ultimũ amplexũ ex more se infundunt: ille missione à suo Antistite accepta, ad beatos Superos evolavit, postquã usq; ad supremũ spiritũ ex voluntate sui Abbatis pepẽdisset. Multa miracula ab eo patrata narrãtur, quæ ut hic exponamus nõ ferunt cõpẽdiosi Chronici rationes.

S. Columbanus ursæ bonum bolum è faucibus eripit.

Vna hæc S. Columbano cura erat, nihil cogitare, nihil agere, nisi q Deus vellet. Hinc nõ homines modo, sed aves etiã ac feræ ipsi morẽ gesserunt. Fuit ut incideret in cervum à lupis dilaniatum exsuctumq;, ab ursa vero in cœnã destinatum: sed huic imperavit Sanctus, ut dentes abstineret. Adventãtibus postea Monachis ut asportarent, circumvolitabãt ferales corvi; circumstabat prædæ inhians ferarum caterva: nec tamẽ primoribus rostris aut dẽtibus lusam humi cervum attingere audebãt. Imo rapta mora in fugam se cõjecerunt, quã si plagæ sibi tenderentur.

Quidam Sacerdos (VVinicoso seu VVinioco nomẽ erat) adeo in S. Columbani familiaritatẽ se insinuaverat, ut nõ facile ab eo discederet, sive is Monasterium, sive aetrum suum incoleret. Ductus in horreũ, mirabatur ita parum inesse frumẽti, cum multo pl' Monachorum in Monasterio esset. Ergo usus libertate admonẽdi, quã amicitia parit, Pater, ait, Pater, parum tuis prospicere videris. Tãtillum frumẽti tãta Monachorũ multitudo brevi absumpserit. Frõte exporrecta, *Nunquã vidi justũ derelictũ*, respondit Columbanus: *nec semẽ ejus quærẽs panẽ* Christus quinq; panibus totidem millia pavit, ac amplius, si vult, uno verbo horreum hoc impleverit. Nox ea in villa tracta est, quã S. Columbanus orando insomnem duxit. VVinicosus Sacerdos mane obambulans, cum videret horrei aditum patere, intravit, & tecto tenus fartum esse vidit & obstupuit. Percũctatus è villico, ecquis tã subito parietes Cereali mergite stipasset? Nõ assequor ego quidẽ, excepit ille: at suspicor Columbanũ auctorẽ esse. Nã claves meo à latere præterita nocte avulsæ nunquã sunt: nec quisquam effregit valuas, aut labefactavit. Vel mõstra sis plaustrorum vestigia? Nunc hac te obsecro, Lector, ut mecum trãseas in Fõtanense Monasterium. Forte hic agros conserebãt Monachi, penum interea lustrans annonæ præfectus, duos panes, non plures invenit. Angitur animi quid pastinãtibus, otiantibus, & sementẽ facientibus Fratribus apponat: nescit quid cõsilii capiat. Prҿter penum laborabat etiã cerevisiæ dolium. Quod ubi S. Columbanus intellexit, duos illos panes & pauxillum cerevisiæ sibi afferri jussit. Cellarius exequitur imperium. Mox sanctus oculis in cœlũ sublatis, *O Iesu Christe*, dixit, *O Iesu spes unica mundi, tu hos panes & hunc potũ multiplica, qui de quinq; panibus quinq; satiasti hominum millia in deserto.* Quid multis? Voti compos est factus. Nam ministri corporibus jã curatis duplo plus de mẽsa sustulerunt, quã apposuerant.

Solis precibus ingentem frumenti copiam invehit in horreum.

Idem consequitur orando, ut plus super sit mẽsæ quam fuerat illatũ.

S. Columbanus liberorũ compotes facit VValdelenum & Flaviam.

Iuvat etiam meminisse VValdeleni principis, cui totus ille tractus, qui Iuramonte & alpibus cõtinetur, parebat. Connubio sibi jũxerat Flaviã, virtutibus & sangvine juxta nobilẽ. Post thorũ aliquandiu infœcundũ, S. Columbanũ uterq; cõjunx cõveniunt, quibus se abũdare, at sobole carere, querulantes. Multũ ipsũ apud Deũ posse: precibus proinde sterilitatẽ removeret. Ego vero faciã, subjecit Sanctus, si spondetis primo natum à me sacro fonte lustrandũ, eumq; vos Dei servitio addicturos. Illi prolixe spõdent, promittũt, pollicentur: domum inde digrediũtur. Paulo post sensit Flavia, uterum se ferre. Mensibus partui destinatis tum elapsis, prolem masculum edidit, cui nomen posuit Donati. S. Columbanus flumine salutari expiatum, parentibus educendum reddidit, donec filio bearentur altero, ille vero Monasterio maturesceret. Sequutus est gnatus alter, quem Romelinũ appellarunt, opũ paternarũ hæres: nec non duæ filiæ. Si advertis animum, nec latum unguẽ admirandi viri vaticiniũ aberravit. Cæterũ de ordine nostro optime sunt meriti parentes, filii, filiæ, diversis Monasteriis erectis. Nam Flavia extincto marito Parthenona fundavit Vesoncione: Ramelinus Dux in Iuramõte condidit alterũ propter Novisonã fluviũ, cui Agrinum religione clarissimũ præfecit. Donatus ex pacto à piis parentibus cum S. Columbano inito, Deo se se dedidit, atq; eos in Cœnobio progressus fecit, ut eum vesoncionenses Episcopũ legerint. Ne vero Ordo expers esset ipsius munificẽtiæ. Asceteriũ insigne cõstruxit (Palatii nomẽ indidit) quo colonia Luxovio deduceretur. Tot tãtæq; res à S. Colũbano gestæ ita flexere Burgundionũ animos, ut amore hominis plane arderent, seq; felices ducerẽt, quod exterũ & ignotum hospitio accepissent. Sigeberto regi certe in paucis charus fuit, quo sub annũ partæ salutis D.LXXIIX. è vivis sublato, Childebertus regnũ adivit, spectatæ virtutis princeps, nostrique Columbani amantissimus. Ex Faldubrada VVisegothica Theodobertũ & Theodoricũ sustulit, quorum ille Austrasiorũ, iste Burgũdionũ summam capessivit. Bono loco apud hunc vir Dei fuit, donec lascivis amoribus captus, juvenis Rex, saniora suadentem toto regno proscripsit.

Donatus se Deo dedit.

S. Columbanus Sigeberto Regi charus.

AN. CHRISTI 612. | AN. S. BENEDICTI 132.

CAPUT L.

S. Columbanus pedem è regno Burgundiæ efferre jubetur.

S. Columbanus Theodorici amãtis animum eficere conatur.

MAgna S. Columbanum benevolentia Theodoricus Rex prosequutus est, dũ sapuit; sibiq; non parum in eo præsidii esse putavit. Ictus postea vesano Cupidinis telo,

visus est non amplius esse apud se præ cæcis amoribus. Potuisset Brunechildis coercere (Beda. c. 17.) nepotem, sic pessum euntem, nisi timuisset legitimum thorũ sibi fraudi futurum. Sunt tamen qui culpa aviam absolvant. Nos vero hic non pugnamus: Non tulit autem, non passus est Columbanus hac vertigine rapi effrænem juvenem: idcirco adivit pereuntem: officii hominis Christiani admonuit: ad frugẽ revocavit: quam multorũ animos vulneraret, in os objecit: tandẽ absolveret pudenda flagitia institit. Sed ausculta quam historiam hic det Beda, cujus (Beda. c. 18. Aimoin. l. 3. c. 94.) etiam Aimoinus meminit.

Evenit, inquit, ut quadam die beatus Columbanus ad Brunechildem veniret (erat enim tunc apud Brocoriacum villam) cumq; ea illum in aulam venisse cerneret, filios Theodorici quos de adulterinis permixtionib⁹ habebat, ad virũ Dei adducit: quos cũ vidisset sciscitatur quid sibi velint? Cui (Spurios regis liberos aversatur.) Brunechildis ait; Regis sunt filii, tu eos tua benedictione robora. At ille nequaquam, inquit, istos regalia sceptra suscepturos scias, quia de lupanaribus emerserunt. Illa furens parvulos abire jubet. Egrediens ergo vir Dei regiam aulam, dum limitem transiliret, fragor exortus, totam domum quatiens, omnibus terrorem incussit: nec tamẽ miseræ fœminæ furorem compescuit. Parat deinde insidias moliri, viciniisq; Monasteriis per nuncios imperat, ut nulli eorum extra Monasterium iter pandatur: neq; receptacula Monachis ejus, vel quælibet subsidia tribuantur. Cernens autem beatus Columbanus regios animos adversum se permotos, ad eum properat ut suis monitis miseram pertinaciam in tantum frangat. Erat enim tunc temporis apud Spissiam, villã publicã. Quo cum jam sole occumbẽte venisset, Regi nunciant virum Dei inibi esse, nec in (Itemq; cibos, ac potionem.) Regis domibus metari velle. Tũc ait Theodoricus, melius esse virum Dei opportunis subsidiis honorare, quam Dominũ ex servorum ejus offensa ad iracundiam provocare. Iubet ergo regio cultu opportuna parare, Deiq; famulo dirigi. Itaq; venerunt, & juxta imperium Regis oblata offerunt. Qui cum vidisset dapes & pocula, cultu regio administrata, inquirit, quid sibi velint ista? Ajunt illi sibi à rege fuisse directa. Abominatus autem ea, ait: scriptum est, munera impiorum reprobat Altissimus. Non enim dignum est, ut famulorum Dei ora cibis ejus polluantur, qui non solum suis, verumetiam aliorum habitaculis, famulis Dei aditum denegant. His dictis vascula omnia in frustra disrupta sũt, vinaq; ac sicera solo diffusa, & cætera separatim dispersa. Pavefacti autẽ ministri, rei gestæ causam regi nũciant. Tũc ille pavore perculsus, cũ avia diluculo ad virum Dei properat: precantur de commisso veniam: se in postmodum emendare pollicentur.

His placatus promissis, (pergit Beda) ad Monasterium redit; sed pollicitis vadimonii jura non diu servata, violantur: exercẽtur miseriarũ incrementa, solitoq; à Rege adulteria patrantur. Quo audito beatus Colũbanus litteras ad eũ verberibus plenas direxit (Quavis via, in virum Dei grassatur Brunechildis.) cõminaturq; excõmunicationem, si emendare dilatando non vellet. Ad hæc rursum permota Brunechildis, regis animũ adversus beatũ Columbanũ excitat, omniq; conatu perturbare contendit, orabatq; proceres aulicos, optimates omnes, ut regis animũ contra virũ Dei perturbarent. Episcopos autem sollicitare aggressa est, ut de ejus religione detrahẽdo, statum regulæ, quem suis custodiendum monachis indiderat, macularent. Obtemperãtes aulici persuasionibus miseræ reginæ, regis animum contra virum Dei perturbãt, cogentes ut accederet, ac religionẽ probaret. Coactus itaq; Rex ad virum Dei Luxoviũ venit, conquestusq; est cum eo, cur à provincialium moribus discederet, & intra septa secretiora omnibus Christianis aditus nõ pateret? Beatus itaq; Columbanus ut erat audax, atq; animo vigens, talia objicienti regi respondit, se consuetudinẽ non habere, ut sæcularibus hominibus & à religione alienis, famulorũ Dei habitationis pandat introitũ. Se & opportuna aptaq; loca habere ad hoc parata, quo omnium hospitum advẽtus suscipiatur. Ad hæc Rex, si, inquit, largitatis nostræ munera, & solaminis supplementum capere cupis, omnibus in locis patebit omniũ introitus. Vir Dei respondit: si quod nũc usq; sub regularis disciplinæ habenis constrictum fuit, violare conaris, nec tuis muneribus, nec quibuscunq; subsidiis me fore scias à te sustẽtandum. Et si hanc ob causam tu hoc in loco venisti, ut servorum Dei cœnobia destruas, & regularem disciplinam macules, scito tuũ regnũ funditus ruiturũ, & cũ omni propagine regia demergendũ. Quod postea rei probavit eventus. Iam enim Rex temerario conatu refectorium ingressus fuerat. His ergo territus dictis, foras celer repedat. Duris post hæc viri Dei increpationibus Rex urgetur. Contra quæ Theodoricus ait: Martyrii coro- (Rex Columbanũ Luxovio ex esse jubet.) nam à me tibi inferendam speras! Non esse, ait, tantæ dementiæ se, ut hoc tantum patraret scelus: sed quæ sunt potioris consilii se agere, & utiliora paraturũ ut quia ab omniũ sæcularium moribus desciscat, qua venerat, ea via repedare studeat. Aulicorũ simul cõsona voce prorumpunt, se habere non velle

bis in locis, qui omnibus non sociatur.

Ad hæc Beatus Columbanus se dicit de Cœnobii septis non egressurum, nisi violenter abstrahatur. Discessit ergo Rex, relinquens virum quemdam procerẽ, nomine Baudolfum. Is enim cũ remansisset, virũ Dei à Monasterio pellit, & penes Vesocinnense oppidũ perducit ad exulandũ: quoad usq; regalis sententia ex eo quod voluisset, decerneret. Cõmorans ergo ibi, audit carcerẽ eo in loco plenũ esse damnatorũ hominũ mortis damna expectantium. Ad quẽ vir Dei properat, ingressusq; ostium nullo obstante, verbum Dei damnatis depromit: spondentq; illi, si liberarentur, emendaturos, & de commissa noxa pœnitentiam acturos. Beatus itaq; Columbanus post hæc ministro Domoali imperat, ut manu ferrum, quo compedes irretiti erant, atq; innexi, apprehendat ac trahat. Quod illo apprehẽsum trahit, & veluti frutex putrefactus per partes cõminuitur, egredi q; carcerem damnatos solutis cõpedibus jubet. Peracto autem Evãgelici cultus officio, pedes lavit linteoq; abstersit: imperatq; deinde ut Ecclesiam petant, & commissi sceleris pœnitendo ac fletibus abluendo culpas laventi. Properantes ergo illi, Ecclesiæ fores obseratas reperiunt. Tribunus igitur militũ cum vidisset virtute Dei per beatum Colũbanum damnatorum compedes fractas, & vacuum sibi tantummodo relictum ergastulum, insequi calces damnatorum, ac si à somno excitatus, cum militibus cœpit. Illi vero post tergum appropinquare satellites vidẽtes, & fores Ecclesiæ obseratas cernentes, gemina vallati angustia, virum Dei compellant, ut eruantur. Ille autem anxio anhelitu sursum caput attollit, precaturq; Dominum, ut sua virtute ereptos, è ferro, non sinat denuo tradi satellitum nexui. Nec morata auctoris bonitas, fores firmis obseratas claustris reserat, atq; in angustia positis aditum pandit, perniciq; cursu ingrediuntur Ecclesiam. Fores autem post damnatorum introitum in oculis militum absq; humana manu obserantur, ac si custos usu clavigero perniciter & reserasset & obserasset. Perveniens ergo beatus Columbanus cum suis, simulq; & tribunus cum militibus, fores obseratas reperiunt, Aspasiumq; nomine custodem quærunt, ut claves largiatur: qui cum venisset, clavigeroq; usu fores reserare voluisset, ait, se nunquam diligentius obserata claustra invenisse. Nec quisquam post ausus est damnatis injuriam inferre, quos divina virtus eruerat. Verba tibi venerabilis Bedæ hucusque dimensa dedimus.

Vrbe tota hæc fama miraculi volans, majori jam studio erga S. Columbanum incolas accendit, ac visus est vinculis teneri haud posse, qui è numellis, compedibus, manicis, ergastulo, alios in libertatem ita facile vindicasset. Igitur nemine obicem ponente rediit in antiquam sylvam Luxoviẽsem, quod facinus in sui contemptum vertit Theodoricus, aulicis graviter Brunechildi velificantibus. Immituntur mox milites, qui virum è fuga revocent, utque in priorem locum restituant. Hi simul ac tangunt Monasterium, omnes in partes dilabuntur: Antistitem indagant, quærunt, vestigant, qui adeo non latitabat, ut potius luci ac publico explicatus, librum manu tereret, considens ante templi fores. Sed pulcherrimo spectaculo nimis officiosi, & negotiorum pleni ministri sæpissime legentem prætervolitabant: quidam vestes quoq; ipsius perstringebant: alii in pedes insuper prolatos incurrebant, nec tamen præsentem videbant. Forte è fenestra tribunus hanc scenam spectabat, qui rei novitate suspensus, illico, desinite tandem insanire, declamat: haud enim invenietis, quem sic tegit ac munit Deus. Suarum deinde partium esse ratus, Columbano negotium nullum amplius facessere, solum sua cum cohorte vertens, de ludo peracto Regem fecit certiorem.

Captivos nullo negotio ferreis vinculis exoluit sanctus.

Beda c. 19.

Oculorum ludibrium patiuntur regii ministri, ut præsentem non videant.

Caput II.

Altera vice Luxovio, ac tandem omni regno pellitur S. Columbanus.

PRæsens auxilium S. Columbano à propitio Numine latum, pondus apud regem habuisset, nisi immodica bilis usuram ei rationis abstulisset. Actus igitur furore gravi, Bertharium & Baudulphum accersit: quid opus sit, edocet. Tribunum re infecta redisse: ipsi negotium conficerent. Hi accepto imperio, contrahunt militum manum, atq; Luxovium contendũt, absq; Columbano non relaturi pedẽ. Illuc posteaquam pervenerunt, optimum patrem divinis laudibus in choro cum omni cœtu operantem repererunt. Attoniti ergo, veluti inter sacrum saxumq; stantes, non sunt ausi vim afferre psallenti: nec vicissim capita sua volebant discrimini objicere, regis imperia violando. Consilium mox capiunt in arena. Nam ubi commodum visum est, virum Dei adeunt: quid sibi velint, exponunt: rogant & orant, ut de chara statione sua sponte decedat. Satius id multo esse quam in tanta acerbitate versari. Addunt, aut ipsi eundum, aut sibi pereundum esse. Tot precibus persusus Columbanus, annuit petitioni: viæ se accingit.

S. Columbanus toto regno à Theodorico exigitur.

oritur comploratio in Monasterio, ut si publicum funus duceretur, vel salus omnium ageretur. Itineris comites aliquot Monachos sibi adjunxit, quos ante id ex Hibernia eduxerat: nam Gallos secum trahere, nefas erat. Statuerat enim Theodoricus, Hibernis regnum exonerare, adeoque impositos navigio bonis avibus domum remittere.

Beneficio prosequitur hominem, sibi exitium molientem.

Præcipitem fugam hanc Opt. Deus bene vertit dum S. Columbanum auxit gloria, multisq; per eum contulit salutem. Quidam custodum ad audaciam facti, non raro, nec leviter vexarunt sic proscriptum; sed is ut cœlo erat conjunctissimus, ita injorias æquissimo animo tulit. Vesontionem, Augustodunum, Avallonem abducitur, postremo autem loco nondum potiris, obviam se fert equorum regiorum præfectus, qui gratiam à Theodorico initurus, splendentem lanceam expedivit, impetum in Columbanum, tanquam majestatis reum, facturus. At impię dexteræ illico stupenti hasta excidit; simulque ex equo defluentem malus genius invasit. Hominem tam nequam eum diem noctemque secum tenuit Pater: mane & crimine & dæmone absolutum, missum fecit.

Beda. c. 20. Pia fæmina famelico, prout facultates ferebant, subvenit.

Præter alia viæ incommoda, magnam annonæ penuriam cum suis passus est, quod etiam benevolis, quacunque ibant, aditus ad ipsum interclusus esset, metuentibus ne male acciperet Rex, si eum virum alerent, qui ipsi pro publico hoste foret. Imo Auralianensem in urbem ubi ventum est, æde sacra prohibitus fuit: nec tecta quidem profana subire licuit. Propter Ligerim igitur cum sub tentorium receptum haberet, Potentinum Monachum (qui postea in suburbio Constantiæ Asceterium extruxit) una cum socio ad cives misit, rogatum vel tenuem stipem: sed verba ubique perdiderunt. Dũ se vacui juxtaque mœsti ad S. Columbanum referunt, præter spem evenit, ut in piam fæminam, gente Syram, inciderent, quæ percunctata cujates essent? quid agerent? quid deniq; plateas tererent: Illi patrem suũ in ore ac sermone esse, subjiciunt, quasi Regis majestatem violasset, ideoq; regno ejici. Se autem, quod precariam vitam cũ eo ducerent, panem incolas poposcisse, verum undiq; repulsam passos. Vos obsecro! excepit fæmina. Si tamen inopia tantopere laboratis, mecum venite. Nam miseris succurrere didici, quæ ex Syria usq; oriunda, gentẽ inter alienam dego, simulq; præit domum; illi sedulo sequuntur. Interea vero dum bona mater res componit, quas ad Columbanum afferrẽt, considunt, & cum cæco, qui ibidem se forte collocaverat familiare colloquium ineunt. Audito maritum esse, tam ipsi quam uxori auctores fuerunt, Columbanum accederent: non frustra sumpturos operam. Subita illis oboritur lætitia: abeuntibus Monachis se adjungunt: ad ripam perveniunt: præstolanti annonam Columbano cæcus se admovet: pedes prẽsat, ac lumina ademta lachrymis repetit. Sanctus humi corpus ꝓsternere: cœlũ precibus tundere: post hæc oculis luce cassis crucem inscribere. Quibus rebus omnibus peractis, abstersæ tenebræ sunt: cæcus vidit.

Cæcus donatur luce.

Eam vim miraculum hoc apud cives habuit, ut esculenta sua sponte Columbano suggererent; fallendi tamen ephori & custodes erant. Brevi quoq; magna turba demoniacorum confluxit, miserabili ore fidem sancti patris implorantium, quos omnes tartareis hospitibus expulsis, liberos & incolumes dimisit.

Beda. c. 21. Remigibus contra obnitentibus navim Turonibus admovet.

Posthæc è portu solvunt: à Ligeri fluvio paulatim Turonibus admoventur. Vrbis conspectus, necnon ante oculos obversans S. Martinus, salivam moverunt Columbano, ac invitarunt. Quocirca summis precibus, à suis custodibus contendit, navim ut appellerẽt salutandiq; D. Martini sibi facerent potestatẽ. At enim his dictis in rabiem provocati milites, inducunt nautas, ut medium alveum teneant: deinde ut velocius navigium agant, summa vi instant. Ille dejectus tam bona spe, oculos in cœlum tollit; divinum Numen appellat. Quid fit? Cum proni nautæ summo nisu in remos incumberent, ut portam prætervéherentur, immobilis carina hæsit, quam si in vadũ impacta fuisset, vel anchoris fixa staret. Hãc ob causam sui juris à militibus facta navis, prora circum acta illico, portũ petivit, atq; tènuit. Columbanus in ripam cum suis expositus, festino gradu ad sepulchrum D. Martini properat: diei noctem cõnectit, adeo à sacris ossibus avelli nõ poterat. Postridie ab urbis pontifice Lexpario ad mẽsam adhibitus, cũ rogaretur, cur retro iter in patriam legeret? *Canis Theodoricus*, respõdit, *à meis me fratribus abegit.* Forte una accumbebat Chrodoaldus, vir primarius, & Theodorico deditus, qui voce Columbani ictus, *melius est*, subjecit, *potare lac, quam absynthium.* Et continuo Sanctus: sentio tibi fœdus cum Theodorico intercedere: sed obsecro verbis ipsi meis nuncia, intra triennium una cum liberis à Deo radicitus extirpandum. Neque vaticinio abfuit eventus. Ragamundus præterea cum aliquando Clotarium pro nihilo duceret, *Caveris hunc floxi pendas*, intulit Columbanus: *namq; Theodorico cum sobole è vivis sublato, in Gallia*

monar-

monarcham evadet. Paucis post annis vidit contemptor, & obstupuit.

Fur suo se indicio prodit.

Porro gratiis Episcopo pro gratia habitis, ad portum contendit, ubi quæstus suorum accepit, quod nocte præterita certa supellectile penitus fuissent exuti. Quin subductos quoq; aureos, quos pauperibus nondum numerassent. Non mora, conversis vestigiis ad D. Martinum tendit solicitus pater, non ideo se ad ejus sepulchrum vigilias egisse, expostulans, ut res suas in navi perderet, ipsius curę commissas. O superi beati! adest homo qui sacculum abstulerat: inter pœnas, quas Deo dabat, furti se reum, pronunciat: quo aureum sacculum absconditisset, indicat. Perculsi divino supplicio cæteri, curriculo dilabuntur, & ablata referunt.

Sacco toto stipem ferit Columbanus.

Viatico à Leupario instructi, navim conscendunt, qua ad Nannatense oppidum deportantur, in Britannia minore situm, unde trajectus erat in Hiberniam. Sedem hic ad dies aliquot fixit. Intellectum est id à pauperibus, quocirca unus adventare: pulsando fores clamandoq; aures Columbani fatigare, qui annonæ suæ præfectum accersens, esurienti opem ferre jussit. Atqui ego, subjecit œconomus, huic prodesse non possum, nisi re nostra nimium quantum accisa perdita. Panis nullus, sed solum aliquid farinæ in promptu usui est. Quantum ergo superest? excepit Pater: ne nega. Modius, inquit ille. Fac sis igitur, ut totum modium des petenti. Fecit summa voluntate œconomus, sed fratribus triduum integrum tolerandum jejunium atq; fames fuit. Posthæc præter expectationem icta janua, servus à procula, matrona cũprimis honesta, adest; de cõmeatu ne laborent, admonet: esculẽta & poculẽta supra quã opus habeãt, se adferre. Nobilis fœmina alia (Dolæ nomen erat) magna frumenti copia eorundem inopiam levavit. Ruborem hæc fæminarum pietas excussit Sophronio, urbis illius Episcopo, qui nec panem, nec teruncium sibi extorqueri, saltem rerum permutatione, passus est. Ibidem cũ ageret Columbanus, matrem quamdam atq; filiam è potestate dæmonis in libertatem revocavit.

Beda. c. 22.

Posthæc itum ad portum est. Namq; Episcopus & Theodoldus Comes in mandatis à rege acceperant, Hibernum Columbanum ut ne morarentur, sed tempestive navi, in Hiberniam vela facienti, imponerent. Sãctus, gratiã habeo maximam, inquit, quod si navis in Hiberniam tendit, meos socios una cum reculis imponi velim. Mihi animus est, per Ligrim in altum deferri. Dantur vela secundis ventis, ac ipsa unda operam navat nautis, cum ecce! subito fluctus intumescere: huc illuc carinã jactare: modo in summã tollere: modo in profundũ absorbere: prorã ad littus repellere: deniq; in arenę cumulo deferere. Navarcha quid rei esset, post triduum in vado hærens, intellexit. Quocirca ne inimicum haberet mare, effudit è navigio omnia, quæ ad sanctum vectorem pertinebant. Quid faciunt undæ? Quasi signo dato profecto undique affluunt, & navigium liquido dorso excipiunt. Animadvertere spectatores, Numine invito repetiturũ Hiberniam: quocirca potestas ipsi facta à custodibus, iret; volveret suum saxum, quocunque vellet.

Invitis undis Hiberniã pedit ideoq; in littus reuitur.

Igitur adeptus libertatem, quam in singulari beneficio ponebat, ad Clotarium, juvenem quidem, sed ad regnum Galliæ cœlitus jam auctoratum, iter instituit. Advenientem obviis brachiis accepit Rex: quidquid posset, prolixe promisit. At ille negavit sedem se ipsius in ditione positurũ, vel quod susceptam peregrinationem prosequi cuperet: vel quod inimicitias ipsum inter ac Theodoricum serere nollet. Duxit tamen aliquot dies in regia, & è quibusdam erroribus regem extricavit. Beda. c. 23.

Interea lis acerrima Theodoricum inter ac Theodebertum germanos fratres, oritur, è regni limitibus, plerumque invisis, nata. Mos hic dividendi inter filios regni, etiam aliquandiu obtinuit in Hispania, qui multo tempore viguit in Gallia non absque mutuis odiis ac bellis. Legatos uterq; ad Clotarium mittunt, auxilia petitum. Clotarius rę cum S. Columbano communicata, ejus se cõsilio staturum, dixit. Ille neutri opem ferret, consuluit; sed infelices fratres solos signa conferre permitteret. Totam Galliam intra triennium ipsius in potestate futuram. Cæterum, profectionem se meditari in Italiam; & cũ viam habiturus sit per regnum Theodeberti, comites se rogare ac duces; quos Clotarius abeunti benevole addidit. Sed priusquã discedentẽ prosequamur. Deicola discipulus ipsius, qui vitam privatam culturus, ab eo secessit, nobis expediendus est.

CAPUT. III.

S. Deicola, seu Deicolus, Monasterii Lutrensis (Trithemius Lutense vocat) Fundator.

FVit S. Deicola è discipulis Magni Columbani antiquioribus, quem ego habeo pro Hiberno, quibus solis suum patrem Luxovio proscriptum licuit comitari. Difficile enim ad fidem est, milites hominem Gallũ sic

abire

Petrus in catal. l. 2. c. 98. Vincent. l. 23. c. 2. 3. 4. spec. hist. Trith. l. 3. vir. illust. c. 61.

abire fuiſſe permiſſuros. Sed hic rei cardo non vertitur, Numini colendo ſe totum dediderat, quod ne fruſtra tam egregium nomen ferret. Magnis laudibus ab hiſtoricis evehitur: nos ejus acta paucis prodemus, ne Columbanum iter in Italiam affectantem ex oculis amittamus.

Igitur exacta ætate ſenex in viam ſe quidem ſuo cum Abbate, atque in fugam conjecerat, labentibus tamen tremuliſque genibus. Nondum duobus milliaribus confectis, proſtratus humi faſſus eſt ſe non poſſe telam pertexere, quam cœpiſſet. Haud ægre miſſionem à pio patre impetravit, quem non ſugiebat tantos eum progreſſus in virtutibus feciſſe, ut vel cætui religioſo facem præferre, vel privatam vitam abſque duce ſancte degere poſſet. Luxovio tamen illi interdixit. Hunc in modum valere juſſus, ſua intereſſe arbitrabatur, orando meditando penitus in familiaritatẽ Dei, ſeſe dare. Quocirca in ſolitudinem ſecedere decrevit. Dum autẽ huc illuc per Burgundiã ſe transferebat, nõ tantum multis moleſtiis à feſſa ſenectute affectus eſt, verumetiam non æquos incolas habuit ob magiſtrum ſuum Columbanum. Nemo enim beneficia apud eum ponere audebat, ne ad regem deferretur. Aliquando ex ſiti graviſſime laborabat, nec tamen fuit qui anhelo ſeni aqualem propinaret, ſic ad incitas redacto & oranti, ſubito fontem limpidiſſimum obtulit Deus, quo aridas fauces rigaret. Fluxit tam bona vena ſequentibus quoque ſeculis, S. Deicolæ æternum monumentum.

Sitienti Deicolæ Numen toto onde afundit aquas.

Porro, ultro citroque, ut diximus, palando, in pagum venit, quem Suitenſem appellabant, à cujus templo D. Martino dedicato, nõ longe umbroſus collis ſeſe attollebat. Arriſit locus; nam ſenectuti traducendæ in ſylveſcente dorſo, ſacra æde in proximo ſtante, quam aptiſſimus eſt viſus. Non mora, operi manum admovet: excitato paupere tugurio ſedem figit: horas, quas poterat, in æde ſacra pſallendo & contemplando conſumit. Sacerdotes paulatim ſe ſe movere: obmurmurare: fores denique ſacras occludere. Sed Numine eaſdem ſuo oratori reſerante, aerem verberarunt, quod cordolium illi fuit, qui cæteros gradu anteibat. Hominem, ea denique dementia cepit, ut ligna transverſim una cum vepribus objiceret acceſſuro, quaſi hæc impedimenta non facile rejecturus eſſet is, qui foribus clauſis adveo antem Deicolam hactenus in templum admiſiſſet.

Arcetur templo.

Ergo nihilominus penetravit Deicola, & in officio perſeveravit, ut prope rumperetur ſacerdos. Sed ne ultra in mortario aquam tunderet, nomen Monachi ad VVerſarium defert, virum cumprimis nobilem, & Eccleſiæ illius patronum, qui olim Berthildam, alti quoque ſanguinis fœminam, virtutibus tamen Chriſtianis illuſtriorem, duxerat. Multis & acerbe dictis accenſus eſt animus patroni, cui nondum conſtitit quid hominis Deicola eſſet. Quapropter domum abire, poſita iſta cura, accuſatorem juſſit: à reo pœnas ſe pertinaciæ ſumpturum haud leves: ah neſcius tergori ſuo flagellum imminere. Nam mox in gravem eumque ſordidum morbum incidit. Confeſtim ſolicitam Berthildam advertit, provocatum à marito cœlum, capitis ſententia in Monachum inſontẽ temere lata. Nil igitur potius habuit quam Deicolam extemplo accerſere, pro ſalute mariti iratum oppidò Deum propitiaturum.

Sed dum is moratur, VVerſarius magnis cruciatibus differtur: ad ultimum tenui è filo pendens, demum vita excidit: unde Deicola poſt feſtum veniſſe viſus eſt, domino jam conclamato, nec non tota domo lachrymis natante. Berthilda ad ſancti hoſpitis pedes accidens, tantis malis remedium flebili voce popoſcit.

VVerſarium in vitam reſtituit.

Refert Vincẽtius mœſtiſſimam matronam id tantum impetrare voluiſſe, ne maritus in altera quoque vita pœnas penderet. Verum Auguſtinus Epiſcopus eam inſtitiſſe, ait, ut animam è corpore elapſam revocaret, criminis, cui affinem ſe feciſſet, expiandi gratia; idq; factum. Redux igitur VVerſarius non ſat bonorũ verborum cum conjuge habuit, quæ inſolenti beneficio reponeret: neq; ſatis opum, quas offerret. D. Martini ædem pagumq; ſine cunctatione dono derit.

Auctus præter ſpem & Eccleſia & fundo Deicola, animum ad Monaſterium fundãdum traduxit, tam ſuæ ſenectuti quam Ordini hoc pacto cõſulturus. Quin aliquot Monachi Luxovienſes, ſicut oves ſine paſtore errantes, nomina dederint, nullus dubito. Dum itaque ſuum negotium graviter geſſit novus antiſtes, Clotharius certior factus, maximum momentum ad Cœnobium contulit, prata, paſcua, flumina, circumquaque aſſignando. Quid poſthæc inceptat capularis ſenex? Nempè cui ad proſequendum Columbanum non ſufficiebant pedes, animos ſumit petendi Romam, privilegia, tum ſacras reliquias relaturus. Ergo itur. Exemptio, ut vocant, à Pontifice impetratur: cum ſanctorum oſſium theſauro reditur. Facile perſentiſcitis cur copia non fuerit ſeni, S. Columbanum comitandi. Nimirum quod hic

Condit Monaſterium.

loci fundamenta novo Monasterio jacienda essent. Cæterum longa via, nec non ætate multo longiore fractus, Abbatis munus abdicans, Columbinum, religione ac prudentia præstantem virum, eam provinciam adire jussit, ipseq; positis fascibus ad Eremitorium donuo divertit, ubi tamen diu degere per senectutem non licuit. Annis igitur & momentis rite compositis, terras cum cœlo commutavit, cujus sacri fasti ad xv. Cal. Februarii meminerunt, quibus Ecclesia etiam S. Columbinum qui illi in Abbatiam successit, ad xvii. Cal. Octob. imposuit, de quo hæc Trithemius: *Columbinus monachus & discipulus Beati Deicoli Abbatis Luttensis: in Burgundia, vir magnarum virtutum, dignus sui præceptoris successor, in eodem Cœnobio clarus sanctitate effulsit. Claruit anno Domini DC.XX. cujus festum Idibus Septembris colitur.*

Trithem. l. 3. de viris illustr. c. 77.

Caput IV.

S. Rupertus Bojorum Apostolus: Monasterii Divi Petri Fundator.

Inter alia Ordinis S. Benedicti decora haud immerito Evangelii promulgationem cēseas. Insignē vero operam in immenso Germaniæ agro S. Rupertus nanavit, quem hucusque distulimus (etsi S. Columbanum antecesserit) quod consilium nobis esset hoc Tomo expeditiones, à nostris in Alemanniā susceptas, pluribus narrare. Apostoli enim etsi primi Christiana signa extulerint, atque ad sequendum Orbe toto sacrum classicum cecinerint, obicem tamen ubiq; posuit hominibus nūquam æquus diabolus, alibi sinceram doctrinam variis erroribus vitiando: alibi, penitus abolendo. Septentrio præfecto, qui truculentis factis & ab humanitate prorsus alienus, nomē suum frequenter cōmendavit immortalitati, barbarorum suorū colluvie non secus quam diluvio, Europam & Asiam perfudit, aras, templa, prostravit: Sacerdotes in fugam conjecit: ex divino igne, quem Deus miserat in mundum, vix scintillam reliquit. Fuerunt qui fidem Christianam non penitus exuerant, ij tamen quasi consensu in hæresin conspirarunt, ut D. Hieronimo teste ingemuerit terrarum Orbis, nescius se Arianum esse. Itaq; majoras nostri in illam curam maxima contentione incubuerunt, ut capta ab orco tot regna provinciasque Christianam in libertatem denuo assererent.

Ab Aquilone omne malum.

S. Rupertus in spem ingressus, suo quoque labore idola antiquo flatu dimoveri posse, in Galliam Belgicam, Italiam, Carinthiam, Austriam ac Bavariam vestigia vertit Monachis stipatus: obsessas à dæmonibus animas passim in seditionem accepit. Etsi jam alii annis longe superioribus rem Christianam tanto studio per Germaniam promovissent, ut majore non potuerint, commune tamen id Septētrionis fatum fuit dulce canente fistula, relictis veri Dei castis, ad stygis signa trāsire. Præter alios barbaros Hūni & Avares in Pannoniam effusi, idololatriam una traxerunt. Hunni in Pannonia, quam Hungariam postea dixere, sedem firmarunt: Avares longius progressi, Rhætiā, Vindeliciā, Noricū invaserunt. Rupertus igitur regio Francorum Scotorum Principū sanguine editus, cum in vitia acriter apud Vāgiōnes inveheretur, flagris dire acceptus à suis auditorib', Edifcopatu quoq; exutus, & à Beringario seu Berichario tyranno, Arii alūno, pulsus est. Reginotruda seu Childeberti, Theodoberti filia. Theodoni III. Bavariæ imperanti matrimonio collocata, identidem faces subdidit, Christo uti nomen daret, donec is adjecit animum, à VVormatiensibus exactum Rupertum Ratisponam invitare. Mittuntur oratores: eunt præsulem verbis sui Ducis humanissime salutant: legationis capita eidem exponunt: ne ardentia principis vota traheret, etiam atque etiam rogant. Nihil jucundius, nihil gratius S. Ruberto accidere potuisset: quocirca sponte annuit petitioni, oratoribus quosdam è suis adjungens, qui tentarent incolarum animos, simulque spondens se propere sequuturum. Parva mora Theodonis desiderium mire acuit, qui Antistitem tendere Ratisbonam accepisset, extemplo obviam cum aula effusus, hospitis sinum invasit, suoque sinui amantissime appressit: deinde dexteram dexteræ implicans, humanissime salvum esse jussit.

Sacram expeditionem suscipit D. Rupertus.

Hen. Canis. tom. 6. Surr. 27. Maj. Baron. l. 7. annal. sub finem. Clavet. in l. 3. Brun. l. 5. Annal. Boric. &c.

A Theodone invitatur in Bavariam.

Venit in Bavariam.

Inito postea de turba Deorum colloquio, Pontifex tot nodis totidem cuneos promere: efficere ut Princeps omnes Deos, præter unum, in dubium vocaret, ac tandem abdicaret, doctusque elementa prima Evangelii sacro fonte lustrari posceret. Proceres novæ religionis eousque incerti, Deastros quoque missos fececere, ictique domini sui exemplo, capita certatim divino lavacro submiserunt. Demum multitudo, cui oculi stygiis tenebris profundius natabant, etiam se admovit.

Cœlesti fonte lustrat Ducem & proceres

At Apostolus non cōtentus in una solum provincia desudasse, navi Pannoniam adivit

incolis idolorum vanitatem pro concionibus à prora, quod ajunt, usq; ad puppim depinxit: quãtum ex bona fide laborarent, ostendit, effecitq; tum dicendo, tum majora homine patrando, ut multi in Christiana sacra jurarint, dæmonibus verso pollice valere jussis. Inde vestigia relegens, Laureacũ venit, ubi ré Catholicam bellis prostratam ac deploratam, sum̃o studio restituit. Delatus quoq; anno D.LXXXII. Iuvavium (hodie Salisburgum dicunt) pontificiam ibi sedé fixit. Colonia quondam hæc urbs Romanorum fuit, cui à *juvando* nomen posuere, quod montibus septa nõ modo sui secura esset, verumetiam legiones per Germaniam sparsas opis egẽtes, *juvare* facile posset. Vrbi natura firmæ arx, quam ardua rupes ferebat, accessit. Vtramq; bello Suecico novis operibus ad invidiam Iulii Cæsaris III. & Reverendissimus Archiepiscop' Paris, de Comitibus Lodroniis, com̃univit. Nam si compares, nudã prius munimentis fuisse civitatem fateberis, nec ita difficilem expugnatu. Non tantum autem sapientissimus princeps jactis aggeribus structisq; fortissimis propugnaculis aditũ hosti interclusit, ne qua is irrepere posset, sed duos insuper mõtes urbi utrinq; im̃inentes, vix ullis vectibus, ut apparebat, ob durũ saxi ingenium domandos, ita ex æquo accidit, ut nihil nunc promineat, quod ansam ascendendi præbeat, saxaq; ingentes tabulæ ligneæ esse videantur, contẽtioso serræ raptu sectæ vel dolabra levigatæ. Omitto latas profundasq; fossas, pertinacem per rupẽ, cui arx incumbit, ductas: prætereo etiam murum sacrum Capucinorum montem vix credibili flexu cingentem, aliaq; plurima. Hoc uno supersedere nõ debeo, fumante jam tricesimum nonum annum Germania universa, inq; miserum modum prostrata (non tã ab exteris, quã Germanis ipsis victa) nec ferro, nec igne libatum unquam fuisse Salisburgum, Princeps texit: Deus protexit. Sed ad telam referamus manum.

Sedem Episcopalem Salisburgi ponit. Catalog. Abb. Monast. S. Petri.

Locum longo situ squallentem, suisq; ruderibus prupe sepultum, perpurgavit Rupertus, lustravitque. Excitato deinde insigni Monasterio, S. Benedicti Monachos introduxit, ibidemque cathedram Episcopalem posuit, ac more nostrorum patrum principi apostolorum dedicavit. Fas esse puto addere, Cœnobitas tam munus quam honores Canonicorum tunc gessisse. Nam Ecclesia Cathedralis sita in Monasterio erat, quod nescio quis hospes in Germania, aliquãdo Canonicos Regulares D. Augustini incoluisse, nuper somniavit. Litteras Eugenii Papæ III. an. M.C.XLIX. scriptas, è tabulario istius Asceterii profero, unde verum cognoscas.

Condit Monasteriũ, & S. Petro dedicat.

Interventu venerabilis Fratris nostri Eberhardi Archiepiscopi Salisburgensis, vestris (Abbatis nimirum & Cõventus) *rationabilibus postulationibus duximus annuendum. statuẽtes ut Regularis Ordo, qui secundum Deum, & Beati Benedicti Regulã per S. Rudbertum, quondam vestrum Abbatẽ & Episcopũ Salisburgensem, in eodem loco introductus, & institutus esse dignoscitur, perpetuis ibi temporibus inviolabiliter observetur.*

Monachosque S. Benedicti introducit.

Et ne novæ narrationis faber mihi elabatur, tabulas Conradi I. Archiepiscopi, à S. Ruperto XXVII. Antistitis, eidem objicio, in hæc verba scriptas, quæ insuper alia ipsum docebunt.

Quamvis ex debito pastoralis officii teneamur Ecclesias & personas Ecclesiasticas fovere, & cultum divini Numinis fideliter ampliare, speciali tamen affectu circa vestrũ Monasterium, quod primũ nostræ civitatis & Episcopalis culminis noscimus esse fundamentum, movemur & diligenti sollicitudine invigilare cupimus, ut ibidem Religio jugiter vigeat, & sedulum recipiat incrementum. Notum igitur esse volumus omnibus Ecclesiæ nostræ filiis præsentibus, & futuris, quod cum S. Rudbertus sanctæ memoriæ prædecessor noster civitatem nostrã Salisburgensem de novo erigens, sedem suã Episcopalem in Monasterio S. Petri collocasset, & Fratribus quos ibidem sub Regula S. Benedicti sibi perpetuos successores in eadem sede Archiepiscopali instituerat, etiam curã Parochialiũ cõmisisset & tradidisset, quam usq; ad præsens fideliter exercuerunt. Crescente autẽ populo ejusdẽ civitatis, etiã labor parochianus augebatur, adeo ut ipsi non parva in Regulari observantia & institutione impedimenta sentirent. Quapropter ad petitionem nostram, dictum jus parochianum cum omni jure & utilitatibus in manus nostras resignaverunt, ut in nostros Canonicos, quorum Ecclesiam ut ab initio plantaverant, ita etiam eos ampliori munere prosequi volentes, transferre dignaremur, reservatis sibi tamen decimis, &c. Ne autem contra hæc nostra instituta & ordinationes in genere vel in specie dicti nostri Canonici unquam per se, vel per alios attentare præsumerent, volumus eos pro futuris temporibus obligare sub pœna privationis & restitutionis omnium bonorum, quæ ipsi Fratres una cum Episcopatu ac plebesano jure per nos in eos singulari gratia transtulerunt, dictaque omnia in suum antiquum locum, Ecclesiam S. Petri redire debeant, &c. Pontificali nostra auctoritate statuimus & ordinamus, inpri-

Monachi Conrado I. Archiep Auctore, jus parochianum Canonicis Regularibus cesserunt.

mis ut ſingulis Electionibus pro Archiepiſcopis Saliſburgenſibus per Canonicos noſtros juxta Apoſtolicas ordinationes faciendis, Abbati ejuſdem Monaſterii pro tempore exiſtenti loco Fratrum ſuorum, ad quos prius ſemper Electio hujuſmodi ſpectabat, intereſſe competat perpetuo, &c.

Archiv. ad S. Petrum. Eccleſia S. Petri quondam metropolis.

In manu etiam ſunt hæ litteræ anno M.C.XLVIII. datæ: *Movit nos veneranda antiquitas Eccleſiæ S. Petri, quæ Metropolis fuit, & fundamentum multarum provinciarum, à qua reliqua Monaſteria & Eccleſiæ exordium ſumpſerunt, & omnis honor & dignitas ad nos & noſtram Eccleſiam, quam habemus, ab ea profluxit, &c.* Monachi rebus ad Canonicos dimiſſis locum digniorem in ſupplicationibus publicis ſibi ſervarunt, ut ſaltem appareret, quo aliquando loco fuiſſent.

Nunc audi Henrici Præpoſiti totiusque Capituli litteras, anno M.C.XLVIII. exaratas: *Nos, &c. recta deliberatione & jure admiſimus compoſitionem, quam Reverendus Pater D. Eberhardus Archiepiſcopus de loco in Proceſſionibus pro tempore agendis inter nos & Fratres dictæ Eccleſiæ fecit, ut videlicet ipſi Fratres perpetuo ultimum ac digniorem locum in eiſdem Proceſſionibus haberent, quemadmodum habuerunt pacifice à tempore inſtitutionis Eccleſiæ noſtræ, & Nos eos præcedere debeamus perpetuo in ſignum antiquitatis & dignitatis maternalis, cum ipſi eſſent hujus civitatis primi incolæ, atq; Eccleſia eorum prima Mater, ubi Beatiſſimus Pater & Patronus Rudbertus Cathedram Pontificalem ſibi conſtituit. Unde fundamentum aliarum Eccleſiarum dicitur, &c. Præterea ut perpetuam gratitudinem apud Nos ſentirent, firmam eis fecimus promiſſionem, nunquam in perpetuum eos turbare aut moleſtare in ſuis juribus & conſuetudinibus quas habent & poſſident, & ab antiquo habuerunt, ſed ut Patres noſtros antiquæ Matris venerari & fovere in omnibus. Ideo Præſentem litteram ſigillorum noſtrorum, Præpoſiti & Capituli Munimine, in evidens teſtimonium duximus roborandum.*

Niſi moleſte fers, tibi etiam tabulas Eberhardi II. Archiepiſcopi recitamus, anno M.CC.X. ſcriptas: *Innoteſcimus omnibus, qualiter Simon Abbas & Fratres Eccleſiæ S. Petri nobis obtulerunt quoddam privilegium, à Venerabili Eberhardo Anteceſſore noſtro eis datum in quo plene continebatur, quod idem Eberhardus ob antiquam dignitatem Eccleſiæ S. Petri, quæ Metropolis fuit, & omnis ſalutis fundamẽtum, totiusq; provinciæ, & multarum gentium, à qua dignitas omnis & magnificentia cum multis etiam redditibus ad noſtram Eccleſiam proceſſit, Fratribus ibidem annuentibus, eam privilegiaverit cum conſenſu Canonicorum Eccleſiæ S. Ruperti, ut in perpetuum ultimum & digniorem locum habere debeant, quemadmodum antea ſemper habuerunt, in ſignum priſtinæ dignitatis & antiquitatis, petentes ut etiam idipſum privilegium confirmare dignaremur. Nos igitur attendentes antiquiſſimam ejuſdem Eccleſiæ dignitatem & conſuetudinem in proceſſionibus & alias obſervatam, &c. ex certa ſcientia noſtra eam ut Matrem venerantes antiquam, &c.*

In cenſura miraculorum S. Vitalis, à Pio II. acta, hæc habentur: *Teſtantur namq; libri antiqui & veteres ſcripturæ, eſtque de hoc vox & fama, quod imminente Sanctiſſimi Patris Ruperti de hoc ſæculo emigratione, in die videlicet ſancto Paſchæ divinis prius ab ipſo peractis, dum ſpiritus ipſius feliciſſimus jam cælos penetrare deberet, inter plures ſuæ Congregationis perfectos, ſingulariter S. Vitalem ſibi ſtatuit ſucceſſorem.* Ita antiquiſſimæ tabulæ. Idcirco qui hinc evadas, quin Monaſterium S. Petri à ſui origine primisque cunabilis Ordinis S. Benedicti fuiſſe fatearis, nondum video. Immo iſtud quoque ex prolatis in medium monumentis conficias, S. Rupertum eundem Ordinem profeſſum fuiſſe: nam eum Abbatem vocant: deinde S. Vitalem, Benedictinum, ſibi ſuffeciſſe aſſerunt quem alii deinceps atq; alii Antiſtites è D. Benedicti familia ſequuti ſunt Tunc animum induxeris ut credas, Regulam illum S. Benedicti intuliſſe, & tamen in D. Auguſtini verba juraſſe? ejus familiæ inſertum fuiſſe? à ſuis diſcipulis tam diverſum extitiſſe? Non ita obeſæ te naris eſſe putamus. Sed cape documentum aliud. S. Virgilius inſigne templum D. Ruperto condidit. in quod D. Ruperti oſſa è Monaſterio S. Petri tranſtulit. Verumenimvero cum nonnulla deſiderarentur, cupido Illuſtriſſimum Archiepiſcopum Paridẽ Lodronium inceſſit, tumulum Divi veterem explorandi: fieri nempe potuiſſe, ut S. Virgilius Monaſterio de corpore Beatiſſimi Patris aliquid reliqui fecerit. Anno igitur M.DC.XXVII. operi manus admota eſt, revulſisque clathris ferreis extremo mauſolei margine pendens hæc deprehenſa tabula eſt.

Archiv. Monaſt. S. Petri.

S Rupertus de familia S. Benedicti fuit.

S. Rupertus ope & donatione Theodonis Ducis Bavariæ hanc Eccleſiam & Mona-

ſterium

sterium è fundamentis erexit, & in honorem S. Petri consecravit: etiam Ordinem S. Benedicti ibidem instituit, quem ipse cum Fratribus suis, uti venerabilis præses & Prælatus, in omni sanctitate & virtute observavit. Sunt alia quoque testimonia io promptu, quæ præterimus, cum errorem (si quidem is te tenuit) exemptum tibi satis arbitremur, quem inde natum esse oportet, quod Conradus I. à S. Ruperto vicesimus septimus Pontifex Salisburgensis, in templum S. Ruperti Canonicos Regulares an. M.C.XXI. introduxerit. Ecclesiam vero Metropolitanam Monachis primo assignatam fuisse, etiam refert Bulla Leonis X. à Matthæo Langio Archiep. ad extinguendum ibidem S. Augustini Ordinem anno M.D.XIV. obtenta. Hæc de Monasterio: nunc ad Cœnobiarchas gradum feramus.

VVigul. Hund. Metrop. Salisb. Trith. Chron. Hirsaug. Frising. Baron. l. 12.

CATALOGVS ABBATVM MONASTERII S. PETRI.

Cú annus à Christo nato volveretur millesimus sexcentesimus quadragesimus sextus, D. Albertus III. ad S. Petri Abbas sui Monasterii notitiam, longa tabularii excussione lectioneq; partã, typis vulgavit, eamque inivit maxima quoque narrandi rationem, quam ipse probare debes. Singula enim ad singulos Abbates retulit. Multi multa de Episcopatu & Mooasterio hoc ediderunt, sed pleriq; decucurbita biberuot. Is fontem se purum Orbi propinare, in hæc verba testatur: *Cũ Monasteriũ hoc jam ultra decem secula inter prospera & adversa firmum & salvum consistat, seriemq; Abbatum haud brevem exhibeat, nemo dubitabit tanto tempore scitu jucunda plura accidisse. Hinc in rem tuam esse existimavi, eorundem Abbatum seriem & res gestas paucis proponere, & tibi legendas dare. Memini plures de Episcopatu Salisburgensi plura scripsisse, quibus tamen monimenta nostra incognita fuerunt: quos quidem non depugnaturus hæc scribo, sed idcirco ex Originalibus & antiquis Manuscriptis mea promo, ut unusquisque videre possit, quam bene, aut vere quisque scripserit. Cæterum me à censura aliorum liberum pronuncio; neq; enim unquam in animum meum venit, hoc calamo meo quemquam offendere: sed omnium studium & laborem magni facio, quicunq; Antiquitatum Amantes, posterorum animos rerum gestarum memoria student imbuere. Scriptioni huic meæ publica addo fidem, quam juratus publicus Notarius præstat ad mandatum Illustrissimi Principis* (Paridis Comitis de Lodronii Archiepiscopi) *ut scilicet tanto major accedat veritatis auctoritas, quãto illustrior ille, qui hæc antiquitatis monimenta publica esse voluit.* Hoc cum ita, certissima ista in vestigia ultro imus, nec alio nobis duce vel auctore opus esse putamus.

Catalog. Abb.

1. S. RVPERTVS Ex ungue Leonem jam cognovisti: sed age, ut omnem rem scias, cætera quoq; vel per tranlennã inspiciamus. Cú Præsul hic VVormatia exigeretur, inter cõvasandum ossa S. Amandi, Vangionum Episcopi secundi, legit, secumq; Salisburgum tulit. Inde ad nostram usq; ætatem Divi promota memoria est, quam divinis officiis quot annis tam Monasterium quam Metropolitana Ecclesia instaurant. Nobilem thesaurum ara maxima templi S. Petri excepit, ut facile ab omnibus ope indigentibus adiri posset. Cancellis primi mausolei S. Ruperti theca lignea incumbens, ao. M.DC.XXVII. avulsa, ab una parte, quæ murum spectabat, litteris Romanis sic ioscripta fuit: S. AMANDVS. ab altera: *Corpus S. Amandi Episcopi, recõditum in summo altari hujus Ecclesiæ, per S. Rudpertum est in hac archa de VVormatia allatum.* Insuper tabulatum veteris templi qua summæ aræ imminebat, hos versus in orbem flexos lectoribus objiciebat.

S. Rupertus ossa S. Amandi secum Salisburgum tulit.
Democh. de sacrif. Missæ.

Nomina si quorum vis pictura atq; videre,
Invenies clare, si respicis retro altare.
Põtificis S. tenet Ara hæc corpus Amãdi.
Corpora Põtificũ septẽ stipant simul illũ.

Anoo salutis partę cum D. Martinus, Abbas ad D. Petri LXVIII. altare sumum ad sex pedes promovisset, S. Amandi veneranda lipsana in arca lignea eaq; putrefacta, nec non lapidibus quadratis undiq; septa, reperit integra: videlicet, caput cum dentibus cãdidis: spinam dorsi cum costis: tibias: manuum ac pedum juncturas. Pleraq; æneo loculo composita, nova sub ara condidit.

Quæ hodie ara maxima condita sunt.

Porro S. Rupertus in edito colle, urbi vicino, oratorium S. Erentrudæ (ao nepti? an vero sorori? nihil comperti habetur) extruxerat, cui cum aliæ virgines se se adjungerent, Theodobertus Bavarię Dux in justum id Monasterium evexit, quod à situ & incolis *Nunnarum Mons* appellatur. D. Ruperti voluntate præfecturam S. Erentruda gessit, sanctissima fæmina, cui puerorú capita porrigine fæda lavare, io delitiis erat. Io sepulchrũ demissa, cæcis, elephãtiacis apoplecticis opẽ tulit. Etiã adhunc diẽ insigni religione colitur. Idẽ S. Antistes cú à Tonazano & Urso montem ad eruendum aurum molientibus, locum quendam tribus continuis noctibus cœlesti lumine signatum fuisse accepisset, Domningum Sacerdotem exploraratum misit: qui cum rem ita se se habere retulisset, non de nihilo toties se se deducere

VVigul. Hund. Metrop. Salisb. Trith. l. 3. de viris ill. c. 206. VVion 30. Ian.

Canis. l. 6. Sur. 27. Mart. Brun. Annal. Boic.

insolentem facem arbitratus, crucem ibi fixit, quam rudis operis ędicula circumsepsit. Theodo miraculi novitate excitatus, sub finē vitæ ut extrema cū primis contexeret, Monasteriū eo loco ponere, secum cōstituit; sed oppressus fato negotiū Theodeberto dedit, ut cogitata perficeret. Postquam novum Cœnobiū supremā accepit manum, D. Rupertus ducta in id Monachorum Colonia S. Maximiliano dedicavit. Interea magna ubique incremēta res Catholica cepit, ut S. Rupertus impar late patēti provinciæ, in patriā itinere relecto, duodecim pręclarissimos socios, S. Benedicti alumnos, cōscripserit, quos inter postmodū negotia divisit, summa expeditionis maxime in Chunobaldo & Gilialario posita. Cū igitur in aciem has suas copias educeret, in Austriā ipsos signa cōvertere jussit, fidemq; revocare, q̄ barbari frequēti populatione, infesluq; longo, in fugā cōjecerant, Vienna certe suam se salurē post Deum Opt. S. Ruperto debere jā tum fassa est, cū ei ædē posuit, sacravitq;, etiamnū hodie stantem Ejusdem divini Apostoli impulsu, Domingus Evangelii facē in Carinthiam intulit, idola prostravit: moribus Christianis sylvestres animos imbuit, alius spe æterni præmii, alios metu sempiterni supplicii subigēdo. Hoc etiam ad S. Ruperti gloriā pertinere judicamus, quod ædē Oetinganam, idolorum, ut fama est, ante id sedem, Magnæ matri Dei solenni ritu dedicaverit, asylum deinceps miserorum futurum: cui labentib' annis accessit monachorum domiciliū. *Carolomannus*, inquit Iacob. Irsing. *ne divinæ Deiparæq; laudes aliaq; religionis officia ullo illo loci tempore intermitterentur, neve populo frequēti pietatis magistri, sacrorumq; procuratio deessent, magnificū ibi D. Benedicti familiæ Cœnobium condidit. Huic Cœnobio quod prius rexit VVernalphus sacelli sacri curatio integro jure atque auctoritate à Carolomanno est cōmissa. Donata ei prætérea Divorū Maximini & D. Felicitatis filiorumq; septem Martyrum corpora, cū brachio S. Philippi Apostoli, in novo templo cōdita.* Addit VViguleus Hundius: *Oetinga, sicut & reliqua tota & Bavaria, per Vngaros misere vastata ac desolata ædicula Beatissimæ Mariæ Virginis singulari Dei providētia servata; An. Dom. 1228. Ludov. I Palat. Com. Rheni, Dux Bavariæ. Collegiū 12. Canonicorū cum Decano ac Præposito ibi instituit: vivus ibi locū sepulchri elegit qui tamen in Monasterio Schyrensi sepultus est.*

S. Rupertus 12 socios in patria legit

Wolf. Lazius 2 hist. Vien.

Lazius ibid. Ad fidem invitatur Carinthia.

Iacob. Irsing. hist. Oettingana.

Hund. Salisb. 3. fol. 59.

Postquam igitur S. Rupertus boni pastoris munere annis XLI. sanctissime functus est, laboribus, curis, vigiliis, ultimaq; senectute fessus, tandem induciarum fidem tarda cum morte rumpens, ad superos excessit. Supremum ipsius diem Monasterii D. Petri Chronicon sic narrat: *Die sancta Dominicæ Resurrectionis, Anno Domini nostri Iesu Christi* D.C.XXII. S. RVPERTVS *vocante Deo, post Missarum à se celebrata solennia, hominem exuit, & lætus in sui Domini gaudiū intravit, suaq; sponte ad sepulchrū a se, dum viveret, conditum, accessisse traditur & illud verbū Salvatoris ægre protulisse*: Domine, in manus tuas commendo spiritum meum: *statimq; spiritum exhalasse, cœtusq; Angelicos à quibusdam Religiosis viris in aere auditos fuisse, qui voce canora animā sanctam ad supernam felicitatē deportabāt.* Prętérea cum an. M.DC.XXVII. ad x. Kal. Iulii mausoleum, cui primo illatus fuerat, aperiretur ad explorandum, quātum ossium S. Virgilius in eo reliquisset, ecce impositis sacris lipsanis vetustissimo exaratus charactare lapis, publico Notario, testibus, Commissariis (ut proximi steterant) avide imminentibus, hoc epitaphium exhibuit: *Anno ab incarnatione Domini* DC. XXIII. *in die Resurrectionis Ejusdē, obiit S. Rudbertus, hujus Monasterii Fundator, & primus Salisburgēsis Episcopus, hîc sepultus.* Ego huic lapidi credam, quicquid Brunnerus ex aliis calculis certius coniicere sibi videatur.

S. Rupertus moritur, dū Servator noster à mortuis resurgit.

Et lapidi pondus addit liber antiquus, membrana scriptus, è quo hæc accipe: *Die orto Resurrectionis Christi, Missarum solemnia lætus persolvit, & munitus Corporis & Sanguinis Sacramēto, inter verba Fratres cōfirmantia tradidit spiritum. Sunt autem à transitu ejus usq; ad præsentē annum, qui est Dominicæ Incarnationis millesimus centesimus sextus, Anni quingenti sexaginta tres* Sed habēdus nobis narrandi modus est ne si in uno. S. Ruperto diutius æq; hæreamus, per cæteros præcipitare cogamur.

Andr. Brun. S. I. Annal. Boic. l. 10.

2. S. VITALIS. Non tantum major dimidio S. Ruperto, sed prope ęqualis fuit, popularis, discipulus, laborum socius, vitæ instituto innocentiaq; simillimus. In antiquis fideq; plenissimis Episcoporum & Abbatum Catalogis, Episcopi & Abbatis titulum præfert, fuitq;. Supra aram maximam Ecclesiæ D. Petri sublime in orbem picti quondam erant circumfusis radiis D. RVPERTVS, VITALIS, ANSOLOGVS, SAVOLVS, EZIVS, FLOBARGISVS, IOHANNES, istis versibus adjectis:

S. Vitalis Salisburgensium patronus, & medicus.

Hi patres grati, de dulci germine nati,
Quando vivebant, hîc jus Cathedrale tenebant.

Mausoleo incisum est:

Præsul Vitalis cubat hîc, ægrisq; mede-
Ob. DC.XLVI. XIII. *Cal. Nov.* (*tur.*

Ponti-

Pontificio cultu induta imago ſepulchro incũbit, Enatũ ex ſepulti caſtiſſimo pectore lilium, & ex marmore extitiſſe conſtantiſſima fama traditur. Vnde hunc florem vbique refert pictus ſculptuſque.

3. ANSOLOGVS. Multa omniũ ore digna texit ſilentio hæc ætas. Vnde non moleſte feres, quod hunc Præſulem an. DC: LXXIV. terram commune mortalium domicilium ſubiiſſe apud S. Petrum dicamus, nec quicquam addamus.

4. SAVOLVS. an. DC. LXXX. diem ſupremum obiit.

Ezzius, Savolus Anſologus, Abbates & Epiſcopi fuere.

5. EZZO ſeu Ezzius. an. DC. LXXX. Savolo ſucceſſit: ſenio laboreque fractus, honoribus ac oneribus ſe abdicavit. Sunt qui dubitent, num hic cum duobus proxime ſuperioribus ad Epiſcopalem quoque cathedram fuerit auctoratus. Antiqua enim monumenta dum eos Abbates vocant, Epiſcopum non adiiciunt, ſilentium proinde nonnullis ſuſpectum eſt. Nobis equidem etſi nihil ſatis comperti aut explorati ſit, cum tamen archivum Monaſterii S. Petri duos catalogos proferat (quorum unus an. MD.XXV. alter paulo ante cõtextus, uterq; vero, ut apparet, ex longe antiquiore deſcripꝰ) in quibꝰ Põtificios quoq; honores geſſiſſe feruntur, facile adduci nos patimur ut credamus Abbates, ſimulq; Epiſcopos fuiſſe. Scrupulũ inſuper nobis eximit, quod cum S. Ruperto & quibuſdam aliis penicillo vetuſtiſſimo ſupra altare ſummum picti, Epiſcopali tiara æque ac cæteri velati fuerint. Quod ſi fidem non majorẽ pictoribus habes, quã poetis, quod in eodem ludo utrique docti ſint ad fingendum, fingantque quoties moventur humores, ſaltem perſuadere tibi non debes, novum juxtaq; nobilem Epiſcopatum à Ducibus Bavariæ primulum erectũ & immenſis opibus auctum, iiſdem inſpectantibus tã cito collapſum: ab officio defeciſſe: tantum terrarum tantumq; orcium patre ac paſtore annis ita multis caruiſſe: neminem omnium longo tẽporis intervallo fuiſſe, qui templa, qui templorũ miniſtos conſecrare potuiſſet neque hujus rei curam moriturum S. Vitalẽ vel leviter tetigiſſe, cui tamen exemplum præiviſſet ad ſuperos abiturus D. Rupertus. Si tam brevi ſol ex Epiſcopatu, longiſſime latiſſimeque porrecto, ſublatus fuiſſet, nox profecto denſiſſima Bavariam, Auſtriam, Carinthiã, oppreſſura fuiſſet. Accedit Hundius, qui omnes tres inter Epiſcnpos habet.

Metrop. Salisb.

6. FLOBARGISVS. Huic libri MSS. & ſyllabi Abbatum (prȩſertim an. MIV. compoſitus) Abbatem & Epiſcòpum exerte vocant. Regimine felici uſus, idque ad XL. annos produxit. Diem obiit an. DCCXLV.

7. IOHANNES. Infulam ei Epiſcopalem monumenta id pauca affirmant, è quibus unum hoc affero, quod liber Fundationum, an MIV. conſcriptus nobis ſuppeditavit: *Notitia qualiter Arno Epiſcopus conquiſivit Eccleſiam S. Ioannis cum rebus ſuis in loco qui dicitur ad Laupp:am, juxta fluvium Alzus, per traditionẽ cujuſdam nobilis viri nomine Eginolf, qui ipſam Eccleſiam tradidit S. Petro in manus Ioannis Epiſcopi.* Zacharias PP. S. Bonifacium Ordinis S. Benedicti Monachum & Archiepiſcopum Moguntinenſem ſedis Apoſtolicæ Legatum à latere creaverat: dimiſſum deinde in Germaniam Epiſcopatus certis finibus coercere, ſingulisq; ſingulos Antiſtites prȩficere juſſit. Ille dicto audiens, in cathedrã Friſingenſem Erimbertum, S. Corbiniani fratrem: in Ratiſponenſem Geribaldum: in Herbipolẽſem Burchardũ: in Aichſtettenſem VVillibaldum: in Salisburgenſem hunc Iohannem omnes S. D. N. Benedicti filios, collocavit. Multa dictu digna Iohannes Salisburgenſis geſſit, verum tibi compendio ſatis fecero. Pipinum Regem Francorum vitæ innocentia & dexteritate cepit: ejus benevolentia & beneficentia Eccleſiam Iuvavienſem, plurimum auxit; Monachos, cives agreſtes, omnes, bene habuit: ob quas res cum funus duceretur, nemo non lachrimas aſpergebat, quaſi patria orbata communi patre eſſet. In ædi D. Petri humatus fuit, ubi etiam ſuperiores præſules ſupremum mundi diem præſtolantur.

Iohannes à S. Bonifacio Salisb. Pontifex creatus.

8. S. VIRGILIVS. Salisburgenſis virum hunc Hibernia in acceptis ferunt Epiſcopum ſimulque Abbatem fuiſſe, præter Catalogum anno MIV. confectum, & quædam antiquiora monumenta, tabulæ donationis ſub Taſſilone Duce factæ, docẽt, quas recito: *Tempore Taßilonis Ducis vgo ſive Hugo, Actor ipſius Ducis, & filius ejus Vlis, tradiderunt Deo & S. Petro cum conſenſu præfati Ducis, ad Monaſterium quod dictũ Salzburg, pro redemptione animarum ſuarum poſſeßionem propriæ hæreditatis in loco Staindorff abſq; ulla ſeparatione, culta & inculta, ad eandem pertinentia hæreditatem. Actum & confirmatum eſt coram Virgilio Epiſcopo atque Abbate, & cunctis Monachis, Indict. IV. II. Kal. Febr.* Fidem quoque Inſtrumentum fundationis primæ facit, anno DCC.XCVIII. Arnone Archiepiſcopatum curante, erectum: ecce! Cœpit autem Virgilius Abbas hanc ipſam cauſam quærere ad Otilonem Ducem.

S. Virgilius Epiſcopus & Abbas Salisburgenſis.

Cum annus Chriſti ageretur DCC.LXVII. ampliſſimam baſilicam honori D. Ruperti moliri cœpit, cui duodecimo demum anno

Templum S. Ruperti conditor.

manum ultimam imposuit. In id templum fere totum S. Rupertum è Monasterio D. Petri transtulit (anno M.D.XCVIII. III. Id. Decembris incendio haustum est) accitis presbyteris sæcularibus, qui rebus divinis ibidem fungerentur: Cathedra tamen Episcopalis loco mota haud fuit. Operas memorant, pretio ad ædificandum conductas, patenti è disco, quo merces palam exponebátur, capere plus non potuisse, quam meruisset. Post hæc vero Berthrico Monasterii præfecturam commisit. *Primo sui regiminis anno* (verba tibi adnumero Compendii historiæ Monasterii S. Petri Salisb) *Comes quidam Guntharus nomine in Chieming, Monasterium Oetingæ pro Abbate & Monachis ibidem constituendis ædificavit in honorem S. Stephani, idque S. Virgilio eo pro consecranda Ecclesia vocato, cum pleno dominii jure tradidit, ut fusius refertur in Chronicis editis an. MCLXXXVI ubi inter alia hæc formalia leguntur*: Commendavit autem (Guntharus seu Gunthe-rus) hoc pleniter Monasterium in manus Episcopi (Virgilii) ad regendum secundum Canones, sicut & cæteras Ecclesias Diœcesis suæ, ut ipse cum sede semper esset: potestatem vero Episcopo dedit regendi ipsam familiam, Abbatemque ibi ordinare, & Monachos de ipsa sede ibidem ponere sive Canonicos. *Hæc ibi.*

Multa jam testimonia hucusque edidimus, Monachos Ordinis S. Benedicti in Ecclesiis Cathedralibus non paucis Canonicos dictos habitosque fuisse, quibus hoc quoque adjicere visum est. Hac enim ætate Canonici profecto nulli Salisburgi erant. necdum enim S. Virgilius primo regiminis sui anno fundamenta templo D. Ruperti jecerat. Quid dixerit & egerit cum ad metam ventum est, ex Chronico anno MCLXXXVI. composito, accipe, *Rediens itaque celerius* (è Pannonia) *& memoratam civitatem suam* (Salisburgensem) *intuitus, amarissime fundendo lachrymas hunc visus est decantare versiculum*: Hæc requies mea in sæculum sæculi. *Celebrato denique divini Sacramenti mysterio levi morbo correptus, Anno Dominicæ incarnationis DCC. LXXXIV. Kal. Decembris obdormivit in Domino: cujus corpus in latere meridiano Monasterii vulgo* (Munster) *cujus ipse XII. annis fabricator, & in tertio decimo consecrator extitit, prout tantum decuit Pontificem, honorifice fuit depositum.*

Catal. Abbat. S. Petri.

9. BERTHRICUS, à S. Virgilio Abbas jussus, cujus etiam infulam Pontificiam excepit. Abbatiam sex annos; pontificatum vero unum duntaxat gessit.

Arno primus Archiepiscopus Salisburgensis.

10. ARNO Caroli Magni opera pallio Archiepiscopali à Leone Papa III. ornatus est. Statuam profecto (egregii facinoris æternum monumentum) meruit dum Albusam fluviolum aperta per saxeum montem (vulgo, Munichsperg) via ab integro milliari in Monasterium vocavit. Fundatio Monasterii S. Petri bonaque cum à Theodone Duce, tum ab aliis collata, nondum in legitimas tabulas relata erant. Arno igitur hoc sibi operæ sumens, in fortunas omnes & à quibus acceptæ essent, diligentissime quæsivit: tum vero an. DCC. XCVIII. in publicas litteras, auctoritate plenas, misit, stylo rudi quidem, at quem per sæculi simplicitatem excuses. Nostra ætas bonos Grammaticos fert, sed malos Ethicos. A Thassilone III. Boiorum Duce Romam ad Pontificem Max. est missus, Carolum M. Francorum tunc Regem, Boiariæ incumbentem, reprimendi gratia: sed operam perdidit. Thassilone & Theodei Theodone filio Ducatu exactis, rebus maximis à Carolo victore adhibitus fuit, cujus jussu Carinthos Slavos, Hunnos, frequentesque per Bavariam infideles, excoluit. Anno DCCCXXI. IX. Kal Feb. fato concessisse, ac ante altare B. M. Magdalenæ sepultus fertur. Inter Abbates eum habet Catalogus, abhinc sexcentis amplius annis scriptus.

11. AMMILON Imprimis Abbas, postea Arnoni suffectus est Abbatiam sat diu moderatus est: atqui mitram Archiepiscopalem ei mors brevi ademit. *Post dein vero transitum de hoc sæculo Arnonis Archiepiscopi IX Kal. Februarii, an. DCCC XXI.* inquit Chronicon Monasterii S. Petri, *cum minus dimidio anno Ammilonius Abbas eidem sedi præsedisset, Adalramus, piissimus Doctor, prius Archidiaconus ejusdem Ecclesiæ, sedem Iuvaviensem suscepit regendam*, post Ammilonium membranæ nullum singularem Abbatem ab Archiepiscopo diversum, usque ad Fridericum I. exhibent. Nam Archiepiscopi tunc temporis idé cum Monachis tectum colebant: quocirca rerum summa cum Abbatis titulo sibi retenta, Monachis Decanos seu Priores præficiebant. Hinc Adalramum Archiepiscopum proxime sequentem, catalogus anno M CLXXXVI. digestus, etiã Abbatem vocat. Seriem vero Antistitum quam afferimus, à S. Ruperto ad Fridericum I. deductam, esse probam, versus in libro, qui non pauca sæcula præfert, reperti, testatum faciunt, quos tibi accinere, modo nobis non est otium.

12. ADALRAMVS.

13. LVITPRAMVS.

14. ADALVVINVS.

15. ADAL-

15. ADALBERTVS.
16. DIETMARVS.
17. PILGRINVS.
18. VDALBERTVS.
19. EGILOLPHVS.
20. HEROLDVS.
21. FRIDERICVS.

22. TITO. ANNO X.C.L.XXXVIII. Fridericus Archiepiscopus Abbatisque simul, reditibus aucto vehementer monasterio, Titonem, ad S. Petri Monachum, Abbatem dixit. En tibi tabulas: *In nomine Sanctissimæ & individuæ Trinitatis. Ego Fridericus Episcopus Iuvaviensis, Monasterium Sancti Petri pene desolatum inveniens & destructum, virum venerabilem Monachici habitus, Titonem nuncupatum, Abbatem ordinavi.*

Fridericus Archiep. Abbatis munus in Titonem deponit.

Et hoc ante Titonem. Postquam vero Fridericus I. Abbatem proprium Monachis reddidit, qui bene Cœnobio faciebant, ne bona Episcopi & Monachorum confunderentur, has formulas usurparunt: *ad Monachorum usum ibidem servientium. ad S. Petri Cænobium, ubi Monachica conversatio celebratur. Fratribus Deo Sanctoque Petro servientibus. Fratribus servientibus altari S. Petri Salisb Ecclesiæ: ubi sub Monachica vita Deo servitur.*

In Chronicis Monasterii pervetustis nihil reperias in Ecclesiam Rupertinam collatum. Reges enim, Duces, alii, quoties donarunt, hujusmodi clausulam subiecerunt: *tradidit ad Ecclesiam Sancti Petri.* Veluti: *Theodo Dux tradidit ad Ecclesiam Sancti Petri juxta locum VValler see. Arno Episcopus Sylvam juxta Fisbaha acquisivit Sancto Petro Adelhaim & Rundbald tradiderunt S. Petro, &c.*

Sanctus Henricus quoque Imperator, rogatu lectissimæ conjugis suæ Chunigundæ opulentum prædium (Admunta nomen erat) Sancto Hardvvico Archiepiscopo ea lege tradidit, ut ipso demortuo, *ad usum Fratrum in Monasterio Sancti Petri sub regula S. Benedicti Deo servientium*, absque controversia cederet. Tabulas originales, quibus S. Henricus anno MV. subscripsit, archiuum Sancti Petri servat.

23. MAZELINVS. anno MXXV. Titoni successit. Postea hominum cœtus fastidiens, vitam Eremiticam in vicino Caprarum Monte degere instituit. Viri Sanctimoniam miracula palam fecere.

24. RVDBERTVS II.

25. RVDBERTVS III.

26. GERVVICVS.

27. REGINVVARDVS. Præfecturam Monasterii adivit anno M. LXXIV. Id temporis Arnoldo ad S. Petri Monacho Admontensis Monasterii curatio à B. Gebhardo Archiepiscopo & Fundatore commissa fuit. Gebhardus hic Salisb. Altmannus Pataviensis, Adelbero Herbipolensis, Hermannus Metensis, Meginhardus Frisingensis, Episcopi omnino quinque ex tota Germania, Pontificias partes sequuti sunt, cum schisma inter regnum & sacerdotium intercederet, Henrico IV. Cæsare à Gregorio PP. VII. è fidelium censu expuncto.

28. IRIMPERTVS. Anno M. LXXVII. quo Reginvvardus concessit, lectus Abbas est.

29. S. THIEMO. Nobili Comitum Medlingensium sanguine ortus, tam litteris quam disciplina monastica in Nideraltach imbutus, etiam cælandi sculpendique artibus ingenium felix indulsit. Promunt hodie quoque in Sancti Petri Monasterio signum eburneum, mole quidem exiguum, sed artificio ingens ac admirabile. E. Bavaria Salisburgum anno M. LXXIX. accitus, Irimperto suffectus est, qui morbis fatiscens, oneri ferendo amplius haud erat. Cum frustra ad Henrici IV. à Pontifice Max. fulminati, partes traheretur, neque Salisburgi ob Berchtoldum à Cæsare sedi Archiepiscopali intrusum (non pastor, sed lupus erat) consistere posset, fuga, in Schaffhusianum Monasterium, inde in Hirsaugiense, se abstulit. Anno MXC. VIII. Kal. Ap. nequicquam infrendente Berchtoldo, Archiepiscopus dictus est. Quamvis autem sibi caveret, nihilominus apud Tauriscos interceptus, in hostis sui potestatem venit, qui ut sibi mitram solide affirmaret, Thiemoni caput præcidi imperavit. Truculentus percussor ad carcerem contendit: scelere plenus se se infert: securim expedit, inflexamque cervicem petit: sed vanissimo ictu. Nec levissimum enim vulnus mollissimæ cervici imposuerat. Iratus aërem se verberasse carnifex, altius brachia tollam, dixit, simulque ferrum quam potuit sublime librans, tigno infixit fregitque. Profectus deinde cum Christiano exercitu, in Palæstinam Thiemo, non procul Corozaim à Saracenis exceptus est, qui cum intellexissent arte eum statuaria præpollere, unus, qui dignitate cæteris præstare videbatur, simulachrum Mahumetis undique mutilum, cujusque fuliginem longa ætas excusaverat, in medium attulit, jussitque Thiemonem

Met. Salisb. Canis l. 4. & Chronic. Hirsaug.

S. Thiemo Monachus Abbas, Archiepiscopus, Martyr.

Carnifex ei caput ademprurus, aërem verberat.

monem venerabili trunco (scilicet) non modo squallorem detrahere, sed totum Prophetam in integrum restituere. Ille aliquandiu animi pendens, turpissimum monstrum aspicit: sæpe gemitus edens à capite ad calcem usque considerat: utq; dolor omnem iram collegit, malleum poposcit, quasi primam operi manum adhibere pararet: Malleo è porrigentis manu rapto, bellum signũ validissimis ictibus subito occupavit, fregit dissipavitque Saraceni rabie perciti, egregium fabrum animis infestis certatim invadunt: huc illuc quatiunt, pulsant. Resupinatum deinde illigant: in frustra secant. Denique ingenti sulco per ventrem ducto, intestina baculo innexa humi fuso evoluunt, ipsumque cor radicibus imis hærens, revulsum, in os morienti obiiciunt. Agebatur annus Christi nati M. C. II.

30. ALBERTVS I. Monachus ad S. Petrum: Anno M. XC. S. Thiemoni Archiepiscopo designato, subrogatus est.

31. VVeselinus. Sedem Episcopalem S. Rupertus in Monasterio D. Petri fixerat, quæ ad annum usque M.C.X. (id es annis D.XXX.) immobilis ibidem steterat. Sed humana ut sint instabilia, obsecro cognosce. Conradus de Abensperg, Archiepiscopus magnifico palatio extructo, è Monasterio illuc migravit (nec sciam qua causa:) adhæc cathedram quæ tam longas radices apud S. Petrum egerat veteri sede motã, ad S. Rupertum transtulit antiquam Episcoporum aulam cum omnibus ædibus adhærentibus, Monachis S. Petri reliquit. Eius litteræ anno M.C.X. datæ, in tabulario Monasterii conditæ sunt.

Cathedra E[piscop.] Sa[l]isb. quin[gen]tis tri[gi]nta an[nis i]n Monast S. [P]etri stetit.

32. REGINBERTVS, seu REINBERTVS. De Priore Admontensi factus Abbas S. Petri: de Abbate, Episcopus Brixinensis. Fundavit S. Georgii Monasterium, ac VVilthinense, in Tyroli. Mortuus anno M C.XL.

[R]eginbertus [m]onasterii [S]. Georgii [c]onditor in Tyroli.

33. VVALDERICVS. Reginberto ad mitram Brixinensem evocato, VValdericus ad clavum successit. Annus Domini M.C.XVI. voluebatur. Hoc Abbate Conradus I. Canonicos sæculares Ecclesiæ S. Kuperti addictos, jussit esse Regulares. *Sed si prima non durarunt, cur spem longam inchoas, & credis duratura secunda!* Igitur pontificia sede alio ablata: Archiepiscopo Monasterium quoque deserente: Canonicis Regularibus qui saera obirent, constitutis: omnique majestate in D. Ruperti templum novumque palatium migrante, fieri non potuit quin vacuum vetere dignitate Monasterium, ceu fulcris subductis, variis deinceps casibus jactaretur, atque decresceret. Mox enim Monachis instititit Conradus, ut Ius parochianum, & eligendi Episcopos, Canonicis cederent Operæ pretium est proferre Instrumentum resignationis, unde antiquum Monasterii S. Petri statum cognoscas.

[Q]uærere, & [p]arta tueri, [h]oc aliquid [es]t.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Chunradus Dei gratia Archiepiscopus Salisburgensis VValderico Abbati & Fratribus Monasterii S. Petri in perpetuum. Quamvis ex debito pastoralis officii teneamur Ecclesias & personas Ecclesiasticas fovere, & cultum Divini numinis fideliter ampliare, speciali tamen affectione circa vestrum Monasterium, quod primum nostræ civitatis & Episcopalis culminis noscimus esse fundamentum, movemur, & diligenti solicitudine vigilare cupimus, ut ibidem religio iugiter vigeat, & sedulum recipiat incrementum. Notum igitur esse volumus Ecclesiæ nostræ filiis præsentibus & futuris; Cum S. Rudpertus sanctæ memoriæ prædecessor noster civitatem Iuvavensem denuo erigens, sedem suam Episcopalem in Monasterio S. Petri collocasset, ac Fratribus quos ibidem sub Regula S. Benedicti sibi perpetuos successores in eadem sede Episcopali instituerat, & Curam Parochialem commisisset & tradidisset, quam usque ad præsens fideliter exercuerunt. Crescente autem populo ejusdem civitatis, etiam labor parochialis augebatur, adeo ut ipsi non parva in Regulari observantia & institutione impedimenta sentirent. Quapropter elegerunt quod ipsis utilius & Deo acceptius esset, scilicet vitam quietam & cõtemplativam in otio adq; ad petitionem nostram dictum Ius plebesanum cum omni Iure & utilitatibus in manus nostras resignarunt ut in nostros Canonicos, quorum Ecclesiam ut ab initio plantaverant ita etiã eos ampliori munere prosequi volẽtes, transferre dignaremur, reservatis tamen sibi decimis, & libera sepultura cum omnibus attinẽtiis suis, ac aliis nonnullis prærogativis quæ omnia nostra auctoritati una cũ privilegiis & aliis libertatibus eorũ confirmanda & manutenenda proposuerũt, ne in futurũ in eis turbari & molestari possent. Nos vero fidelem, piam & iustam eorum intentionẽ attendentes, & quo Deo liberius & tranquillius vacarent, omnia nos facturos, firmiter promisimus, collataque nostris dilectis filiis Canonicis Regularibus Ecclesiæ S. Ruperti præfata Ecclesia plebesana dicta nostræ civitatis cum suis Capellis & utilitatibus ad eam pertinentibus, obviare volentes omnibus damnis, litibus atque aliis

S. Rupertus Sedem Episcopalem in Monast S. Petri collocavit.

in commodis, quæ dictis Fratribus ob talem resignationem, & nostram collationem seu alias occurrere possent, ac perpetua Iurium suorum confirmatione, Pontificali nostra auctoritate, statuimus, & ordinamus, imprimis ut singulis Electionibus pro Archiepiscopis Salisburgensibus per Canonicos nostros juxta Apostolicas ordinationes faciendis, Abbati ejusdem Monasterii pro tempore existenti, loco Fratrum suorum (ad quos prius semper electio hujusmodi spectabat) interesse competat perpetuo. Et quem ipse una cum Canonicis præfatis ex ipsis, vel alias, elegerint, Archiepiscopus consecratur, absque populi contradictione: quod inviolabiliter observari volumus. Ac in memoriam & honorem sui Iuris plebesani debeant, si volunt, in Sabatho Paschæ vel Pentecostes duos vel tres parvulos baptizare, & singulis Quadragesimæ & Paschæ temporibus omnem familiam suam cum Scholaribus, Sacramentis Confessionis & Eucharistiæ providere: de aliis vero ad Parochiam spectantibus se amplius non intromittere.

Electio Archiepiscopi Salisb. olim penes Monachos S. Petri.

Sed ne propter rerum inopiam, quam ex tali resignatione, & aliorum possessionum in Ecclesiam dictorum Canonicorum translatione incurrerunt, quemadmodum nostro tempore cernimus, à Religionis tramite (quod absit) aliquando desistere contingat, nos paterna pietate providentes, volumus ut decimas omnes, quas antiquitus in eadem Parochia perceperunt, juxta continentiam registrorum suorum, in resignatione reservarunt, etiam in futuris temporibus reservare debeant, de quibus Plebanus ipse pro semper existens, nullo tempore causari debet: sed quæ in futuris resultabunt, Plebano cedere debeant.

Addimus etiam insuper omnia, quæ variis temporibus eis contulimus: Ecclesiam in Mulpach, quod Hellen dicitur, cum decimis & aliis pertinentiis suis. Decimas quoque viginti quatuor patellarum salinariarum ibidem pleno jure tradimus.

Decernimus etiam ut in Conventionibus & Processionibus præfatæ Civitatis nostræ iidem Fratres perpetuo gaudeant & fruantur loco postremo & digniori. Ingratissimum enim & indecens esset, illis honorem & prærogativam non tribuere, de quorum laboribus eos provinciæ & populi fidei incrementa susceperunt, ac Ecclesia nostra instituta fuit, ac redditibus ampliata.

Præterea volumus & mandamus, ut libera & firma maneat sepultura in Ecclesia, cœmiterio, & capellis eorum, reliquiamque oblata quæcunque absque cujusvis contradictione in perpetuum, sicut receperunt exequias & sepulturas tenuerunt ab institutione Ecclesiæ eorum, & antequam Ius Plebesanum in nostras manus resignarunt, &c. Indignum enim judicamus eam violare sepulturam quam idem Sanctus Rudbertus instituisse & consecrasse noscitur. Ideo nostra Pontificali auctoritate eam confirmamus & innovamus, ut perpetuo futuris temporibus habeant & conservent facultates recipiendi cadavera quorumcunque hominum, etiam ministerialium, seu ad domicilia nostra pertinentium, dummodo vota illorum ad illam aspiraverint. Ne autem concontra hæc nostra instituta & ordinationes in genere vel in specie dicti nostri Canonici unquam per se, vel alios attentare præsumerent, volumus eos pro futuris temporibus obligare sub pœna privationis & restitutionis omnium bonorum, quæ ipsi Fratres una cum Episcopatu & Plebesano Iure per nos in eos singulari gratia transtulerunt, dictaque omnia in suum antiquum locum, Ecclesiam S. Petri, redire debeant.

Præterea nostra auctoritate irrefragabiliter eidem Ecclesiæ stabilimus & confirmamus omnia privilegia, jurisdictiones, consuetudines, ab antiquo inviolabiliter observatas, libertates, donationes quascunque, ut eis videlicet liceat possidere omnia bona, à quibuscunque fidelibus oblata, hactenus juste & legaliter possessa in vineis, prædiis, montibus, pascuis, campis, sylvis, sylvarum sectionibus, agris cultis & incultis, aquis piscariis, mancipiis, & omni utilitatis genere cum omnibus pertinentiis suis, & alia mobilia & immobilia cum omnibus annexis & connexis, & quæ in futuro justis modis præstante Domino poterant adipisci, firma ipsi & eorum successoribus permaneant, sub attestatione divini judicii, & Episcopalis banni auctoritate censemus. Siquis autem neglecto justitiæ tramite hujus paginæ nostræ auctoritati temeraria manu obviare præsumpserit, sciat se æternæ maledictionis & damnationis periculum incurrere. Vt vero hæc nostra statuta, ordinationes, traditiones, confirmationes, in ævum inconvulsa & illæsa permaneant,

paginam

paginam præsentem sigilli nostri impressione signamus.

Nos vero Severus Præpositus & totum Capitulum Ecclesiæ S. Rudberti Canonicorumque Regularium de observantia attendentes illa bona & possessiones, quæ à prædicta Ecclesia S. Petri antiqua matrice ad nos, & nostram Ecclesiam translata sunt & concessa; præsertim quod Fratres ejusdem Ecclesiæ supra nominatum Ius plebesanum tam liberaliter per Reverendissimum Dominum Chunradum transtulerunt, licet ea conditione ut neque nos, neque successores nostri in præjudicio sepulturæ aut decimarum, quæ sibi de dicta parochiali Ecclesia de Archiepiscopi nostri prædicti mandato, voluntate, & assensu reservavit, cæterorumque privilegiorum & Iurium suorum ullo tempore quidquã attentaremus, aliaque plurima considerantes, propter quæ merito eam venerari, & ante oculos habere debeamus. Ideò propria, spontanea, & libera voluntate nos submittimus & obligamus ad omnia, & singula prædicta statuta & ordinationes, quam idem Reverendissimus Archiepiscopus pro perpetua jurium conservatione dictæ Ecclesiæ S. Petri statuit & ordinavit: & si unquam contrarium attentaverimus, cadamus ab omni Iure & possessionibus quæ à dicta Ecclesia ad nos translata sunt, cum Episcopatu & Ecclesia Plebesana prædicta: quæ omnia libere ad eos redeant iterum cum omni Iurisdictione & utilitate, sicut prius habuerunt. In cujus fidem & perpetuam stabilitatem nostrum sigillum Capituli eidem Chartæ apposuimus. Testes hi sunt: venerabilis Episcopus Gurcensis Romanus: Gotfridus Abbas Admontensis. Vlricus Abbas S. Lamberti: Otto Abbas Milstattensis: Chuno de Chiemse: Heribordus de Ava: Hugo de Garza: Lanzo de Hall: Hugo de Berchtesgaden: Henricus de Gurcha, præpositi. Megingosus Pincerna: Luitoldus de Siesdorff: Luitvvinus Castellanus, Engelschalcus de Friesach: Gotfridus de VVieting: Eberhardus & Popo de Leinitz, & alii complures Ecclesiæ nostræ fideles. Acta sunt hæc Anno M. C. XXXIX. Indict. 2. Calend. Aprilis, regnante Domino Chunrado Ro. Rege, anno regni ejus primo, nostri autem Pontificatus anno trigesimo quarto.

Multum refert primis vestigiis firmiter insistere, nec transversum quidem digitum loco movere pedem. Facilius manemus, quam redimus. Orta igitur post non multos annos inter Canonicos S. Rudberti, & Monachos Monasterii S. Petri controversia, utris in publicis supplicationibus seu processionibus dignior deberetur locus, sententiam in hæc verba secundum Monachos pronunciavit Eberhardus, Comes de Hilpoltstein, è Canonico Bambergensi factus Monachus Pruffenningensis ordinis S. Benedicti; inde Abbas Biburgensis; demum Archiepiscopus Salisburgensis. *In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Eberhardus Dei gratia Archiepiscopus Salisburgensis, Apostolicæ sedis Legatus in perpetuum. Vagum atque instabile est consiliorum hominum in hoc tempore, quod omni vento levitatis circumfertur. Inde notum facimus omnibus Christi fidelibus, quod cum Canonici Ecclesiæ S. Rudberti Fratres nostros dilectos Ecclesiæ S. Petri impetiissent pro ultimo loco habendo in processionibus, quem ante dicti Fratres semper habuerunt, movit nos veneranda antiquitas Ecclesiæ S. Petri; quæ Metropolis fuit, & fundamentum fidei multarum provinciarum, à qua reliqua Monasteria & Ecclesiæ exordium sumpserunt, & omnis honor & dignitas, ad nos & Ecclesiam nostram quam habemus, ab ea profluxit. Insuper ad Fratres ejusdem Ecclesiæ multas possessiones & Iura ad petitionem nostrorum Antecessorum, ut in litteris nostris Monimentariis reperimus, resignarunt in nostram & Ecclesiæ nostræ utilitatem. Hinc merito Eam præ cæteris Ecclesiis, quasi antiquam matrẽ venerari, atque privilegiis tueri debemus. Tractavimus ergo illa cum Canonicis nostris, & ad memoriam reduximus, & inde ipsis consentientibus, dictos Fratres Ecclesiæ S. Petri isto privilegio munimus, ut in signum antiquæ dignitatis & sanctitatis loci, ultimum & digniorem locum, quem antea semper habuerunt, etiam in posterum habere debeant perpetuo. In cujus rei fidem damus eis præsentem Litteram nostro Sigillo sigillatam. Testes facti sunt Gebehardus Comes de Burghusen, Ebo de Berchaim, Engelschalcus de Frisaco, Luitoldus de Sietdorff. Hortudo de Fischa. Luitoinus Castellanus de Salzburg. Acta fuerunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis M C. XXXXVIII XIII. Cal. Ian. Indict. XI. præsidente S. Romanæ Ecclesiæ Eugenio III. Pontificatus nostri anno secundo.*

VVigul. Hund. Metrop. Salisb.

Ecclesia S. Petri fundamentum fidei multarum provinciarum.

Canonici propriis quoque litteris spoponderunt Monachis, nunquam se deinceps litem ipsis super hac re moturos. Visum est eas in Appendicem potius referre: quam lectorem hic diutius morari. Mortuus est Goldericus anno M, C. XXXXVII. Citius nimirum quam litteræ Pontificis fuissent expeditæ. Quædam admiranda patrasse fertur, eoque superstite Monasterium

Append. Script. 1, 2.3.

con-

conflagravit, sacra & profana suppellectili, necnnn fundationum & donationum tabulis, bonam partem incendio haustis.

34. Heinricus I. Romano, Gurcensi Episco, in sedem successit an. MC.LVII.

35. HEINRICVS II. Monachus S. Petri: Monasterii Biburgensis factus Abbas Heinrico I. Gurcensi Cathedræ imposito domum revocatus fuit. Abiit suo magistratu, viribus defectus, an. MC.LXXXVIII.

36. VVICHBOTO, seu VVIDPOTO. Mortem oppetiit an M.CLXXXXIII.

37. Pilgrinus. Post biennium fasces posuit, impatiens vexationum.

38. CHVNRADVS, è Seittenstotten accitus. Sed cum neque ipse seu molestias, seu injurias perferre posset, an. MC. LXXXXVIII. clavum Pilgrino reddidit.

39. SIMON I. Exactis in Abbatia XXXII. annis magno Monasterii emolumento, honores valere jussit.

40. BERCHTOLDVS. an. MCC.XXXI. ex Monasterio Admontensi postulatus, an. M.CC.XXXI. à Gregorio Papa IX. annulum pedum, mitram impetravit. an. M.CC.XLII. fato extinctus est.

41. RICHERVS. Dum à Philippo Carinthiæ Ducis filio sacris à Pontifice interdicto, stetit, non vulgare odium conflavit Monasterio. Excessit è viuis an. MCCLIX.

42. ALBERTVS II. Contra Pontificis edictum rem divinam in Monasterio fieri permisit, ut gratiam à Philippo iniret, eaque de causa ab Vdalrico Episcopo Secoviensi à Canonicis postulato, & à sede Apostolica approbato gradu motus est.

43. CHVNO. an. M.CCLXII. Monasterio ab Vdalrico præfectus.

44. SIMON II. Cum lites è litibus absq; spe finis sererentur, post triennium Abbatia se abdicavit an. MCC.LXX.

45. DIETMARVS. Ex Monasterio Mulstat excitus, oneri cervicem submisit. Interea Fridericus II. de VVallen, Archiepiscop. an. MCC.LXXIV. Synodum indixit, ad quam Episcopi Ratisponensis, Pataviēsis, Brixiensis, Secoviensis, & Chyemseensis se contulere. Abbates Ordinis S. Benedicti Capitulum provinciale celebrare his verbis jussi sunt: *Cum Abbates Ordinis S. Benedicti: Salzburgensis provinciæ Capitula sua provincialia longe retro temporibus non curarint celebrare, propter quod circa Regulares observantias idem Ordo non mediocriter est collapsus. Nos eisdem Abbatibus nostræ provinciæ firmiter & districte præcipiendo mandamus, ut provinciale Capitulum suum infra festum Ascensionis Domini venturum proximum celebrent, juxta formam à sacris Canonibus eis datam, in quo de moribus corrigendis tam in seipsis, quam in subditis suis tractent, & ordinent diligenter. Alioquin nos in proximo provinciali Concilio ad reformationem prædicti Ordinis, quantum de jure possumus, procedemus.* Vivere desiit an. MCCL.XXXVIII.

Synodus Salisb. Abbates Capitulum provinciale diu intermissum revocare jubet.

46. ENGELBERTVS. Multa præclare gessit.

47. RVDBERTVS IV.

48. CHVNRADVS II. anno. MCCC.XIV. Abbas renunciat, abiit ad plures MCCCXLVI

49. Otho I Monachus antea Admontensis. Monasterium ære alieno levavit: multa ædificavit: etiam dæmones humanis è corporibus exegisse fertur.

50. IOHANNES II. ROSSIVS. Obstiterunt Canonici, nec cœmeterio Monasterii inferrentur mortui, Abbati, ut proprio Parocho, non subiet. Sed cum jura, consuetudo continua, actusque contrarii à Monachis starent, Canonici apud Pontificē causa ceciderüt. Vitā hic Abbas exvit an. MCCC.LXXV.

51. OTHO II. Sacram suppellictilem mirifice auxit. Sepulchrum sibi designavit à dextro latere altaris SS. Trinitatis. Causam eam in promptu habent, quod aliquando sacerdote hanc ad aram rem divinam faciente atq; S. Hostiam sublime tollente, puerulum Iesum in eadem conspexerit. Mortuus est anno M.CCCCXIV.

52. LEONHARDVS. biennio novos honores ac labores absolvit.

53. VDALRICVS mortuus an. M.CCCC.XX.

54. IOANNES III. Magnæ vir prudentiæ & industriæ, longa vita dignissimus. Sed postquam inimica podagra apud eum pedē fixit, XVI Kal. May. an. M.CCCC.XXVIII. abivit.

55. GEORGIVS. I. Cum id tēporis laboraret disciplina ad S. Petrum, Georgius an. M. CCCC.XXXI. Leonhardum Abbatem Melicensem accersivit, malis ut remedium adhiberet. Advolavit ille haud invitus: visitatione, ut vocant, quam primum instituta, in mores, ritus, consuetudines, & quicquid usus vel abusus ferebant, diligentissime quæsivit. Iam de omnibus certior factus; multa abrogavit, veluti ne Conventus deinceps reditus haberet proprios & oblaiā, ex more Canonicorum Cathedralium: multa etiā rogavit, è quibus tantum hoc subiicio: *Hortamur etiam dominum Abbatem & monemus, ut numerum Monachorum antiquitus institutum, si facultates suppetant, in præsenti Monasterio custodiat, & sicut Regula dicit, in augmento boni gregis gaudeat, nec prætextu excusationis privilegii seu consuetudinis quæ potius corruptela dicenda est quibus dicunt se nullum nisi nobilem recipere debere,*

Veræ nobilitati hoc est virtuti etiā opibus ac generis splendore nudæ, patere debent aditus in Monasteria.

florenos, sed insuper annonam ac vinum ad multas hebdomadas in rebelles profundere coactus est. Huic calamitati accessit altera gravior. Nam Ferdinandus I. obviam iturus Turcis, ligna vi summa Hungariæ inferentibus, per austriacas provincias quarta parte bonorum omnes Ecclesiasticos exuit. Non calicibus, non aliis sacris vasis partum fuit, morti proximus vehementer doluit, tunicã Christi incõsutilẽ à se fuisse scissam, posterosq; ad resarciendũ obstrinxit. Cæterum Chilianus navi iter faciẽs, undis haustus est.

Accisæ S. Petri fortunæ in provinciis Domus Austriacæ.

64. *Georgius II.* Comes Chiliani, versa navi in ripam evasit. Undecimo quam Abbas lectus est die, antecessorem suum sequutus in tumulum fuit. Hoc utrique Epitaphium posuere mœsti filii.

Hic cubant ossa R. D. Chiliani, Abbatis hujus Cœnobii, qui in fluvio Sulmone, alias Leibnitz, aquis extinctus interiit anno. M.D XXXV. die XIII. Februarii, cujus corpus successoris sui D. Abbatis Georgii pietate huc reportatum est. Qui R. D. Georgius hujus Cœnobii Abbas, cum Congregationi undecim præfuisset diebus, pleuresi correptus an. M.D.XXXV. die XVII. Martii obiit, sub isto lapide sepultus.

65. *Ægidius.* Nec boni Monachi, nec seduli œconomi officio defuit, mortuus an. M.D.LIII.

66. *Benedictus.* Pater pauperum. Fato concessit anno M.D.LXXVII.

67. *Andreas.* Nondum maturus honoribus, infra gravitatem infulæ se gessit juvenis. Pars magna fuit, ut Monasterium monialium Ordinis S. Benedicti, Cœnobio D. Petri conjunctum atque subditum anno M.D.LXXXIII. extingueretur. Speraverat enim Monialibus alio dimissis, majorẽ Parthenonis bolum ad se rediturum. Sed Bonus Deus coruũ delusit hiantem: Monialibus enim successere PP. Franciscani.

Franc. Gonzaga, Gen. Ord. S. Franc.

68. *Martinus* Græce & latine æque doctus, bibliothecam innumeris libris stipavit: Disciplinam in veterem florem restituit: nomina quæ fecerant alii, liberavit, multa ædificavit, & emit multa. an. M.D.CXV. laboribus ac vitæ finem imposuit.

69. *Ioachimus.* Ex Monasterio VVessefontano evocatus: vir in quo neq; religionẽ, neq; eruditionem, neq; prudentiam, neque industriam desiderasses. Tantis ornamentis accessere bonus vultus, comitas, affabilitas, eloquentia, morborum patientia. Templum altius eduxit: Religionis tyrones multos conscripsit: aliquot insignes aras Divis posuit: cũ Ill. Princeps & Archiepiscopus Marcus Sitticus, Comes ab Hohenembs aperto gymnasio sequuturæ Academiæ, Ordini D. Benedicti credendæ fundamenta jaceret, utramque manum solide adjubuit: ac multo longius progressurus fuisset, nisi detestata magnis & bonis viris podagra tam pedes quam animosos conatus impedivisset. An. M.D.CXXVI. S. P. N. Benedicti solenni luce, Ill. Princeps & Archiepiscopus Paris, Comes de Lodron, in ultima linea stãti animum ad ultimam pugnam fortiter depugnandam addidit, cruceque ducta adversus hostes extrema in arena anhelantem (ut fit) sanctissime munivit. Paulo post piam animam edidit.

70. *Albertus III.* Ottoburæ, nobili Monasterio Sueviæ, Monachum professus S. Theologiæ Doctor, magno applausu Antistes creatus: Cum nova nobis Academia Salisburgi conderetur, & etiamnum in herba esset, habito eruditorum virorum in sacro Ordine delectu, aptissimus visus est, qui Aristotelem de loco superiore publice exponeret, & majorum nostrorũ vestigia, à multis annis in Germania nemini trita occuparet. Postquam discentibus diu sui copiam fecit, Rector Collegii & Academiæ jussus est, quem magistratum insigni Ordinis honore & juventutis commodo gessit. Interea Dominus Ioachimus ad D. Petri Abbas, mortuus & elatus est. Patres, ob spectatam viri eruditionem ac virtutem: in illum invaserunt, & obluctantem multaque excusantem in vacuam Abbatis sedem pertraxerunt. Cæterum Academia Salisburgensis quinque anchoris fixa est: Præside, & quatuor Assistentibus Ordinis D. Benedicti Abbatibus, in quorum numero primus ipse est. In summa felicitate jure ponit, quod se Antistite Illustrissimi principis & Archiepiscopi Paridis voluntate SS. Ruperti & Vitalis mausolea in Ecclesia D. Petri sita, fuerint aperta, viderit que sanctissimorum antecessorum suorum veneranda ossa.

Albertus III Rector Academiæ Salisburg. inde Abbas ad S. Petri.

CAPUT V.

S. Ruperto novum templum ponitur, ejusque vetus tumulus exploratur.

ANNO post C. N. IↃCC. LXVII. S. VIRGILIUS, Episcopus inter Salisburgenses octavus, Templum grande uti diximus, imis è fundamentis ad Summa tecta educere cœpit, & duodecimo primùm anno omnibus, quod ajunt, numeris absolvit. Atqui labente tempore cùm damnum accepisset, alteram manum poposcit; eam CONRADUS III. Archiepiscop. prolixè dedit. Enimverò quædam instauravit: alia firmavit: & sicubi parietes vitium faciebant, correxit. Denique toti propè fabricæ quasi senium de-

S. Virgilius templum condit S. Ruperto.

Conradus III. id fulcit.

raxit. Igitur sartum hunc ad modum ruinotum *Templum*, post hæc tàm mole sua, squàm auctore magnum, stetit, donec à parta salute CIↃ. IↃ. LXXXXVIII. III. Idus Decemb. cùm Illustrissimus & Reverendissimus *VVolffgangus Theodoricus* rebus præesset promotâs nocte flammam, incerta origine, concepit. Ea dum alias atque alias partes, jam furtim, jam palàm subit, nec quisquã opem ferre impunè potest, tam sacra & magnifica Ædes ultrò citróque in cineres abit, in quos non debuisset. Inferiora parte libata quidem, ignis tamen ubi ad tectum evasit, ex templò effusus, ac vento citus, omnem ædis longitudinem corripuit, & hoc pertinaciùs, quòd plũbo instrata esset. Neq; hic sisti potuit incendium, quin turres quoq; plumbo tectæ, cũ ære campano defluerent.

VVolff. Theodoricus undante ardens frustra restinguit.

Ablato infelici hoc casu tecto, sublimè aërea, contusis è lateribus, jacta fuit, quæ & tegendo templo, & igni etiam deinceps arcendo esset. Atqui non diu tulit imbres, nives, aliásque cœli injurias, impatiens area. Parietes quoque incendio afflicti, sub tanto pondere nutare: lapidibus nõ rarò expressis, ruinã manifestè minari. Hæc cũ ita desperatio veteris tẽpli ꝑpetuãdi animis incessit: Idcircò fabrica tota solo paulatim æquata fuit.

Anno post natum Servatorem CIↃ. IↃ CXII. onus subiit *Marcus Sitticus*, Comes de Hohenembs, qui, cùm à *Deo* Opt. Max. ducendum sibi laborum initium rectissimè crederet, ac aliàs ardentissimum in Divos Tutelares amorem ebulliret, sine cunctatione ruderum egestionem imperavit; anno deinde XIV. supra CIↃ. IↃC. primum lapidem pro fundamento jecit. Atq; inde totus in hoc fuit, ut molem cœptam summo nisu attolleret, & tectum imponeret, qui fundamentum condidisset. Hac operosâ curâ quinquennium, eoque ampliùs, extractum, cùm Optimus Princeps, jussus à Numine manum haud dum fessam ab opere revocare. Fato concessit simulque luculentissimum orbi post se reliquit exemplum, Non diu pro Cœlo sudari.

Marcus Sitticus Archiep. novum templum molitur.

Anno relatæ Salutis CIↃ. IↃC. XIX. *Paris* Comes *Lodroni*, è voto & sententia Archiepiscopus, arduo jam templo, & fere tecto tenus erecto, sed rudi etiamnum, & opem flagitanti, liberaliter dexteram porrexit. Equidem etsi conatui & molitioni adversa multa essent, & pro annonæ facilitate, pro tranquilitate, pro pace, difficultas, arma, bella vigerent, quæ pecuniam certatim trahebant: excitata insuper, præsidio Patriæ, sumptuosissima munimenta ærarium juxtà vexarent, magnanimus tamen Princeps, velut ignis per obstantia eluctatus, demumq;

Paris Lodronius Archiep. altè erectæ Basilicæ ultimam manum imponit.

flãmâ clariore micans, non priùs fabricandi, ædificandi moliendi finẽ, fecit, quã præcipua quæq; opera ad finẽ pervenissẽt, quæ nos præ sua magnitudine, dictis exequare nõ possumus. At enim, religio sit, Basilicã totã silẽtio transire. Agedũ igitur, quando plus offendit nimiũ, quàm parum, hoc saltem agamus. Inprimis saxo *quadrato* stat vastissima moles, & stat tota sub *cupro*. Amplissimæ circũquaque fenestræ, pario lapide per quã scitè emarginatæ, pulchrum in modum candicant.

Prima dein *Templi* Facies (Ita me superi, augustissima!) longe lateq; per ingens spatium sese explicat, & precaturos tribus non minùs *portis* admittit. Atq; tanti moliminis opus, æterno marmore candidoq; constructũ est. Iam verò arduæ turres, quas dextra lævaq; statuit architectus, puro quoq; marmore rigent, in quibus idcircò magnæ gloriæ locus est.

Augusta Ædis compendium.

Porrò, simul ut in Basilicam te penetras, occurrit, cum *Porphyretico Parius* lapis in pavimentum discretè factus nõ, quod solet, opere tessellato in varia picturæ argumenta diminutus, sed ad majestatem longus, latusque, & qui introeunti suum pretium adeò luculenter venditet, ut, an pedem calcaturum sustineas, parumper addubites.

Primis deinde oculis obvia *Summa Ara* est, de primi nominis marmore faberrimè exstructa. Mediam si resurgentis *Christi* effigiem excipias, reliqua lapis sunt quidem, at qui multo stet auro.

Aliæ decem Aræ primum oculorum ictũ frustrantur, quando per latera Tẽpli ex intervallo sunt dispositæ. Vasta *laquearia* opere gypsato varias in formas subacta, quas veritati ars similes expresserat, quicquid de spatio reliquũ fecerunt, unicus, isq; floridissimus penicillus ad invidiã occupavit. Videas prætereà summum specimen architecturæ. Nãq; *Tholus* è tecto exsurgit (surrexit imis à fundamẽtis postremo triennio) *Tholus* ut dico, cessim patescens, & octo in angulos ità curiosè dispensatus, ut nolente quoque Sole diem *Templo* faciat. Vno te verbo absolvimus: Nihil in hoc *Templo* intra sumptûs, aut artis mediocritatem stare, ut si ex utraq; re idipsum æstimes, inter celeberrimas totius Europæ Basilicas quàm verissimè reponas.

DVm igitur apud *Paridẽ* publicarũ curarũ caput est *Deus*; dum ad illus majorem gloriã, se intendit, & jam operis, jã militibus æris sui copiã facit, indefessus, semperq; infinitus, Cœlũ ac Cœlites sibi palã demeruit. Nimirũ jã pridẽ aliqua pars *S. Ruperti* desiderabatur, cũ *S. Virgilius* propè integrũ Ædi suæ, velut pignori dedisset. Igitur Anno Christiano CIↃ. IↃ C. XXVII. vetustissimum

S. Ruperti ossa, quæ desiderabantur, in Monasterio S. Petri inventa.

Tumulum

Tumulum in *D. Petri* Monasterio, Ord. *S. Benedicti*, Cœlo impellere sedulò scrutatus est, & ecce, operæ pretium! Hic quæsitissima ossa, non cuiquam id temporis comperta hic, inquam, condita, & Cœlitibus benè faventibus, cum tabulis deprehensa sunt.

Diffusus igitur in gaudium *Princeps*, & summam voti sui se attigisse ratus, divinum thesaurum identidem versare animo, pro debito pensi habere, quid demùm fieret, unde *S. Ruperto* Archidiœceseos Tutelari, quà maximus Honos accideret, emeditari.

Itum denique in hanc sententiam est: adornare augustam pompam: erigere Triumphales Arcus: Vrbi novam faciem, subductâ quotidianâ, imperare: aliquot Serenifs. & Illustrifs. Principes Salisburgum invitare: & cum his *Germaniæ* luminibus ossa, Cœlo digna, & de Germanis longè optimè merita, in novum Metropolitanum *Templum* inferre: postridiè verò *Templum* ipsum *Deo Opt. Max.* deindè Tutelari Divo festivo ritu, dedicare. Hæc tum mente agitata, stato tempore felici successu anno M. D. XXVIII. confecta sunt. Singula ad unguem ut producamus, ne velis Lector, neque enim possumus, quando multa magnitudine suâ laboranti calamo prorsùs officiunt. At tamen plurima stylo desultorio edemus, ut reliqua suspicari, in expedito tibi sit.

CAPVT VI.

Arcus triumphales honori SS. Ruperti (adscito subinde S. Virgilio) erecti.

ARCVS I.

Multi multos fuderunt hostes, nemo omnes, præter Sanctos, ut hi soli meritò triumphare videantur. *S. Ruperto* quinque omninò Triumphales portæ apertæ. Prima ab Illustrifs. & Reverendiss. Archiepiscopo, quæ majestate, altitudine, sumptu, longè ante alias fuit. En tibi ejusdem umbram, à Chalcographo factam! tu lucem à publica Fama, & à nobis adde.

Summum Arcûs fastigium *S. Vitalis*, secundus à *S. Ruperto* Abbas & Episcopus Salisburgensis, eximiâ magnitudine insistebat. A dextra *S. Amandus*, Vangionum Episcopus, à nostro *S. Ruperto* Salisburgū translatus, subque Ara summa ad *D. Petri* conditus: *S. Augustinus*, ad cujus leges instituti à *Conrado I.* Canonici: *S. Thyemo*, Ord. *S. Benedicti*, Archiep. Salisb. & Martyr: à læva *S. Martinus*, cujus ossa Salisburgum veneratur: *S. VVolfgangus*, provinciæ quondam incola, nunc Patronus: *S. Eberhardus*, hujus Ecclesiæ Archiepiscop', ità stabat, ut gradatim è fastigio descenderent

Vt deinde palàm esset, quantùm maris & terræ *S. Rupertus* pro Germania emensus fuisset, Publicæ Tabulæ, decumanis litteris in hæc verba inscriptæ, hæserunt:

A BRITANNIS AD PANNONAS VSQVE PER ME INCLARVIT FILIVS DEI.

Vita deindè faciaque *S. Ruperti*, à pictore elegantissimè producta.

Imprimis à dextro latere S. Episcopus & Bavariæ Apostolus, Ratisbonam contendebat. Adventanti autem, se *Theodo* cum Aula obviam, per obsequium, effundebat. Picturis ubique alludebat poeta.

Inde, *S. Rupertus* Theodonem, Bavariæ Ducem, sacris undis expiabat.

Supra portam minorem, quæ à dextra viatori pandebatur, *S. Rupertus* incultam ad concionem sacra verba faciebat.

Supra portam alteram, quæ à sinistra aperiebatur, *S. Rupertus*, labore ac morbo fractus *Vitali* adhuc integro, claves & onus admoliebatur.

Portæ mediæ laterà, duæ statuæ (augustæ, mehercules!) muniebant, quarum hæc *S. Ruperto*; illa, *S. Virgilio* posita.

Sed claudamus hanc Portæ faciem, nemini dum satis visam. Si lubet, alveum spatiolissimum subeamus.

Hic tu mihi oculos in dextrum latus intende, ubi *S. Virgilium*, Basilicam ædificantem, & argentum operis exponentem (unde non quisquam plus debito sublegere valebat) penicillus genialiter depingit.

Ad versus autem paries *S. Virgilium*, ossa *S. Ruperti* in *Templum* ab ipso conditum, ferentem, prorsùs effinxit.

Duæ quoque angustiores portæ, præter amplissimam, venientibus erant obviæ. In unius dextro latere, cæci, claudi, oculos, pedes *S. Virgilium* flagitabant.

Sinistrum latus, infessum à malo Genio, & distractum Clericum obtulerat; propè vero *S. Virgilium*, qui iniquo possessori negotium dabat, ut exiret.

Alteram verò portarum angustiorum ingressis, à dextra *S. Virgilius*, Canonicis septus, conspiciebatur, quos ad rem divinam faciendam *Templo* suo destinabat.

Sinistrorsùm oculos obliquantibus, denuò *S. Virgilius* in conspectum veniebat, sphæram manu sustinens, & esse, qui nobis adversa premerent vestigia, demonstrabat.

Iam sublimem aversæ partis verticem, *S. Erentrudis* simulacrum fatigabat. Soror seu Neptis *S. Ruperti* erat, primaque hic loci Sacrarum Virginum, Ord. *S. Benedicti*, antistes. Vtrinque terna signa alia pedem figebant, basi semper magis depressâ. Dex-

trà *S. Maximus*, hujus agri primus cultor: *S Vitus. S. Chrysanthus*: Sinistram *S Vincentius S. Hermes*: *S. Daria* tenebant: quorum omnium corporibus & patrocinio Salisburgum gloriatur. Putasses hæc septem simulacra (etiam superiora novem) ipsissimo in ære stare.

In medio, candicabant *Tabulæ*, majoribus istis Elementis plenæ:

VOTO MARTYR ERAM.
SEMPERQVE VT VICTIMA. VIXI.

A dextro latere, *S. Rupertus* fustuarium accipiebat, & à turba, lapidibus incumbente (vel ut quemq; fors armaverat) VVormatiâ exigebatur.

A Sinistro, *S. Rupertus* Idolû calidissimis precibus fulminabat.

Subtus Epitaphium, ducebatur funus *S. Ruperti*, cui ab utraque parte, datis modulis, parentabant Musæ.

Non procul *S Henricus* Imperator splendore proprio illustris: contra *Henricum*, *S. Chunecundis* Imperatrix stabat. Pertinebat huc uterque, sive beneficia, in *S. Ruperti* Episcopatum collocata; sive gratam memoremque Archiepiscopi mentem æstimes.

Sed ne ultrà te moremur, tribus verbis te absolvimus: spectatam hanc portam ab omnibus, laudatam fuisse ab omnibus.

ARCVS II.

HÆc triumphalis *porta* à Rever. Ill. Perill. Nob. DD. Canonicis erecta, etsi à priori triumpharetur, *augustissima* nihilominus fuit, ac abunde babuit, unde se jactaret.

Igitur per plateam maximo spatio digesta moles, amplissimè patebat. Intùs, lati utrinque parietes tecteq; picti, ingressos morabantur. Hinc, *Salisburgum* oculis blandiebatur; juxtim, *S. Virgilius* & Architectus; qui summi *Templi* condendi rationem inibant. Isthinc, *S. Rupertus Salis* Fodinas rimabatur, & Bono publico prodebat Cæterùm quà in arduum verticem desinebat *Arcus, Fides, Spes, Charitas*, ad vastitaté proceræ, vesteq; variâ & reflatâ insurgebant. In medio spatium (inane id quidem sed peramplum) *S. Rupertus* occupârat, hæc verba faciens:

MEDVLLITVS AMO SALISBVRGENSES IDEO MEORVM OSSIVM HAEREDES SCRIPSI.

At enim verò, ut ne nescires, in quo hujus *portæ* cardo verteretur, superius hanc Dedicationem sustinebat.

D. RVPERTO NORICI APOSTOLO SALISBVRGENSIVM EPISCOPO SVIS IN CINERIBVS TRIVMPHANTI HANC PORTAM APERVIT CAPITVLVM METROPOLEOS SALISBVRG.

Propter fores *Iustitia* machæram in elatam trutinam librabat, hoc Symbolû ciens:

IN MEA LIBRA SOLI SANCTI PONDVS HABENT.

Ex adverso, *Temperantia* undulas in subjectam phialam è cantharo derivabat, hoc in suos Elogio:

OMNIA IN BONA SE EFFVNDERE SANCTORVM TEMPERANTIA EST.

Adversam portæ hujus faciem per transennam vidistin Lector? agedum, in *adversam* oculos conjice. Hic, fores *Fortitudo* munit, & columnam sibi insinuans, ista obvios breviter rogat:

FORTES NEGAS SANCTOS? QVOVIS AB HOSTE PALMAM HABENT.

Contrà, *Prudentia* in obtento speculo imaginem sui scrupulosè examinat, ac unà hoc documenti, (pro viatico putem) obeuntibus edit:

PRVDENTIÆ SPECVLVM SANCTI SVNT, INSPICE.

Quatuor hæ *statuæ*, quasi aditum & exitum præstabant, admitti, vel emitti volentibus. Summo de ostio *aversæ* partis, hæc altera Dedicatio:

S. VIRGILIO VLTIMA IN HIBERNIA ORTO SIDERI IVVAVENSIVM CLARISSIME PRAELVCENTI POSVIT CAPIT. METROPOL. SALISBVRG.

S. Virgilius, manu suum *Templum* præferens, è medio velut Arcu pedem promovebat, sibique novam *Basilicam* affirmatè adscribebat:

MEO STAT EXEMPLO BASILICA MEO.

A superiore contignatione pyramides, in quatuor angulos dispositæ, surgebant. Vexilla acutiora, pyramidum capitellis commissa, lenissimè adlabens aura, ex arbitrio vexabat. Inter alia, hoc quoque magnum Artis & pretii indicium erat, quòd spectatores in eodem vestigio diutissimè hærerent. Atqui nos gradum promoveamus.

ARCUS III.

IAm verò incredibile dictu est, quam promptè quàm latè *Portam* redeunti *S. Ruperto* Reverendiss. *D. Abbas*, Religiosiq; cæteri ad *D. Petri*, aperuerint. Spóte tuâ intellexisses, non eos gratum modò hospitem accipere, sed *Asceterii* sui *Authorem*, sed primum ejusdem *Antistitem*, sed charissimum *Parentem* in sinum recipere. Schema portæ nos ita depingimus. Sûmum fastigium ceperat *Angelus*, ad volandum alas expediens. Fluctuantem Schedam dextrâ evolvebat, ab ipsa *Sapientia* scriptam:

VISI SVNT OCVLIS INSIPIENTIUM MORI ILLI AUTEM SUNT IN PACE.

Aliquantò inferiùs, latior campus in hæc verba explicatus:

S. MAXIMVS ET QVINQVAGINTA SOCII IN VICINA RUPE, PRO CHRISTO MARTYRIUM PASSI ET PRAECIPITES ACTI ANNO CHRISTI CCCC. LXXVII.

Pòst operâ pictoris *Mons* ab imo surgebat pede. In monte, arcanum, & in cæca discedens spatia, spelæum. scilicet penetrale *S. Maximi* (centum hic annis major *S. Ruperto*, primam sementem *Salisburgi* fecit) quo se cum quinquaginta Sociis tenebat. Penetrârat tamen Ruthenorum, Geppidorum, Vngarorum, &c, longis *Rex* manibus, & *S. Maximo* in arborem sublato, reliquam innocentem turbam præcipitio membratim dissipavit. Efferi facinoris Imago hic oculis objecta.

Portæ latera *SS. Petrus* & *Paulus*, ad insignem majestatem facti, claudebant. In portæ alveo *D. Rupertus* & *D. Vitalis* lætas inter frondes efflorescebant. Habes *Arcum* hunc compendio: si das manum, alio te ducimus.

ARCUS IV.

QVis autem *Sanctis* (cedo, tu mi optime Lector) quis *Sanctis* ajo, non volens lubens *Portam* aperiat? Tum verò summis idconatibus *Patres Ord. S. Benedicti*, qui Iuventutem hic loci ad pulcherrimam virtutem scientiámque componunt, fecêre; sive quòd propinquo Ordinis gradu *S. Rupertum* contingerent, memores: sive quòd nuper ab eodem civitate donati essent grati. Et quâvis superiores duæ magnitudine ac ære huic longè antestarent, non tamen hæc nihil ad illas fuit: quam ut videas, lineamenta, ducamus.

Quidquid spatii, *Collegium* inter ac adversas ædes, interjacet (puta Plateam esse oppido amplam) *Arcus* insedit; quem *Symbola*, *Emblemata*, & *Opticæ* serviens penicillus insignem fecêre.

De summo cacumine *Sol*, aureo capillamento circumfusus, inambulantes observabat, & quis *Salisburgum bona fide* illustrârit, docebat. Inde parumper extendi moles, & in Tabulam benè longam latamq; crescere, cui *dedicatio*, charactere sanè luculento aureoque, inscripta hæc erat:

D. RVDPERTO MAGNO BOIORVM APOSTOLO EXIMIO S. BENEDICTI MONACHO, POSUERUNT MUSAE SALISBURGENSES.

Cùm igitur *Scientiarum* & *Artium* præsides *Deæ* rem quoque suam hîc agi crederent, sub Dedicationem *Theologia* se collocârat. Neque magnifico tantùm situ, verùm etiam *Cruce*, sacro volumine, & voluminis autore *Divino pneumate* prælatis, adspicienti Relligionem injiciebat. Inferiùs, Virgo altera, *Iuris Canonici Antistes*, multa inter parerga sedem fixerat.

Dextram *liber* triplici *mitra* instruebat; lævam, palma coronæ inserta, onerabat ac ornabat. Inde campus viridis isthac inscriptione tritus:

ET SALE ET SOLE IVVAMVR.

Porrò, aliæ quatuor *Virgines* vicinis à lateribus consederant, scitæ illæ quidem, sed non perinde altæ. Ad dextrum latus, *Geometria* globum terrestrem circuli vestigiis curiosè obiens, diverterat.

Ad sinistram, *Astronomia* orbem cœlestem cautâ ferens manu, sidera explorabat. Paulùm inferiùs, *Arithmetica* numeros in mensa Pythagorica purabat. Ex adverso, *Suada* seu Eloquentia lauro capillos impedita, dextram (ac si diceret) projectabat; sinistrâ *Mercurii* virgam tendebat.

Porta insuper ipsa non transverso limite coërcebatur, sed arcuata binis ab angulis singulos *clypeos* objiciebat. *Hic*, facibus decussatim distractis, & quasi pro foribus excubantibus, intermicantibus quoque liliis, ne-

étenteque fasciculum annulo, audebat. In orbem talis ibat perigraphe:

IN FLAMMIS. NITEO.

Ille palam, ensem, scipionem, laureo serto vinctos, sub jugum mittebat. Symbolis non aliena verba circumquaque addita.

IN LABORE. QVIESCO.

Hic verò diffundi machina, & quantum licebat, exspatiari.

Præter unam eamque perviam *portam*, fallax penicillus *secundam* & *tertiam* adeò dextrè aperiebat (non aperiebat) ut viator medium iter insistens, falsus eminus, consilium viamque mutaret, per minorem portam se acturus.

Supra dextram, (*vera* similem,) portam, sublimè nubes liquere: Vrbem *Salisburgensem* meliore luce perfundere. Obliqua de nube *brachium* efferebatur, summoque manûs exordio *Salinum* incolis porrigebat. Infrà, litterata hæc Tabellula:

HINC. SAPIMVS.

Suprà sinistram, Sol largiter vultuosus, nondum adultis in hortò *Floribus* ardentes *radios admovebat*. Mentem, pendula Tabella dabat, evolve.

HINC. CRESCIMVS.

Iuxtà majoris *Portæ* curvaturam, *Virgo* sceptrum, à vertice oculeum, & duobus serpentibus, alterno volumine obhærescentibus, illaqueatum, stringebat, subjectum *Salinum* intento nôtans digito. Pro hypographe erat:

NON. SINE. SALE.

Opposita Virgo altera, *Salem* dextrâ vibrabat, radiis in contrarium speculum aversis. Ad pedes noctua assidens, nescio quid vicinæ Tabulæ suggerebat. Pedibus subscriptum.

NON. SINE. SOLE.

Quà porrò amplissimus aditus patebat, *Gloria* cum *Victoria* in statione erat. *Illa*, dextram in vicinam columellam dabat: sinistrâ, Cornu Copiæ discutiebat. Pedibus, Testudo, & hoc genus alia instrumenta Musica profusa. Proximè, aquila clypeata, sceptrum ac pedum, circumserpente angue, decussans, mitram præter coronam unguibus capessebat. Inscripta basis:

TRIVMPHANTI.

Hæc (*Victoria*) palmam & coronam pressis manibus quatiens, advolutis armis, signis, tympanis, loricis gestiebat. Sublatus juxtà in pectus *Leo*, eidem in clypeum (flagello, betulâ, clavâ, cohibenteque laureolâ plenum) arduus incumbebat. Clypeo catena circumquaque ansam dabat. Basis autem inscripta:

PVGNANTI.

Portæ penetralia picturis undiq; oculos invitabant. Enimverò dextrum parietem *S. Virgilius* habebat, ac inscriptio supplex:

SERVA.

Alterū se addiderat *S. Eberhardus*, Abbas Biburgensis, Ord. *S. Benedicti*, pòst Archiepiscopus Salisburgensis. Penes Sanctum, mendicus in genua compositus, & stipem orans. Epigraphe:

FOVE.

Adversum parietem *S. Vitalis*, Abbas ad D. *Petri. Ord. S. Benedicti*, & primus à *S. Ruperto* Episcopus Salisburgensis, producta manu *Cor*, & nascentia è corde lilia referens, possederat. Capiti pro voto inditum:

PLANTA.

Proximè *S. Vitalem*, *S. Thyemo*, stabat, ex Monacho inferioris *Altahæ* Abbas Monasterii *S. Petri*; ex Abbate Archiepisc. Salisburgensis. Hic quia à Saracenis Corozaimi expectoratus fuerat, primoribus digitis *Cor* sustinebat. Votum quatuor non ampliùs, litterarum:

REGE.

Altera molis facies *S. Virgilio* hunc in modum dicata fuerat:

D. VIRGILIO, ILLVSTRI. HYBERNIAE. IVBARI. MAGNO. IVVAVIAE. ANTISTITI. LL. VV. DD. MVSAE. SALISBVRGEN. 1683.

Iuxta portam, stellæ septem (*Vergilias* appellant) in coronam confluxerant, infrà, jacta anchora. Perigraphe:

HOC. SIDERE. NAVIGA.

Contrà, pensilis amussis & discus, quo *S. Virgilius* operæ pretium mercenariis in medium apponere solebat. Perigraphe ad amussim & Lectorem:

HAC. AMVSSI. ÆDIFICA.

Decori etiam fuerunt *pyramides*, passim surgentes, explicatæ *pergulæ*, alia verùm universa persequi, nobis non est consilium: solùm addimus, pone tabulata reconditos juvenes, dulci vocum modulamine totam machinam ad vivum animâsse. Cæterùm picturæ, Emblemata, Musarumque Chorus, per utrumque plateæ latus longo ten-

debantur ordine,& *Sanctus* velut obviam ibant,priusquàm à *porta* acciperentur.

ARCVS V.

NOn aliàs magis, quàm hodie, apparuit, *S. Rupertum* non perdidisse operam, quando sylvescentem hunc agrum perdius & pernox olim excoluit, incolisque ut ad Christianam frugê se reciperent, autor fuit. Atqi forsitan præter eos qui vidêre, oppidò pauci credent, quàm pro se quisq; civium elaborârit, ut infestivam hanc pompam aliquod momentum conferret. Quid multa? omnem civitatem una pro officina, istud in opus gnaviter incumbentem, habuisses.

Igitur pro Curia *Triumphalis Civium Porta*, impendiò alta, exposita stetit: quæ duabus à plateis viatores excepit. Quà autem *Sanctis* aperiebatur, haud paulò arte ac ære amplior. Summum fastigium Sanctiss. *Trias* sui juris fecerat. In medio, æthereas in nubes Arcus cavabatur, cœli similis, cùm passim liquet.

Hic *S Rupertus* sellam insidens, oris ac molis majestate, spectantes occultâ quadam veneratione percellebat. Penes *Rupertum*, Genii cœlestes elysios flores è phialis, & poëticos modulos certatim fundebant: Caput verò *Sancti* fundebat ex Tabula:

SAL ET SOL TERRÆ FVI CONDIVI ILLVSTRAVI SALISBVRGENSES.

Quà ingressi emittebantur, *S. Virgilius*, inclusus binis angelis (ut virtus in medio consisteret) sacram *ædem* præferebat. Viri Vitam, brevis hic Titulus descripserat:

ECCLESIA IN MANIBVS. VITÆ MEÆ COMPENDIVM EST.

Quà verò *Arcus* alteram spectabat plateam, *S Vitalis* Episcop. *Cor* candensque *Lilium*, pro motâ parumper manu, transeuntibus ostendebat. Latera clauserunt *Angeli* Suos autem Cives talibus *S. Vitalis* compellabat:

NON VNVS FLOS E MEO CREVIT PECTORE QVOTQVOT PII CIVES ESTIS. MEI FLORES ESTIS.

Neque hîc finem *Arcuum* fecerimus. Enimverò quacunque sacræ *Reliquiæ* iter habebant, omnia vel invito Autumno vernabant. Namque stabant *Arcus* perpetui xviii. pedes alti, mutuoque frondium veluti brachiorum arctissimo complexu (quas rutilantes insuper bracteolæ circumabant) amœnissimi nemoris speciem præbebant. Sed obsecro, liceat per te nunc aliò vela vertere.

Ex pervetusta Monasterii *S. Petri* Vrna aliquot *S. Ruperti* ossa fuisse eruta, suprà tibi scripsimus, nunc admonemus. Igitur ad ix. Calend. Octobr. solennis supplicatio indicta, quæ, ne tempore senescat, his quoque Monumentis imprimenda est. Crux sublimis ibat; crucem sequuti RR. PP. Eremitæ *S. Augustini*: *RR. PP. Capuccini*: *RR. PP. à Francisco* de Observantia: *Religiosi Convictores* hîc litterarum studiosi. *RR. PP. Academici*: Chorus Musicus: *Clerus*: *DD. Canonici*: RR. PP. & FF. Monasterii *S. Petri*: *DD. Abbates* & *Præpositi*: *DD. Episcopi*, Ratisb. Gurcensis, Chiemensis, Seccoviensis, Biblensis. Post hos, lipsana sacra quatuor Prælatorum humeris portabantur, innumeris cereis allucentibus; sed præfulgebat aureum S. Ruperti integumentum. Magnus splendor penes Illustr. & Rever. *Archiepiscopum* fuit, qui amictu pontificio felici Arculæ successit, totâ comitante aulâ, & longissimâ populi appendice. Inde, cura omnis in adventantes Principes versa est.

CAPUT VI.

Summi Principes Salisburgum contendunt, S. Rupertum nostrum in novum templum euntem ex officio debito prosequuturi, insigniq; pompa accipiuntur.

ITaque habito delectu, cohortes sexdecim ex provincia, cum urbanis duabus, per amplissima urbis monimenta, & flexuosas aggerum ambages, longissimâ serie à Duce dispositæ. Globus alius sclopetariorum in sinum civitatis receptus, pro Basilica excubabat. Tracta quoq; tormenta majora, & humi passim firmata, unde salutem opportunè dictura videbantur. Rebus ita compositis, milites animis æquis, amictu; fere pari (provincialas, omninò rubentibus; Vrbanæ, virgatis decussatim sagulis) Serenissimos *Hospites* præstolabantur, morçq; impatientiam festivo sermone, cantuque tubæ interpolabant.

Tum verò ipse Illustr. & Rev. *Archiepiscopus*

Itur obviam Principibus.

piſcopus quæ in rem videbantur, pro ſe comparare, feſtinare, feſtinatio quoque tarda eſſe; & demum duorum Epiſcoporum (Chiemenſis & Seccovienſis) Prælatorum, Canonicorum, Comitum, Baronum, Nobilium longè ſplendidiſſimo comitatu ſeſe obviam effundere. Plurimi currus ſenis equis juncti, per magnum itineris ſpatium extrahebantur. Equitatus deindè, quatuor in turmas diſtinctus, equis armiſq; inſignis erat. Hic denſato agmine: murmure incondito, qualis ſolet eſſe militaris: ingentiq; ungularum loricarumq; fragore, pariter eluctabatur. Equos viroſq; duodecim Tubicines claſſico clangore acriter accenderunt. Tantam multitudinem hactenus viarum latera coercuêre, donec confecto milliaris dimidio laxare ſe campus, & majus ſpatium aperire cœperat, ita ut conſerta & quaſi cohærens multitudo, latiſſimè explicare ſe poſſet. Atq; ecce! commodùm anteambulones, & tubæ eminùs auditæ, Sereniſſimos *Principes* intendere iter, ac propè jam adeſſe, eodem tempore nuntiabant.

Hîc jam denuò cura verſare animos, quo potiſſimùm facto, dignè honos haberetur. Ideo pro ſe quiſque niti, ut provinciâ benè fungeretur.

Salutantur ab Illuſtriſ. & Reverend. Archiepiſcopo.

Iſta dum ſedulò curantur, magnâ mole ſe ingerunt Sereniſſimi Hoſpites: Illuſtriſ. Princeps *Paris* procedit, obviam: exoptatum felicemque adventum officioſè gratulatur: oblata dextrâ dat ſalutem, viciſſim accipit: nihil vel ad obſequium, vel ad ſplendorem omittere judicatur.

Ab equitatu IV. turmarum.

Dudùm intenti in ſignum equites, poſt hæc capiunt, & mox ingenti certamine, bóboq; milleſimo Cœlum inquietant: nec modò ex dicta lege officium faciunt, ſed opere iterũ atq; iterum repetito, multum etiam de ſuo addunt. Tardior, Sacramentum militare violaſſe credebatur.

Principibus hunc in modum ſalvere juſſis, Vrbs petita fuit: & jam propiùs plenum majeſtate agmen ſe admoverat, cùm primæ excubiæ repentino fiſtularum ænearũ ſtrepitu (in quod Symbolũ convenerat) proximas appellàrunt; hæ alias, donec perpetuo iſthoc indicio miles, per adverſa propugnacula fuſus, de adventu certior eſt factus.

Actionis monimentũ.

Simul ac nuntium extremum, id eſt bombum, tulit ventus, ſubitò in ſtationem erectus miles, ſuum *Xaipe* expedivit, celeriterque *Sclopi*: deindè alia *tormenta majora*: atq; alia maxima, concepto igne, ſolum auramque quatiebant. Vbi porro in *ſuburbium*, ventum erat, confeſtim diverſis à propugnaculis, vallis, aggeribus ſecũdo tumultuari *tormenta*: cadentem fragorem integrare: modò ſimul, alias ſigillatim ſalutare. Ignis quoque tertium per infinitas *fiſtulas duplicarias*, præcipiti velocitate lapſus; pulcherrimo facinore longiſſimam ſeriem non longo tempore exoneravit, ut tandem fumus ingens iret Cœlo, ac *veſpere jam noctem trabente, univerſam propè lucem abſconderet*.

A propugnaculis ultra ſtrenuum poſitis.

A Foro Piſcario.

Ex ſuburbio, præter *Forum piſcarium* mearunt currus. Hîc autem duæ *Cohortes*, bellicam ad normam conglobatæ, undantia *vexilla* ventis dabant: *tympana* numeroſo verbere increpabant, tibiis concinebant: ceteri *Sclopos* oculis aptare, collimare, tonare. Iidem honores in *Foro majore* venientibus instituti.

A Foro majore.

ab Arce.

Tandem primâ face, *Aula* ipſa *Sereniſſimos* Hoſpites accepit. Vix autem benè accepit, prò hominum fidé! *Arx* validiſſima non procul arduo monti impoſita, repentè vaſtiſſimis è tormentis ordine fulminare: detonare: Cœlum incendere: horriſono boatu omnia cóplere. Rem capitis eſſe, & de urbe agi juràſſes.

Ab excubiis.

Dumque fervebat opus, *catervæ duæ*, quibus datum negotium erat, ut pro Baſilica excubias agerent, minoribus fiſtulis ſumma contentione interſtrepebant. Non aliam *officii* declarandi occaſionem aptiorem habuere vicini montes ſylvæque. Occupatis nimirum poſtremis veluti ſyllabis, preſſo bombo, *Ave*, reſponsàrunt. *Adeò nulli loco non ſatis virium ad ſalutãdum fuit.* Sed poſtquam *tormenta* cum ſclopis ad duas horas veſperum fatigàrunt, dies omnis Cœlo excidit.

Comitatus Principum.

In comitatu Reverendiſs. ac Sereniſ. Principis ac Domini D. *Ferdinandi*, Archiepiſcopi Colonienſis. S.R.I. per Italiam Archicancellarii, Electoris, & Epiſcopi Paderbornenſis, Monaſterii, Leodii, Comitis Palatini Rheni, Bavariæ Ducis &c. numerati Viri CXX. equi CXVI.

In comitatu Sereniſſimi Principis ac Domini D. *Maximiliani*, Comitis Palatini Rheni, utriuſque Bavariæ Ducis, S.R.I. *Archidapiferi* & Electoris, &c. Viri CCXXII. equi CLXXXI.

In comitatu Sereniſ. Principis ac Domini. D. *Leopoldi*, Archiducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ, Styriæ Carinthiæ, Carniolæ, VVirtembergæ. Alſatiæ, Comitis Tyrolis, Habsburgi & Goritiæ, &c. Viri CC. LXXXVIII. equi CC.XI.

In comitatu Sereniſ. Principis ac Domini D. *Alberti* Ducis Bavariæ, Com. Palatin. Rheni. &c. Viri CVII. equi C.XI. His acceſſere Sereniſſimæ conjuges.

Porro ſacros cineres colendi ſtudium excivit etiam Rev. & Illuſtr. Principes atq; Epiſcopos Oſnabruggẽſem, Ratisbonẽſem, Friſingẽſem, Gurcenſem, Chyemſeenſem,

Secco-

Seccoviensem,& Bibliensem. Præterea Abbates Ord.S. P. N. Benedicti novem: Præpositos Can.Reg.Augustini undecim.

Porrò, si benè rationes ego ponam, tuque fidem à me perquàm religiosè exigas, verè dixero, Comites, Barones, Nobiles, alios, quos relligio duxerat, longè majori numero fuisse, quàm ut is pro comperto haberi potuerit. Enim verò, è vicinis urbibus, arcibus, & pagis, nemo non plus Religionis SALISBURGI, quàm domi suæ negotii habere se putabat. Imò, remotos quoque animos par pietas incesserat, viæque accinxerat. Adde, quod novi TEMPLI DEDICATIO, toti provinciæ festum fecerit. Mirâ igitur densitate, omnis sexûs & omnis ætatis, omnisque ordinis infusa multitudo sinum urbis explevit. Sed impero prolixitati, ne id agi existimes, nullam rem ut dissimulemus.

CAPUT VII.

Festiva qua SS. Rupertus novæ Basilicæ illatus est.

VT festivus dies (SEPTEMBRIS XXIV) sese aperire, nec non Fides Tempestati esse cœpit (nam æstate tota in id usque tempus Cœlum ruit) dives *pompa* in hunc maximè modum processit.

Aeneator. Tympanistes (quod benè vertat!) equo sublimis, æneum tympanum validè pulsabat, ut populum undique tectis evocaret. Huic proximi tubicines itidem equis vehebantur. Post hos, tres Magistri equitum, suo quisque mirùm quàm conspicuus equo: nimirùm, qui sublatis vicissim pectoribus, primis ungulis identidem pugillabantur. Totidem verò turmas ciebant ex Aula, Provincia, Vrbe lectas, atque non pompæ minùs quàm pugnæ comparatas.

Neque *Vectores* tantùm cultu vestium nitebant, sed *Equi* prætereà generosissimi, alterno crurum voluminæ, summæ vix telluri applaudentes, & incitante tubarum cõcentu classico, superbè in latera viam obliquantes, arduum gradum moliebâtur. Duo ALUMNI Archiepiscopalis Seminarii, nec non seni *cruces* primarii: baculis illi auro obductis: isti candidis cereis dextras instructi, novo agmini exordium dabant. *Tribus Artificum.* Continuò, genus omne Artificum in horum ducum vestigia ibat, videlicet; *Balneatores, Figuli, Vietores, Arcularii, Tinctores, Fabrilignarii, Lapicidæ, Cæmentarii, Pileones, Textores gossypii, Sutores, Coriarii, Alutarii, Pelliones, Textores lintolarii, Sartores, Fabriferrarii, Laniones, Aurifabri, Naupeg:, Cerevisiarii, Molitores. Pistores, Ligularii, Monetarii.*

Vir viro, tribus tribui conserta erat Candelis minorib' quæ singulis imperatæ erant, crebrò decumanæ intercedebát: item Imagines Christi, in Crucem sublati, variorum Cœlitum. Neque oculos solùm ita varius tribulinum apparatus oblectabat, sed auribus quoque à fidibus & tibiis, clementissimus sonus undique accidebat. *Congregationes.* Præeuntes Tribus, diversæ *Congregationes* prosequebantur, suis singulæ ornamentis prorsùs conspicuæ Congregationes. Sed rei noscendæ pertexo telam. Prima SS. SEBASTIANO & ROCHO devota, Sodales suos in togas, purpureo colore tinctas, induerat. *SS. Sebastiani & Rochi.* His præferebatur *vexillum*, quod dextrâ lævaque laternarii stipabant. Tum, frequentes Sodales, non sine cereis candentibus. Inde *Crux*, iterumque sodales. Nivei intermeabant ANGELI, cultu pretioso decenter onusti, quibus Congregationis capita imminebant: In postremo cœtu curabant *Musici*.

S. Anna. Subsequebatur S. ANNAE CONGREGATIO, violaceis amicta togis. Ordines, terni Sodales ductabant, quos è vestigio alii duo sequuti. Proxime, *Vexillum* inter duos laternarios: dein Sodales candidis cereis corusci; præterea *Crux*, utrinque Vexillis comitata. Sublimè quoque ibat S. ANNAE venustum signum, quatuor Sodalium humeris innixum, cui rolei quatuor ANGELI advolitabant. VEXILLUM quoque alterum grandis pretii tres Sodales conjunctis viribus gestabant. Vltimi ibant, qui Congregationi *ab officiis* erant.

B. Virg. Assumpta Academica. SODALITAS BEATISS. VIRGINIS ASSUMPTAE, in cujus Album studiosa IuVENTUS nomina indere, saccosque cœruleos induere solet, processit. Ordo autẽ talis erat. Tres inauratis baculis anteibant, Cœtumq; universum ducebant. Ponè sequebatur elegans *Vexillum*, collucentibus utrinq; laternis. Dein viginti septem lectissimi *adolescentes* penulis humeros velati, & albos cereos manu attinentes. Hîc verò Sodalium discrimen fecit B. VIRGINIS perquàm scita *Imago*, cui juvenes quatuor humeros subjiciebant. Latera quatuor alii baculis in auratis obibant, ut si quispiam imprudenter exerraret, opportunè ordinis eum admonerent. Post ea cæruleum *vexillum* icone. S. CAROLI BORROMÆI, Academiæ PATRONI, oppidò exornatum, ferebatur. Triginta Sodales insequebantur. Albâ cerâ Cruci ar-

ci argenteæ prælucentes, à qua porrò magna pars *Congregationis* venerabunda hærebat. Tandem, augustissima VIRGO suorum filiorum agmen secundò distinguens, robustis quatuor juvenibus fortissimè succollantibus, eminebat, eo vultu vestisque habitu, quibos facilè omnium oculos ac animos invitaret, teneretque. Ad latera, majore nisu quàm passu se agebant *ambrosii pueruli* non minùs octo, nobilitatis Principes: nec modò candelis, sed candido insuper & cœruleo amictu majorem in modum oculis blandiebantur. Hos verò, quatuor grandiores natu deauratis baculis observabant, ne tantillum declinarent. Porrò, Sanctissimæ MATRI longum agmen, perindè unam universi peterent, instabat. Secundum hos, *Vexillifer* reliquum Sodalitatis antelbat, cui D. PRAEFECTVS, & duodecim CONSVLTORES, baculis supernè argenteis & auro illitis, gravem incessum firmantes, finem fecére.

Fidelium Animarum.

Successit Congregatio FIDELIVM ANIMARVM, nigrisque inclusa saccis, albis cereis pompæ lucem augebat, sæpè cruce, sæpè veixllo intermeantibus. Antecellebat verò *Machina* multò pulcherrima, quam rotis impositam aliquot viri sub pegmate latitantes, paulatim promovebant. *Suprà*, in Cœlum pandebatur, & *Sanctissimam Triadem* in conspectùm dabat: *juxta*, duos Angelos, quorum alter precatorios *orbiculos* manu versabat, alter Sacrum *calicem* præferebat; ut promptum esset cernere, quâ re potissimùm expiarentur, quæ temporarium supplicium, deberent, *animæ*. *Infrà*, depressus & obscurus hiabat carcer, ubi fluctuantes inter flammas, tristes pœnas luere videbantur. Atq; hoc systema fueritne pecuniâ an arte majus, non facilè dicam.

S. Monicæ.

Subsecuta Congregatio, verbo SANCTAE MONICAE. Hæc albis togis, cereis, vexillis, baculis, Choro Musico, splendorem vehementer intendens, magno emolumento in rē præsentem fuit. Summa tamen impensæ, magis in *Curru Triumphali* sita esse meritò censebatur. Eum viri decem obluctantibus humeris impigrè agebant. Medium tabulatum DEI MATER insistebat, filiolum in sinu amans, opulento margaritarum cultu etiam atq; etiam radiātem. Lateribus, S. MONICA cum AVGVSTINO sese applicuerant. Sāctis RVPERTO & VIRGILIO proximus locus obtigerat. Angelis scite palantibus; tantaque huic machinæ gratia fuit, ut quemvis movere potuisset.

Corporis Christi.

Postremò se addebat Congregatio, cui à CORPORE CHRISTI nomen & Sacci rubri. Præter cādentes candelas, baculos auro litos, fulgentes laternas, penitiùs in oculis *Vexillum* erat, argento textum, à tribus viris pertinaciter sublatum. In medio, *Servator* noster ultimâ cœnâ Discipulos accipiebat. Chorus etiam Musicus suavissimè aures incantabat. Sequebatur elegantiæ demirandæ *Machina*, quàm haud facilè animo concipiat, qui oculis non subjecit. Rotas contecti viri summa lacertorum contentione volvebant. In primo pegmate, CHRISTUS TORCULAR cernuus insistens, & à premente cruce subactus, sangvinem fundebat. Proximè torcularis labra cœlestes *Genii* duo, in genua compliciti, erumpenti sacro liquori calices inauratos objiciebant. Post *Servatorem*, triticea messis, mitisque vindemia insurgebat. Sedulò inerrabant Angeli: quidam *segeti* injectâ lævâ, falcem dextrâ supponebant: alii machærâ *putatoriâ* æquè gnaviter autumnum occupabant. Omne tulit punctum hæc CONGREGATIO, nec alias annis magis, quàm magnifico, eleganti, copiosoque apparatu anteibat.

At nunc rectè me vellicas, ut ne sim longior. Absolvi, si addidi; & numerum Sāctissimarum Congregationum, & multitudinem Sodalium, & sumptûs magnitudinem, neminem hospitum non celebrasse.

Religiosi.

Post Congregationes, longissimi ordines Religiosorum (quæ felicitas hujus Vrbis est) magnâ gravitate movebantur. Primi viam inibant RR. PP. EREMITAE S. AUGUSTINI, aureo vexillo præmisso. RR. PP. CAPUCINI, crucem ferentes. Dein RR. PP. FRANCISCANI de Observātia, argenteo vexillo splendorem augentes. Denique Religiosi CONVICTORES cum RR. PP. PROFESSORIBUS ACADEMICIS cœruleum vexillum, auro phrygiatâ cruce distinctum, sequuti. Sunt autem trecenti ac viginti duò ad numerum redacti. Secundum hos, postrema auspicari pompa.

Inter argentea candelabra præeunti cruci successére pueri, & si qui alii à CHORO: ALUMNI Illustr. & Reverendissimi Archiepiscopi: SACERDOTES rebus divinis in TEMPLO Metropolitano faciundis destinati: *PAROCHI*: *DECANI RVRALES*: *ARCHIPRESBYTERI*, sacris vestibus candidè scintillantes: Chorus *MVSICVS* Illustr. Principis: *CRVX ARCHIEPISCOPALIS* inter Argentea candelabra sublimis. Presso pede sequuti DD. *CANONICI*, argenteo sacrarum vestium fulgore Triumphum largè accendentes: Cœtus Religiosorum *MONASTERII S. PETRI*, sacro amictu varius ac splendidus: DD. *ABBATES* & *PRÆPOSITI*, nec non D. *PRÆ-*

POSI-

POSITVS Cathedralis Ecclesiæ pontificio apparatu præpollentes: *DD. Episcopi*, mitrarum & sacrarum vestium pretio graves, suoque ipsi splendore Illustrissimi: *Ex Ephebis* Principis Salisburgens. facibus instructi sex: *DD. Prælati*, qui fessis aliis, oneri sanctissimo succederent.

Viden' propè infinitam multitudinem, quæ ante divitem Arcam ambulat? sed quòd multò ampliùs admireris, in tanto agmine non ullus hucusque deservit ordinem. Ita fiebat, ut cùm nulla pars labaret, nec summa turbaretur.

Huc jam oculos. Prælati non minùs nobis, tantum inter cæteros eminentes, quantum officio præstabant, pari animo ac nisu Divos Tutelares *Rupertum* & *Virgilium*, duos Germaniæ *Soles*, *Doctores*, *Episcopos*, *Sanctos*, humeris sustinebant. Rem magnam, *Deus* immortalis, atque omnium maximam! Quis hîc pios gemitus, aut cadentes lachrimas in potestate habuisset? Hic, ætatem *Ruperti*, ille *Virgilii* se vivere arbitrabatur: omnes in hunc se diem durâsse, gaudere. Qui verò audiendis suspiriis abstinebant, altiùs animis lætabantur. Nonnulli quoque, silentione an voce aliqua, Patriæ verissimos *Patres* exciperent, incerti, supinas manus tendebant *Arcæ*, & Patronorum nomina tacitè ciebant. Haud enim satis constabat, *quid magis pro cultu vel tempore foret*.

Arcam ebeno factam, non modò argentum & uniones luculenter emarginabant, sed insuper tegumentum auro textum, undique vestiebat. Quodsi scrupulosiùs artis & pretii pondus expensum velis, non aliam à me regulam exprimas, quàm exprimi haud posse. Verbo; quidquid magnitudo tanti *Archiepiscopatus* capere quivit, pietatem implevisse crede. Majori *Arcæ*, minor alia (quam heri ex Monasterio *S. Petri* tulimus) imposita erat.

Porrò, aurei adolescentuli octodecim, habitu cultissimo Angelorum speciem præbentes, à fronte, à lateribus, Sanctis graviter operas dabant. Duo, elatis *vexillis* reliquos ducebant: duo *flosculis* humum sternebant: quidam, insignia *Pontificia* in promptu habebant: nonnulli *thuris* ferebant, alii, sacris ossibus thura dabant. post *Arcam*, duo *Mitras*: unus vas *salis* inauratum, alius fabrè factam *ædiculam*: duo halantia *lilia* tendebant. Hos inter *psaltes* cum socio fidicine dulcissimos modulos faciebat: cæteri Divorum laudes carmine complexi, arguto *concentu* æra mulcebant. Secundum Angelos, ab uno de Sacellanis antelatum Pedum Pontificium. Tum verò, ipse Illustrif. Reverendis. Archiepiscopus *Paris* incessit. Et quamvis altam *Infulam*, ac vestem Pontificiam plurimi lapilli, luce ac pretio rari, distinguerent, plus tamen animos permovit, quod aliqua Sanctissimorum *Antecessorum* imago ei esset. Dextram lævamque, *Diaconi* duo ex DD. Canonicis stipabant. Sequuti *Consistoriales* & Sacellani, in Principis servitia intenti. Connexa deindè *Aula* tota Illustrif. ac Reverendis. Archiepiscopi, nec non aliorum Reverendissimorum & Illustrissimorum DD. Episcoporum, ardente undique *Auro* cum argento. Successit *Vrbs* universa, nemo non pro copia exornatus, ut modicis quoque penatibus magna ornamenta essent.

Hoc apparatu, totis plateis itur: venitur ad *Collegium PP. Professorum Ordin. S. Benedicti*, ex quo Serenissimi *Electores*, *Coloniensis* & *Bavarus*; Serenissimus Archidux Austriæ *Leopoldus*: Serenissimus *Albertus* Dux Bavariæ, Serenissimæ Conjuges: Reverendissimus & Illustrissimus *Episcopus* Osnabruggensis: Triumphum spectabant. Itaque simul ut *Sanctos* eminus oculis attigerunt, confestim è *Collegio*, (quod benè diu clementissimè illustrârunt) è *Collegio*, inquam, migrant: atque adeò exeunt *Archiepiscopum* sequuntur: cereos capiunt: insigni religione præferunt: & ne modum pietati faciant, caput nunquam tegunt, sed cœlo teste Sanctos colunt. Quid multa? etiam posteris in exemplum iverunt. Vidi, & vultus, vox, mens denique videnti excidit. Igitur incredibile dictu atque auditu est, quantum ornamentum *Triumpho* conciliârint. Iam nihil gloriæ deerat, & majestati nihil; nec quidem vota Illustrif. & Reverendis. *Archiepiscopi* longiùs procedere posse, videbantur. Increvit hic vehementer *Sacra Acies*, propter sequaces tot Serenis. Principum Illustres *Aulas*: quibus si adnumeres alios quoque *Comites*, *Barones*, *Equites*, *Nobiles*: ingentia, quæ parochi secum traxerunt, agmina; frustrà profectò numerum in digitos mittas. *Fortunatissimi sunt habiti, qui etiam postremæ pompæ adhærere poterant.*

Principes se adjungunt ad pompam.

Porta Collegii prima fuit, per quam Triumphus duceretur: proxima, Vrbis: tertia Illustr. & Reverendissimi Principis *Paridis*: quarta Reverendissimi & Illustrissimi Capituli Metropolitani. Prima & quarta *vocibus*; secunda *carmine*; tertia variis *instrumentis* musicis Sanctorum laudes modulabantur. Medio itinere pulsantur tym-

pana; inflantur tibiæ: reciproco volumine vexilla explicantur & qua licet, à duabus catervis res geritur. Sed quantillum hoc est præ eo, quod è vestigio referam?

Præfecti militares in editiora montis, qui fert Arcem, enisi, eodem sexdecim cohortes, armis fulgentes, subduxerunt; quos deindè pro studio laudatos, in ordinem redegerunt. Ergò pedem iniquo loco firmant milites: fulcra humi defigunt: fistulas, salute militari sartas, imponunt, ejaculaturi simul *S. Rupertum* conspexissent. Magno quoque se opere fatigabant milites, Arcis præsidiarij, & ii, quibus grandioribus cum tormentis negotium erat. Illud quoque visu longè jucundissimum fuit. Quà geminæ turres hinc atque illinc Coelo minantur, sublimes duo signiferi ambagibus incertis vexilla stringebant, jam erigendo, jam supinando tripudiantes. E mediis munimentis tollebatur tertium signum, multò amplissimum: rectore verò destitutum, ex ventorum ingenio variè rapiebatur, capacique sinu adeotidem reflato, perquàm festivè ampullabatur.

Dum hac lætitiâ *Mons* gestit, & pompa paullatim præterit, ecce tibi! *S. Rupertus* militibus videtur. Nullum adeò momentum intercedit, bombardæ duplicariæ ingenti fragore crepant: vastissima tormenta ore immenso fumum evolvunt, fulminant; tonant, boant, mugiunt, & quanto plus farturæ capiunt, tantò vehementiùs salutem spirant. Nubiferi montes tot bombis icti, longa murmura trahentes, tonitrua absordebant: atræ nubes coelo innatantes, arcem & diem involvebant: Vrbs tota quassanti solo contremiscebat. Hunc maximè in modum Arx fidem suam liberavit.

Tandem Metropolitanum Templum, post triginta annos moræ intolerans, suum Tutelarem Divum, cum postrema pompa, excepit, magnâ venerantum æmulatione: quippe Tribus & Congregationes universæ ad latera prolixè diverterant. Illatum sanctũ demùm Ara Maxima suam in fidem accepit.

Dum igitur quisque locum solvendis votis quærit; dum oculis contingere, pro fortuna prima habet, & jam nec pietatem suam nec obstantem turbam ferre potest, vastissima Basilicâ condensato arctè populo completur. Flagrat animus cogitatione pulcherrimæ rei. Abire nemo: excesse nemo: excludi volebat nemo. Sub hæc Illustris. & Reverendis. *Archiepiscopus* sacris operari coepit. Tum autem Phonascus Musicorum suorum maximum numerum in Choros distribuit, quot censes duodenos affirmo, quos projecta à parietibus quæ vocant Oratoria de marmore constructa undique exponebant. Hic omnia plena planduris, testudinibus, tubis, buccinis, fistulis, Citharis, quæque alia musicis instrumenta sunt. Venitur ad hymnum *Te Deum Laudamus*, ô Numen, ô Coelites! sonatur, cantatur, psallitur: penè in *Templo* non sunt, qui audiunt. Altissimè præsentes penetravit, non vana opinio, se in Coelo, reverà inter Coelites adesse, idcircò tam ad pietatem obstinatus nemo, & tam clausus nemo, cui non aut ambrosium suspiriolum, aut supplex verbulum elapsum fuisset.

Post *Templum*, Arx tota in pares laudes versa, undique intonuit. Sed & xvi. Cohortes, quas propinquo Monti fuisse oneri paullò ante docui, nec tantillum moratæ; quantis potuerunt laudibus *Deum Opt. Max.* tulerunt.

Res divina majestate summâ celebratur, perficitur: interim dies in secunda stare linea pomeridiana, cum septima matutina Triumpho initium dedisset.

Iam nunc & Vesperæ (ita nuncupamus) Festi quoque pars magna fuerunt: à quibus, verba, de loco superiore, in rem præsentem à *P. Capucino* facta. Inde quicquid *S. Ruperti* in Monasterio *S. Petri* olim reliquerat *S. Virgilius*, & nos hodie pro Triumpho duximus, magnifico apparatu, eodem relatum est. Quippe Serenis. *Principes, DD. Episcopi*, alii, cereis denuò admoventes manus, sacra lipsana prosecuti sunt. Arculâ supra Aram depositâ, Indulgentiæ, quas vocant, attecto omni populo, publicâ voce sunt recitatæ, quas *Vrbanus VIII.* Pontif. Max. prolixè concessit: videlicet thesaurum, cui nullus alius satis magnus est, quemque ceteris exemplo commendârunt omnium primi *Principes*. Post ea, Illustris. & Reverendiss. *Archiepiscopus*, ducta Cruce, populo benè precatus est: in Arce iterum instaurata fulgura, tonitrua, gratantum tormentorum voces. Per hæc, dies omnis exiit, noxq; triumphalem pompam, per tantum temporis actam, ex integro composuit.

Post Divorum TRANSLATIONEM, Novæ Basilicæ DEDICATIO terum caput fuit. Igitur crepusculum matutinum ibat in xxv. Septembr. diem, cum Illustris. & Reverendiss. ARCHIEPISCOPUS, DD. PRAELATI, DD. CANONICI, CLERICI, & reliquus Comitatus, in vestibulum TEMPLI se contulerũt. Ibi ARCHIEPISCOPUS operi se accingit, S. Ædē ritu Romano lustrat, supremo Numini, superis Tutelaribus sanctè dedicat, ac hodie inter felicitatis suæ calculos hunc

primum

primū ponit, quod magna pars Domus *Dei* exædificanda sibi obtigerit, *Dedicatio* autem universâ cesserit: quæ quis non in Cœli clementiam trahat? *Templo* ritè dedicato, Res divina majestate prodianâ peracta est.

Flexo in vesperum die Principes, in aulam Academicam concesserunt, spectatum Comœdiam, quam PP. Professores Ord. S. Benedicti dabant. Argumentum *S. Rupertus* fuit. Plausum dedere singuli.

Caput VIII.

Festi Ignes Excitati.

Salsa fluvius. Ego verò, quàm hic de Tabula manum tollere, omnia malo. Fluvius, cui *Salsæ* nomen, Vrbem distinguit, tractuque leni suas volvit undas. Fluvio solenne est, detumescere cùm inclinat æstas, ac parva Insula fieri. Latè igitur enatæ arenæ *Castellum* insigne impositum fuit, *Castrum.* munimentis quinos in angulos dimensis tutum. Intra munimenta, *Arx*, quinque turribus cincta, attollebatur. Extra munimenta, vallum latè patens; & tàm hoc, quàm universum Castrum copioso milite ballistariis, artificiosis ignibus, aliis, quæ propugnando essent, usque adeò referta, ut accuratam ad munitionem nihil desiderares. Cohortes verò sexdecim, præsidiarios obsidione premebant. Sexaginta *Pedestris exerc.* insuper violentum tonantia tormenta, quinis à locis Arci, ore obverso, minitabantur. Vt igitur diem, quem spectaculum absumpserat, nox excepit, illunis illa quidem, sed ardentibus, æthere toto stellis, sublustris; *Principes* è Collegio ad amnem, ab Illustrissim. *Paride* ponte junctum, iter instituunt: & locum capiunt, quem pendentia aulæa eximiè insigniverant. Hæc inter, oppugnatores impetum, aliaque belli facinora parant: illicò vigiliarum casa *Impressio.* centum & sexaginta ignibus strepere, & Arcem de Compositis insidiis commonefacere, Copiæ terrestres, nihil cunctatæ, jactis vocibus munimenta invadunt, circumveniunt, oppugnant. Contrà, pyroboli minores (octo millia ballistarii indicârunt) vago igne infinitè crepare: missilia majora turmatim erumpere: hastilium longâ appendice immeritum Cœlum petere: indignandoque angustias, involucra Ingenti sonitu sublimè dissipare.

Tubi quoque capaciores, per angulos quoquò seriatim dispositi, se mutuò accendere: flammas quoque versum volvere: perpetuo bombo tumultuari: aures & aërem pertundere. Sphæræ insuper spatioso ventre telis missilibus fœcundæ, ex oculis abire, Cœlo insultare, factaque viâ vi, in centesimum ferè partum sese effundere; hic autem novo fragore aërem affligere. Incum- *Repulsa.* bentibus undique tot flammis, fermè seriam fugam intendit oppugnator. Subindè in arce esse silentium, penè etiam superstitiosum. Ecce autem subitò repetita oppugnatio: circum fundunt arcem cohortes, adoriuntur, & nescio quo pacto, eodem tempore innumera missilia eruptionem faciunt: summâ pernicitate, stridenteque tramite, fugientibus simillima in Cœlum evadunt: turbatis denique ingenti fragore ignibus, ipsa se in præceps jaciunt. Insuper turres, velut prœlii spacia jam dum ingressæ, incendio & fragore aërem latè vastant: Sclopetis, tormentis, res intùs forisque geritur. Aliquoties propulsati milites, alius alii occurrantes, cito passu in fugam aversi. Itur etiam à serpentibus in arenam. Alterno hi conatu se velut perditum ibant, viaque ancipiti laborantes, perplexos indidem orbes usque ad voluptatem sinuabant. Octoginta insuper globi ingentes, miti & innoxio amnis volumine, innabant aquis, & adeò non ingurgitabantur, ut cùm diu subsilientes egessissent ignes, & jam jam exspiraturi crederentur, subitò centum animas nitratas (nisi quidem oculorum ludibrium sim passus) ejacularêtur, & ingenti strepitu summo in aere dispersas exponerent. Interim *Copia navalis.* castro navigia duo benè longa, utrinque alacri remigio adpelluntur. Vni, Serenissimi *Electoris* & Ducis Bavariæ; alteri, Serenissimi *Archiducis* Austriæ, insignia fuerunt. Carina, rostra, semi extante milite, remige, ballistariis, fistulis majoribus, variisque ignium machinis redundabant, præterquam quòd rotæ alveo adfixæ, assiduos fucos exantlarent. Novem ad hæc naves actuariæ incendium ferentes, gnaviter remis citæ, fluvium subibant: dehinc classis tota raptim in castrum acta est.

Ergò classiarii & terrestres copiæ rei gerendæ negotio accepto, militarem clamorem tollunt, aquâ & terrâ infestis animis in præsidiarios invehuntur: hi obstare venientibus; horsum, istorsum, sursum, immenso scintillarum nimbo furera missilia: jam reciprocari cymbæ, revolvi navigia, iterumque instare & premere: exitium spirare singula. Dum ad ultimum bombardæ tormenta, pilæ, pyroboli, tubi, sua claustra pariter perfringunt, ac omni parte fulminant, intonant, bombosque impatien-

ter ingeminant (similis ruinæ cœli fragor fuit) Castrum in potestatem venit. Non satis ad gloriam erat, nisi periculoso è prœlio, in tertiam horam tracto, integri omnes revertissent.

Aureus finis. DEDICATIO SALISBURGENSIS, postquam tantâ splendoris magnitudine acta est, AUREO FINE dignissima, talem habuit. VI. Calendar. Octobr. itum in TEMPLUM Metropolitanum. Hic imprimis omnia, quæ magnificentissimi Ordinis leges ferunt, accuratè facta: tum Serenissimus Dux Bavariæ & ELECTOR MAXIMILIANUS, Serenissimum Archiducem Austriæ LEOPOLDUM, AUREO VELLERE & amplexu, pretiosissimè & amantissimè obstrinxit, Illustrissimo & Reverendissimo ARCHIEPISCPO sacris operante.

Hortus. Pomeridianum tempus variis, in amœnissimo PRINCIPIS Horto, oblectamentis ducebatur. Hic opere Dædaleo palatium: Eremitarum habitacula: de marmore Phidiacis affines statuæ: venatus, piscatus: peregrinorum generum frondes: felicia poma: spatiantia rivulorum brachia, pellucidos in fontes collecta: multa sedulæ Aquæ miracula: & ne sim longior, iuvenias ibi, quidquid in Elysiis campis quæsiveris.

Vale. Vicesimus octavus Semptembris dies renovavit Principum dexteras, & quæ nuper SALVE, nunc VALE dicebant. Eo propè apparatu discessum, quo ventum est.

Rem Habes amice, Lector, & ita ex vero habes, nihil ut excusem. Illud tantùm admoneo, ut hinc videas, quod primâ statim cerâ posui, *operibus cunctis, quæ moliuntur homines, inesse quędam velut orbem,* quo primùm oriantur, deindè durent: denique evertantur. *Nec omnia apud priores meliora*, sed nostræ quoque ætati relicta multa, quibus antecellamus. Pulchrum igitur nobis in majores certamen; & si de TEMPLIS sit, longè pulcherrimùm.

Quodsi ego longius, quam tu volebas, te moratus sum, quæso culpam in Salisburgensem Archiepiscopum Paridem Comitem Lodronium confer, cujus pietas tam prolixa in *S. Rupertum* fuit.

CAPUT. IX.

S. Columbanus per regnum Theodeberti viam in Italiam capit.

Ionas c. 17. Beda. c. 24. CUm ob discordias Thedorici & Theoderberti omnia passim infestis armis arderent, cōstituit secum Columbanus flectere in Italiam, iterq; suscipere per regnum Theodeberti, cui proinde ut commendaretur, simulq; duce itineris gnaro juvaretur, supplex Clotario fuit. Petitionis compos factus, in viam se dedit, Parisiosq; delatus virum in porta offendit, in quo malus genius hospitabatur. Is spumas ore invenusto subigens, seq; ipse invadens ac misere carpens, conspecto Columbano, *Heus tu,* rauca voce clamavit, *dic, quid hic loci agis?* Immo, adventare sanctum, jam ante denunciaverat, qui propius se huic mortali admovens, dęmonem decedere de statione, & terga vertere, gravissimis verbis jussit; at frustra fuit. Tum inserta tumidis buccis manu, *In virtute Dei*, inquit, *tibi impero, ut excedas.* Hoc fulmine tactus tartareus alastor, huc illuc jactavit, afflixit, distendit, rotavitq; semianimem (quæ sunt prima elemēta stygis) ut ægre vinculis teneri potuerit. Tandem inter ructus atq; vomitus elapsus, dignum se fœtorem edidit; ne quis tartarum spirare Arabiam felicem putet. *S. Columbanus hospitio diabolum pellit.*

Hinc in urbem Meldensem ventum est, ubi à Channerico, viro clarissimo, humanissime acceptus, bono animo esse jussus est. Facturum enim se, dicebat, ut regem paulo post adire liceret. Tantæ benevolentiæ ut gratias referret non ingratus hospes, filiæ ipsius bene precatus est, eamq; etsi adhuc infantem, Deo per votum trāscripsit. Inde digressus in Autharium Vulciaci colentem incidit, à quo in tecta invitat⁹, tecta subiit, oblatisq; ab officiosa matre pueris (alteri Adoni, alteri Dadoni nomen erat) bona verba dixit. Neq; bona verba perdidit; nam honoris divini studio olim succensi, major natu Monasterium Iurano in saltu: minor aliud ad Resbacem fluviolum ædificarunt. Sed Ionam Monachum ausculta, qui simul multa conficit. *Ion. c. 18.* *Tanta fuit in viro Dei gratia, ut quibuscunq; bene precatus esset, in boni operis perseverantia supremum vitæ clauderent diem.*

Posthæc à Rege Theodeberto admissus, supra fidem læto tali hospite, locum erigendo Monasterio capere jussus est. Nam multi è Luxovio, custodibus falsis, ad ipsum confluxerant, qui cum Hibernis, quos pater secum trahebat, justum numerum implebant. *Ion. c. 14. Strabo in vita S. Galli. Theodebertum regem convenit.*

Adjecit Rex; si bella declinaret, non carere motibus Italiam: Quodsi animarum conversioni operam dare, staret sententia, messem amplissimam in vicinia esse. His dictis concessit in voluntatem Regis haud invitus, quippe cui summæ curæ erat cæcorū mortalium salus. Rhenum vastissimum fluvium, cum aliquādo navigaret, remiges Mo- *Beda. c. 26. Inops à pe- nu preces edit, ac pa- nes impetrat*

guntiaco;

guntiaco proximi navim ripæ appulerunt, causati defecisse penum. In urbe amicos se habere, qui vacuos possent farcite saccos. Curriculo abeunt: suos salutant: quanta egestate premantur, exponunt. Amici saluté æqui boniq; faciunt; aliquid tamen sibi excuti non sinunt. Nautis cadunt animi: ad navim vestigia torquent spe ac re inanes, nihil se exprimere potuisse, dictitantes, simulque scalpunt aures. Nihil excepit Columbanus. Vestram fidem obtestor! Ohe, si carinam non propellitis, mihi quoq; amicus in urbe est, longe amicissimus. Nec metuo ut me sic domo extrudat, beneficii expertem. Quin age, si quid agis, subjiciunt illi: morabimur. Pater ocyus in civitatem atq; téplum se abducit: humi fusus tam diu solo inhæret, donec Numen adegit, ut auxiliaretur. Nam sub hæc se intulit Episcopus, qui Columbanum totum oculis curiosis lustrans, cópellat peregrinum, unde domo? quonam cursum teneret? quodq; rei caput erat, num ope indigeret? Ille rem sibi ad famé rediisse, paucis retulit. Episcopus fronte exporrecta domum secum rapere exhaustum: vocare reliquos insuper vectores: onerare singulos; quos si conspexisses, tot naves onerarias quot nautas & vectores, numerasses. *Casu, ait, factū, ut Episcopus id temporis concederet in templum.* Vt te omnes Superi, quantum est Superûm! Fassus non semel Episcopus est, vi quadam divina domo se protractum in Ecclesiam esse: nec alias promptiore manu rem in pauperes effudisse.

Cupam solo spiritu in frustra difflat.

Potitus loco designato, Suevis vicino, amplissimam cupam, ut vocabant, cerevisia spumantem videns, percunctatur quid moliantur? VVodano nostro (seu Mercurio) sacrificium se parare, respondent. Iratus sacrilegio Apostolus, ore imminens vasi, solo id spiritu in partes quamplurimas dissipavit, hiantemq; diabolum pulchre frustratus est. Quo facto multos ad fidem Christi traduxit. Repetita postmodū Brigantia, ubi iterum instare penuria, atq; dira fames triduū integrum lacessere murmurantes stomachos: quo exacto pendentes sine numero in aëre volucres subito delapsæ sunt, seque Monachis capiendas præbuerunt. Ne verò civium mensas instaurare voluisse putares, eum tantummodo locum insederunt, quem S. Columbanus cum suis tenebat. Retulit, nobis Eustasius, inquit Ionas Monachus, nūquam se cœnasse melius. Postea quidam Episcopus de proximo impulsus cœlitus, frumenti copiam submisit: aves autem velut monitæ, se subduxerunt, inq; suos nidos se collegerunt, quasi imperio jam defunctæ.

Interea è turbis se se evolvit defessus cócionator, Eremum repetens, ubi sylvestria poma solebant placare famem. Chagnoaldus minister (qué Beda Magnoaldū vocat) poma dimensa vel carpere, vel legere jussus, ab ursa se præventum vidit; quæ non modo arborem decimaverat, sed vix aliquid Columbano reliqui fecerat. Chagnoaldū turbat hoc furtum: Abbati suo indicat sperans fore ut is diem ursæ diceret. Desine feram accusare, subjecit ille, quæ arborem unam violavit: sed confestim te hinc move, & virga ex æquo arbores divide: tum edic ursæ, ut ne deinceps meum in fundum grassetur. Ivit Chagnoaldus: imperium exequutus est: neque ursa post id invasit alienum.

Poma cum ursa dividit.

Absumptis in Eremo aliquot diebus, *Animo illius ea incidit cogitatio*, inquit Ionas, *ut Veneticorum, qui & Sclavi dicuntur, ditionem inviseat, cæcasq; mentes illustret luce Evāgelica, & ab origine per avia aberrātibus veritatis pandat viam. Quod cum illi summopere in votis esset, angelus Domini per visum ei apparens, parvo ambitu (ut solent in pagina orbē describentes) mūdi totius machinam ei ostēdit, atq; inquit: cernisne totū Orbē manere desertum? perge igitur dextra lævaq;, quocunq; visum est, ut laboris tui fructū comedas. Intellexit vir Dei, illius gentis nondum in promptu esse fidei profectum.* Quocirca ventos alios expectavit.

Ionas 24.

E discipulis Columbani palmam cæteris præripuerunt Eustasius & Gallus, litteris apprime exculti æq; ac virtutib⁹. Ille domo Burgundus erat, nobili loco natus, quocum multa Sanctus cōmunicare cósueverat. Dies noctesq; códere orando, corpusq; immeritum vexãdo, inter prima habebat. Amatoris pauperum & peregrinorum, vnum exemplar erat. Intentus jam pridem in virum Columbanus, Luxoviū remittit: fasces Monasterii, sibi ereptos, capessere jubet. Itaq; Eustasius inde se auferens, depositum à Columbano onus excipit, quod removere malebat: tamque animose sustinet, ut sexcentos admodū Dei servos ad ultimū numeraverit, in quib⁹ nullam virtutem desiderasses. Quidam hunc Abbatem pro fundatore altero habent, eo quod Columbano in exilium acto, profani homines rebus rapaces manus injecerint, & Monasterium expilarint. Illi vero sedulā operā navaverat VValaricus, cujus alibi meminerimus: nunc S. Gallus nobis occurrit.

Eustasius Abbas Luxoviensis creatur. Vitā ipsius conscripsit Ionas Scotus, ejusdem discipulus, quam operam aliqui tribuunt Bedæ, sed fallūtur, ut constat ex c. 61. Sigeb. de vir. ill. Trith. etiam de viris ill. & Baronio in Notis ad Martyrol. Rom. Ionas apud Sur. 24. Martii.

Gente hic Hibern⁹ tenera ætate ad S. Columbanum adductus fuit, à quo litteras cum pietate imbiberet. Liberales artes, tū sacram scripturam, ita affatim hauserat, ut putasses ebrium. In pulpito ita valuit, ut suus Abbas non modo sacris eum auctorari curaverit, sed etiam idoneus sit visus qui sacram expe-

Strabo vita S. Galli. S. Gallus S. Columbano in paucis charus.

ditionem una cum ſuo magiſtro ad gentiles ſuſciperet. Immo Luxovii fundationem bona parte ipſi deberi, ajunt, ubi viceſimum annum exegit. S. Columbanum denique in Alemanniam ſequutus, ſigna in idololatras impigre movit, Eccleſiãq; multis filiis auxit.

Fuit aliquando ut ad lacum Turricinum verba de religione Chriſtiana faceret, poſtea impetum in Deorum ſtatuas facturus. Hic excandeſcere barbari auditores: vim in virum meditari: & attuliſſent etiam, niſi is ſe tempeſtati ſubduxiſſet. Hoc ſat erat S. Gallo: at vero ipſius loco concioni pœnas & verbis & verberibus S. Columbanus cum ſociis exolvit, qui forte in tumultuantes inciderant. Sic male acceptos, etiam ſuis finibus expulerunt. Fauſtum & felicem eum diem putavit Columbanus, qui pridem pro Chriſto ſanguinem cum vita profundere, exoptabat. Inde Arbonam ſe contulerunt, non quod labores aut pericula deſugerent, ſed quod ſpes magna eſſet, nõ in arena, ut proxime, ſementem facturos. Accinctos in opus, VVillimarus ſacerdos ſumma benevolentia complexus eſt, quem apud ſeptem dies viribus reficiendis cõtriverunt. Variis interim ſermonibus, ut fit, ultro citroq; habitis, in animo ſibi eſſe, dixit Colũbanus, cõdere Monaſterium. Atqui ſe ea regione hoſpitem & peregrinum eſſe. Proinde locum aptum VVillimarus indicaret. At ne tu voto tuo pleniſſime potieris, excepit ſacerdos, ſi Brigantii poſueris. Certum deinde ſitũ quaſi digito notavit, quẽ occuparet. Nihil Columbano longius videbatur, quam dũ illum videret ſitum. Vbi pervenit, caput explorabundus circumſert: montibus terrã ſubjectam cingi, in quos nonnunquam ſecedere liceret, conſpicit: fontes undiq; proſilientes deprehendit: vallem exporrectam, atq; ut apparebat, fertilẽ, ſumma jucunditate luſtrat. Chriſtianos eum tractum ante id coluiſſe, parva quædam ædes, Aureliæ ſacra, prodebat, ſquallida tum quidẽ & male ſarta tectaq;. Monachi tamen vetuſtatẽ ei detraxerunt, & qua potuerunt, inſtaurarunt, cellulis ſuis juxta erectis. Incolæ erroribꝰ ac tenebris involuti, tria idola ære fuſa ſumma veneratione proſequebatur. Ægre id S. Colũbano fecit: quapropter Gallo negotiũ dedit, contractis incolis haberet concionem. Lingua enim gentis illiꝰ paulo is promptior erat cæteris, quod ita acceptum, quaſi cœlitus imbutus fuiſſet, deſtinatus provinciæ iſtius Apoſtolus. Ergo locum ſuperiorem cõſcendit: ſilentibus & capita attollentibus Deorũ metallinorum vanitatem ante oculos ponit: ſolidam ac veram Chriſtianorum fidẽ edocet, ac ſi quid aliud in rem præſentem viſum eſt, edicit. Multi ſe dediderunt: alii in veterem conſuetudinem penitus immerſi verba concionantis pro nihilo duxerunt. Auſus tamen eſt Columbanus cum ſuis manus idolis afferre, atq; comminuere, hæſitq; in loco duobus amplius annis, Deaſtros ad invidiam premendo.

S Columbanus Brigantii capeſſit ſedem.

Idola invadit.

An. Christi 613. An. S. Benedicti 133.

Dæmonum hominumq; technæ, S. Columbano ſtructæ.

Rebus hîc ad normam Luxovienſis Monaſterii compoſitis, S. Columbanus turbis iterum ſe eximens, ſpecũ à monte vicino oblatam ſubivit. Quid iſto in ſeceſſu cœlitus didicerit, paucis accipe. Alta memoria repoſuerat Theodeberti benevolentiã cũ beneficentia. Quia igitur præeunte Numine viderat per fratrẽ peſſum iturũ, auctor ipſi fuit, poſitis odiis, ſupercilio regni faſtu, Deo ſe dicaret. Viã eſſe, qua magnũ malũ evadere liceret. Trullæ aulicæ aliud ſonuerunt. Stulte ſapere Columbanũ: abiret potius quovis alio gentium. Non viſum, nõ auditum, ẽ Merovei Regis domo quemquã ſua ſponte Clericis acceſſiſſe, aut vili cucullo majeſtatẽ cõdidiſſe. Nil riſus movit Columbanũ: non tamen emerget Theodebertus, dixit. Ergo arma virumq; canit tam ipſe quã Theodoricꝰ: arma virumq; fert ac educit uterq;: datur ſignum: infeſtis animis concurritur. Theodebertus ſunditur fugaturq; etiam prœlio poſt fugam inſtaurato, nihil agit. Triginta millia cecidiſſe, Trithemius ait, & angelum Domini in aëre vibrare gladium viſum. Nunc reliquum attende.

Beda. c. 27.

Fruſtra verba in palatio ſerit Columbanus.

Trithem. l. 1. de Orig. Franc. n. 26.

Cum ventũ eſſet ad manus, Columbanus annoſæ quercus caduco trunco inſidens, in ſomnũ lapſus eſt. Nec ſomno tamẽ ita ſepultus fuit, quin fratrẽ adverſus fratrẽ ciere aciẽ videret: ſigna cõferri: manꝰ ac pedes cõferi: Theodebertũ terga vertere: Poſtquã ſomnꝰ expiravit, Chagnoalde, inquit, Chagnoalde, quæ inimicitiæ Theodorico cũ Theodeberto interceſſerint, nõ ignoras. Debellatũ eſt. Nã Theodebertus nõ tantũ in fugã verſus, ſed inſuper captus eſt. Heu me! retulit Chagnoaldꝰ. Stellã hanc nobis tã propitiã potuerit evellere hoſtis cõmunis Theodoricus? Si res fert, Pater, obſecro Theodeberto amico noſto ſer opẽ utq; Theodoricꝰ male pereat, cura. Quos tu mihi ſermones facis? excepit S. Columb. Is qui nobis Chriſtianis legẽ tulit, ꝓ inimicis orare juſſit. Deinde mortuo adhibẽda medicina nõ eſt. Diſperiit Theodebert. Dũ .n. huc illuc fugã explicabat, per flexus tortuoſos evaſurus, captꝰ, & egregiæ aviæ Brunechildi munꝰ miſſus eſt. Hæc cupere ſe, dixit, ut Clericis ſe admiſceat. Sed pau-

Theodeberti & Theodorici cruentum prœlium per ſomnum videt.

co spost dies scelests avia id agente occisus, conclamatus, & defletus fuit. Chagnoaldus die ac hora diligenter notatis, suum patrem comperit nec digitum à vero discessisse.

Dæmones adversus Columbanum coniurant, audiente Gallo.

Porro cum aliquando S. Gallus in montem vicinum evasisset, cacodæmones quasi imis de pectoribus suspiria ducentes, nec non gravissimas querelas miscentes audivit, antiqua possessione sese exui: debita sibi sacrificia aboleri. Sed Columbanum iniquũ hoc facinus non inultum equidem laturum, neque socios ipsius, qui tam gnaviter operam navarent. Minas istas haud negligendas ratus Sanctus Antistes: Monachos in templum convocat oratum, ut Deus impendentem sibi tempestatem avertat. Dandum nihilominus specimen virtutis fuit. Non ita multo post: tartarea monstra tanto eiulatu & fragore in Monasterium involarunt, quã si cœlum depositurí, ac terram suspensuri essent: at vanam sine viribus iram irrisere Monachi. Conticescente hoc tumultu, se ingessere gentiles, audaciam, temeritatem, vim denique in suos Deos questi. Tum multis ferociter dictis, nomina Monachorum ad Gunzonem, late imperantem Ducem, Vberlingæ colentem deferunt: nullum non lapidem in hospites novos movent. Subditorum precibus & delatione accensus princeps, ne manus temere peregrinis admolirentur, cavit: terra tamen sua excesse iussit.

S. Columbanus aqua & igni cum suis interdicitur à Gunzone suo Duce.

Quidam de plebe, ut victoriam exercerent, vaccam abegerunt. Duo fratres vestigia sequentes, Brigantinorum iræ se obiecerunt, à quibus occisi sunt. Putasses im pluere mala per tectum Monasterii. Diabolorum agmen varias larvas iniiciebat: incolæ mactabant: Dux pellebat: Theodebertus, in quo spes esse potuisset, vita iã exutus erat: Theodoricus, qui fratris regnum adibat victor, pro hoste se ferebat. Cum hæc volueret animo Columbanus, in medium consulvit, quid optimum factu videretur: Hanc tempestatem amplius sustineri non posse visum est, fugam ac iter intendere in Italiam. Non erraturos, si facerent. Itum hanc in sententiam ab omnibus fuit.

Strabo in vita S. Galli. Itur in Italiam.

Ergo convasant: sarcinas constringunt: iter ad Agilulphum Longobardorum Regẽ parant. Inter hæc Gallus febri corripitur, inq; genua provolutus Abbatem suum orat, ut potestatem sibi faciat manendi. Colũbanus nõ tam morbo quã loci amœnitate captum ratus, petitionis quidem fecit compotẽ, sed simul in mãdatis dedit, ut à sacris se vivo abstineret. Gallus altare attingere sibi deinceps nefas fore in iussu Antistitis sui mœstus, æquo tamen animo imperiũ tulit, cui Magnoaldus est additus, ut laborãti ministraret, donec ægritudine absolveretur. Evoluti & excussi è Germania atq; Gallia cæteri, Agilulphum adeunt: cũ forte annus Domini laberetur D C. XIII. Regis ope Monasteriũ Bobiẽse ædificant. *Dei consultu actũ est*, inquit Beda, *dum Columbanus penes Mediolanũ moraretur, ut hæresis eorũ fraudes, id est Arianæ perfidiæ scripturarum cauterio discerpere ac dissecare vellet, contra quos etiã libellum florentis scientiæ edidit.* Tollitur itaque in altum Bobiense Asceterium, quo non facile quicquam dixerim ad Arium expugnandum fieri potuisse firmius. Prolixior hic essem, at Gallum, quem violenta mors tanquam funibus ad se rapit, destituere nõn debemus.

Baron. eod. an.

Ion c. 32. Beda c. 19.

S. Gallus convalescit.

Dimotis hunc in modũ cum S. Columbano sociis, Gallus seu pertæsus barbaros, seu corporis curandi gratia, cum Magnoaldo & Theodoro Arbonam, nec non VVillimari sacerdotis hospitium repetit. VVillimarus sedulo arbitratur pallentem S. Galli vultum: omnia excogitat agitque, ut vires detritas restituat ægroto. Nec ita multi iuere dies, cũ recte valere cœpit. Hic VValfridus strabo grates gratias multas meminit Numini, quod in Italiam abiturientem Gallum morbo tenuerit. Nam ægrotasse virum, exclamat, ut salutem Alemanniæ afferret, ac viribus defectũ nequivisse prosequi Colũbanum, ut viam idololatris ad Superos præiret. Obito igitur aliquandiu Apostoli officio, Hiltiboldum VVillimari Diaconum convenit, cui Eremus non longe disiuncta apprime nota erat, per fidem te tuam obtestor, dictitans, locum in vicina solitudine mihi monstra, quem nos colere possimus, si tamen es vacuus. Haud gravate hoc beneficii apud Gallum poluit Hiltiboldus. Ivit, monstravit. Verberavit animum Galli, locus, non tantum hominibus infrequens sed soli quoque ob densas id temporis ac proceres arbores, editosq; montes propemmodum inaccessus. Blandiebatur quoq; oculis riuulus tractum illum secans. *Invenimus*, conclamant. Dum cæteri considunt, & capiunt quietem, secedens Gallus, subito humi se fundit, incumbitque in preces. Socius turbatus, metuebat, ut animi deliquium pateretur. Quocirca præceps accurrit quassanti capite, manibusque tenacibus attollere nititur exporrectum. At opem recusans Gallus. *Hæc requies mea in sæculum sæculi*, sublato capite inquit. Fixa postea ibidem cruce, loci cepit possessionem. Novam hanc arcem, à Monachis constitui, diluere aut concoquere non potuit ortus. Vt de novis hospitibus triumpharet, omnes machinas intendit: sed inimica tela exivit Gallus, &

Novum Monasteriũ meditatur.

prando, & jeiunando, brevique multos Monachos conscripsit.

ANNUS CHRISTI 614. AN. S. BENEDICTI 134.

CAPUT I.

S. Gallus Frideburgam Gunzonis Ducis filiam, Sigeberto Regi pactam in libertatem vindicat, quam cacodæmon occupaverat.

THeodoricus Rex hoc anno scelerum suorum pœnas irato Deo exoluit. *Nam apud Metense oppidum moratus*, inquit Ionas, *divinitus percussus inter flagrantis ignis incendia mortuus est*, relicta post se sobole spuria. Majori natu Sigeberto nomen erat, cujus tutelam sibi sumpserat Brunechildis, perquam gravis regno anus: felix tamen futura, si fata mortem ipsius tam diu non distulissent. Etenim Regina imprimis ipsa erat, dum marito vita manebat: inde mater Regis, regiorumque nepotum avia. Sed inquieta mulier Theodorico è medio sublato, regnum in Sigebertum inclinare meditabatur, cujus gratia eum inter atque Frideburgam, Gunzonis Ducis filiam subito matrimonium conciliavit. Nil adeo remissum curæ ad sceptrum Theodorici vindicandum. Cæterum pacta Sigeberto Frideburga, formæ præstantia nulli secunda, à malo genio pessimum in modum accipi atque differri cœpit, patre in miserabili spectaculo pulsi Columbani scelus luente. Mater quoque, familia, subditi, atque ante hos omnes Sigebertus, summo dolore affecti. Non mora, celeri accitu vocati sunt Episcopi, fama sanctitatis clari, qui explorarent, num penitus in corpus se intulisset diabolus: deinde ut deprehensum verbis sacris in fugam cōiicerent. Veniunt: ad sunt Episcopi: dæmonem in casa non sua deprehendunt: penetrare atque pellere religiosissimis exorcismis annituntur, sed operam perdunt. Diffluunt lachrymis parentes: Episcopi quo se ultra vertant, nesciunt. Neque hoc præteriverim, in publicam extulisse furuum spiritum, quam rem quisque ante id sub pallio gessisset: vel certe in sua mendaciorum officina finxit. Neque intra verba hæc contumelia stetit, sed cultro correpto ad se quoque pertinere putavit, monstrum unum ut sauciaret. Ergo alastorem dictis nullo modo audientem (quantumvis exorcismis probe depexum) deserunt Episcopi quid gestum sit, Sigeberto nunciant.

Ion. c. 31.

Frideburga Ducis Alemanniæ filia in dæmonis potestatem venit.

Cum diabolo ludunt operam Episcopi.

Subinde Gunzano patri deprædicatur Gallus: si afforet, vix ejus vim laturum diabolum. Multis miraculis patratis jam pridem in famā ivisse virum. Accersitur à spe metuque suspenso Duce: sed abnuit venire, vel quod Apostolorum hoc opus esse, arbitraretur: vel quod Sancti exire aulis, quam se inferre malint. Vocatus iterum, atque invocatur: à VVillimaro quoq;, ut iret, impellitur. Tandem annuit, sed ut à Numine principium duceret, diutissime prius humi abjectus oravit, quam in viam se daret. Euntem Theodorus & Magnoaldus comitati sunt. Posteaquam vero Episcopi discesserant, altius chordam tetendit stygium monstrum, fecitq; ut ore hianti nec quidem edere posset Frideburga. Tot igitur excruciata tormentis, vix ossibus jam hærebat. Gallum quidem vehementer ejus misertum est: sed antequam cum fœda bestia conferret pedem, privatos intra parietes lachrymis & precibus large indulgens, Domine Iesu Christe, dixit: Servator mundi Iesu Christe, noli sinere, ut rem tuam possideat cacodæmon: hospitium sibi capiat tua in creatura! Exigua in spe animam trahit Ducis filia. Spem imple! Post hæc descendit in arenam, preces ac vota interim prosequente Magnoaldo. Styx ire parat contra, pro ridiculo sibi & delectamento Gallum, veluti prius Episcopos, futurum, falso putans. Ille graviter ingemuit miserans; tum imposita capiti Frideburgæ manu, *Heus immunde spiritus*, dixit, *tibi nomine Iesu Christi impero, ut ex hac ipsius creatura te absque mora eiicias.* Vt primum terribile carmen absoluit, energumena diducere palpebras: evoluere sepultos oculos, inque Gallo figere. Ita ne præsto! excepit inclusa bestia. Tam in brevi spatio, ut ne quidem vasa colligere liceat! Fortunas meas Brigantii evertisti: nunc quid ego tantum sceleris novi admisi, vel quodnam ob facinus hac me sede pellis, quam ego nuper occupavi injurias à Gunzano tibi illatas ulciscendi causa? Hoc ergo tu mihi præmium? Vel cedo, ubi locorum mihi tandem per te liceat tuto consistere? Vanis querelis intercedens Gallus, in tartarum facesse, respondit, æternum urendus. Obmutuit diabolus, erupitque nigerrimæ avis speciem ferens, sparsis de more stygiis odoribus, quibus nihil quidem virium inest, multum tamen fœtoris. Hinc rediit animus Frideburgę quam, Gallus manu retinens, lætis obtulit parentibus.

Arma contra hostem cōmunē expedit S. Gallus, & arcem expugnat, quam insederat.

Hi, incredibile dictu est, quantum gratiarum liberatori Gallo ingesserint honorumque, quos ille non hujus fecit. Forte sine capite tunc mitra Constantiensis erat.

Animo non instrenuo honores eiic. t.

Ergo periculum fecere si saltem adducere possent hominem, ut honores sacros iniret, atque Constantiæ pontificatum gereret. Surdo cecinere fabulam. Præter animum enim ab honoribus alienum, causam obtendit, quod suus sibi Magister Columbanus S. ara interdixisset. At postremum argento donisque aliis onustus dimissus est, quod pondus ipse Arbone in pauperes exoneravit, ut nudus ac inops dicere posset contra, quam suggerebat Magnoaldus: *Argentum & aurum non est mihi.* Insuper Monasterii ædificandi copia facta, ad quod præter Gunzonem Sigebertus quoque magnum momentum contulit. Sed antequam domum rediret, cum Frideburgæ longe provisum cuperet, viam illi tutam juxtaq; brevem ad Cœlites monstravit, unde accensa illa, nec non terrore proximi mali adhuc plena, tacite secum constituit, Gallo præsente Numini se se dedere. Optime certe mutaturam se Sigebertum sponsum cum Orbis conditore Deo. Res illa inter ipsam & Gallum solum acta, nec cuiquam mortalium suboluit. More jam impatiens juvenis Rex, nuptui eam sibi dari quantocius, institit. Annuunt parentes, nuptiis dies dicitur: omnia bene procedunt. Quid ergo nunc facies sponsa? spatium rogat melius confirmandæ valetudini, impetratq;. Interea exiguo servitiorum comitatu in templum contendit, S. Stephano protomartyri consecratum, ubi posuit de aula vestes, ex composito se admovent ancillæ habitumque religiosum, quem in promptu habebant, anhelanti ac suspiranti iniiciunt. Novo isto cultu amicta, ad summam aram progreditur, humiq; fusa corpus suum cum anima Deo committit. Tum se attollens, atque ad latus aræ secedens, *S. Stephane*, dixit, *qui pro Christo mortem oppetiisti, precatorem mihi te parare cupio. Causam meam, obsecro, apud Deum age, ut velum hoc, quod amore ipsius sumpsi, adimi nunquam mihi sinat!* Capita conferunt famuli: fama per urbem percrebrescit. Alii facinus insolens laudare: alii mirari, qui tam ineptum quicquam potuerit sponsæ venire in mentem.

Frideburgæ auctor est, ut sacrum velum sumat.

Ictus trisulco isthoc telo Sigebertus, vitos eruditos probosque accersens, volo scire, dixit, si Frideburga mihi pacta, sumpto velo nuptias potuit declinare? Cyprianus Episcopus Arelatensis factum sponsæ pluribus Regi explicuit. Postea negavit nuncupato gravissimis verbis voto, fas virgini, esse, referre pedem; Immo anxie illi metuo inquiebat, si fidem Deo datam violet, ut in ima tartara olim mergatur: in præsentia ve-

Walap. Strabo c. 21.

ro dæmon vetus hospitium revisat. Verberarunt hæc dicta animum Sigeberti. Statim deinde S. Stephani ædem petivit prælata à proceribus insigni corona, lucentibus variè lapillis distincta, quæ Frideburgæ imponenda fuit, nisi nuptias detrectasset. Hac pompa conspecta, exterrita illa, altari manus injecit, *pereo* quiritans, *S. Stephane, nisi cū bono Deo tu opē fers* Rex pollicetur, sibi si collocari nollet, vim nullam passuram. Credidit tamen trepida, sibi verba dari; ideoq; frontem altari admovens. *Iuva numen!* clamavit. *Iam nunc ex tuo ego arbitrio pendeo.* Quid multa! adducitur ad Sigebertum: cultus ei regalis circumponitur: denique caput sacro velo sacerdotes obnubunt: Sigebertus lachrymis oculos lacessentibus ægrè discussis, ecce, ait, mea Frideburga: tua quondam tuorumque parentum voluntate debebaris meo thoro: atqui cum aliud nunc tibi lit visum, jus meum volens libens sponso virginum Domino nostro Iesu Christo cedo, simulque manu prehensam, altari restituit. Stabat apud Metenses præclarum Cœnobium D. Petro sacrum: id loci ut Abbatissæ munere fungeretur, Rex quoque effecit, quam etiam amplissimis donis est prosequutus. Beatam ipsa quidem clausulam vitæ imposuit; at Sigebertus collatis cum Clotario signis victus & occisus est, hicq; trium regnorum factus hæres, Austrasiorum quoque summam capessivit. An ille ob heroicum facinus, quod memoravimus, præmio fuerit imbuendus cœlesti, vel culpam luere debuerit flagitiosi genitoris, neutram in partem disputamus. Lenta quidem, sed tamen gravis Ira Dei, Brunechildem tum quoque corripuit, quam à D. Gregorio aliquando laudatam fuisse, meminimus. Forte noxas postmodum contractas crudeli quam subiit morte eluit.

Sigebertus consilium Frideburgæ boni facit.

Eamq; Parthenoni Metensi præficit.

Gunzanus etsi spe sua exciderit, factum tamen filiæ boni consuluit, & à S. Gallo, de se suaque filia tam bene merito, ut Episcopatum Constantiensem iniret, iterum contendit. Nihil ille vero, nihil Episcopi potuerat apud animum, adversus honores obfirmatum. Author tamen ipsis fuit, ut Iohannem Diaconum, discipulum suum, ad eum dignitatis gradum eveherent, quem virum virtus & eruditio pridem in deliciis habuerent. Adjutus postea tam à novo pontifice quam Duce novum Monasterium ad magnam amplitudinem provexit.

S. Gallus Episcopatum Constantiensem detrectans in Iohannem discipulum inclinat.

* * *

CAPUT

Capvt II.

S. Columbanus Bobiense Cœnobium molitur.

Ion. c. 32.

S. Columbanus Italiam petit.

IGitur Theodeberto extincto Italiam petit S. Columbanus, terram illam non secus quam Hiberniam, Angliam, Galliam, Alemanniã, culturus. Agilulphum Longobardorum Regem adire, consilium fuit, cujus Sanctissima conjunx Theodelinda non parum operæ in eo posuit, ut Gentiles lege Evangelica imbuerentur, & qui ab Ecclesia defecerant Ariani, eodem reducerentur. Rex itaque & Regina læti hoc hospite, cujus præclara facinora jam ante vulgaverat longe volans fama, ut hæresin Arianam firmis radicibus Lombardiæ inhærentem, cum sociis evelleret, rogant. Ille excellens negotium prompte suscipere: in prava dogmata invehi: Arium è loco superiore premere. Cœpit deinde agitare secum, an non isthanc in rem vel maxime futurum esset, si edito in lucem libro turpes errores detegeret, quibus impius Arius mortale genus involuisset. Fecit. Ductum viri etsi quamplurimi sint sequuti, Lombardia tamẽ hoc lolio perpurgari nõ potuit, eo quod nonnulli deinceps Reges steriles hujusmodi auenas præ justa segete mordicus tenuerint. Labentibus vero annis Monasterio, veluti arce, adversus orcum erecto, paulatim concessit hæresis, ut neque vestigium sui reliquerit.

Hæresin Arianam & lingua & libro invadit.

Hæc dum geruntur, Agilulphus de præmio cogitat, quod S. Columbani laboribus reponat. Copiam Asceterii ædificandi facit. Inde laboratum de loco est. Regi subjecit vir probus (Iucundo nomen erat) ruribus in Apenninis ædem se D. Petro sacram habere compertam, solo fœcundo sitam, & piscibus abundanti, quos sinuosi rivi adveherent. ubi versari Monachis gratissimum esse debeat. Locum veteribus Bobium fuisse dictum, appellatione à Bobio fluviolo, qui illac cum Trebia volueretur tracta. Eundem quoque à fuso Hannibale insignem factum. Ain' tu? excepit Rex: jussitque tam celebrem situm coram inspicere Columbanum, qui læto hoc nuncio affectus eo cõtendit, partesque omnes obeundo ædificiorum collapsorum rudera invenit, è quibus brevi ruinæ proximam basilicam instauravit, & Monasterium excitavit, opem ferentibus Rege cum Regina, idque Bobiense voluit nominari.

Bobiense Monasterium ædificat.

Quid deinde? Gnaviter sylva cæditur, at propter eminentia undique saxa, & stratos passim truncos annis exesos, nullus trahar ũ vel plaustrorum usus esse poterat. Arborem unam præter alias bipennibus everterant, cui per planiciem seu viam æquam ferendæ, viginti aut triginta virorum validi humeri pares non fuissent. Suo Columbanus duorumque vel trium sociorum humeris imposuit, tamque facile tulere, quam si arbor nullius ponderis esset. Ad disciplinam quod spectat, antiquum cum discipulis obtinuit Sanctus magister, ieiunando, contemplando, legendo, vigilando, laborando, tempus ducens.

Cum duobus vel tribus Monachis succisam arborem humeris subit, ac facile gestat.

Quocirca omnes habent persuasum, quamplurimos ex hoc loco ad Cœlites avolasse. Syllabum exponit Arnoldus VVion eorum, quos Ecclesia nominatim Divis accensuit pridie Kalend. Septembrium. Syllabo huic idem abrogare non potes, quando ex Archiuo Bobiensis Monasterii promptus & transmissus fuit. Insuper an. à Christo nato M.CCCC.LXXXII. præsente Bobiensi Episcopo, tum adhibitis testibus atque Notario publico in loca splendidiora translati quorum nomina tibi subiicit VVion. *Sanctus Columbanus, Fundator, ac primus Abbas. Sanctus Attila secundus. Sanctus Bertulphus tertius. Sanctus Bobulenus. Sanctus Comugellus* His viginti alii adjunguntur: nimirum. *Sanctus Romanus, Sanctus Cumianus, Sanctus Vulcarius, Sanctus Simbertus, S. Alli, Sanctus Theopertus, Sanctus Cumbertus, Sanctus Vnprandus, Sanctus Rathaldo, Sanctus Andreas, Sanctus Iohannes, Sanctus Petrus, Sanctus Leo, Sanctus Bladulfe, S. Morenzo S. Agiboldus, S. Theodebaldus, S. Baudecarius Sanctus Leopardus.*

VVion. l. 3. Martyrol.

Multi ex hoc Monasterio in album cœlitum relati.

Numerum vicesimum implet quidam in membranã ita superstes, ut vestigia non nihil videas. Nam fugientibus longum per ævum litteris nomen perlegi non potest. Præterea Sanctarum quoque Virginum Petronillæ, Sunibergæ, Rotradæ, ossa ibidem reperta sunt. Crediderim fuisse Moniales ex conjuncto Parthenone, ut olim mos ferebat, vel ex quopiam alio.

Hæc Bobiensium Monachorum pietas impulit Reges, ut augerent reditus: Pontifices, ut concederent privilegia. Certe Honorius nulli Episcoporum jus in Monasterium esse voluit, sedum papæ, quod emissi hinc Monachi jugulum Arii dextere petiissent deq; Ecclesia bene meriti essent. Rebus id temporis præerat S. Bertulphus. Postquam se aliquot circumegere secula,

Eximitur Episcoporum jurisdictioni.

mole id sua laborans, fatiscere cœpit, Episcopis ejus urbis cupiditatem suam privilegiis anteponentibus. Sed Innocentii Papæ epistolas adi. Monasterio, invitante soli fertilitate, paulatim additæ sunt casæ, donec multitudo in civitatem excrevit, cui deniq; impositus Episcopus fuit. Ergo inter agros, sylvas, prata, piscationes, figuntur limites: pars una Episcopo cum Canonicis: Abbati altera & Monachis assignatur. Sed lis, ut solet inter vicinos, quotidie de rebus nata est. Succubuere monachi adeo, ut paulatim ad paupertatem redacti sint. Quocirca Pontifex Max. ut pacem inter eos conciliaret, & exitium à Monasterio averteret, vetus privilegium revocavit, Episcopis tam jurisdictione, quàm bonis Cœnobii abstinere jussis. An vero nunquam amplius injecerint manus, nihil comperti habemus: sed Monachi tum præteritorum memores, tum etiam providi futurorum, anno post salutem mortalibos partam M. CCCC. XLIX. Congregationi Sanctæ Iustinæ se adjunxerunt, ut tam metu quàm periculo se liberarent.

Innoc. PP. l. 1.

Episcopi rebus Monasterii adiiciunt oculos.

Monachi Episcopis obicem ponunt.

ANNVS CHRISTI 615. AN. S. BENEDICTI 135.

CAPVT I.

Sanctus Columbanus diem Sanctissime obit.

QVam omnia præter spem accidunt mortalibus! S. Columbanus innumeris laboribus defunctus, capturus in Bobiensi Monasterio quietem spe, sua vehementer frustratus est. Enimvero anno uno exacto cœpit morbo laborare, vitæque momenta componere. Prius tamen quam concederet, Clotarius Galliæ monarchia secundum viri Sancti vaticinium potitus, Eustasio, Abbati Luxoviensi à S. Columbano proximo, negotium dedit, ad se acciret ex Italia suum veridictum vatem: nihil non se ipsius gratia facturum. Non dici, neque cogitari potest, quanto fuerit gaudio perfusus senex, aditum sibi postliminio patere Luxovium, memoremque sui esse Clotarium. Ergo Eustasium, quam potuit, liberalissime habuit, simulque ut filios Luxovienses, at veterem disciplinam cordi haberet, serio inculcavit. Reditum Clotario per extremam ætatem excusaret, actis pro affectu submissis gratiis. Animadvertit etiam per epistolam in quædam Regis peccata, & admonuit correctionis. Clotarius omnia in bonam partem accipere: Luxovium censibus locupletare: ejus fines proferre. Paulo post dimissum Eustasium, Columbanus annis atque laboribus fractos sub annum DC. XIV. XI. Kal. Novemb. beatam animam exhalavit, cui omnia regna, & provinciæ, quibus operam impendit, lachrymas dederont. Bobiense Monasterium sacris suis ossibus juxtaque Miraculis non parum nobilitavit.

S. Columbanus ex Italia evocatur à Theodeberto rege galliæ.

Iodoc. Coc. Epitome chronograph.

Non fefellit mors hæc S. Gallum. Etenim summo mane accito Magnoaldo imperavit necessaria sacrificio faciendo promeret. Rei novitate perculli omnes, inter sequærere cœperunt, cur sacris operari vellet suus Antistes, à S. Columbano sacris interdictus? Sensit intempestivas susurrationes S. Gallus, quibus ut obiam iret, pœnam in me constituit pater noster Columbanus dixit, ut se vivo ab altari abstinerem; at persoluto hac nocte sacro nostro penso, cœlitus certior sum factus, illum vivere desiisse. Tum in Magnoaldum oculos convertens, age mi Magnoalde, inquit, Italiam & Bobium pete: mortem patris nostri, diem, horam, disce, nosque postea doce. Iuit: inquisivit; omnia convenerunt. Mœstissimi Monachi patris sui *cambuttam* seu baculum S. Gallo miserunt, quo morientis munere is intelligeret, injecto ante id vinculo solutum se esse. Magnoaldus omissis moræ ambagibus, domum se cum epistola & baculo citato pede retulit, quæ dona Gallus in lachrymas diffusus amantissime complexus est.

Eius obitus è cœlo significatur S. Gallo.

CAPUT II.

Sanctus Columbanus ad Ordinem pertinet Sancti Benedicti.

SAxa duo mihi objecta sunt, quæ faciunt ut pergere non possim, ea antequàm amoliar. Libet incipere à minori. Forte agebatur annus à partu Virginis M. D. LXIX, cum P. F. Hieronymus Romanus editis sui Ordinis Centuriis, S. Columbanũ invasit, atq; ad Eremitas Augusti-

Hieron. Roman S. Columbanum ex albo D Benedicti expungit Cent. 3. an. 592.

nianos cum annum D. XCII. expenderet, pertraxit, B Columbanus scribens infinitorum fere Monasteriorum ac Monachorum Pater, tantæ Sanctitatis fuit, ut si nil aliud haberemus, quod nostro de Ordine diceremus, ab hoc uno tamen viro sat illustris futurus esset. Postea discipulos ipsius atque Monasteria memorat, quorum nos mentionem paulo ante injecimus. Addit, qua libertate animi orisque Theodoricum regem libidinibus turpissime indulgentem, reprehenderit, inque sui odium adduxerit, ut iræ cedere, atque in Alemanniam se se removere debuerit. In hanc de Columbano Augustiniano sententiam ipse sua sponte it, ac alios veritatis incertos in eam vocat libro VI. de Reb. pub. Porro melius sibi consuluit cautiusq; mercatus est in historia, quam de Ordine D. Augustini condidit, inq; publicum ad annum M.D.LXXXII emisit. Erenim sub libri tertii finem posteaquam S. Litardi vitam retulit, mox librum quartum occupans, & S. Gulielmum ad calamum citans, sexcentos annos ingenti saltu, quem vel Duerus, præceps Hispaniæ fluvius, obstupescat, trajecit. Tabulam videre te putes, quæ caput & pedes porrigat, pectore careat. Scilicet, non erat ultra, quo absque argumentis progredi posset, ideoque tot sæcula silentio vir bonus involuit. Spicula obtusa cum in nos coniici ab ipso animadvertissem, nolui alias machinas in eum intendere, nisi illam, quam ipsemet contra se expedivisset. Vt in pauca conferam, S. Columbanum Bobiensis Monasterii fundatorem, è familia D. Benedicti fuisse, Hieronymus iste ultro confitetur. Ergo res nobis salva est. Nam idem S. Columbanus etiam Luxoviense Cœnobium condidit.

Sed aerem verberat suoque se gladio jugulat.

Alius Sanctus Columbanus fuit, aiens multorum Monachorum pater in Monasterio quod appellatur Bobium, in Italia sito. Atque iste erat Benedictinus. Sed cum duobus Sanctis Monachis idem esset nomen variæ exortæ sunt opiniones de S. Columbano, cum revera fuerit Eremita S. Augustini.

Arq; vt umbris conjecturarum præteritis regiam insistamus viam, Ionam Monachum S. Columbano, ut apparet, coævum, fidei plenum testem producimus, ex quo, mi Lector, verum audi.

Memini me ante hoc ferme triennium fratrum conniventia flagitante, vel Beati Bertulphi Abbatis imperio jubente, cum apud eos Apennini rur.bus vagans, in Bobiensi Cœnobio morarer. fuisse pollicitum, ut a'mi patris Columbani meo studerem stylo texere gesta præsertim cum ij, qui eo fuerunt in tempore, & penes ipsum patrata viderunt, quamplurimi penes nos superstites sint, qui nobis non audita, sed visa narrent: vel quæ etiam nos per venerabiles viros Attalam & Eustasium didicimus, quorum primus Bobiensis, secundus Luxoviensis Cœnobii, ejus successores fuerunt, qui magistri sui instituta suis plebibus servanda tradiderunt.

Jon. præfat. in vitam Columbani.

Ab isto Iona, cæteri historicorum, nec latum unguem discedunt, unoque ore affirmant Columbanum Hibernum ex patria in Angliam se contulisse: inde in Galliam profectum, præclarum Luxouiense Monasterium condidisse: Theodorico Regi, insanis libidinibus servienti, religionem iniicere conatum: pro præmio exilium retulisse: inde in Alemanniam digressum, de spe quoque decidisse: ad ultimum Agilulphum Longobardorum Regem adiisse: in ejus ditione Monasterium Bobiense fundasse: ibidem vixisse, mortem obiisse, sepultum esse. Quodsi igitur Columbanus iste, cujus ossa Bobiense Monasterium in Italia habet, ad nostrum Catalogum pertinet, id quod tu nobis ultro das Hieronyme Romane, Luxoviensis profecto Cœnobii Fundator aliam in familiam abduci non debet, cũ nemo historicorum, præter te, ex uno faciat duos. Sed vides aliam hominis elegantiam mi lector. Attalo, Monasterii Bobiensis secundo Antistiti, habitum D. Augustini circumducit, simulque suos in casses imprudenter se conicit. Etenim tam Columbanum Bobiensem, quam ab eo excitatum Bobiense Monasterium, Ordinis S. Benedicti fuisse, palam pronunciavit. Recte hoc quidem. Postea dicti factique immemor, Attalum, à S. Columbano Abbatem proximum, subito adoritur: cucullo S. Benedicti spoliat, suoque induit. Num intelligis, cribro te haurire aquam Hieronyme Romane! Hæc cum ità, à nobis crederem stulte fieri, si authores multos adduceremus, ut rei certæ juxtaque claræ, ferrent testimonium. Pauca tamen ista primoribus labris visum est attingere, quod veterem sententiam, quę penitus animis insederat, non nihil turbârit Hieronymus Romanus. Nunc ad Regulam S. Columbani gradum promoveamus, qua dicta nostra plurimum confirmabuntur.

Nam S. Columbanus & Luxoviense, & Bobiense Monast. condidit.

Si Columbanus Abbas Bobiensis, Ordinis fuit S. Benedicti, quod sponte das Hieronyme Attalus ab eo Abbas proximus tam cito mutaverit, animum & habitum.

Ionas Monachus, dum S. Columbani eiusq; discipulorum (Attali, Bertulphi, Eustasii) acta in litteras misit, plerumque Regulæ magni illius Patris meminit *ædificatum est Monasterium, dictitans, in quo Regula S. Columbani servabatur* Item, cum verba passim de Monachis facit, *vixisse illos secundum institutum S. Columbani*, asserit. Vnde historiæ nostræ minus peritis scrupu-

Append. Script. XXXVI. & XXXVII.

Script. XXXVIII. & XXXIX.

S. Columbanus non condidit Regulam, à D. Benedicti Regula diversam, neque alterius fuit Ordinis, ac ita sentiūt Paul. Lang. in fine hist. Bosaviens. Trith l. 2 de viris illust. c. .. & l. 3 c. 26. VVion & Gilbert. Genebrardus ad an. 622. Chronol. Stenglius Corona Lucida c. : Clemen Reyner. Apostolatu Angliæ tract. 1. sect. 1. 20 Hugo Menardus in Martyrolog. Benedictin. Item libello de Origine Ordi. S. Benedict. Vide Benedict Haeften in Disquisitionib. Monast. tract. 7. Disquisit. 1. § 1.

lus iniici queat, an non sanctissimus Pater ex familia D. Benedicti movendus sit. Atqui Columbanus non id egit, ut per suam regulam novum conderet Ordinem, sed ut leges à S. Benedicto jam pridem latas, explicaret, intenderet, in animos altissime inculcaret. Ideoque Gerardus Belga, magnum inter nos nomen, suis imperavit, ut quam diximus regulam singuli in promptu haberent, tum quotidie Caput in ea tererent, quod Regulæ Patriarchæ nostri D. Benedicti compendium esset. Deinde Regulam appellari etiam Constitutiones, Monasteriorum proprias, seu domesticas, nec novum nec inanditum est: nemo tamen eo nomine voluit unquam diversam statuere Religionem. Sed ne multis te exemplis teneamus, saltem duo ex Hispania cape. S. Iohannes Abbas Viclarensis, inde Episcopus Gironensis, nec non S. Fructuosus Abbas S Petri de Montibus, postea Archiepiscopus Bragensis seu Braccavensis, Ordinis S. Benedicti magna lumina, Regulas scripsere, secundum quas se componerent Monachi: Has si propius inspicias, domesticæ leges sunt, quibus à Regula D. Benedicti, quam professi sunt, eos voluisse abrie si dicas, nemo credat. Idem de S. Columbani Regula cense, cujus nomen è tabulis Pauli Langii, Trithemii, Arnoldi VVion, Genebrardi, eximere conatus est Hieronymus Romanus. Sed Genebrardum audiamus, *S. Columbanus Scotus, Angliam, Galliam, Italiam, Germaniã, partim per sese, partim per discipulos, Monasteriis replevit: Nec ullam aliud sæculum per CL. annos, usque ad Caroli Martelli & Pipini ipsius filii tempora, latiorem celebrium Monachorum segetem protulit, principibus etiam ad hoc vitæ institutum confluentibus, veluti Arnulpho Episcopo Metensi, Aldigilo Regis Dagoberti nepote, Gertruda filia Ietta, Pipini uxore, Iodoco Regis Britanniæ filio, Carolomanno, Pipini Regis fratre. Præcipui autẽ Columbani socii & discipuli extitere Gallus, qui in Helvetia consedit; Ionas Romanus; Rinarichus seu Romarichus: Leodegarius: quos consequuti sunt Arbogastus, Amandus, & alii innumerabiles, qui sequentibus sæculis è Monasteriis ad Episcopatus extracti sunt, & reliquum septentrionem converterunt. Erant autem omnes Benedictinæ formæ. Nam occidens vix alios agnovit ante an. M. L. ut Oriens in hunc usq; diem non nisi Basilii sectatores: Meridies Antonii:*

Paulus Langius Histor. Monast. Bosaviens. Trith. l. 2. & 3. virorum ill. VVion. l. 2. & 3 Ligni vitæ. Genebrard. an. 623.

Discipulis S. Columbani Ordinis erãt S. Benedicti.

Ante annũ a Christo nato 1050. Occidens vix alios Monachos novit quam Benedictinos.

Hinc, præter alia etiam apparet saltus, quo se Hieronymus Romanus per tot sæcula iecit, præteritis istis S. Columbani discipulis.

Quod si majus apud te pondus habent privilegia & fundationum tabulæ, quod careant affectibus, qui subinde historicos trãsversos agunt, imprimis Ionam Monachum tibi adduco. *Cum Romaricus*, inquit, *multo tempore sub obedientia Regulæ vixisset, postea in quodam suo prædio fundavit Monasterium Sanctimonialium cum voluntate S. Eustasii, in qua Regulam S. Columbani instituit.* Nunc ad litteras fundationis.

Monasteriorum Privilegia S. Colũbanum Ordini nostro asserunt.

Ionas in Eustasio.

Franciscus Rosiers omnia ab incunabulis repetens, litteras Fundationis hujus Monasterii profert, quas ego alibi à capite usque ad calcem tibi ostendam: nunc boni consules si saltem videas quæ ad rem præsentem faciunt. *Spinis & vepribus extirpatis* (verba sunt Comitis Romarici) *construxi ibi Monasterium Monalium Ordinis S. Benedicti in honorem Sanctissimæ Trinitatis*, Credis tu huic, quod dicit? Si sapis, etiam sentis Moniales istas, quæ S. Colũbani leges observabant, Ordinis fuisse non noui, à S. Columbano introducti, sed antiqui, à D. Benedicto instituti. Litteræ Fundationis & dotationis nihil fingunt. Adhæc cum S. Romaricus discipulus fuerit S. Eustasii, inque Monasterium à se conditum Regulam ac Ordinem D. Benedicti introduxerit, certe res quasi manibus tenetur, omnes S. Columbani discipulos Regulam gloriosi Patriarchæ nostri fuisse professos. Item, eodem in Monasterio tam legibus S. Columbani quam D. Benedicti morem esse gestum, quod illæ ab istis nihil diversi complecterentur. Sed illustre aliud documentum profero. Leobardus S. P. Nostri discipulus, una cum Amando è monte Casinate in Alsatiam sub annum Christi D. I V. venerat. Cellam seu domicilium ibidem posuit regnante in Austrasia Childeberto. Huic postea asceterio Maursmunster nomen (ob Maurum Abbatem, insignem ejus instauratorem) fuit inditum. Nec quisquam in hunc diem somniavit, alium id Ordinem unquã coluisse, quam S. Benedicti. Multa huc contulit Theodoricus Rex Francorum, & ipsius majores multa, quæ is ad annum DCCXXIV. publicis tabulis stabilivit, extremæq; membranæ (à qua liligerum sigillum dependet, hac verborum perigraphe: THEODORICVS DEI GRATIA REX FRANCORVM) hanc clausulam subiecit: *Quapropter per præsens decernimus ac iubemus præceptum, ut neque nos, neque juniores vestri seu successores, nulla que omnino cujuscunque sit potentiæ persona; ipsum Abbatem, neque Monachum, neque certos homines, vel condemnare: neque intra vel extra Monaste-*

Rosiers hist. Lotharing.

Monasteria à S. Columbani discipulis condita, Regulam D. Benedicti sunt professa, veluti Mon. S. Romarici:

In eodem Mon. S. Romarici Regula S Benedicti & leges S. Colũbani locum habuere, quod hæ illam firmarent.

Append. Script. v. Iodoc Coccius in Epi. Chronograph.

Privilegium Theodorici Regis Francorum tom. 1

rium rem irrationalem facere pœnitus : neq; de rebus ad se pertinentibus quippiam auferre præsumat : sed liceat ei jusq; omnibus sub immunitatis titulo, & nostro mundiburdio vel defensione cum omnibus rebus suis & Monasterii sui, secundum normam Patrum Domini Benedicti & Columbani quietos residere, atque securos. Miror si non animadvertis Regulam S. Columbani cum Regula S. Benedicti plane convenire! vel tu ipse arbiter esto, num diversorum Ordinum Regulæ in eodem Monasterio soleant vel possint observari. Vnum regnum non capit reges duos.

Sur. 15. Sept. Cœnobia à discipulis S. Columbani extitata, Regulam Coluere D. Benedicti, velut Gemmeticense.

Accedit, omnia Germaniæ, Galliæ, Italiæ Monasteria, à discipulis S. Columbani excitata, Regulam professa esse S. Benedicti, *Aichadrus*, inquit Fulbertus, *divinitus ad regimen Gemmeticensis Cœnobii præordinatus extiterat. Illi duo viri Dei, Episcopus Ansoaldus & B. Philibertus in somnis apparuerunt : Episcopus virgam pastoralem, Beatus vero Philibertus Regulam S. Benedicti porrigebat, ambo quasi uno ore dicentes : Surge frater, & officium quod tibi à Deo imponitur, obedienter suscipe.* Atqui B. Philibertus è schola prodiit S. Columbani. Sanct. Audomarum è primis Sancti Eustasii discipulis fuisse, & in Luxoviensi Monasterio eductum, nemo inficias iverit.

Sitivense seu S. Bertini.

Aubert Miræus Orign. Benedictin. Fontanellense.

Is autem Sitivense Monasterium (hodie Sancti Bertini vocant) condidit, quod an semper Monachi D. Benedicti incoluerint, Belgæ non magis dubitent, quam an cygni sint albi, vel corvi nigri. Neque Sanctum VVandregisilum præterivero, in eodem Magni Columbani gymnasio imbutum, qui Monasterium Fontanellæ in Nordmannia, Galliæ provincia, anno D. CXLV. familiæ Sancti Benedicti ædificavit. Hinc Sanctus Ansbertus ex Abbate Fontanellensi Archiepiscopus Rothomagensis factus, indicta Synodus statuit, *ut sicuti sub ejus regimine, ita & deinceps & ipsi & posteri eorum secundum Regulam S. Patris Benedicti fideliter Deo servirent.*

Script. xxiii.

His accessere Solemniacense : Resbacense &c.

Sanctus Eligius Noviomensis Episcopus quod per magni æstimaret Sancti Columbani discipulos, Solemniacense Monasterium iis condidit, quod semper ad Regulam Sancti Benedicti vivendi rationes composuit. Sanctus Audoenus, Archiepiscopus Rothomagensis, excitis Luxovio Monachis, Resbacense Cœnobium cõstruxit. Sanctus Philibertus cum ibidem post Sanctum Agilum præfecturam gereret, Monasterium Gemmeticense fundavit. At neutro loco memoriam reperias Ordinis S. Columbani, sed tantum Sancti Benedicti.

Sed quid tempus exemplis terimus, cum plurima supersint, & forsan hæc te jam fatigent? Itaque paucis te absolvo : videlicet, quingentis de hinc & amplius annis nullum à discipulis Sancti Columbani vel eorum posteris in Gallia, Germania, vel Italia ædificatum fuisse Monasterium, quod historici non ad ordinem Sanct. Benedicti referant. Si vel vnum me fallat, mirabor, quando hujus gratia quos potui auctores adivi. Quocirca pro certo habeo, omnia Monasteria à S. Columbano ejusque discipulis ædificata, initio à Luxoviensi & Bobiensi ducto, non aliam quam S. Benedict. Regulam complexa esse. Nam illud ommitto, codicem Romanum in quo taxæ, ut vocant, pro Bullis Pontificiis à novis Abbatibus pendendæ, consignatæ sunt, quotiescunque Monasteria per discipulos S. Columbani condita tangit, semper addere hæc verba *Ordinis Sancti Benedicti* : veluti *Monasterium Sancti VValarici, Ordinis Sancti Benedicti, solvat, &c. Monasterium Gemmeticense, Bobiense, Fontanellense, Sancti Bertini, Ordinis Sancti Benedicti, &c.*

Quodsi igitur historici, privilegia, innumeris exemplis confirmata, codex & stylus Romanus, omnia Monasteria à S. Columbano ejusque alumnis profecta, Ordini D. Benedicti adscribunt nusquam S. Augustini illata mentione, torrenti profecto obluctari non debemus ob leves quasdam umbras, à paucis & hodiernis authoribus visas, aliam in sententiam pedibus eundo, secessione à cæteris omnibus, & quidem antiquissimis historicis facta. Mihi controversia hæc, ante annos non ita multos nata, necessitatem imponit, res à discipulis S. Columbani gestas, præsertim Cœnobia ab iis extructa, prolixius persequendi : & spes est litem nostram hinc componi posse.

Mantissa Capiti superiori adjecta.

Non tantum verba, sed prope libri seruntur nobilis controversiæ; quis sanctus ad quem Ordinem pertineat. An quia ipsi numerum non augemus; ideo veteribus manus iniiciendas, ac nostras in partes pertrahendos putamus? Non expedio : hinc tamen ordior. Imprimis S. P. N. Benedictum adhuc Sublaci diversantem, sibi vindicant Basiliani vulgaro nuper libro in Hispania, cui titulus. *Phœnix Orientis.* Hoc autem eos spolio exuerunt nostri edito libro alio, cui inscriptio: A Basilianis & Carmelitis repetendus nobis S. Benedictus est.

Paradisus Carmeliticus decoris. *D. Greg. 2. Dial. c. 4.*

Sol Occidentis. Quocirca nolo actum agere. PP. Carmelitæ etiam in specum Sublacensem irrepunt & S. Benedictum Carmelitam creant. Romanum enim, *qui ei Sanctæ conversationis habitum tradidit*, Carmelitam fuisse, sibi persuadent. At habitus non facit Monachum; nec continuo faber est, quisquis malleũ manu fert. Solus vitam in conscio antro traxit juvenis nemini subditus: nulli Regulæ addictus, quando in nullam juravit. Neque vero simile est, unam tunc Carmelitarum familiam insedisse Italiam. Vel fateantur (si quidem ita volunt) Monachos, qui S. Benedicto è specu accersito præfecturam detulerunt, postea vero venenum propinarunt, fuisse Carmelitas. Difficile creditu est, ordinẽ Oriente natum neq; tunc annorum ita late per Italiam diffusum fuisse, ut aliis locum nullũ liquerit. Aiunt illi quidem *Eliam, Elisæum, ac filios prophetarum in monte Carmeli vitam egisse vere ac proprie Monasticam. Ab his usque ad Christi tempora in eo monte nunquam Monachos defuisse. Christo prædicanti eos statim accessisse. Post Christi gloriosum in cælos ascensum fuisse eos strenuos Apostolorum cooperarios. Deiparæ in cælos assumptæ primum sacellum in latere montis Carmeli ædificasse, ad quod frequentissimus fuerit ex tota Syria fidelium concursus. Fuisse Monasterii illius alumnum Iohannem Episcopum Ierosolymitanum, à quo sit eis Regula præscripta in libro quem scripsit ad Caprasium Monachum. Continuatam in eo monte vitam Cœnobiticam ad annum Christi* M. CC. XCIV. Hæc illi, sed alii suspensa fronte obstupescunt, & negant. Quid Laurentius Landmeter, liberali vir ingenio, de Carmelitarum antiquitate, & celeri propagatione sentiat, ausculta: nam ad rem facit.

Laurent. Landmeter de vetere clerico & Monacho.

S. Hilarion primus Monachus in Syria.

Occurrit mihi inquit de Monachis montis Carmeli dubium intricatius quam nodus Gordius. Scribit S. Hieronymus in vita Hilarionis: *Necdum tunc Monasteria erant in Palæstina, nec quisquam Monachũ ante Hilarionem in Syria noverat. Ille fũdator & eruditor hujus conversationis & studii in hac provincia primus fuit.* Verba apertissima sunt, & quæ non admittunt ullam tergiversationem. Si ergo ita est, & ante Hilarionem non erant Monasteria in Palæstina, ubi erat Monasterium montis Carmeli! Deinde si hoc Monasterium ob sacellum Deiparæ Virgini sacrum à Palæstinis, Phœnicibus, Galilæisque maxime fuit frequentatum, quomodo ante Hilarionem nemo Monachum in Syria noverat! An Monasterium frequentabatur, & Monachi nesciebantur? Præterea, si ab hoc monte, ut à fonte, quævis alia Monasteria instituta derivata sunt, quomodo Hilarion in Syria Monasticæ conversationis & studii primus fundator & eruditor fuit? An dicemus Hieronymum hæc omnia ignorasse, qui ipse Monachus inter Syriæ Monachos bonam ætatis partem trivit? qui toties Palæstinæ loca sacra lustravit? qui Monachorum non tantum Syrorum sed & ægyptiorum instituta scrutatus est? vitas descripsit, historias persequutus est. Non legerat Hieronymus Ioannis Hierosolymitani institutiones (si quidem vere ille eas scripsit) hominis sibi Synchroni, optime noti, & cujus libros diligentissime evolverat quod diceretur Iohannes ille ad errores Origenis declinare? Deniq; si verum est in illo monte ab illius Religionis Fratribus primum Deiparæ sacellum dedicatum, vicinarum gentiũ perigrinatione celeberrimum, quid est, quod Paula Romana omnia sacra loca religiosissime visitans, Carmelum præteriit? Aut si non præteriit, quid est quod S. Hieronymus totam Sanctæ illius fœminæ peregrinationem accuratissime describens, hoc tacuit, præsertim cum disertis verbis expresserit Sareptã Sidoniorum, in qua turris Eliæ: Dor, urbem quondam potentissimam; Turrem Stratonis sive Cæsaream, inter quas medius iacet Carmelus? Quod si igitur Carmelitæ id temporis in Palæstina nulli sunt visi: nec Monasterium, unde colonias deductas aiunt, Carmelo impositum erat, quis obsecro sibi persuadeat, inde in occidentem eos traiecisse, atque Italiam implevisse, ut fatendum sit, S. Benedictum habitum alium induere non potuisse, quam Carmelitanum? Non tamen ideo pedem conferimus, quod Sanctissimo Patriarchæ nostro aliquid de gloria decessurum putemus, si vel Basilianis vel Carmelitis aliquando nomen dedisset (quod potius in laude ponẽdum erat:) sed quod ut aliquid ipsi affingatur, pati non debeamus. Quis enim cornicculam ferat, alienis se plumis ornantem alas nõ suas sublato capite ventilantẽ? seq; magnifice circumspicientem? Plumas proinde nostras non injuria, sed jure merito repetimus.

In Epist. Paulæ.

Monasticon Augustinian. Nicolai Crusenii.

Anno post natum Orbis Liberatorem M. DC XIII. P. F. Nicolaus Crusenius in lucem cum Monastico Augustiano se eduxit, quo libro non unum duntaxat vel alterum è nostratibus in suam familiam trahit, sed prope catalogum eorumdem contexit, tituloque Eremitarum inscribit. Ne autem te morer, *S. Columbanum* inquit, *tanto liberius inter Eremitas S. Augustini connumero, quanto certiora & evidentiora originis & conversationis ejus Monastica habeo testimonia.* At cur testimonia contraria à P.

D. Bernhard vita S. Malachiæ.

Antonio Yepes superiore Capite in mediū allata, non exhauris sed tacite præteris, quę tamen te fugere non potuerunt, quando hunc auctorem alias diligenter in rem tuam citas? Perge sis vero. *Imprimis S. Bernhardus S. Columbanum adducit ut discipulum S. Congelli: Congellum discipulum S. Columbæ.* Nihil ego quidem hic firmi video. Neque enim D. Bernhardus id loci S. Columbæ meminit, ita ut S. Congelli magistrum faciat: neque S. Columbanum Eremitis D. Augustini accenset. Immo dum nongentos Monachos una die in Benchor (quo in Monasterio tyrocinium posuit S. Columbanus) à piratis cæsos memorat, causam Crusenii non parum sauciat. Quis enim sibi persuadeat Cœnobium aliquod Ordinis Mendicantium tantum fortunarum possedisse, ut præter domestica servitia nongentos Monachos quotidie cibo & potione sustentare, sæpe etiam vestire potuerit? Præterea, itane præclari Cœnobii hujus memoria continuo exciderit apud Eremitas, ut postquam ex insula solverunt præda onusti piratæ, nemo illorum è tota insula succedere voluerit? nemo omnium veterem sedem, primulam nudius tertius à barbaris captam, denuoque relictam, ac metu vacuam respexerit, animum vel oculos adjecerit? Monasterium profecto sic præclarum dimissuri haud fuissent, si ad se pertinere credidissent, præsertim cum teste S. Bernhardo *fuerit ingens illius possessio, & à tempore quo destructum est non defuerit qui illud teneret cum possessionibus suis.* Quid? an exspectandus, post aliquot sæcula S. Malachias erat, cui locum illum sibi vindicanti, & Regulam S. Benedicti introducenti, nemo Eremitarum intercessit? Deinde si dicta tua (fol. 78.) non rescindis, Cruseni, *Monachis Sancti Benedicti solis hoc nomen Monachi stricte sumptum competit.* Quod si igitur nongenti *Monachi* in Benchor cæsi sunt, quidni conficiam, Benedictinos fuisse ante Eremitas Augustinianos? Exemplum à te peto. Papiæ ais (fol. 54.) quendam morti vicinum Augustinianos hæredes scripsisse. Exequiis legitime peractis, prolatas fuisse supremas tabulas: audito rem tantam ad Augustinianos pertinere, mox advolasse Canonicos Regulares Ordinis D. Augustini: venisse quoque Eremitas. Multum diuque disputatum, utros ille designasset qui testamentum condiderat. Cumque litem explicare nemo potuisset, tum lepidam hanc veri deprehendendi initam esse rationem; nimirum viros honestos probosque accitos, qui pullos, & nescio quid, portarent ad Augustinianos.

Crusen suo se gladio jugulat.

Ad unum vero omnes, quamvis diversi juissent, ad Eremitas contendisse: in horum Monasterio saccos exonerasse. Inde animadversum, Eremitas vulgo Augustinianos censeri. Atqui simillimam tu tibi sarcinam Cruseni imposuisti, dum nongentos *Monachos* in Benchor interfectos, retulisti, & Monachis Sancti Benedicti. *Solis hoc nomen stricte sumptum competere*, affirmasti.

Ex Anglia, quo à Gregorio Magno missi sunt nostri, facilis trajectus in Hiberniam.

Quid postea? *Prima Regulæ D. Benedicti publicatio in Hibernia, juxta D. Bernhardū, facta est per Monachos Cistertienses circa an. 1137. Nam in vita Malachiæ refert, eundem Malachiam ex Hibernia Romam tendentem, Claravallæ reliquisse quatuor sacerdotes Monasticis institutis imbuendos, cum nulli essent in Hibernia noti, aut visi quidem Monachi, scilicet Sancti Benedicti.* Iterum vanis ictibus auras verberas. Cur, cedo, addis, *scilicet Sancti Benedicti?* verba D. Bernhardi dimensa damus, quæ ad Claravallenses fecit: *A vobis discant, quod nos postmodum doceant: erunt nobis in semen, & in semine isto benedicentur gentes, & illæ gentes quæ à diebus antiquis Monachi quidem nomen audierunt, Monachum tamen non viderunt.* Cur tu assuis: *Scilicet Sancti Benedicti?* Cum S. Pater nongentorum *Monachorum* stragem, à piratis in Monasterio Benchor editam, narraret, Eremitas Augustinianos fuisse, contendisti, adeoque *Monachum* induisti: nunc vero dum Hibernis *à diebus antiquis Monachi quidem nomen auditum*, memorat, *Monachum tamen nullum visum*, *Monacho* raptim exuto, Eremitam induis: *Monachi* nomen reiicis. Pulchrum est, in utrumque paratum esse, scilicet. Deinde, Saxones, Hollandi, Dani, Sueci, Angli extincta apud se fide Catholica *Monachi quidem nomen audiunt, Monachum tamen non vident.* Quis autem non credatur nummos plumbeos cudere, si hinc conficere velit, Monachos (scilicet S. Benedicti) illa regna illasque provincias nunquam ante id coluisse? Quid tu porro vis serere negotii.

Meliorem messem in solitudine, quam multitudine metit, semper credidit Ordo S. Benedicti.

S. Congellum & S. Columbanum fuisse Eremitas, constat ex Venerabili Beda (in vita S. Columbani cap. 5.) *& ex Aimonio l. 3. de gestis Francorum c. 95.* Basilica verba: atqui si authorem utrumq; studiosissime juxtaque acutissime hîc inspicias, apud neutrum Divum Augustinum, vel Divi Augustini Eremitas videas: neque satis intelligo quidnam è citatis Capitibus quisquam emulgere possit: auscultemus tamen Crusenium: *Professionem Eremiticam*

evincit

evincit Beda ex Monasteriis à Sancto Columbano ædificatis inter vepres, & quercus. Semi argumentum est. Sanctus Benedictus an non duodecim Monasteria vepres inter & quercus condidit, abscondit que? an non montium jugis quædam imposuit? Casinensium Monasterium num in Elysio campo collocavit? Loco Sylvestri collocasse te scire scio. Primi profecto nostri Patres solitudinem ante urbes coluerunt, Cœnobiis desertis locis atq; infrequentibus ædificatis, quibus labentibus annis adjuncta tecta alii, pagos & urbes effecere. Firmioribus proinde lacertis remi agendi sunt, si merces nostras tuo in portu exponere velis.

Facillimum est, ais, *erroris convincere Trithemium ac Genebrardum, qui nescio quo affectu nimio abrepti, quoslibet Monachos illius ætatis Benedictinorum familiæ adscribunt, ut alias conqueritur Baronius.* Idem carmen tibi occinit Clemens Reynerus, Anglus: audi: *Castigandus venit Crusenius Augustinianus, vir doctus quidem, sed sui Ordinis zelo ultra metas scientiæ, & veritatis abreptus.* Age nunc: tuam quoq; querelam alteram afferam. *Unum legi Myream, quem miror Gallica facilitate seductum, Ordinis nostri gravissimos historicos inculpantem, quod nimio Ordinis sui amore abrepti, minus vera scripserint.* Pro Trithemio nihil ego de meo promo: his tamen laudibus à Iodoco Coccio fertur: *Iohanni Trithemio viro pio, docto, & in sui Ordinis perservanda antiquitate assiduo, ut qui reconditam ex omni memoria monumentorum gazam explicuit, multum debet erudita posteritas.* Genebrardi tunicam tam facili negotio scriptores alii resarciunt, quam Crusenius scindit. Sed dem tibi, hos aliquando lapsos fuisse, at nō affectu nimio abrepti sunt ad fabulas. Errore, atq; errorum suspicione vacare, hagiographorū privilegiū esse, paulo ante monui, qua in navi neq; Trithemius, neq; Genebrardus, neq; nos duo navigam⁹.

Clem. Reyner. apostolat. Angliæ.

Iodoc. Coccius Soc. in Dagoberto. fol. 13.

Quid præterea? *S. Adamannus describens vitam S. Columbæ, eum Monachum album nominat. S. Columba, inquit, candidos Monachorum greges salutiferis doctrinæ alimentis pavit. Qua designatione omne dubiū adimit, declarat q; hos Sanctos non fuisse Ordinis S. Benedicti, qui ita albū colorē semper subterfugerunt, ut atrorū Monachorū nomē antonomastice meruerint.* Obsecro te, Cruseni, nimium ne crede colori: nam nihil hinc abrades. Ipsum oraculum S. Benedictū adeamus: & quid de vestibus edicat, suis familiaribus, audiamus. *Vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem, ubi habitant vel aerum temperiem dentur &c. de quarū rerum omnium colore aut grossitudine non causentur Monachi, sed quales inveniri possunt in provincia in qua degunt, aut quod vilius comparari potest.* Viden ut Sanctus legislator noster omnium colorum potestatem suæ familiæ facit? Neq; titulus atrorum seu nigrorum Monachorū nobiscum natus est, sed progressu temporis à colore, qui in Ordine erat potior, impositus. Monachi Hispani seniorum suorum memoria vestibus usi sunt subrussis, cujusmodi hodie adhuc ibi induunt Fratres Conversi.

Monachi nigris tenebris defendi non cupiunt.

S. Reg. c. 55.

Insuper magnum id est, quod folio 44. addis: *Erat vestis nigra communis Religiosis: vestis nigra decet Religiosos: habitū S. Augustini atri coloris aut fusci, fuisse invenio.* Quodsi igitur *Candidos Monachorum greges doctrinæ alimentis pavit S. Columba*, diversos à D. Augustini Eremitis, *atris aut fuscis*, fuisse oportet. Sed aliqua rima fatiscit, qua evadat Crusenius videlicet Africanas oves, ait, vellera ferre nigra: Hibernas candorem imitantia. Quod si ita est, multo minus porrigimus herbam, cum S. Benedictus à suis indui voluerit, *quod vilius comparari potest*, atque præ manibus est, nulla coloris habita ratione. Proinde si iis locis lanarum nigræ vix sunt, nisi aliunde importatæ, ut asseris caroque constant, nonne sentis de lana caprina te nobiscum disputare? Vox S. Benedicti est: *de colore non causentur Monachi, sed quales inveniri possunt in provincia in qua degunt.* Ista quoque tua verba è proximo tibi appono: *Omnes Religiosi in Hibernia aliquandiu habitum atrum subterfugerunt, ob genus quoddam maleficorum, quod atrum hunc colorem sibi proprium vindicabat.* Quid igitur miri fecissent Cœnobitæ nostri Benchorenses si Antistite S. Columba *habitum atrum subter fugissent*, ne in albū maleficorum referrentur, præsertim cum D. Benedictus habitum nostrum nullo certo colore imbuerit, sed quemvis concesserit? Itaque Crusenius palmarium suum argumentum ipse labefactavit. Porro dum annos conditæ à S. Benedicto Regulæ, ac cædis in Benchor à barbaris patratæ calculis incertis putat. *Quis credat*, ait, *illo anno Regulam S. Benedicti vix conditam ita in extremas Orbis partes devenisse?* Num Regula, obsecro te, num Regula D. Augustini auctore suo adhuc vivente pervenerit in Ægyptum usque quod affirmas & Regula S. Benedicti, omnibus numeris, D. Gregorio judice, absoluta, & Gallis à S Mauro, superstite etiamnum Patriarcha nostro, illata, non æque cito in viciniorem trajecerit Hiberniam?

Etiam malæ notæ argumentum hoc est:

D. Bernhardus Benchorensis Monasterii frequenter facit mentionem, nec unquã illud vocat sui Ordinis. Nec Eremitarum. Brevis & expedita responsio. Deinde quãvis Benedictini & Cistercienses in unam Regulã juremus, Monasteria tamen utrorũq; distingui solent. Quis enim montem Casinum vocet Monasterium Ordinis S. Bernhardi? unde S. Pater Benchor merito nunquã sui Ordinis appellavit. *Ante aliquot annos solebat ordo recitare officium de S. Columbano, uti de Ordinis persona.* Quod nobis das argumentum, vicissim accipe: ante multos annos solebat Ordo S. Benedicti recitare officiũ de S. Gallo, uti de ordinis persona, (quod etiã num hodie facis) ergo. Tu tamen quasi in æs incidis: *S. Gallus etiã Eremita ex Scotiæ partib⁹ in Helvetiæ limites descendit, ibiq; celebre erexit Eremitoriũ, in quo cũ sociis Eremiticã vitã profess⁹, teste Hermano: Solitudinẽ cellæ suæ incolere cœpit una cũ Iohanne.* Ne tu hospes in Regula S. Benedicti es! faxo tamen ut veterẽ Patrum nostrorum vivendi rationem scias. *Secundũ genus Monachorũ,* inquit S. P. N *est Anachoretarum, id est Eremitarũ, horũ qui non conversionis fervore novitio, sed Monasterii probatione diuturna didicerunt contra diabolum, multorũ solatio jã docti, pugnare: & bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam Eremi securi jã sine consolatione alterius, sola manu vel brachio cõtra vitia carnis vel cogitationũ, Deo auxiliante, pugnare sufficiunt.* Quãvis igitur D. Benedictus vitã Cœnobiticã instituerit, usus nihilomin⁹ obtinuit eos, quos longa virtutũ exercitatio firmaverat, dimittere in solitudinẽ! Quid opus est verbis, pleni sunt omnes libri. Deinde Monachi nostri delati in Germaniam vel in alias peregrinas terras, non poterant illico incolere Monasteria, inq; iis vitã cœnobiticã agere, cũ adhuc nulla essent. Quocirca in sylvas se cõjecerũt: mapalia & oratoria condiderunt, quæ rebus paulatim auctis in justa Monasteria excreverunt. Quod si Crusenius omnes in Eremitarũ Augustinianorũ numerũ vult accipere quot quot post D. Augustinũ Eremos habitarunt, etiam ipsi S. P. N. Benedicto eundum erit.

S. Reg. c. 1.

Veterani Cœnobitæ nostri sæpe in eremum secedebant.

Nunc paulo majora canamus. *Caput* XIII. *De fundatione universitatis Parisiensis & Papiẽsis, per Fratres Eremitanos S. Augustini circa an.* DCC. Caput, inquã & inscriptio Crusenii. Ego vero etsi is sum, qui cõtroversias semper defugerim, nunc tamẽ provincia historiæ Ordinis scribendæ suscepta, dum in medullis ejusdẽ atq; visceribus hæreo, nihil non scrutor; neq; apes, neq; mel nobis eripi patior. Fundatores utriusq; universitatis Alcuinus & Clemẽs Monachi fuere: at fuisse Eremitas, inficias eo. Quassat etiã caput Clemens Reynerus, Congregationis Anglicanæ Ordinis D. Benedicti Secretarius, ac natũ esse, qui Alcuinum & Clementẽ maximi nominis monachos è theatro gloriæ & honoris nostri abducat, vehemẽter dolet. Sed quin tu audis virũ: *Crusenius in opere suo, quod Monasticũ Augustinianũ inscripsit, ut Parisiensis academiæ erectionem suo ordini attribueret, quam omnis antiquitas Flacco Albino Alcuino, monacho AngloBenedictino, assignavit, eũdẽ mira metamorphosi in duos trãsformavit, ut Albinus quidẽ esset Augustinianus Eremita ex Hibernia seu Scotia, & fundator Academiæ Papiensis: & Clemens, Hibernus alter Augustinian⁹ fundator Parisiensis.* Alcuinus vero, *inquit*, in partibus Angliæ degens, & hæc audiens, re sua composita in Galliã advolavit, eandẽ professionẽ aggressurus, spe honoris ac dignitatis cõcepta. *Sed quis sine indignatione ferre posset cacoethes hoc, quidlibet sine certa ratione audacter asserendi? nam quod Crusenius quasi pro inexpugnabili fundamẽto suæ assertionis ponit de antiquitate Ordinis sui in Hibernia & Scotia, inferius ostendemus esse fictitiũ, ipsumq; in historia Angliæ & Hiberniæ toto cœlo errare. Quod autem asseris de Albino & Alcuino, est tam crassus error, ut mirũ sit hominẽ doctũ id ausũ asserere. Opera enim ipsa D. Alcuini jã edita à diligentissimo viro D. Andrea Quercetano clarissime ostẽdunt, nõ distingui Albinũ ab Alcuino magis quã Ciceronẽ oratorẽ à M. Tullio. Etenim ipse Alcuinus in Epistolis suis modo se Flaccũ Albinum, modo Flaccũ Alcuinũ, aliquando simpliciter se Alcuinũ, aut Albin. aut Flaccũ nominat. Ipsum autẽ Alcuinũ non spe aliqua honoris in Galliã venisse, sed magnis precib⁹ maximi Imperatoris Caroli in Gallia fuisse retentũ, postquã Carolo ipsi Romæ & Papiæ notus (nã fatetur Albinus Alcuinus se Papiæ aliquandiu hæsisse) atq; etiã ad ipsũ prius ab Offa Rege, amicitiæ cõfirmãdæ causa, missus, ingenii sui sanctitatisq; mirabile specimẽ edidit, optime demõstrat Quercetan⁹ in prooemio operũ Alcuini: ubi etiã clarissime ostẽdit, Scotorũ historicos falli, qui eũ sive Scotũ, sive Hibernensem asseruerunt, cũ ipsemet Anglosaxonẽ se in Northumbria natũ in Monasterio Eboracẽsi educatũ scribat: & VVilgito patri S. Clementis VVillibrordi Frisonum Apostoli consanguineum, eidemq; (non tamen immediate) in regimine Monasterii ab ipso erecti successisse.* Quam igitur nullum pondus in Crusenii conjecturis est! sed nondum cessat philosophari. *Accedit & aliud argumentum,* inquit, *quod indicat hos duos Religiosos Augustinianos: nam statim in primo accessu feruntur S. P. Augustini libros prælegisse.* Si tibi Augustiniãus est quis

Monastici August. c. 17.

Clem. Reyner. Apost. Angel. so. 9.

Alcuinus author universitatis Parisiensis.

Fol. 82.

Albinus & Alcuinus, unus idemq; homo.

Alcuinus Anglo saxo. in Northumbria natus.

quis

quis capitur S.P. Augustini doctrina manibusq;ejus libros versat, jã nemo erudit' erit, qui nomen suum inter Augustinianos profiteri non debeat. Hoc quoq; incogitãti tibi excidit: *In Monasterio Lirinensi viguisse Regulam S. P. Augustini, plures Historio graphi affirmant, & inter alios P. Yepes Ord. S. Benedicti.* Nihil affirmat Yepes. Curiosos decertare, ait, num S. Honoratus Regulam S. Basilii in Lirinense Monasterium suũ introduxerit: an vero S. Augustini: subjungitq;: *Yo no quiero sentencias este pleyto:* Ego nolo hanc litẽ dirimere. Nihil pro Augustinianis, nihil cõtra Basilianos pronũciat.

Yepes an. 558.

Quam Regulam à principio sequuti sint Lirinenses incertum.

Immo, in quam sententiam ipse feratur, hisce verbis exponit: *Es muy provable, que S. Honorato dio Regla particular, y ordenò fu casa con leyes singulares:* admodum probabile est, quod S. Honorat' dederit Regulã particularem, & suo Monasterio leges singulares præscripserit. Hocne est, Yepesium asfirmare, in Lirinensi Monasterio viguisse Regulam S.P. Augustini? si Lirinum, si Luxovium, si S. Galli Cœnobium, si deniq; alia, quorum tu originem Eremitis Augustinianis transcribis, in Regulam SS. Doctoris Ecclesiæ jurassent, num eam sibi è manibus eripi passuri fuissent? num sua sponte cum alia commutassent? ac tantum ducem deserturi fuissent? Cum privatis ac domesticis regulis & legibus sæpe id factum, non nescio.

Verumenimvero dum omnia sigillatim invado, longior æquo mantissa fit. Quocirca Alardum, Attalam, VValericum, Bobonẽ, VVandoleuũ, alios, quos Crusenius è fastis S. Benedicti expũgit, prętereo, & ex fidelia D. Cõstantini Cajetani, Abbatis S. Barõti, è familia D. Benedicti, duos dealbo parietes.

Lucubravit is nuper librum, quem *De antiquitate Ord. Augustinianorum*, inscripsit, quod indigne ferret, in Ordine suo tot lumina ab his extingui, putaretq; non facillus aut solidius ea vindicari posse, quam ostendendo Regulam S. Augustini annis multo posteriorem esse nostris illis Divis. Sumã ego tantum capita describam: an vero is acu rem tetigerit, tu arbitrare.

Constant Caiet. de antiquitate Ord. Augustinian.

S. Basilium & S. Benedictum condidisse Regulas nemo in dubium vocat: de Regula S. Augustini vehementer certatur sententiis. Quam enim hi Regulam vocant, alii pro epistola habent, fæminis non viris missa, ut mirum sit, quomodo Regula, siquam scripsit divinus Pater, vel manibus, vel memoria excidere potuerit, ut hodie quærenda argumenta sint, ad fidem faciendam. Saltem unicum in Europa monstrent Cœnobium, ante S. Ivonis ætatem sub Regula S. Augustini hodierna fundatum. Concilium unicum proferant, ante annum fere millesimum celebratum, in quo Religiosorum S. Augustini fiat mentio. Cœpit vivere, inquit Possidius, secundum Regulam sub SS. Apostolis cõstitutam. Hinc D. Thomas: *De Augustino legitur, postquam Monasterium instituit, in quo vivere cæpit sub Regula à SS. Apostolis constituta, scribebat libros, & docebat indoctos.* Communem vitam simul ducebant, nõ tamen appellabantur Regulares. Eremitæ, antiquissimi sunt, non tamen sub hac Regula. Ad leges vivebãt privatas. Quod ad quæstionem propositam attinet de Monachis, eos ferme omnes amplexatos fuisse postea S. Benedicti Regulam, quis negabit? inquit Baronius Apologia cõtra Bellottum de temporibus S. Benedicto proximis. *Certe Regulæ S. Augustini nec Possidius, nec Gregorius Magnus nec Chrodegagus nec Petrus Damianus, neq; ipse S. Augustinus, usquam meminerunt, etiam ubi maxime debuerunt.*

Ante annũ 1000. nulli bi fit mentio Regulæ S. Augustini.

Accedit Confirmatio Regulæ S. Benedicti, à Gregorio M. profecta, & in Sublacensi archivo reposita: *quam subjicio:* Ego Gregorius S. Romanæ Ecclesiæ Præsul scripsi vitam B. Benedicti, & legi Regulam, quam ipse Sanctus manu sua propria scripsit. Laudavi, & confirmavi in Generali Synodo, & per diversas partes Italiæ, & ubicunq; Latinæ litteræ legerentur, prçcepi ut diligenter observarent quicunq; ad conversionis gratiã accessuri essẽt, usq; in fine mũdi. Credisne tu Maximũ & Sanctissimũ Pootificẽ D. Augustini Regulam, siqua tum in promptu fuisset, hujusmodi verbis quasiproscripturum fuisse? S. Benedictum solum pro publico Religiosarum legum latore per Occidẽtem habitũ, testis est S. Hildegardis, litterarum ante Id ignara, tum à Deo edocta, cujus lucubrationes Eugenius PP. an. M.C.XLVIII. instãte D. Bernh. in Concil. Trevirẽsi approbavit. Etenim de Regula Patriarchæ Monachorum hęc memoriæ ꝑdidit. Ante tẽpora B. Patris hujus Benedicti, nulla certa Regula confirmati Monachi, diversa incertitudine & instabilitate, huc & illuc vagabãtur, certo magisterio, & certa locatione carentes.

S. Benedictũ legum Monasticarum lator per Occidentem.

A Gregorio IX. S. Benedictus Occidentalium omnium Pater, & Monachalis Religionis venerandus auctor vocatur. Cardinalis Bellarminus *Ex tribus Regulis*, inquit, *Sola tertia est certa Augustini sed fæminis data, non viris. Habetur in epistola 109. Reliquæ duæ non videntur Augustini.*

Bellarm. de script. Eccles.

D. Simon VVerlin', Præpositus Diessensis, qui bonã ætatis partẽ S. Augustinum legendo contrivit, fatetur unam fæminis scriptã: reliquas duas à Theologis Lovaniensib' in appendicẽ spuriorũ rejectos. *Objicies:* (ipsũ audis) *Igitur August. nullã viris Regulã scripsit. Ita plane apparet. Neq. n. usquam*

D. VVerlin. in Reg. S. August. dit. Monacensi an. 1618.

ejusmodi Regulæ vel possidius, vel ipse Sanctus meminit. Res digna notatu. Insuper, edicat aliquis quo anno, quo die, quo Pontifice Regula S. Patris Augustini ante undecimum sæculum approbata fuerit? Non enim mihi persuaderi sinam, Eremitas ita negligentes vel oscitantes futuros fuisse, ut nec unum quidem Approbationis Regulæ suæ exemplum servarent, atque posteris transmitterent. Canonici Regulares culpa vacant, quos Crusenius non habuisse Regulam S. Augustini, affirmat, usque ad annum millesimum.

Crusen. f. 52.

At tibi nihil istorum placet, respondesque: *Id temporis nondum legem fuisse latam, ut nulla nova Religio toleraretur, cujus Regulam non approbasset Summus Pontifex. Innocentium III. fuisse, qui hanc limam adhibendam statuerit. Regulam S. Augustini approbatam approbatione generali Iuris non resistentis. Immo Sanctum Augustinum ipsum, tanquam Episcopum, ante Concilium Lateranense Regulas atque Religiones potuisse approbare. Quid ad hæc tandem? expecto quid dicas.*

Aliud est, inquam, piam Congregationem, aliud Regulam approbare. Consule p. d. l. f. de collat. ill. in quam legem Bartolus, & Abbas in dictum c. fin. de relig. domib. *Collegia pia & causa religionis, bene sunt approbata ut licita, non tamen ut Regula. Nam approbatio plura operatur, v. g. ut tales personæ fiant Ecclesiasticæ.*

Igitur etiam ante dispositionem c. final. de religiosis domib. opus erat approbatione Apostolica. Vnde Basilii quoq; Regula demum approbata fuit approbatione singulari. Itaq; poterat ante id quilibet Episcopus pium aliquod Collegium in sua Diœcesi approbare, sed non Regulam, à qua haud liceret discedere. Etenim approbatio est quasi Regulæ creatio, & Iuris publici donatio. Cum igitur unus Episcopus suos extra limites nil juris habeat, adeoq; ejusmodi Regula in Diœcesi aliena sine auctoritate futura esset, universalis pastor Regulas universis fidelibus servituras confirmare debebat.

Nebrid. Antiq. Monast. ep. 128. Spond. an. 1181. Gabr. Pennot. l. 3. hist. tri. part. c. 25.

Habet adversarium Crusenius, verbo Nebridium de Mundelheim, te Canonicum Regularem, qui hisce verbis ipsi incumbit: *In Oriente vero collegit hinc inde dispersas Eremitas Haimericus Patriarcha Antiochenus, eosque ponens in monte Carmelo Carmelitas nuncupavit; sicut in Occidente per Italiæ eremos à Gregorio IX. in unũ corpus redacti sunt Eremitæ vagabundi, quibus cum certum habitum & S. Augustini Regulam contulisset, exinde Augustiniani appellati sunt A. D. 1241.*

Hæc cum ita, Regula prius, Regulæque approbatio, ac Ordinis institutio, quærendæ sunt Crusenio, quam Cœlites ex Ordine S. Benedicti, hodierna D. Augustini Regula Eremitisq; tanto antiquiores in numerum Eremitarum accersendi.

Adduco etiam Iacobum Vadianum. *Gregorius jam Monachus*, inquit, *anno Domini 592. Romæ Pontifex electus est, qui probato semel Benedictinæ factionis instituto, quicquid opis augendis passim Monasteriis afferre potuit, attulit: à cujus Pontificatu perpetuis trecentis annis aliam Regulam Monachi nostrates non habuerunt, quam Benedicti.* Quanti hoc etiam pendendum, quod Petrus Damianus Monachis sæpissime Regulam S. Benedicti inculcat, Canonicos vero non ex Regula S. Augustini, sed ex SS. Patribus & Canonibus exhortatur? Immo ipsius S. Augustini testimonia bina adducit, non facta ulla mentione Sermonis tertii de vita communi, nec epistolæ centesimæ nonæ, ex qua Regula postmodum concinnata fuit. Detulerat eos Damianus ad Pontificem, quod sigillatim peculiũ possiderent, id quod in hodierna Regula Augustiniana fere à principio prohibetur. Illi ex Regula quadam sua facinus defenderunt, per quam liceret ipsis ut victum & vestitum, ità partes eleemosynarũ capere, sibique servare. Quodsi igitur tum Regula S. Augustini in promptu erat, cur Damianus S. Hieronymum, Prosperum, ipsumque S. Patrem Augustinum proprietariis ante oculos statuit potius, quam ejusdem S. Augustini Regulam objecerit? Factum hoc post annum millesimum.

Iac. Vadian. præfat. ad l. 3. rerum Alemannic.

Dices, Canonicos eos fuisse, quales Concilium Aquisgranense instituit, non Canonicos Regulares, quales hodie S. Augustini vocamus. Atqui hodierni Canonici Regulares illos familiæ suæ vindicant. Præterea Ludovicus Pius Aquisgranum ad Concilium celebrandum evocavit Patres, in quo præcipue de Canonicorum institutione ac disciplina ageretur. Ergo si tunc S. Augustini Regula præ manibus fuit, sine dubio omnibus doctrinis aliunde petitis antelata fuit. Atqui Patres nec levem quidem ejus fecere mentionem, ut certum videatur, illam epistolam nondum Regulæ nomen vel authoritatem habuisse. Verba Concilii habe:

Adjunxit etiam monendo, vel quia Canonicorum vita sparsim in Sacris Canonibus & SS. Patrum dictis indita erat, propter simplices quosq; minusq; capaces aliquam ex iisdem SS. Canonib. & SS. Patrũ dictis institutionis formam pari voto pari-

Præfat. ad Concil. Aquisgran. an. 816. celebratum.

que

quæ consensu excerperent, per quam potenter subditorum vita monstraretur, quatenus omnes qui censentur Canonica Professione per viam propositi sui inoffenso gradu incederent. *Item* : Suscipientes igitur libentissime, &c. Omnium id animis sedit, ut secundum ejusdem Principis admonitionem una eodem freti auxilio, & ejusdem Principis non modico adjuti juvamine ejus scilicet largissima largitione, copiam librorum præ manibus habentes, ex Canonica authoritate, & Sanctorum Patrum dictis, veluti ex diversis pratis quosdam flosculos carpentes, hanc Institutionis formam excerperent, & Canonicis observandam conferrent, &c. Proinde omnium sententia statutum est, ab omnibus qui in Canonica professione Domino militant, hanc Institutionis formam, tot Ecclesiasticorum virorum studio vigilanti congestam, juxta virium possibilitatem modis omnibus observandam.

Concil. Aquisgranense secundum. Concilium Aquisgranense alterum, Anno 836. sub eodem Ludovico celebratum, Canonicos ad dictam vivendi formulam provocans, modus ergo, inquit, ipsarum Congregationum hic esse debet, id est, quod Canonici secundum id quod continetur in libro, qui de eorum vita collectus est, religiose conversentur: Monachi vero secundum Regulam à Divo Benedicto traditam, unanimiter, quantumcunque possibile est: cujus Religionis regularem vitam in omnibus sectentur. *Hæc Regula Concilii numerat centum quadraginta quinque capita, nec unquam mentionem injicit Regulæ S. Augustini.* Rem omnem habe: nulla tunc fuit.

Superfluum futurum fuisse, ais, rem notissimam inculcare. Itane vero? Reformantur Regulares, & altum silentium fit de Regula? Deinde, si Capita illa Concilii Aquisgranensis Regulæ S. Augustini tantum fuere addita, cur obsecro, hæc aut hujusmodi verba nusquam in Concilio apparent: *Appendix, vel Supplementum Regulæ S. Augustini?* Ad vestitum tenuem quod attinet, exemplum tantum Sancti Augustini adduxere Patres Concilii: Regulæ, seu potius Epistolæ S. Augustini mentione prorsus supersederunt. Si petis verba Concilii, damus: *Habeatur vestium ratio: Si fieri potest, non ad vos pertineat, quid vobis induendum pro temporis congruentia proferatur, &c.* An non potius Patres in medium attulissent Regulam Sancti Augustini, si qua tum extitisset?

Si scire vis, instas, Concilium Regulæ S. Augustini Glossa fuit. Erras planissime. Regula S. Augustini vult omnia esse communia: Concilium licere Canonicis, ait, *dare & accipere proprias res, quod Monachis inhibitum.* Si Regulæ Aquisgranensis Caput 115. legeris, non frustra operam sumes. Adi insuper Aimonium lib. 5. de Gestis Francorum cap. 10. & 17. Præfat. Concilii Moguntinensis sub Carolo Magno. Anno 813. celebrati. Concilium Rhemense Can. 8. & 9. Concilium Cabilonense secundum, Can. 51. Item Leptinense à S. Bonifacio nostro, Moguntinensi Archiepiscopo, indictum. S. Hildegard. lib. 2. Vision. 5. Sciv. nec non supra Regulam S Benedicti ab initio, cujus sanctissimæ Virginis scripta Eugen. PP. Anno 1148. procurante Sancto Bernhardo approbavit. S. Mechtildem, lib. 1. cap 43. Revelat. Theod. Abbat. Vit. S. Hildegard. lib. 1. cap. 4. apud Sur. 17. Septembr. Baron. tom. 6. anno. 494. & tom. 7. anno 529. Stephanum PP. III. oration. apud Anastas. Bibliothecarium in Chronico Casin. Claud. Roberti in Galliam Christianam. Adhæc gravissimi authores Regulæ S. Augustini ut non antiquæ meminerunt, simulque indicant non à S. Augustino profectam. Petrus Venerabilis, qui floruit anno 1130. lib. 1. epist. 33. & 34. Fillos novos vocat. Petrus Abaylardus Petri venerabilis coævus, epistola contra Canonicum Regularem, *Tu, inquit, & vos ipsi Canonici Regulares à vobis ipsis noviter appellati, sicut & noviter exorti, &c.* Hoc quoque proferendum, Abbatissam Paracletensem ab Abaylardo Regulam petivisse, solis fœminis accommodatam. Operam da: recitabo: *Cæterum quod peto, ut aliquam nobis Regulam instituas, & scriptam dirigas, quæ fœminarum sit propria, & ex integro nostræ conversationis statum habitumque describas, quod non à Patribus Sanctis actum esse conspeximus. Cujus equidem rei defectu nunc agitur, ut ad ejusdem Regulæ professionem tam mares quam feminæ in Monasteriis suscipiantur, & idem Monasticæ Institutionis jugum imponitur infirmo sexui, æque ut forti. Unam quippe nunc Regulam D. Benedicti apud Latinos feminæ profitentur æque ut viri.* Hem tibi, ut queritur hæc Antistes, nullam Regulam à SS. Patribus infirmiori sexui scriptam?

Concilium Aquisgranense non fuit glossa Regulæ S. Augustini.

Ep. Heloissæ quæ inter Abaylardi epistolas locum 6. obtinet.

Arnulphus Episcopus Lemovicensis (vixit anno 1141.) postea factus Canonicus Regularis, epistola ad Alexandrum III. queritur pauca esse hujus Instituti Monasteria, vocatque *Novellam plantationẽ.* Quocirca

Penitot-

pennotus male ipsia antiquas & multas Ecclesias in Gallia tribuit, suique Ordinis originem sub hodierna Regula à S. Augustino deducit.

Denique cum Augustiniani etiam vota religiosa nuncupent, horum autem nulla mentio fiat in epistola 109. persuadeas tibi velim, S. Augustinum Epistolam scripsisse, non Regulam.

Haud dum absolvi telam; cesso tamen, quod Lectorem multitudine nec mihi lassandum, neque confundendum esse putem. Satis dispuli offusas nebulas, si is videt nostros Sanctos Patres, quos Crusenius suos fecit, Augustinianis Eremitis nondum natis, de mortuos esse.

Igitur claudo rivos, etsi Cajetanus multo longius prolabi finat. Indulsi autem calamo, ne quoties in antiquiores & celebriores Ordinis nostri Patres inciderem, mihi cum Crusenio, homine erudito cætera & amico, in arenam descendendum foret.

ANNUS CHRISTI 616. — AN. S. BENEDICTI 536.

SS. Attala, seu Attalus, & Bertulphus Abbatis munus post magnum Columbanum excipiunt.

De mortuo superiore anno Beato Columbano successit S Attala, ab eodem ad magna eductus. Acta ipsius refert Ionas Monachus, habetque Surius Patria Burgundus erat, nobilissimæ stirpis surculus, Arigio Episcopo commissus à puero, à quo literas imbiberet. Visum tamen Numini animum pueri ab artibus liberalibus ad virtutes avertere: ideoque ad Monasterium ingrediendum impulit. Lerinensibus imprimis Monachis se dedit, quos inter perquam sancte vixit. Audito postea, Luxoviense Monasterium disciplinæ severitate alia longo intervallo anteire, subjit cupido animum videndi locum incolasq;. Adivit: vidit: ubi famam non latum unguem à vero abjisse animadvertit, absq; mora S. Columbano nomen dedit. Sapientissimus autem Antistes non tantum perfectioni, verum etiam eruditioni scholam ibidem aperuerat.

Sur. 10. Martii.

S. Attala magno Columbano nomen dat.

Novum igitur discendi desiderium incessit Attalam, qui libros assiduo terendo in virum sane doctissimum evasit, spemque de se haud exiguam injecit S. Columbano, à quo ad gravissima negotia adhibitus fuit. Immo cū is Luxovio pelleretur, chara patri appendix fuit: dignus denique habitus, qui baculum pastoralem Cœnobii Bobiensis, à S. Columbano una cum vita positum, caperet. Magna omnino laus, magnaq; gloria tanti Antecessoris vestigia potuisse assequi, disciplinam in numeroso cœtu, fidem Catholicam in Lombardia sartam tectamque præstando. Neq; leviter hæc onera duo tulit. Nam monachorum aliqui in nonnullam libertatem se se asserturi, cornua adversus virum sumpsere, qui cum non cederet insolentiæ, sacrilega fuga se abstulerunt. Improbum flagitium nonnulli secum concoquere nequiverunt, ideoq; Monasterio se se restituerunt, quos S. Attala ad lineam reversos, obviis ulnis, ut olim pater ille Evangelicus filium prodigum, excepit. Alii cœptum scelus prosequuti sunt, sed paulo post graves Numini pœnas persolverunt.

Summæ rerum præficitur Bobii.

Porro, uti nullus ager absq; lolio, ita hæresis Ariana fidei Catholicæ passim se miscuerat per Lombardiam, altasque alicubi radices fixerat. Instabat Attala ut evelleret: è suis etiam emisit, qui errantes in viam revocarent. Præter hanc animarum curam non aliud commercium cum hæreticis vel ipse habuit, vel subditos inire passus est. Nunc specimen dabimus. Blidulphus S. Attalæ discipulus Mediolanum profectus nescio cujus negotio explicandi gratia, cum se per mediam ferret urbem, in Ariovvaldum Ducem, Agilulphi Regis generum; & post illius cognatiq; fata in solium evectum, incidit, quem cum sciret Ariana hæresi tinctum, nullo penitus honore prosequutus est, sed potius dedita opera intendit gradum, ut si nullum videret Ducem. Hunc autem cum advertisset studiosa dissimulatio, iste Monachus, dixit, è Columbani schola prodiit: nullum enim mihi detulit honorē, quamvis ego in ipsum fuerim urbanus. Moxq; in Blidulphum cōversus, joculari corporis motu eundem salutavit, totique aulæ cachinnos excussit. Facile intellexit respectans Monachus ludos se fieri. Ergo sistit pedem, factique sui reddit rationem: videlicet, ideo se nullum ipsi habuisse honorem, quod hæreticis faveret: quod homines profanos quasi Sacerdotes Dei amplecteretur: quod à fide Catholica alienus, Trinitatem in unitate confiteri nollet. Ariovvaldus animo exardescens, se à Monacho istum in modum accipi, itane mei omnes, exclamavit, manus hodie in sinum inserent, nec erit, qui nocte ingravescente Monasterium repetenti, caput insanum fuste comminuat? Utinam surdis hæc dicta profudisset.

Hæresis Arianę odium suis injicit.

Ionas in vita Bertulphi apud Sur. 19. Augusti.

Sed pronis auribus impia verba hausit

homo

homo quispiam nefarius, qui adjuncto sibi socio insidias redeunti Monacho collocavit. Blidulphus cum maxime hoc ageret, ut tempori domum perveniret, sicarii è lustro prorumpunt: lumbos, tergum, caput, fudibus misero frangunt: nec prius tundendi fecere finem, quam (ut è Ionæ verbis cõjicere licet) Blidulphus vivendi finem facturus videretur.

Digressum ab Ariovvaldo ad prandium adhibuerat sacerdos (Iusto nomen erat) cui cum is histrioniam à Duce peractam, additasq; minas retulisset, timuit viro innocenti ab hæretico: quapropter soluta mensâ solicitus, seq; trahi sentiens, abeuntem subsequutus est. Nec vane malum Blidulpho hariolatus erat: quippe qui hæreticorum ingenia comperta habebat. In via enim exporrectum, ac prope enectum reperit. Animo vehementer perculsus invadit jacentem & attollit: hic quid secum esset actum, memorat, additque à defessis verberando humi se afflictum in suavissimum somnum incidisse. Percunctatur porro Iustus, num aliquo membro laboraret? num dolore cruciaretur?

Dæmonis mancipium in libertatem.

Is omnes artus integros & in promptu esse, respondit: corpus omni verberum sensu vacare, quod miraculi loco fuit. Scelestum autem sicarium oppressit dæmon, & expressit nolenti flagitium quod admiserat. Injectus hinc scrupulus Ariovvaldo fuit; quocirca energumenum sceleris que socium ad S. Attalam misit, veniam petitum. Abbas cum suis in orationem fusus, obsessum à malo genio in libertatem asseruit: alteri veniam dedit. Prior tamen paulo post damno, se maximo affecit, dum patrato de crimine magnifice jactare se ausus fuit. Febri namque maligna correptus, vitam exhalavit sævis prius adeo exemplis editis, ut in locum profanum, seque dignum, fuerit funus abjectum. Valuerunt hæc divina supplicia apud Arianos, ut tanto facilius manus dederint, hæresin abdicando.

Sancto, Marte. Rivum inundantem coercet.

Nunc paulo majora canamus. Propter rivum Bobiense stetisse Monasterium iterum te admonemus. Rivus captatis aliunde de aquis regnum id loci possidere cœperat, molamque vicinam incumbentibus fluctibus in discrimen adduxerat. Arbores profecto radicitus evulsæ natabant: erutaque saxa eluctantibus vndis obicem ponebant. Monachi anxii ad S. Attalam cõvolant; periculum molendino impendens exponunt; ut rebus Monasterii tempestive consultum iret, certatim hortantur. Ille accito Sinoaldo Diacono, hunc baculum cape sis, dixit, eumque descripta prius cruce in ripa defige: rivoque impera, ut suo deinceps alveo se teneat. Morem gessit Diaconus: dicto audiens fuit rivus: silentium vulganti prodigium indixit Attala.

Amputatum pollicem manui aptat.

Alia duo miracula tanto libentius edimus, quanto diligentius ab ipso occultata sunt. Agrum Monachus colebat, uno lapide à Monasterio dissitum. Operi rusticano impensius intentus, aratrum fregit. Dum totus in hoc est, ut reficiat, pollicem sibi imprudens detruncat, conlilitq; inoqs, humo obruit. Inde Monasterium curriculo petit: Abbatis ad genua accidit: quid fecisset tulissetq;, anhelus narrat. Attala singultus omittere: surgere, pollicemque refossum ad se afferre jussit. Nulla mora in Monacho est. Antistes sanctus digitum sanguine fluentem glebaque illitum excipit: depurgat: saliva pro glutine imbuit: priori loco reponit, opusque cœptum persequi attonitum, & silere præcipit. Consueverat enim miraculorum suorum ocularis testibus hocce frænum imponere.

Gravi morbo oppressum puerum, fato subducit.

Fuit etiam, ut Mediolani apud amicum diverteret cujus filius ægre jam animam trahebat. Rogatur majorem in modum, ut auxilium moribundo ferat. Captum se sensit Sanctus vir, nisi pio astu testes submoveret. Ergo parentibus auctor fuit, ut templa obirent: pro salute filii preces Deo litarent. Vacuis sic ædibus, affixum lectulo juvenem adivit: ille absque mora convaluit. Tum Attala, ut ne notaretur, cubiculo festinus excessit, non ignarus vanam gloriam esse fugiendam. Tot autem tantisque excelluit miraculis, ut merito inter præcipuos S. Columbani discipulos sit habendus. Vitæ peractæ mors respondit. Nam cœlos revelatos priusquam concederet, inspexit.

Morienti patefit cœlum.

Concessit autem vi. Idus Martii vultu (qualis futuris Cœlicolis esse solet) placido: mœstissimis filiis abeuntem patrem multo charissimum lachrymis ubertim prosequentibus.

Demortuo S. Attala, calculis Monasterii S. Bertulphus Abbas lectus est, moribus illi simillimus: gente Gallus, domo nobilissimus. Generis autem claritatem à S. Arnulpho Duce, postea Metensi Episcopo, æstimes, quem sanguine contingebat. A prima pueritia apud eundem beatioris vitæ fundamenta jecit, cumque non-

nihil adolevisset, genitoribus, opibus, honoribus, quibus frui licuisset, abdicatis, Luxovium ad S. Columbanum confugit, à quo in D. Benedicti Ordinem redactus est. Pietati unice deditus erat, qua gratia omnes in eum conjecere oculos. Forte S. Attala itinere in Galliam suscepto, viam Luxovium flexerat, Eustasii veteris amici visendi causa.

S. Bertulph⁹ Bobium abducitur.

Quo ubi perventum est, diligenter omnia exploravit: disciplinæ rationem: Monachorum numerum: mores: litteras: spem suam superatam, fateri debuit: primæ tamen notæ fuerat Bertulphus. Quapropter etiam atque etiam oravit S. Eustasium, ut Bobium abducere sibi liceret. Voti compos factus repetivit Italiam, passibus æquis sequente Bertulpho, qui in magna felicitate ponebat, patrium solum vertere, cognatisq; tergum dare posse.

Numen id egisse, nullus dubito. Ille enimvero egregiam Ecclesiæ operam navavit, Arianos per Lombardiam vel Catholica fide imbuendo, vel grassantes premendo. Sic tredecim annis in Italia extractis, evadente ad Superos S. Attala, Abbas Bobiensis tertius creatus est. Bene vertit hæc creatio Bobiensibus, eo quod Ariovvaldus familiariter Bertulpho usus sit. Injuriæ, quibus Monasterium olim affecerat, mordebant subinde animum, impellebantq; ut beneficiis compensaret. Nata brevi occasio est. Nam Procus Episcopus plus juris, quam par erat, in Monachos sibi vindicare cœpit. Ariovvaldus jam Rex salutatus, causa Monachorum sucepta, Bertulpho Romam iter paranti litteras ad Honorium ferendas dedit, quibus Pontificem rogavit, ut servitutis grave jugum ab Episcopo impositum demeret Monachis, suumq; Bertulphum bene haberet. Multum epistola hæc, plus S. Bertulphi virtus Romæ potuit, cui adeo semper Honorius adfuit, ut ægre, quoties debuit, avelli sit visus. Porrò Monasterium Episcoporum jurisdictione volens lubens absolvit: Sedi Apostolicæ immediate (ut loquuntur) subdidit; qua gratia non alia maior à Pontificibus ante institutas Congregationes poterat conferri.

Fit Abbas.

Episcopum Monasterio nimium quantum imminentem, penitus excludit.

Dum Roma domum contendit sedulus Antistes, in febrim incidit, qua maxime in pervigilio SS. Apostolorum Petri ac Pauli, quorum limina osculo nuper triverat, laboravit. Ergo Cœlitum istorum opem imploraturus, horas insomnes duxit, quod Ionas Monachus testis oculatus refert. Suma jam nocte subito sopore, quem frustra identidem abstergebat, profunde sepultus est.

Spem vitæ præcisam S. Petrus restituit ægroto.

Non mora, sic quiescenti D. Petrus se objecit, Quid fit, inquiens, Bertulphe? Salvus sis. Corripe de strato non amplius ægrum corpus: & cum sociis iter prosequere. Perculsus majestate viri, quisnam mortalium, vel immortalium esset? rogavit. Ille, quod res erat, principem Apostolorum se esse, cujus tum solennia festa agerentur, respondit, simulq; plura cupienti elapsus est. Bertulphus receptis viribus lætus, animi pendebat, an colloquium sensisset Ionas, quid si is clanculum, inquiens, dormienti imminuit? quid si verba nostra captavit? quam vellem, ut capite obvoluto in utramq; aurem dormivisset. Nolo enim hominibus esse admirationi. Nolo compertum esse aliis, quo ego loco apud Deum sim. Aliquot deinde quæstiunculis adortus Ionam est, ut verum expiscaretur: vel aliam ei opinionem injiceret. Quem ubi sensisse animadvertit, cœlitus allatam esse salutem, arcanum sponte aperuit: videlicet, morbo se per S. Petrum fuisse absolutum. Multa alia admiranda memoriæ prodidit hic Ionas, quæ nos prætermimus, cum rebus in longis optimum sit, habere modum. Vitam deposuit ad XIX. Augusti diem, Divis ab Ecclesia insertus. Multa quæ memoravimus, annis in sequentibus accidere: sed consilium fuit huc attexere, ne sæpius superare alpes cogeremur.

AN. CHRISTI 617. AN. BENEDICTI 137.

CAPUT I.

S. Eustasius summæ rei præest Luxovii.

EVstasius comitandi S. Columbani obsequio solutus, & Abbatiæ Luxoviensis Provinciam adire jussus, eo se recepit, nec quicquam potius habuit, quam ut se suosq; in parentis Columbani mores formaret. Sub hæc Clotarius Rex tam opimas divitias in Monasterium congesserat, ut ferant sexcentos Monachos id habitasse: bonam quoque partem nobili loco natos, quod fama Eustasii nomen per Gallias vulgante, certatim patres suos filios illi in disciplinam dedissent. Vnde tempore non longo eam in magnitudinem evasit, ut Antistites atque Episcopi, velut è plantario, inde per totam Galliam peterentur, nec non aliorum Monasteriorum fundatores. Quapropter nonnulli caput id Congregationis constituerunt; etsi sæculis illis umbratilis potius, quam vera Congregatio fuerit. De disciplina quidem & cæremoniis haud paucis Cœnobiis cum Luxoviensi convenerat, id-

S. Eustasius clavum Monasterii Luxoviensis tenet.

Vide Ioan. Scotum apud Bedam c. 1. f. 243 Sur. 29. Mart. Vsuard. Bedam, Molanum. Martyrolog. Rom. Kal. Trith. de viris illustr. S. Ben. l. 9. c. 30 Vinc. Spec. l. 23. Petrus de Natal. l. 4. c. 11. l. 9. c. 12. qui Eustasii vocat Eustachium, & v. Id. Octobr. celebrat.

que ut

que ut origem suam, sibi ante ponebant, libera nihilominus erant, neq; jus ipsis Luxoviensis Abbas dicebat.

Promulgat Evangelium.

Multum operæ idolis vertendis S. Columbanus dederat, cum adhuc Luxovium incoleret: non tamen undiq; extrusa sunt. Negotium proinde S. Eustasio dedit, ut lucem Evangelicam inferret cæcis, qui acer in personatos istos Deos ac ardens, viciniã obivit ipse: in Lotharingiam vero: in exporrectas alpium appendices, Galliam & Alemãniam spectantes: in Bavariam, ac inferiorẽ Germaniam alios, huic oneri pares, emisit; quæ sacræ expeditiones nõ modo in gentilium, verumetiam Ordinis nostri ingens bonum cesserunt. Parta enim alibi de idololatria, alibi de vitiis victoria, mirifice sibi mortalium gratiam conciliarunt, quorum ope postea Monasteria cõstruxerunt. Et hæc ipsa lucro apponebant tam antiqui quã novi Christiani, quod sua interesse intelligerent, hujusmodi habere laborantium animarum asyla. Moleste orcus tulit, undiq; à Monachis in fugam se agi. Visum est illi aliquam machinam intendere, malisq; impendentib' obviam ire. Degebat Luxovii Agrestinus, Regi Theodorico aliquando à secretis, rerũ sæcularium quam religiosæ vitę peritior: ideoq; opportunus à cacodęmone habitus cui fibulam affigeret. Homini in mentem venit, rapere falcem, & in hanc quoq; messem ire. Convenit S. Eustasium: ut discedendi potestatem sibi faciat, rogat. Mirari sapientissim' Antistes, quod ista dementia lepidissimum caput cepisset: ejiciundam esse profecto de animo stultissimam cogitationem, dictitare: deniq; caperata fronte abnuere, nõ ignarus viros Apostolicos cœlo delabi debere. Hic tamen asinus ad hanc lyram se aptissimum credidit, aliaq; argumenta super alia cumulans Abbati institit, ut bonis avibus abire liceret. Is ubi vidit pertinacem de sententia dimoveri haud posse, vade, dixit, & tuam aliorumq; salutem in Bavaria quære. Voti compos factus, festino pede se contulit in provinciam: modo singulos instituit: modo concione convocata, de loco superiore verba fevit: utrobiq; oleum ac operam perdidit, inanis olla: nihil auxilii auditoribus attulit: nihil ædificavit. Qui enim potuisset absque humili fundamento? sed plerumque nascitur ridiculus mus, cum montes parturiunt.

Agrestinus, dum alios quærit, se perdit.

Cum schismatico amicitiam coit.

Agrestinus amplissima spe dejectus, tum etiam dedecore notatus, non ausus est S. Eustasio in conspectũ se dare. Ergo consilium in arena capit. Italiam, Italiam petere, stetit sententia. Vbi Aquilejam ventum est, Patriarchæ se venditavit, qui sub idem tempus à Pontifice Romano defecerat, nihil illi deinceps concessurus; quæ insania nostræ quoq; ætatis hæreticos tenet, omnes Episcopos eodem loco habendos, jactitantes. Itaq; miser schismatici signa sequens, ne parum calere videretur, litteras ad S. Eustasiũ dedit, in eãdem dementiam ipsum adducturus. Simillimas plagas etiam S. Attala tetendit. Horum alter res Ecclesiæ in Gallia: alter in Italia sustentabant: qui Agrestinum sic præcipitem esse datum, vehementer indoluerunt. Epistolis vicissim adoriuntur transfugam: ut ad frugem redeat, obsecrant: ut animũ recipere, atq; è barathro emergere velit, obtestantur. Nihil agunt. Nam uti ollã, turpi fuligine obsitam, citius fregeris, quam laveris, ita Agrestinus plane ad insaniam redactus est. Etenim ritus Monasticos jculariter traduxit: leges etiam latorẽq; S. Columbanum invasit. Quocirca metus erat, ne scintella hæc improba magnum excitaret incendium, eo quod Episcoporum aliqui per Galliam apostatæ veteri amicitia, alii vero sanguine conjuncti essent.

Premitur à Concilio Matisconensi.

At intercessit Clotarius Rex, synodo Patrum in Matisconẽsi civitate coacta. Accitus eodem Agrestinus, nugas pro argumentis de mantica effudit, se tantum dignas, effecitque S. Eustasius, vir eruditus juxtaq; disertus, ut Patres S. Columbani Constitutiones ad unum omnes probarent. Postæc in ordinem redegere profanum, & veniã à suo Abbate reposcere compulerunt, qui dicto quidem audiens fuit, sed vultu verbisq; ad fraudem cõpositis: unde conceptũ semel virus occasione proxima in obvios evomuit. Aggressus etiam S. Eustasii amicos est, veluti S. Amatum, S. Romericum, S. Faram, atqui noluerunt induere infame frænum. Omnem nihilominus lapidem apud alios in leges conjecit, quas magnus Columbanus sanxerat: & fuere tam sæculares quam Religiosi qui vertigine illa se rapi permiserunt, sed morum arbiter Deus à singulis pœnas tempestive sumpsit. Quosdam dilaniarunt lupi: alii de cœlo tacti sunt: nonnulli metu imminentis supplicii exhalarunt infelices animas: ad summam, quinquaginta amplius asseclæ casu diverso extincti sunt. Agrestino, qui hos indigni schismatis polos versabat mancipiũ paulo ante in libertatẽ assertum, caput nefarium ense abstulit. Non garrula ab ilice cornix, sed veridicus vates Eustasius, cum obstinato maxime incumberet, intra unius anni volumen male periturum, ni saperet, auguratus est. Certe triginta dies ante, quam effluxisset annus, dominum è medio sustulit servus.

Ionas in vita S. Eustasii.

Capite plectitur.

CAPVT II.

S. VValaricus, Monachus Luxoviensis, in agro Ambianensi sementem facit.

RECtius alea cecidit Ambiaoi (vulgo Amiens) quo S. Eustasius VValaricum miserat, rudes animos excolendi gratia. Sed ejus vitam, uti par est, ab ortu repetamus. Patriã habuit Arverniam: patrem opere agresti vitam tolerantem, cui tota res in paucis ovibus sita, quorum magister VValaricus adolescentulus erat. Vidit puerorum alios frequentare litterarum gymnalia: otium aliquid addiscendo conterere: se auté rus merum esse: quocirca ad ignotas litteras animũ adjecit: in scholas viam affectavit. Prohibuere parentes: fugam meditantem iterum iterumq; ad ovium custodiã augurarunt. Recoctus opilio ad gregem lanigerum obedientem pedem retulit quidem, in tabella tamen elementaria, è sinu deprompta, diem exercere consueverat, animoq; imprimere quæ pueri ipsum docuissent domi. Nõ adeo multos condidit soles, cum legendi peritus evasit. Læti parentes quod puer hoc saxum non ita diu voluisset, suamq; expectationem superasset, quid tergiversamur? inquiunt. Elementa prima adhuc labare gnarũ putabamus, & hem! semi doctus jã legit. Mittamus in scholas. VValaricus gaudio plenus linguę latinæ dies noctesq; studere: Psalterium memoriæ mandat: tum vero se Clericis per tẽpla miscet, unaq; divinas laudes persolvit. Facile intellexisses, in quẽ virum puer olim evasurus esset. Aliquando cognatum invisit Monachum, vicino in Monasterio colentem (Anturio nomẽ erat) quo cum suas subduxit rationes. Parentes egestate oppressi, potius sibi quam illi consultum ibant, ideoq; à Monachismo avertebãt. Quod enim factus Monachus ipsorum paupertatem levare os posset, res ipsa indicabat. Sed aliam chordam movebat cognatus. Videlicet, è sæculo in Monasterium se transferret: à teneris annis suave Numinis jugũ subiret, suasit. Non opus fuit diu ferire pronas aures: petitur extemplo religiosus habitus: datur Deo nomen. Vbicunque inde charitatis & humilitatis opera patebat aditus, adesse VValaricus, & exercere. Cum quibus erat cunq; una, colere, amare: adversus nemini esse: omnium studiis obsequi. In quem modum cum vitã instituisset, sibiq; leges præter cõmunes privatim alias posuisset multo severiores, divino stimulo act' orat Abbatẽ, ut Cœnobiũ Antisiodorẽse secedere sibi liceret, in quo sũmę rerum Macarius præerat. Novam hic flammam, ardenti VValarico suggessere austeritatis singularis & sanctimoniæ exempla quotidiana. Sedulus ivit in vestigia: immo jejunando, vigilando, orando, corpus asperrimum, in modum accipiendo, ferme cæteros anteivit. Angelum putasses, non hominẽ. Multa interea de admiranda. S. Columbani vivendi ratione attulit fama, ut tandem cupido VValericum incesserit ejus quoq; videndi imitandiq;. Quantumvis enim proprio in Monasterio vigeret disciplina, neq; Macarius remitteret chordam, ipse tamen altius suspirabat. Ergo migratur Luxovium: S Columbanus tam bonum hospitem benevolẽ excipit.

Sur. 1. April.

VValaricus magister ovium adhuc puer excæcatus.

Relictis ovibus litteras tractat.

Suspectos mundi laqueos vitat.

Vt tyronibus atq; novitiis Monachis opera cõtempta injungãtur, pridẽ mos obtinuit in Asceteriis, cum basis rerum nostrarum sit animi submissio. Hortum proinde colere VValaricus jussus (quod felix faustũque sit) fodit, conserit, purgat, stolones putat, quam qui diligentissime. Horti alii Monachis aliis commissi sunt. Aliquãdo S. Columbanus se foras produxit, exploratum an omnes laborassent ex sententia. Nihil prorsus vitii in horto VValarici offendit: at cæteri plane littus arasse visi sunt. Nã erucæ milleq; vermes olera, plantas, legumina, folia cũ fructibus violaverant. Attonitus Abbas stetit, non de nihilo factum ratus, quod novi hospitis hortus vireret ac floreret, reliquis sordentibus & squallentibus, eum suo cætui adscivit. Sed aliud quoq; accidit, unde egregii juvenis sanctimonia potuit æstimari. Solebat S. Columbanus statis horis sacras litteras suis discipulis interpretari, magister nulli secundus. Hinc Monachi, quanti quanti, nil nisi virtus & sapientia erant. Forte in pulpito cõsederat caput circumagens, quinam præstoessent speculabũdus, & ecce! VValaricus se infert, perq; gymnasium odorem ambrosium diffundit. Facile olfecit. S. Columbanus, summis viris similem aliquando futurum. Nec falsus est animi. Norma profecto publica fuit in Monasterio, ad quam religionis tyrones se se componerent. Nec solum in Cella seu Claustro valuit, verum externis etiam negotiis gerendis aptissimus fuit. Pulso enim S. Columbano per Theodoricum Regem Luxovio, sæculares in res Cœnobii avidissime involarãt, & suas fecerant. Melius postea nitente sole, animũ adjecerunt Monachi, ad bona, vi ablata, asserenda. Non potest satis narrari, quantum hic operæ posuerit VValaricus, ut sexcentorum Cœnobitarum numerus merito ipsius in laudem vertatur. Si verba docent, si exempla movent, quid non didicere, quid non fecere incolæ Luxovienses? Orationi etiam atq; etiam deditus erat: noctes non raro insomnes fluere permisit: otium

Hortum colit, qui postea solus fructum tulit.

Gymnasium cœlesti odore imbuit.

Omnes virtutes exercet.

otium sanguine viperino cautius vitavit: non nunquam manus opere servili exercebat. Fassum corpus lecto reponebat implumi (nimirum è juncis atque viminibus texto) idq; sepeliebat vilissimo sacco. Siccas fauces fallare consueverat unda, ne aliquid plus è cervisia aut vino traheret, quam veller. Aliquoties integram hebdomadam nihil cibi indulsit ventri. Lætam nihilominus hos inter cruciatus ferebat frõtem, etsi ossibus vix hæreret. In hoc veri Monachi exemplar, tanquam in speculum, inspiciebant omnes, inde pro se quisq; ducturi virtutem; ut mirum non sit, hoc architecto in tantum fastigium sublatum fuisse Luxovium.

VValdelinus movet in idola cũ VValarico.

Dum ista gerũtur in Mosterio, VValdelino aliquid audere in in gentilibus animus fuit. Ætate vero gravis, rectius se facturum credidit, si lateri validum socium, doctrina simulque rerum usu instructũ adjungerat. Placuit VValaricus. Eustasius æqui boniq; magnarum animarum mentem consuluit: ut agrum occuparent, quem culturæ patientẽ crederent jussit: si ita opus foret, etiam alter ab altero divarteret. An Clotario Regi quicquam simile aut secundum id temporis in Gallia fuerit, ferme dubitamus. Hujusmodi anim sacras expeditiones sũmis viribus juvabat, extructis Monasteriis sedẽ nostris figendo, unde quoquoversum ad infideles excurrerẽt, ac arma cõtra tartarum expedirent. In magnum, ô felices Superi! vastissimæ Galliæ bonũ hæc Regis pietas cessit. Cum fundo ita lato excolendo minus pares essent conjuncti, divisa opera VValaric' Ambianum versus in idola, cæteraq; stygis mõstra ciere pugnam instituit. Clotarius, ut hic etiam Christianissimi principis officium fungeretur, Cœnobiũ loco deserto statuit, atqui commodo quod latus alterum allueret mare: alterum piscosus fluvius lamberet, unde mensam instruere licebat. Insuper cum ad pedem editi montis, atq; arboribus frequentissimi, fundamenta jacta essent, VValaricus tugurium in jugo excitavit, in quod se reciperet, si quando vacuus esset. Quãvis autem Luxovienses, Monachorum numero se novo huic cætui anteponere valuissent, rigore nihilominus acriter certatum fuit. Aversi idololatræ paulatim virtutib' & miraculis, ante id nunquam auditis aut visis, ad fidem conversi sunt.

Parvus puer proceram arborem jussu S. VValarici imis à radicibus vellit, ac solo affligit.

Nonprocul ab Augusta, nobili urbe, ingens arbor liquidum propter amnem, alto vertice in cœlum ibat. Diffusi undiq; rami, ætasq; longa majestatem, tum religionẽ arbori addebant. Qua se spaciosus truncus in orbem agebat, idola seu dæmonum signa sigillaq; prominebant, quorum opẽ fidemq; stulti cæcique incolæ implorare solebant. S. VValaricus, dolore differor, dixit, aliquid spei hominib' ratione præditis in trũco, inutiliq; ligno situm esse. Impatiens igitur sceleris, fervensq; bila tantam arcem adversus Iesu Christi regnũ erectam, stare incolumẽ, dejicere decrevit. Quo tamẽ turpiorem notam trunco imprimeret, invalidum puerum secum adduxit: eiq; ut vanissimam arborem everteret, negotium dedit. Puer vix manus admovit: vix parum impulit, & hem! quæ ingẽti mole sua stabat arbor, ingẽti ruina humi fusa jacuit. Idololatris prodigium spectãtibus, nec mens nec color manebat. Lapsi postmodum in furorem, & Deorum suamq; simul injuriam, gravem intarpretantes, illico duxere enses, caput VValarici petituri. Et exemplũ crudelitatis edituri fuissent, nisi servum suum servasset Numen. Nam impetrato dicendi intervallo, ter felices ac amplius ipsos esse, affirmavit, qui suis nunc oculis usurpassent, totã Deorum, quos colerent, turbã viribus parvo puero inferiorem esse, quod ante eum diem ignorassent. Adjecit deinde multa alia, quibus auditis nõ modo condiderunt ferrum barbari, verum etiã Christiana lege instituti, deinde sacro fonte tingi postularũt. Miraculum ad alios; quoque perlatum, alios quoq; ad fidẽ Catholicã amplectendam adduxit, S. VValarico ejusque Monachis ubique operam navantibus. Ne vero seri anni facinoris admirandi memoriam abolerent, ædes ibi posita, gentisque Apostolo VValarico dedicata fuit.

S. VValarico templum positum.

Auctor vitæ ipsius effuso clamo vaticinia, quæ is edidit: pulsos è corporibus dęmones, imperti tã ægris crebro salutem: redditã homini, infelici arbori reste suspenso, vitam, ut prius confessione flagitia expiaret, quã Numinis sententiam ultimam exciperet, describit, quibus omnibus nos supersedemus, ut breves simus. Aliquo tamẽ ejus miraculo erudiendi nobis sęculares sunt, qualib' verbis in congressibus cum servis Dei utendum ipsis, vel abstinendũ sit. Iter fecerat. S. VValaricus hyema perfrigida. Rigentibus gelu artubus & obstupescentibus, in obviam casam se rapuit cum socIis, ne periculum adiret si cœlo tam aspero viã persequeretur. Ad focum forte profana assidebat turba varios, ut fit, sermones terens, donec post manus & pedes nefando igni pectora, id est, turpi Venere incaluere. Ergo igni laxius immũda solvuntur ora: jactantur sordes etiam Neroni libidinum monstrõ detestandæ. Non tulit insolentem levitatem vir Sanctus. Graviter in nefarios animadvertit, abstinerent, dictitans: etiam otiosa verba temere prolata, quãtumvis honesta, olim in judicium adductum

Non fert obscœna verba.

D. Bernhardus Benchorensis Monasterii frequenter facit mentionem, nec unquã illud vocat sui Ordinis. Nec Eremitarum. Brevis & expedita responsio. Deinde quãvis. Benedictini & Cistercienses in unam Regulã juremus, Monasteria tamen utrorũq; distingui solent. Quis enim montem Casinum vocet Monasterium Ordinis S. Bernhardi? unde S. Pater Benchor merito nunquã sui Ordinis appellavit. *Ante aliquot annos solebat ordo recitare offitium de S. Columbano, uti de Ordinis persona.* Quod nobis das argumentum, vicissim accipe: ante multos annos solebat Ordo S. Benedicti recitare officiũ de S. Gallo, uti de ordinis persona, (quod etiãnum hodie facit) ergo. Tu tamen quasi in ęs incidis: *S. Gallus etiã Eremita ex Scotiæ partib' in Helvetiæ limites descendit, ibiq; celebre erexit Eremitoriũ, in quo cũ sociis Eremiticã vitã profess', teste Hermãno: Solitudinẽ collæ suæ incolere cœpit una cũ Iohanne.* Ne tu hospes in Regula S. Benedicti es! faxo tamen ut vetere Patrum nostrorum vivendi rationem scias. *Secundũ genus Monachorũ,* inquit S. P. N *est Anachoretarum, id est Eremitarũ, horũ qui non conversionis fervore novitio, sed Monasterii probatione diuturna didicerunt contra diabolum, multorũ solatio jã docti, pugnare: & bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam Eremi secur jã sine consolatione alterius, sola manu vel brachio cõtra vitia carnis vel cogitationũ, Deo auxiliante, pugnare sufficiunt.* Quãvis igitur D. Benedictus vitã Cœnobiticã instituerit, usus nihilomin' obtinuit eos, quos longa virtutũ exercitatio firmaverat, dimittere in solitudinẽ! Quid opus est verbis, pleni sunt omnes libri. Deinde Monachi nostri delati in Germaniam vel in alias peregrinas terras, non poterant illico incolere Monasteria, inq; iis vitã cœnobiticã agere, cũ adhuc nulla essent. Quocirca in sylvas se cõjecerũt, mapalia & oratoria condiderunt, quę rebus paulatim auctis in justa Monasteria excreverunt. Quod si Crusenius omnes in Eremitarũ Augustinianorũ numerũ vult accipere quot quot post D. Augustinũ Eremos habitarunt, etiam ipsi S. P. N. Benedicto eundum erit.

S. Reg. c. 1.

Veterani Cœnobitæ nostri sæpe in eremum secedebant.

Nunc paulo majora canamus. *Caput* XIII. *De fundatione universitatis Parisiensis & Papiẽsis, per Fratres Eremitanos S. Augustini circa an.* DCC. Caput, inquã & inscriptio Crusenii. Ego vero etsi is sum, qui cõtroversias semper defugerim, nunc tamẽ provincia historiæ Ordinis scribendæ suscepta, dum in medullis ejusdẽ atq; visceribus hæreo, nihil non scrutor: neq; apes, neq; mel nobis eripi patior. Fundatores utriusq; universitatis Alcuinus & Clemẽs Monachi fuere: at fuisse Eremitas, inficias eo. Quassat etiã caput Clemens Reynerus, Congregationis Anglicanę Ordinis D. Benedicti Secretarius, ac natũ esse, qui Alcuinum & Clementẽ maximi nominis monachos è theatro glorię & honoris nostri abducat, vehemẽter dolet. Sed quin tu audis virũ: *Crusenius in opere suo, quod Monasticũ Augustinianũ inscripsit, ut Parisiensis academiæ erectionem suo ordini attribueret, quam omnis antiquitas Flacco Albino Alcuino, monacho Anglo Benedictino, assignavit, eũdẽ mira metamorphosi in duos trãsformavit, ut Albinus quidẽ esset Augustinianus Eremita ex Hibernia seu Scotia, & fundator Academiæ Papiensis: & Clemens, Hibernus alter Augustinian' fundator Parisiensis.* Alcuinus vero, *inquit*, in partibus Angliæ degens, & hæc audiens, re sua composita in Galliã advolavit, eandẽ professionẽ aggressurus, spe honoris ac dignitatis cõcepta. *Sed quis sine indignatione ferre posset cacoethes hoc, quidlibet sine certa ratione audacter asserendi? nam quod Crusenius quasi pro inexpugnabili fundamẽto suæ assertionis ponit de antiquitate Ordinis sui in Hibernia & Scotia, inferius ostendemus esse fictitiũ, ipsumq; in historia Angliæ & Hiberniæ toto cœlo errare. Quod autem asserit de Albino & Alcuino, est tam crassus error, ut mirũ sit hominẽ doctũ id ausũ asserere. Opera enim ipsa D. Alcuini iã edita à diligentissimo viro D. Andrea Quercetano clarissime ostẽdunt, nõ distingui Albinũ ab Alcuino magis quã Ciceronẽ oratorẽ à M. Tullio. Etenim ipse Alcuinus in Epistolis suis modo se Flaccũ Albinum, modo Flaccũ Alcuinũ, aliquando simpliciter se Alcuinũ, aut Albin. aut Flaccũ nominat. Ipsum autẽ Alcuinũ non spe aliqua honoris in Galliã venisse, sed magnis precib' maximi Imperatoris Caroli in Gallia fuisse retentũ, postquã Carolo ipsi Romæ & Papiæ notus (nã fatetur Albinus Alcuinus se Papiæ aliquandiu hæsisse) atq; etiã ad ipsũ prius ab Offa Rege, amicitiæ cõfirmãdæ causa, missus, ingenii sui sanctitatisq; mirabile specimẽ edidit, optime demõstrat Quercetan' in proœmio operũ Alcuini: ubi etiã clarissime ostẽdit, Scotorũ historicos falli, qui eũ sive Scotũ, sive Hibernensem asseruerunt, cũ ipsemet Anglosaxonẽ se in Northumbria natũ in Monasterio Eboracẽsi educatũ scribat: & VVilgito patri S. Clementis VVillibrordi Frisonum Apostoli consanguineum, eidemq; (non tamen immediate) in regimine Monasterii ab ipso erecti successisse.* Quam igitur nullum pondus in Crusenii conjecturis est! sed nondum cessat philosophari. *Accedit & aliud argumentum,* inquit, *quod indicat hos duos Religiosos Augustinianos: nam statim in primo accessu feruntur S. P. Augustini libros prælegisse.* Si tibi Augustiniãus est quis

Monastic. August. c. 17.

Clem. Reyner. Apost. Angel. fo. 9.

Alcuinus author universitatis Parisiensis.

Fol. 82.

Albinus & Alcuinus, unus idemq; homo.

Alcuinus Anglo saxo, in Northumbria natus.

quis

quis capitur S.P. Augustini doctrina manibusq; ejus libros versat, jā nemo erudit' erit, qui nomen suum inter Augustinianos profiteri non debeat. Hoc quoq; incogitāti tibi excidit: *In Monasterio Lirinensi viguisse* Yepes an. 558. *Regulam S. P. Augustini, plures Historiographi affirmant, & inter alios P. Yepes Ord. S. Benedicti.* Nihil affirmat Yepes. Curiosos decertare, ait, num S. Honoratus Regulam S. Basilii in Lirinense Monasterium suū introduxerit: an vero S. Augustini: subjungitq;: *Yo no quiero sentencias este pleyto:* Ego nolo hanc litē dirimere. Nihil pro Augustinianis, nihil cōtra Basilianos pronūciat.

Quam Regulam à principio sequuti sint Lerinenses incertum.

Immo, in quam sententiam ipse feratur, hisce verbis exponit: *Es muy provable, que S. Honorato dio Regla particular, y ordenò su casa con leyes singulares:* admodum probabile est, quod S. Honorat' dederit Regulā particularem, & suo Monasterio leges singulares præscripserit. Hocne est, Yepesium affirmare, in Lirinensi Monasterio viguisse Regulam S.P. Augustini? si Lirinum, si Luxovium, si S. Galli Cœnobium, si deniq; alia, quorum tu originem Eremitis Augustinianis transcribis, in Regulam SS. Doctoris Ecclesiæ jurassent, num eam sibi è manibus eripi passuri fuissent? num sua sponte cum alia commutassent? ac tantum ducem deserturi fuissent? Cum privatis ac domesticis regulis & legibus sæpe id factum, non nescio.

Verumenimvero dum omnia sigillatim invado, longior æquo mantissa fit. Quocirca Alardum, Attalam, VValericum, Bobonē, VVandoleuū, alios, quos Crusenius è fastis S. Benedicti expūgit, prętereo, & ex fidelia D. Cōstantini Cajetani, Abbatis S. Barōti, è familia D. Benedicti, duos dealbo parietes.

Lucubravit is nuper librum, quem *De antiquitate Ord. Augustinianorum*, inscripsit, quod indigne ferret, in Ordine suo tot lumina ab his extingui, putaretq; non facilius aut solidius ea vindicari posse, quam ostendendo Regulam S. Augustini annis multo posteriorem esse nostris illis Divis. Sumā ego tantum capita describam: an vero is acu rem tetigerit, tu arbitrare.

Constant. Cajet. de antiquitate Ord. Augustinian.

S. Basilium & S. Benedictum condidisse Regulas nemo in dubium vocat: de Regulā S. Augustini vehementer certatur sententiis. Quam enim hi Regulam vocant, alii pro epistola habent, fœminis non viris missa, ut mirum sit, quomodo Regula, siquam scripsit divinus Pater; vel manibus, vel memoria excidere potuerit, ut hodie quærenda argumenta sint, ad fidem faciendam. Saltem unicum in Europa monstrent Cœnobium, ante S. Ivonis ætatem sub Regula S. Augustini hodierna fundatum. Concilium unicum proferant, ante annum fere millesimum celebratum, in quo Religiosorum S. Augustini fiat mentio. Cœpit vivere, inquit Possidius, secundum Regulam sub SS. Apostolis cōstitutam. Hinc D. Thomas: *De Augustino legitur, postquam Monasterium instituit, in quo vivere cœpit sub Regula à SS. Apostolis constituta, scribebat libros, & docebat indoctos.* Communem vitam simul ducebant, nō tamen appellabantur Regulares. Eremitæ, antiquissimi sunt, non tamen sub hac Regula. Ad leges vivebāt privatas. Quod ad quæstionem propositam attinet de Monachis, eos ferme omnes amplexatos fuisse postea S. Benedicti Regulam, quis negabit? inquit Baronius Apologia cōtra Bellottum de temporibus S. Benedicto proximis. *Certe Regulæ S. Augustini nec Possidius, nec Gregorius Magnus nec Chrodegagus, nec Petrus Damianus, neq; ipse S. Augustinus, usquam meminerunt, etiam ubi maxime debuerunt.*

Ante annū 1000 nullibi fit mentio Regulæ S. Augustini.

Accedit Confirmatio Regulæ S. Benedicti, à Gregorio M. profecta, & in Sublacensi archivo reposita: *quam subjicio:* Ego Gregorius S Romanæ Ecclesiæ Præsul scripsi vitam B. Benedicti, & legi Regulam, quam ipse Sanctus manu sua propria scripsit. Laudavi, & confirmavi in Generali Synodo, & per diversas partes Italiæ, & ubicunq; Latinæ litteræ legerentur, pręcepi ut diligenter observarent quicunq; ad conversionis gratiā accessuri essēt, usq; in fine mūdi. Credisne tu Maximū & Sanctissimū Pontificē D. Augustini Regulam, siqua tum in promptu fuisset, hujusmodi verbis quasi proscripturum fuisse? S. Benedictum solum pro publico Religiosarum legum latore per Occidētem habitū, testis est S. Hildegardis, litterarum ante id ignara, tum à Deo edocta, cujus lucubrationes Eugenius PP. an. M.C.XLVIII. instāte D. Bernh. in Concil. Trevirēsi approbavit. Etenim de Regula Patriarchæ Monachorum hęc memoriæ ꝓdidit. Ante tēpora B. Patris hujus Benedicti, nulla certa Regula confirmati Monachi, diversa incertitudine & instabilitate, huc & illuc vagabātur, certo magisterio, & certa locatione carentes.

S. Benedictū legum Monasticarum lator per Occidentem.

A Gregorio IX. S Benedictus Occidentalium omnium Pater, & Monachalis Religionis venerandus auctor vocatur. Cardinalis Bellarminus *Ex tribus Regulis*, inquit, *Sola tertia est certò Augustini sed fœminis data, non viris. Habetur in epistola 109. Reliquæ duæ non videntur Augustini.*

Bellarm. de script. Eccles.

D. Simon VVerlin', Præpositus Diessensis, qui bonā ætatis partē S. Augustinum legendo contrivit, fatetur unam fœminis scriptā: reliquas duas à Theologis Lovaniensib' in appendicē spuriorū rejectos. *Objicies:* (ipsū audis) *Igitur August. nulla viris Regula scripsit? Ita plane apparet. Neq. n. usquam*

D. VVerlin. in Reg. S. August. edit. Monacensi an. 1618.

que consensu excerperent, per quam potenter subditorum vita monstraretur, quatenus omnes qui censentur Canonica Professione per viam propositi sui inoffenso gradu incederent. *Item*: Suscipientes igitur libentissime, &c. Omnium id animis sedit, ut secundum ejusdem Principis admonitionem una eodem freti auxilio, & ejusdem Principis non modico adjuti juvamine ejus scilicet largissima largitione, copiam librorum præ manibus habentes, ex Canonica authoritate, & Sanctorum Patrum dictis, veluti ex diversis pratis quosdam flosculos carpentes, hanc Institutionis formam excerperent, & Canonicis observandam conferrent, &c. Proinde omnium sententia statutum est, ab omnibus qui in Canonica professione Domino militant, hanc Institutionis formam, tot Ecclesiasticorum virorum studio vigilanti congestam, juxta virium possibilitatem modis omnibus observandam.

Concil. Aquisgranense secundum.

Concilium Aquisgranense alterum, Anno 836. sub eodem Ludovico celebratum, Canonicos ad dictam vivendi formulam provocans, modus ergo, inquit, ipsarum Congregationum hic esse debet, id est, quod Canonici secundum id quod continetur in libro, qui de eorum vita collectus est, religiose conversentur: Monachi vero secundum Regulam à Divo Benedicto traditam, unanimiter, quantumcunque possibile est: cujus Religionis regularem vitam in omnibus sectentur. *Hæc Regula Concilii numerat centum quadraginta quinque capita, nec unquam mentionem injicit Regulæ S. Augustini.* Rem omnem habe: nulla tunc fuit.

Superfluum futurum fuisse, ais, rem notissimam inculcare. Itane vero? Reformantur Regulares, & altum silentium sit de Regula? Deinde, si Capita illa Concilii Aquisgranensis Regulæ S. Augustini tantum fuere addita, cur obsecro, hæc aut hujusmodi verba nuspiam in Concilio apparent: *Appendix, vel Supplementum Regulæ S. Augustini*? Ad vestitum tenuem quod attinet, exemplum tantum Sancti Augustini adduxere Patres Concilii: Regulæ, seu potius Epistolæ S. Augustini mentione prorsus supersederunt. Si petis verba Concilii, damus: *Habeatur vestium ratio: Si fieri potest, non ad vos pertineat, quid vobis induendum pro temporis congruentia proferatur, &c.* An non potius Patres in medium attulissent Regulam Sancti Augustini, si qua tum extitisset?

Concilium Aquisgranense non fuit glossa Regulæ S. Augustini.

Si scire vis, instas, Concilium Regulæ S. Augustini Glossa fuit. Erras planissime. Regula S. Augustini vult omnia esse communia: Concilium licere Canonicis, ait, *dare & accipere proprias res, quod Monachis inhibitum* Si Regulæ Aquisgranensis Caput 115. legeris, non frustra operam sumes. Adi insuper Aimonium lib. 5. de Gestis Francorum cap. 10. & 17. Præfat. Concilii Moguntinensis sub Carolo Magno. Anno 813. celebrati. Concilium Rhemense Can. 8. & 9. Concilium Cabilonense secundum, Can. 53. Item Leptinense à S. Bonifacio nostro, Moguntinensi Archiepiscopo, indictum. S. Hildegard. lib. 2. Vision. 5. Sciv. nec non supra Regulam S. Benedicti ab initio, cujus sanctissimæ Virginis scripta Eugen. PP. Anno 1148. procurante Sancto Bernhardo approbavit. S. Mechtildem, lib. 1. cap 43. Revelat. Theod. Abbat. Vit. S. Hildegard. lib. 1. cap. 4. apud Sur. 17. Septembr. Baron. tom. 6. anno. 494. & tom. 7. anno 529. Stephanum PP. III. oration. apud Anastas. Bibliothecarium in Chronico Casin. Claud. Roberti in Galliam Christianam. Adhæc gravissimi authores Regulæ S. Augustini ut non antiquæ meminerunt, simulque indicant non à S. Augustino profectam. Petrus Venerabilis, qui floruit anno 1130. lib. 1. epist. 33. & 34. Filios novos vocat. Petrus Abaylardus Petri venerabilis coævus, epistola contra Canonicum Regularem, *Cur, inquit, & vos ipsi Canonici Regulares à vobis ipsis noviter appellati, sicut & noviter exorti, &c.* Hoc quoque proferendum, Abbatissam Paracletensem ab Abaylardo Regulam petivisse, solis fœminis accommodatam. Operam da: recitabo: *Cæterum quod peto, ut aliquam nobis Regulam instituas, & scriptam dirigas, quæ fœminarum sit propria, & ex integro nostræ conversationis statum habitumque describas, quod non à Patribus Sanctis actum esse conspeximus. Cujus equidem rei defectu nunc agitur, ut ad ejusdem Regulæ professionem tam mares quam fœminæ in Monasteriis suscipiantur, & idem Monasticæ Institutionis jugum imponitur infirmo sexui, æque ut forti. Unam quippe nunc Regulam D. Benedicti apud Latinos fœminæ profitentur æque ut viri.* Hem tibi, ut queritur hæc Antistes, nullam Regulam à SS. Patribus infirmiori sexui scriptam?

Ep. Heloissæ, quæ inter Abaylardi epistolas locum 6. obtinet.

Arnulphus Episcopus Lemovicensis (vixit anno 1141.) postea factus Canonicus Regularis, epistola ad Alexandrum III. queritur pauca esse hujus Instituti Monasteria, vocatque *Novellam plantationē*. Quocirca

Penitet-

pennotus male ipsis antiquas & multas Ecclesias in Gallia tribuit, suique Ordinis originem sub hodierna Regula à S. Augustino deducit.

Denique cum Augustiniani etiam vota religiosa nuncupent, horum autem nulla mentio fiat in epistola 109. persuadeas tibi velim, S. Augustinum Epistolam scripsisse, non Regulam.

Haud dum absolvi telam; cesso tamen, quod Lectorem multitudine nec mihi lassandum, neque confundendum esse putem. Satis dispuli offusas nebulas, si is videt nostros Sanctos Patres, quos Crusenius suos fecit, Augustinianis Eremitis nondum natis, de mortuos esse.

Igitur claudo rivos, etsi Cajetanus multo longius prolabi sinat. Indulsi autem calamo, ne quoties in antiquiores & celebriores Ordinis nostri Patres inciderem, mihi cum Crusenio, homine erudito cætera & amico, in arenam descendendum foret.

ANNUS CHRISTI 616. AN. S. BENEDICTI 136.

SS. Attala, seu Attalus, & Bertulphus Abbatis munus post magnum Columbanum excipiunt.

DE mortuo superiore anno Beato Columbano successit S Attala, ab eodem ad magna eductus. Acta ipsius refert Ionas Monachus, habetque Surius Patria Burgundus erat, nobilissimæ stirpis surculus, Arigio Episcopo commissus à puero, à quo literas imbiberet. Visum tamen Numini animum pueri ab artibus liberalibus ad virtutes avertere: ideoque ad Monasterium ingrediendum impulit. Lerinensibus imprimis Monachis se dedit, quos inter perquam sanctè vixit. Audito postea, Luxoviense Monasterium disciplinæ severitate alia longo intervallo anteire, subjit cupido animum videndi locum incolasq;. Advivit: vidit: ubi famam non latum unguem à vero abjisse animadvertit, absq; mora S. Columbano nomen dedit. Sapientissimus autem Antistes non tantum perfectioni, verum etiam eruditioni scholam ibidem aperuerat.

Sur. 10. Martii.

S. Attala magno Columbano nomen dat.

Novum igitur discendi desiderium incessit Attalam, qui libros assiduo terendo in virum sane doctissimum evasit, spemque de se haud exiguam injecit S. Columbano, à quo ad gravissima negotia adhibitus fuit. Immo cū is Luxovio pelleretur, chara patri appendix fuit: dignus denique habitus, qui baculum pastoralem Cœnobii Bobiensis, à S. Columbano una cum vita positum, capesseret. Magna omnino laus, magnaq; gloria tangi Antecessoris vestigia potuisse assequi, discipulum in numeroso cœtu, fidem Catholicam in Lombardia sartam tectamque præstando. Neq; leviter hæc onera duo tulit. Nam monachorum aliqui in nonnullam libertatem se se asserturi, cornua adversus virum sumpsere, qui cum non cederet insolentiæ, sacrilega fuga se abstulerunt. Improbum flagitium nonnulli secum concoquere nequiverunt, ideoq; Monasterio se restituerunt, quos S. Attala ad lineam reversos, obviis ulnis, ut olim pater ille Evangelicus filium prodigum, excepit. Alii, cœptum scelus prosequuti sunt, sed paulo post graves Numini pœnas persolverunt.

Summæ rerum præficitur Bobii.

Porro, uti nullus ager absq; lolio, ità hæresis Ariana fidei Catholicæ passim se miscuerat per Lombardiam, altasque alicubi radices fixerat. Instabat Attala ut evelleret: è suis etiam emisit, qui errantes in viam revocarent. Præter hanc animarum curam non aliud commercium cum hæreticis vel ipse habuit, vel subditos inire passus est. Nunc specimen dabimus. Blidulphus S. Attalæ discipulus Mediolanum profectus nescio cujus negotio explicandi gratia, cum se per mediam ferret urbem, in Ariovvaldum Ducem, Agilulphi Regis generum; & post illius cognatiq; fata in solium evectum, incidit, quem cum sciret Ariana hæresi tinctum, nullo penitus honore prosequutus est, sed potiùs dedita opera intendit gradum, ut si nullum videret Ducem. Hunc autem cum advertisset studiosa dissimulatio, iste Monachus, dixit, è Columbani schola prodiit: nullum enim mihi detulit honorē, quamvis ego in ipsum fuerim urbanus. Moxq; in Blidulphum cōversus, joculari corporis motu eundem salutavit, totique aulæ cachinnos excussit. Facile intellexit respectans Monachus ludos se fieri. Ergo sistit pedem, factique sui reddit rationem: videlicet, ideo se nullum ipsi habuisse honorem, quod hæreticis faveret: quod homines profanos quasi Sacerdotes Dei amplecteretur: quod à fide Catholica alienus, Trinitatem in unitate confiteri nollet. Ariovvaldus animo exardescens, se à Monacho istum in modum accipi, ita ne mei omnes, exclamavit, manus hodie in sinum inserent, nec erit, qui nocte ingravescente Monasterium repetenti, caput insanum fuste comminuat? Vtinam surdis hæc dicta profudisset.

Hæresis Arianæ odium suis injicit.

Ionas in vita Bertulphi apud Sur. 19. Augusti.

Sed pronis auribus impia verba hausit homo

homo quiſpiam nefarius, qui adjuncto ſibi ſocio inſidias redeunti Monacho collocavit. Blidulphus cum maxime hoc ageret, ut tempori domum perveniret, ſicarii è luſtro prorumpunt: lumbos, tergum, caput, ſudibus miſero frangunt: nec prius tundendi fecere finem, quam (ut è Ionæ verbis cõjicere licet) Blidulphus vivendi finem facturus videretur.

Digreſſum ab Ariovvaldo ad prandium adhibuerat ſacerdos (Iuſto nomen erat) cui cum is hiſtrioniam à Duce peractam, additasq; minas retuliſſet, timuit viro innocenti ab hæretico: quapropter ſoluta menſâ ſolicitus, ſeq; trahi ſentiens, abeuntem ſubſequutus eſt. Nec vane malum Blidulpho hariolatus erat: quippe qui hæreticorum ingenia comperta habebat. In via enim expotrectum, ac prope enectum reperit. Animo vehementer perculſus invadit jacentem & attollit: hic quid ſecum eſſet actum, memorat, additque à defeſſis verberando humi ſe afflictum in ſuaviſſimum ſomnum incidiſſe. Percunctatur porro Iuſtus, num aliquo membro laboraret? num dolore cruciaretur?

Dæmonis mancipium in libertatem.

Is omnes artus integros & in promptu eſſe, reſpondit: corpus omni verberum ſenſu vacare, quod miraculi loco fuit. Sceleſtum autem ſicarium oppreſſit dæmon, & expreſſit nolenti flagitium quod admiſerat. Injectus hinc ſcrupulus Ariovvaldo fuit; quocirca energumenum ſceleriſque ſocium ad S. Attalam miſit, veniam petitum. Abbas cum ſuis in orationem fuſus, obſeſſum à malo genio in libertatem aſſeruit: alteri veniam dedit. Prior tamen paulo poſt damno, ſe maximo affecit, dum patrato de crimine magnifice jactare ſe auſus fuit. Febri namque maligna correptus, vitam exhalavit ſævis prius adeo exemplis editis, ut in locum profanum, ſeque dignum, fuerit funus abjectum. Valuerunt hæc divina ſupplicia apud Arianos, ut tanto facilius manus dederint, hæreſin abdicando.

...ſunto. Mar... Rivum inundantem coercet.

Nunc paulo majora canamus. Propter rivum Bobienſe ſtetiſſe Monaſterium iterum te admonemus. Rivus captatis aliunde de aquis regnum id loci poſſidere cœperat, molamque vicinam incumbentibus fluctibus in diſcrimen adduxerat. Arbores profecto radicitus evulſæ natabant: erutaque ſaxa eluctantibus vndis obicem ponebant. Monachi anxii ad S. Attalam cõvolant; periculum molendino impendens exponunt: ut rebus Monaſterii tempeſtive conſulium iret, certatim hortantur. Ille accito Sinoaldo Diacono, hunc baculum cape ſis, dixit, eumque deſcripta prius cruce in ripa defige; rivoque impera, ut ſuo deinceps alveo ſe teneat. Morem geſſit Diaconus; dicto audiens fuit rivus; ſilentium vulganti prodigium indixit Attala.

Amputatum pollicem manui aptat.

Alia duo miracula tanto libentius edimus, quanto diligentius ab ipſo occultata ſunt. Agrum Monachus colebat, uno lapide à Monaſterio diſſitum. Operi ruſticano impenſius intentus, aratrum fregit. Dum totus in hoc eſt, ut reficiat, pollicem ſibi imprudens detruncat, conſilioq; inopš, humo obruit. Inde Monaſterium curriculo petit: Abbatis ad genua accidit: quid feciſſet tuliſſetq;, anhelus narrat. Attala ſingultus omittere: ſurgere, pollicemque refoſſum ad ſe afferre juſſit. Nulla mora in Monacho eſt. Antiſtes ſanctus digitum ſanguine fluentem glebaque illitum excipit: depurgat: ſaliva pro glutine imbuit: priori loco reponit, opuſque cœptum perſequi attonitum, & ſilere præcipit. Conſueverat enim miraculorum ſuorum oculatis teſtibus hocce frænum imponere.

Gravi morbo oppreſſum puerum, fato ſubducit.

Fuit etiam, ut Mediolani apud amicum diverteret cujus filius ægre jam animam trahebat. Rogatur majorem in modum, ut auxilium moribundo ferat. Captum ſe ſenſit Sanctus vir, niſi pio aſtu teſtes ſubmoveret. Ergo parentibus auctor fuit, ut templa obirent, pro ſalute filii preces Deo litarent. Vacuis ſic ædibus, affixum lectulo juvenem adivit: ille abſque mora convaluit. Tum Attala, ut ne notaretur, cubiculo feſtinus exceſſit, non ignarus vanam gloriam eſſe fugiendam. Tot autem tantiſque excelluit miraculis, ut merito inter præcipuos S. Columbani diſcipulos ſit habendus. Vitæ peractæ mors reſpondit. Nam cœlos revelatos priuſquam concederet, inſpexit.

Morienti patefit cœlum.

Conceſſit autem vi. Idus Martii vultu (qualis futuris Cœlicolis eſſe ſolet) placido: mœſtiſſimis filiis abeuntem patrem multo chariſſimum lachrymis ubertim proſequentibus.

Demortuo S. Attala, calculis Monaſterii S. Bertulphus Abbas lectus eſt, moribus illi ſimillimus: gente Gallus, domo nobiliſſimus. Generis autem claritatem à S. Arnulpho Duce, poſtea Metenſi Epiſcopo, æſtimes, quem ſanguine contingebat. A prima pueritia apud eundem beatioris vitæ fundamenta jecit, cumque non-

nihil

nihil adolevisset, genitoribus, opibus, honoribus, quibus frui licuisset, abdicatis, Luxovium ad S. Columbanum confugit, a quo in D. Benedicti Ordinem redactus est. Pietati unice deditus erat, qua gratia omnes in eum conjecere oculos. Forte S. Attala itinere in Galliam suscepto, viam Luxovium flexerat, Eustasii veteris amici visendi causa.

S. Bertulphus Bobium abducitur.

Quo ubi perventum est, diligenter omnia exploravit: disciplinæ rationem: Monachorum numerum: mores: litteras: spem suam superatam, fateri debuit: primæ tamen notæ fuerat Bertulphus. Quapropter etiam atque etiam oravit S. Eustasium, ut Bobium abducere sibi liceret. Voti compos factus repetivit Italiam, passibus æquis sequente Bertulpho, qui in magna felicitate ponebat, patrium solum vertere, cognatisq; tergum dare posse.

Numen id egisse, nullus dubito. Ille enimvero egregiam Ecclesiæ operam navavit, Arianos per Lombardiam vel Catholica fide imbuendo, vel grassantes premendo.

Fit Abbas.

Sic tredecim annis in Italia extractis, evadente ad Superos S. Attala, Abbas Bobiensis tertius creatus est. Bene vertit hæc creatio Bobiensibus, eo quod Ariovvaldus familiariter Bertulpho usus sit. Injuriæ, quibus Monasterium olim affecerat, mordebant subinde animum, impellebantq; ut beneficiis compensaret.

Episcopum Monasterio nimium quantum imminentem, penitus excludit.

Nata brevi occasio est. Nam Procus Episcopus plus juris, quam par erat, in Monachos sibi vindicare cœpit. Ariovvaldus jam Rex salutatus, causa Monachorum sucepta, Bertulpho Romam iter paranti litteras ad Honorium ferendas dedit, quibus Pontificem rogavit, ut servitutis grave jugum ab Episcopo impositum demeret Monachis, suumq; Bertulphum bene haberet. Multum epistola hæc, plus S. Bertulphi virtus Romæ potuit, cui adeo semper Honorius adfuit, ut ægre, quoties debuit, avelli sit visus. Porrò Monasterium Episcoporum jurisdictione volens lubens absolvit: Sedi Apostolicæ immediate (ut loquuntur) subdidit; qua gratia non alia maior à Pontificibus ante institutas Congregationes poterat conferri.

Spem vitæ præcisam S. Petrus restituit ægroto.

Dum Roma domum contendit sedulus Antistes, in febrim incidit, qua maxime in pervigilio SS. Apostolorum Petri ac Pauli, quorum limina osculo nuper triverat, laboravit. Ergo Cœlitum istorum opem imploraturus, horas insomnes duxit, quod Ionas Monachus testis oculatus refert. Suma jam nocte subito sopore, quem frustra identidem abstergebat, profunde sepultus est.

Non mora, sic quiescenti D. Petrus se objecit, Quid fit, inquiens, Bertulphe? Salvus sis. Corripe de strato non amplius ægrum corpus: & cum sociis iter prosequere. Perculsus majestate viri, quisnam mortalium, vel immortalium esset? rogavit. Ille, quod res erat, principem Apostolorum se esse, cujus tum solennia festa agerentur, respondit, simulq; plura cupienti elapsus est. Bertulphus receptis viribus lætus, animi pendebat, an colloquium sensisset Ionas, quid si is clanculum, inquiens, dormienti imminuit? quid si verba nostra captavit? quam vellem, ut capite obvoluto in utramq; aurem dormivisset. Nolo enim hominibus esse admirationi. Nolo compertum esse aliis, quo ego loco apud Deum sim. Aliquot deinde quæstiunculis adortus Ionam est, ut verum expiscaretur: vel aliam ei opinionem injiceret. Quem ubi sensisse animadvertit, cœlitus allatam esse salutem, arcanum sponte aperuit: videlicet, morbo se per S. Petrum fuisse absolutum. Multa alia admiranda memoriæ prodidit hic Ionas, quæ nos prætermittimus, cum rebus in longis optimum sit, habere modum. Vitam deposuit ad XIX. Augusti diem, Divis ab Ecclesia insertus. Multa quæ memoravimus, annis insequentibus accidere: sed consilium fuit huc attexere, ne sæpius superare alpes cogeremur.

AN. CHRISTI 617. AN. BENEDICTI 137.

CAPUT I.

S. Eustasius summæ rei præest Luxovii.

EVstasius comitandi S. Columbani obsequio solutus, & Abbatiæ Luxoviensis Provinciam adire jussus, eo se recepit; nec quicquam potius habuit, quam ut se suosq; in parentis Columbani mores formaret. Sub hæc Clotarius Rex tam opimas divitias in Monasterium congesserat, ut ferant sexcentos Monachos id habitasse: bonam quoque partem nobili loco natos, quod fama Eustasii nomen per Gallias vulgante, certatim patres suos filios illi in disciplinam dedissent. Vnde tempore non longo eam in magnitudinem evasit, ut Antistites atque Episcopi, velut è plantario, inde per totam Galliam peterentur, nec non aliorum Monasteriorum fundatores. Quapropter nonnulli caput id Congregationis constituerunt; etsi sæculis illis umbratilis potius, quam vera Congregatio fuerit. De disciplina quidem & cæremoniis haud paucis Cœnobiis cum Luxoviensi convenerat, id-

S. Eustasius clavum Monasterii Luxoviensis tenet.

Vide Ioan. Scotum apud Bedam c. 3. f. 143 Sur. 29. Mart. Vsuard. Bedam, Molanum. Martyrolog. Rom. Kal. Trith. de viris illustr. S. Bend. l. 9. c. 30 Vinc. Spec. l. [illegible] Petrus de Natal. l. 4. c. [illegible] l. 9. c. 12. [illegible] Eustasii [illegible] et Eustasium, & [illegible] Id. Octobr. ce- lebrat.

que ut origem suam, sibi ante ponebant, libera nihilominus erant, neq; jus ipsis Luxoviensis Abbas dicebat.

Promulgat Evangelium.

Multum operæ idolis vertendis S. Columbanus dederat, cum adhuc Luxovium incoleret: non tamen undiq; extrusa sunt. Negotium proinde S. Eustasio dedit, ut lucem Evangelicam inferret cæcis, qui acer in personatos istos Deos ac ardens, viciniã obivit ipse: in Lotharingiam vero: in exporrectas alpium appendices, Galliam & Alemãniam spectantes: in Bavariam, ac inferiorẽ Germaniam alios, huic oneri pares, emisit; quæ sacræ expeditiones nõ modo in gentilium, verumetiam Ordinis nostri ingens bonum cesserunt. Parta enim alibi de idololatria, alibi de vitiis victoria, mirifice sibi mortalium gratiam conciliarunt, quorum ope postea Monasteria cõstruxerunt. Et hęc ipsa lucro apponebant tam antiqui quã novi Christiani, quod sua interesse intelligerent, hujusmodi habere laborantium animarum asyla. Moleste orcus tulit, undiq; à Monachis in fugam se agi. Visum est illi aliquam machinam intendere, malisq; impendentib' obviam ire.

Agrestinus, dum alios quærit, se perdit.

Degebat Luxovii Agrestinus, Regi Theodorico aliquando à secretis, rerũ sæcularium quam religiosæ vitę peritior: ideoq; opportunus à cacodęmone habitus cui fibulam affigeret. Homini in mentem venit, rapere falcem, & in hanc quoq; messem ire. Convenit S. Eustasium: ut discedendi potestatem sibi faciat, rogat. Mirari sapientissim' Antistes, quod ista dementia lepidissimum caput cepisset: ejiciundam esse profecto de animo stultissimam cogitationem, dictitare: deniq; caperata fronte abnuere, nõ ignarus viros Apostolicos cœlo delabi debere. Hic tamen asinus ad hanc lyram se aptissimum credidit, aliaq; argumenta super alia cumulans Abbati institit, ut bonis avibus abire liceret. Is ubi vidit pertinacem de sententia dimoveri haud posse, vade, dixit, & tuam aliorumq; salutem in Bavaria quære. Voti compos factus, festino pede se contulit in provinciam: modo singulos instituit: modo concione convocata, de loco superiore verba fecit: utrobiq; oleum ac operam perdidit, inanis olla: nihil auxilii auditoribus attulit: nihil ædificavit. Qui enim potuisset absque humili fundamento? sed plerumque nascitur ridiculus mus, cum montes parturiunt.

Cum schismatico amicitiam coit.

Agrestinus amplissima spe dejectus, tum etiam dedecore notatus, non ausus est S. Eustasio in conspectũ se dare. Ergo consilium in arena capit. Italiam, Italiam petere, stetit sententia. Ubi Aquilejam ventum est, Patriarchæ se venditavit, qui sub idem tempus à Pontifice Romano defecerat, nihil illi deinceps concessurus; quæ insania nostræ quoq; ætatis hęreticos tenet, omnes Episcopos eodem loco habendos, jactitantes. Itaq; miser schismatici signa sequens, ne parum calere videretur, litteras ad S. Eustasiũ dedit, in eãdem dementiam ipsum adducturus. Simillimas plagas etiam S. Attala tetendit. Horum alter res Ecclesiæ in Gallia: alter in Italia sustentabant: qui Agrestinum sic præcipitem esse datum, vehementer indoluerunt. Epistolis vicissim adoriuntur transfugam: ut ad frugem redeat, obsecrant: ut animã recipere, atq; è barathro emergere velit, obtestantur. Nihil agunt. Nam uti ollã, turpi fuligine obsitam, citius fregeris, quam laveris, ita Agrestinus plane ad insaniam redactus est. Etenim ritus Monasticos localiter traduxit: leges etiam latorẽq; S. Columbanum invasit. Quocirca metus erat, ne scintella hæc improba magnum excitaret incendium, eo quod Episcoporum aliqui per Galliam apostatæ veteri amicitia, alii vero sanguine conjuncti essent.

Premitur à Concilio Matisconensi.

At intercessit Clotarius Rex, synodo Patrum in Matisconẽsi civitate coacta. Accitus eodem Agrestinus, nugas pro argumentis de mantica effudit, se tantum dignas, effecitque S. Eustasius, vir eruditus juxtaq; disertus, ut Patres S. Columbani Constitutiones ad unum omnes probarent. Postæc in ordinem redegere profanum, & veniã à suo Abbate reposcere compulerunt, qui dicto quidem audiens fuit, sed vultu verbisq; ad fraudem cõpositis: unde conceptũ semel virus occasione proxima in obvios evomuit. Aggressus etiam S. Eustasii amicos est, veluti S. Amatum, S. Romericum, S. Faram, atqui noluerunt induere infame frænum. Omnem nihilominus lapidem apud alios in leges conjecit, quas magnus Columbanus sanxerat: & fuere tam sæculares quam Religiosi qui vertigine illa se rapi permiserunt, sed morum arbiter Deus à singulis pœnas tempestive sumpsit.

Jonas in vita S. Eustasii.

Quosdam dilaniarunt lupi: alii de cœlo tacti sunt: nonnulli metu imminentis supplicii exhalarunt infelices animas: ad summam, quinquaginta amplius asseclæ casu diverso extincti sunt.

Capite plectitur.

Agrestino, qui hos indigni schismatis polos versabat mancipiũ paulo ante in libertatẽ assertum, caput nefarium ense abstulit. Non garrula ab ilice cornix, sed veridicus vates Eustasius, cum obstinato maxime incumberet, intra unius anni volumen male periturum, ni saperet, auguratus est. Certe triginta dies ante, quam effluxisset annus, dominum è medio sustulit servus.

Caput II.

S. VValaricus, Monachus Luxoviensis, in agro Ambianensi sementem facit.

Rectius alea cecidit Ambiani (vulgo Amiens) quo S. Eustasius VValaricum miserat, rudes animos excolendi gratia. Sed ejus vitam, uti par est, ab ortu repetamus. Patriã habuit Arverniam: patrem opere agresti vitam tolerantem, cui tota res in paucis ovibus sita, quorum magister VValaricus adolescentulus erat. Vidit puerorum alios frequentare litterarum gymnasia: otium aliquid addiscendo conterere: se autẽ rus meruisse: quocirca ad ignotas litteras animũ adjecit: in scholas viam affectavit. Prohibuere parentes: fugam meditantem iterum iterumq; ad ovium custodiã auguraruni. Recoctus opilio ad gregem lanigerum obedientem pedem retulit quidem, in tabella tamen elementaria, è sinu deprompta, diem exercere consueverat, animoq; imprimere quæ pueri ipsum docuissent dnmi. Nõ adeo multos condidit soles, cum legendi peritus evasit. Læti parentes quod puer hoc saxum non ita diu voluisset, suamq; expectationem superasset, quid tergiversamur? inquiunt. Elementa prima adhuc labare gnatũ putabamus, & hem! semi doctus jã legit. Mittamus in scholas. VValaricus gaudio plenus linguę latinæ dies noctesq; studet: Psalterium memoriæ mandat: tum vero se Clericis per tẽpla miscet, unaq; divinas laudes persolvit. Facile intellexisses, in quẽ virum puer olim evasurus esset. Aliquando cognatum invisit Monachum, vicino in Monasterio colentem (Anturio nomẽ erat) quo cum suas subduxit rationes. Parentes egestate oppressi, potius sibi quam illi consultum ibant, ideoq; à Monachismo avertebãt. Quod enim factus Monachus ipsorum paupertatem levare nõ posset, res ipsa indicabat. Sed aliam chordam movebat cognatus. Videlicet, è sæculo in Monasterium se transferret: à teneris annis suave Numinis jugũ subiret, suasit. Non opus fuit diu ferire pronas aures: petitur extemplo religiosus habitus: datur Deo nomen. Vbicunque inde charitatis & humilitatis opera patebat aditus, adesse VValaricus, & exercere. Cum quibus erat cunq; una, colere, amare: adversus nemini esse: omnium studiis obsequi. In quem modum cum vitã instituisset, sibiq; leges præter cõmunes privatim alias posuisset multo severiores, divino stimulo act⁹ orat Abbatẽ, ut Cœnobiũ Antissiodorẽse secedere sibi liceret, in quo sũmę rerum Macarius præerat. Novam hîc flammam, ardenti VValarico suggessere austeritatis singularis & sanctimoniæ exempla quotidiana. Sedulus ivit in vestigia: immo jejunando, vigilando, orando, corpus asperrimum in modum accipiendo, sermè cæteros anteivit. Angelum putasses, non hominẽ. Multa interea de admiranda S. Columbani vivendi ratione attulit fama, ut tandem cupido VValericum incesserit ejus quoq; videndi imitandiq;. Quantumvis enim proprio in Monasterio vigeret disciplina, neq; Macarius remitteret chordam, ipse tamen altius suspirabat. Ergo migratur Luxovium: S. Columbanus tam bonum hospitem benevolè excipit.

Sur. 1. April.

VValaricus magister ovium adhuc puer creatus.

Relictis nucibus litteras tractat.

Suspectos mundi laqueos vitat.

Vt tyronibus atq; novitiis Monachis opera cõtempta injungãtur, pridẽ mos obtinuit in Asceteriis, cum basis rerum nostrarum sit animi submissio. Hortum proinde colere VValaricus jussus (quod felix faustũque sit) fodit, conserit, purgat, stolones putat, quam qui diligentissime. Horti alii Monachis aliis commissi sunt. Aliquãdo S. Columbanus se foras produxit, exploratum an omnes laborassent ex sententia. Nihil prorsus vitii in horto VValarici offendit: at cęteri plane littus arasse visi sunt. Nã erucæ milleq; vermes olera, plantas, legumina, folia cũ fructibus violaverant. Attonitus Abbas stetit, non de nihilo factum ratus, quod novi hospitis hortus vireret ac floreret, reliquis sordentibus & squallentibus, eum suo cætui adscivit. Sed aliud quoq; accidit, unde egregii juvenis sanctimonia potuit æstimari. Solebãt S. Columbanus statis horis sacras litteras suis discipulis interpretari, magister nulli secundus. Hinc Monachi, quanti quanti, nil nisi virtus & sapientia erant. Forte in pulpito cõsederat caput circumagens, quinam præsto essent speculabũdus, & ecce! VValaricus se infert, perq; gymnasium odorem ambrosium diffundit. Facile olfecit. S. Columbanus, summis viris similem aliquando futurum. Nec falsus est animi. Norma profecto publica fuit in Monasterio, ad quam religionis tyrones se se componerent. Nec solum in Cella seu Claustro valuit, verum externis etiam negotiis gerendis aptissimus fuit. Pulso enim S. Columbano per Theodoricum Regem Luxovio, sæculares in res Cœnobii avidissime involarãt, & suas fecerant. Melius postea nitente sole, animũ adjecerunt Monachi, ad bona, vi ablata, asserenda. Non potest satis narrari, quantum hîc operæ posuerit VValaricus, ut sexcentorum Cœnobitarum numerus merito ipsius in laudem vertatur. Si verba docent, si exempla movent, quid non didicere, quid non fecere incolæ Luxovienses? Orationi etiam atq; etiam deditus erat: noctes non raro insomnes fluere permisit:

Hortum colit, qui postea solus fructum tulit.

Gymnasium cœlesti odore imbuit.

Omnes virtutes exercet.

otium ſanguine viperino cautius vitavit: non nunquam manus opere ſervili exercebat. Faſſum corpus lecto reponebat implumi (nimirum è juncis atque viminibus texto) idq; ſepeliebas viliſſimo ſacco. Siccas fauces fallere conſueverat unda, ne aliquid plus è cerviſia aut vino traheret, quam vellet. Aliquoties integram hebdomadam nihil cibi indulſit ventri. Lætam nihilominus hos inter cruciatus ferebat frõtem, etſi oſſibus vix hæreret. In hoc veri Monachi exemplar, tanquam in ſpeculum, inſpiciebant omnes, inde pro ſe quisq; ducturi virtutem; ut mirum non ſit, hoc architecto in tantum faſtigium ſublatum fuiſſe Luxovium.

VValdelinus movet in idola cū VValarico.

Dum iſta gerũtur in Moſterio, VValdelino aliquid audere in in gentilibus animus fuit. Ætate vero gravis, rectius ſe facturum credidit, ſi lateri validum ſocium, doctrina ſimulque rerum uſu inſtructũ adjungeret. Placuit VValaricus. Euſtaſius æqui boniq; magnarum animarum mentam conſuluit: ut agrum occuparent, quem culturæ patientē crederent juſſit: ſi iſta opus foret, etiam alter ab altero divarteret. An Clotario Regi quicquam ſimile aut ſecundum id temporis in Gallia fuerit, ferme dubitamus. Hujusmodi enim ſacras expeditiones sũmis viribus juvabat, extructis Monaſteriis ſedē noſtris figendo, unde quoquoverſum ad infideles excurrerẽt, ac arma cõtra tartarum expedirent. In magnum, ô felices Superi! vaſtiſſimæ Galliæ bonũ hæc Regis pietas ceſſis. Cum fundo ita lato excolendo minus pares eſſent conjuncti, diviſâ opera VValaric⁹ Ambianum verſus in idola, cæteraq; ſtygis mõſtra ciere pugnam inſtituit. Clotarius, ut hic etiam Chriſtianiſſimi principis officium fungeretur, Cœnobiũ loco deſerto ſtatuit, atqui commodo quod latus alterum allueret mare: alterum piſcoſus fluvius lamberet, unda menſam inſtruere licebat. Inſuper cum ad pedem editi montis, atq; arboribus frequentiſſimi, fundamenta jacta eſſent, VValaricus tugurium in jugo excitavit, in quod ſe reciperet, ſi quando vacuus eſſet. Quãvis autem Luxovienſes, Monachorum numero ſe novo huic cœtui anteponere valuiſſent, rigore nihilominus acriter certatum fuit. Averſi idololatræ paulatim virtutib⁹ & miraculis, ante id nunquam auditis aut viſis, ad fidem converſi ſunt.

Parvus puer proceram arborem juſſu S. VValarici imis à radicibus vellit, ac ſolo affligit.

Nonprocul ab Auguſta, nobili urbe, ingens arbor liquidum propter amnem, alto vertice in cœlum ibat. Diffuſi undiq; rami, ætasq; longa majeſtatem, tum religionē arbori addebant. Qua ſe ſpacioſus truncus in orbem agebat, idola ſeu dæmonum ſigna ſigillaq; prominebant, quorum opē fidemq; ſtulti cæcique incolæ implorare ſolebant. S. VValaricus, dolore differor, dixit, aliquid ſpei hominib⁹ ratione præditis in trũco, inutiliq; ligno ſitum eſſe. Impatiens igitur ſceleris, fervensq; bile jamjam arcem adverſus Ieſu Chriſti regnũ erectam, ſtare incolumē, dejicere decrevit. Quo tamē turpiorem notam trunco imprimeret, invalidum puerum ſecum adduxit: eiq; ut vaniſſimam arborem everteret, negotium dedit. Puer vix manus admovit: vix parum impulit, & hem! quæ ingẽti mole ſua ſtabat arbor, ingẽti ruina humi fuſa jacuit. Idololatris prodigium ſpectãtibus, nec mens nec color manebat. Lapſi poſtmodum in furorem, & Deorum ſuamq; ſimul injuriam, gravem interpretantes, illico duxere enſes, caput VValarici petituri. Et exemplũ crudelitatis edituri fuiſſent, niſi ſervum ſuum ſervaſſet Numen. Nam impetrato dicendi intervallo, ter felices ac amplius ipſos eſſe, affirmavit, qui ſuis nunc oculis uſurpaſſent, totã Deorum, quos colerent, turbã viribus parvo puero inferiorem eſſe, quod ante eum diem ignoraſſent. Adjecit deinde multa alia, quibus auditis nõ modo condiderunt ferrum barbari, verum etiã Chriſtiana lege inſtituti, deinde ſacro fonte tingi poſtularũt. Miraculum ad alios; quoque perlatum, alios quoq; ad fidē Catholicã amplectendam adduxit, S. VValarico ejusque Monachis ubique operam navantibus. Ne vero ſeri anni facinoris admirandi memoriam abolerent, ædes ibi poſita, gentisque Apoſtolo VValarico dedicata fuit.

S. VValarico templum poſitum.

Auctor vitæ ipſius effuſo clamo vaticinia, quæ is edidit: pulſos è corporibus dęmones, imperti tã ægris crebro ſalutem: redditã homini, infelici arbori reſte ſuſpenſo, vitam, ut prius confeſſione flagitia expiaret, quã Numinis ſententiam ultimam exciperet, deſcribit, quibus omnibus nos ſuperſedemus, ut breves ſimus. Aliquo tamē ejus miraculo erudiendi nobis ſęculares ſunt, qualib⁹ verbis in congreſſibus cum ſervis Dei utendum ipſis, vel abſtinendũ ſit. Iter fecerat. S. VValericus hyeme perfrigida. Rigentibus gelu artubus & obſtupeſcentibus, in obviam caſam ſe rapuit cum ſociis, ne periculum adiret ſi cœlo tam aſpero viã perſequeretur. Ad focum forte profana aſſidebat turba varios, ut fit, ſermones terens, donec poſt manus & pedes neſando igni pectora, id eſt, turpi Venere incaluere. Ergo igni laxius immũda ſolvuntur ora: jactantur ſordes etiam Neroni libidinum monſtrõ deteſtandæ. Non tulit inſolentem levitatem vir Sanctus. Graviter in neſarios animadvertit, abſtinerent, dictitans: etiam otioſa verba temere prolata, quãtumvis honeſta, olim in judicium adductum

Non fert obſcœna verba.

iri. Desinerent religiosas aures tam indignis fatigare dictis. At Surdis fabulam.

Nam qui semel perdidere pudorem, haud amplius inveniunt. Non sic unda undam trudit, ut dictum obscœnum unum urget alterum si vela dari cœpta sunt. Illi jam altius intendere risum: è pharetra Cupidinis res promere multo amplius pudendas: verba efferre longe fœdiora, ut petulantissimi quique bipedum his palmam daturi fuissent. Ira justissima incensus VValaricus, *Valete*, dixit, *si potestis. Corpus sævo frigore pene extinctum calefacere hîc animus fuit, sed impia colloquia, quæ intvistis, domo me ejiciunt*: simulque cachinnantibus terga vertit. Vix bene se proripuit foras, cum duo, qui cæteros accenderant, pœnas dedere. Vnus charorum luminum jacturam fecit: alter in miserum spectaculum versus, destitui membrorum usu coeuntibus nervis, atque vivus computrescere cœpit, pauloque post elatus est. Graviter proinde in eos Numen consulet, qui coram hominibus sibi dicatis tã infames telas texere ausi fuerint.

Plectitur verborum improbitas.

Iam sat diu stipendia per Gallias fecit VValaricus. Superest ut rude donetur atque præmio. Quod in monte qui juxta Monasterium alte se tollebat, tugurium è ramis & tignis composuerit, ante hac memoravimus. Adstabat quoque procera arbor, de qua sacra lipsana, cum in preces incumbere vellet, suspendere consuevit, adempta collo. Ibi locum sepulchro cepit: quam longe fossam, deinde quam late duci vellet, haud obiter designavit. Ne alio funus vectarent sui, serio imperavit. Non debebant tanti patris vota satisfcere. Die solis proximo, quam superior tragœdia acta fuit (in Aprilis Kalendas inciderat) vitæ finem imposuit. Eum Ecclesia in syllabum Sanctorum adlegit. Miracula miraculis etiam gleba obtectus continuavit, è quibus unum præbuit ansam, ut præclarum Monasterium, quod S. VValarici dixere majores, conderetur, steti que multis sæculis. Omnia deinde miscentibus bellis, Monachi ut inimica tela evaderent, solum verterunt.

Diem obit.

Quidam Episcopus (Bernhardo nomen erat) capillatam hanc occasionem sibi prehendendam ratus, ligonem quatiens sanctum è tumulo eruere conatus est, Ambiano, urbi celebri eum illaturus. Ah, aërem verberas, Bernharde. S. VValaricus loco moveri nescit. Gleba exhausta, manus injiciuntur feretro: intenduntur vires: operose nihil agitur. Procumbere in preces jussit Episcopus: fuit idem.

Spem & operam Episcopi frustratur in tumulo.

Bello sedato Blidmundus Ambianum venit gravi quondam morbo à S. VValarico absolutus, & in sacram familiam receptus. Hunc secum comite S. Berulpho, in Galliam S. Attalus traxerat. Postquam multos annos Bobiensi in Monasterio cõtrivit, pulsare precibus Abbatem cœpit, ut VValarici visendi potestatem sibi faceret: Surdo lusit fabulam. Cum exempta jam hæc cura homini videretur, dimittitur. Nam S. VValaricus luce luculenta vallatus, de improviso se S. Attalo objecerat: unde corporis vinculis solutum intellexit. Sub idem tempus Blidulphus ad ejus cespitem fatalem pervenit, in quo Antistes Ambianensis refodiendo lecturus sacra ossa, operam perdiderat. Conspecto hospite, sentio divinum nutum, dixit Episcopus. Exuvias hîc suas cõposuit VValaricus. Non auferam: nec fundum invideo, sed erecto Monasterio, Cœliti dicabo. Retulit hoc ad Galliæ Regem Clotarium, discipulis S. Columbani supra fidem deditũ: retulit ad provinciales, qui pridem S. VValaricum pro suo Apostolo habuerant: junctis opibus manibusq; illustre surrexit Monasterium, seu mores seu censum spectasses. Libro Romano quo Abbatibus exemptis statuuntur taxæ, ut vocant, Pontifici solvendæ, hæc indita sunt: *S. VValarici supra mare Ord S. Benedicti, Diœcesis Ambianensis, florenos bis mille & septingentos.* Pauca verba, sed quæ multa produnt: videlicet hoc Cœnobiũ longa per sæcula durasse: non procul mari stetisse: nemini, nisi Maximo Põtifici paruisse, ut filiam matri: divitiis alia antecessisse. Si enim opulentissima Castellæ Monasteria, quæ hodie comperta habemus, ducentos non amplius florenos Papæ numerabant, hoc autem bis mille & septingentos, cæcus es, nisi res ipsi opimas fuisse videas. Velim tibi quoque redeat in memoriam id, quod supra asserui omnia Monasteria à S. Colũbano ejusq; discipulis erecta, Regulam D. Benedicti à prima origine amplexa esse, quod de isto Roma ipsa affirmat. Frequentius & prolixius hoc argumentum versamus, subacti necessitate, quam ij nobis imponunt, qui hujus ætatis præcipuis sanctis habitu nostro spoliatis, suum audacter injiciunt.

Ejus honori ac non ini erigitur Monasterium.

Romano Pont pro Confirmatione Abbatis solvit 2700. florenos.

Sacra D. VValarici ossa summa veneratione prosequuta Gallia est; nec mutarunt vetus mausoleum, donec Nordmanni è septentrione in regnum hoc ruentes fulminis instar ingentem vastitatem locis omnibus attulerunt. Tum enimvero Ambianenses, cum mœnibus suis diffiderent, deq; fuga capessenda jam statuissent, culta sibi diu lipsana tumulo exemerunt, & ad S. Audomarũ, (vulgo S. Omer) Belgii urbem piis manibus

Ejus lipsana Monachis S. Bertini creduntur.

detule-

detulerunt. Cæterum in S. Bertini Monasterio collocarunt, reddenda ubi solem Deus reduxisset. Vexata interea satis à barbaris Gallia, fugitivi respectare patriam: parare domuitionem: à Monachis repetere suum thesaurum. Arnulphus Comes, magnum inter Belgas nomen, Bertinianis operam strenuè navans, Ambianenses spe ac precibus frustratus est: Monachis autem ignosces rectius, quam irascaris. Parcus Sanctorum cultor est, quisquis facile eos è manibus amittit. Atqui etiam Hugoni Capeto Parisiorum Comiti, postea Galliæ Regi S. VValaricus cordi fuit, qui repulsam passus, ferme signa in Arnulphum movit, quod major vis in ferro, quam verbis sit. Hic ne arma caperet, sed insuper gratiam ab Hugone iniret, arcas duas auro argentoq; divites, fabre factas ferentibus Monachis, misit, quarum unam S. VValaricus Ambianensium Apostolus: alteram S. Richarius Ordinis nostri Abbas, implebat. Bonum factum quod etiam Divo arrisit. Nam Hugoni, tam prolixe de se merito, per quietem oblatus, regni fasces promisit, à filiis ac feris nepotibus non nisi post exacta multa sæcula ponendos. Auctores historiæ sunt Vincentius Beluacensis: Iacobus Majerus: Robertus Gaguinus: quid amplius vis? Capetus igitur cum ad sceptrum adspiraret, id sibi deberi, ostendit, nó modo quod Caroli M. stirpem cótingeret, verumetiā quod à Deo, S. VValarico agente, Rex delignatus esset. Sic potius sceptro, sexcentis id amplius annis sua posterumq; suorum manibus tenuit, etiamque hodie tenet. Subit animum vehementer mirari, VValaricum loco humillimo natū, nulla re, quam alicujus facere potuisses, instructum: solum baculum, dependente à collo pera, manu molientem, quo in ordinem oves cogeret, virtute ac meritis tam altè evasisse, ut alicui stemmati non modo amplissimum regnum asserere, verum etiam valuerit stabilire.

Iacob. Majer. an. 981. Robert. hist. Gall. in Hugone.

S. VValaricus Hugoni Capeto regnum pollicetur.

CAPUT III.

S. Eustasius, sexcentorum Monachorum in Luxoviensi Monasterio Pater, alibi Ecclesiam sustentat: alibi ædificat.

ETsi S. Eustasius ut plurimum se domi teneret, ne quid detrimenti Luxovium (Monachis plane stipatum) caperet, suos autem ad facem Evangelii circumferendam, nec non Prioratus curãdos, quoquoversum dimitteret, idem tamen officium Apostolicum ipsus nonnunquam obivit, errantes hæreticos & paganos ad viam reducendo. For te habita sacra Comitia suot in Gallia, quibus Clotarius adfuit. Multis, ex more, in medium allatis, Rex sui regni amplissima spacia exponens, adhuc passim ab idolis insideri, questus est. Photinum insuper & Bonosium hæreticos populum hiantem in errores traxisse. Principiis obstandum, ne malum serpat latius. Luxovienses Monachi omnium aptissimi Patribus visi, qui hisce monstris obviam irent. Exercitatos in hac arena esse: jam pridem egregia specimina promotæ rei Christianæ edidisse.

Vinc. Beluac. lib. 23.

Quocirca negotium S. Eustasio datum, habito delectu suos in hunc campum educeret. Nom mora, ad sacram hanc expeditioné imprimis S. Agilus deinde alii, magnorum spirituũ viri, auctorantur: venitur ad VVaraseos (ita Beluacensis eam gentem appellat) aratro manus injicitur: prædura ingenia juvante Deo proscinduntur, excolunturq;: vanissima idola sacrificuli erepare desinunt: Ecclesiæ pleriq; se dedunt. Inde vestigiis, in Bavariam conversis, non solum idololatris, ut insaniã exuerent, persuaserãt, sed insuper Christianos quoq; induxerunt, ut Photini infectum bolum, quem hauserãt, evomerent. Multa dum hæc gererentur, admiranda per perpetrata sunt, quæ nos prætermimus. Triumphatum à Monachis hisce locis orcum fuisse, & aliquos pro præsidio relictos, indicasse satis sit.

Monachi Luxovienses grassantem Photini hæresin reprimunt.

Rebus in Bavaria ad hunc modum compositis, S. Eustasius cum S. Attalo Galliã repetens, forte tecta subiit Gundoini, summi viri, quo eum antiqua familiaritas ipsi intercesserat. Dicta salute, renovatisq; dexteris, quin sobolem quoq; tuam hue cies, inquit Sanctus, quam pariter salvere jubeam, eique postmodum bene, ut consuetudo mea fert, precer? Vix clamatum fuit, cum pueri advolarunt duo. Rogavit Abbas, num plures procreasset vel qua de causa abessent? Pater ducto de pectore alto suspirio, filia mihi insuper est, subjecit, sed parva admodum: quodque frequenter hoc pectus quatit, luminibus cassa: veniet tamen si ita animo tuo sedet. Quin sedet, respondit Eustasius. Ergo vocatur, duceq; præeunte intrat. Ille nomine cópellans, quod parens suggesserat, Salaberga, inquit, cedo mea Salaberga: age die, an servire Deo tibi anim' sit? Ego enimvero, exeepit candida animula, in vestra potestate futura sum, faciamq; cujus mihi auctores fueritis. Tum Sanctus multa secum tacite volutãs, cespitantem redire in suum angulum jussit: brevi iterum conventuros. Biduum postea impendit jejunio: sæpe etiã genibus nitens,

S. Eustasius cæcam puellam luce donat.

sæpe humi porrectus, preces & lachrymas fudit, ut Deus insontem, juxtaq; miserã, luce donare vellet. Tertio die, obsecro te Gundoine, dixit, filiolam tuam denuo mihi siste. Fac sis ut præsto sit, quæso. Ego vero q̃ qui libentissime, respondit Gundoinus, citoq; adductã admovit Eustasio. Hic oleo (cui bene prius dixerat) cõdit os tenebris oculos munxit, simulq; clarissima luce imbuit. Læti parentes dant plausum; medicum præsentẽ in astra tollunt. Ego autẽ pluris æstimo, quod eodem momento etiam vanitatem mũdi viderit puella, etsi per ipsam stetisset, Deo se dicasset: parẽtes tamen nuptui dederunt. At soluta per mariti mortem connubio, in Monasteriũ se subduxit, cui postea etiam caput fuit, & omnia, quæ potuit, ad limã Luxoviẽsem exegit. Cæterum Monasteriũ illud fuũ primo in Lingoniẽsi suburbio posuerat. Ferventibus deinde bellis Laudunum id transtulit suasore S. VValberto, tertio Abbate Luxoviensi, à cujus nutu pendere solebat. Vulgata virtus & disciplinæ integritas, non secus quam illicium, brevi tot virgines inescavit attraxitq;, ut sanctissima Antistes ducẽtas Moniales numeraret. Rebus sic è voto fluentibus, ad Superos evocata, abiit. Sunt qui miracula eã patrasse, ferant. Martyrologium Romanum ad x. Kal. Octobris ipsius meminit: Trithemius vero eandem inter Ordinis D. Benedicti lumina habet.

Baron. 23. Septembr. Trith. de viris illustr. lib. 3. c. 82.

Porro, antequam domum perventũ fuit, gravis casus icit. S. Eustasium. Maligna etenim febris mirifice coxit comitem itineris S Agilum. Quid faceret, hoc obice viæ objecto Eustasius? præcipitari socium à fatis videns? Palmas supinas cœlo intendit: itineris moram hanc supplex deprecatus est: ut ne profectio corrumperetur, rogavit cœlum. Posthæc sine labe manus vertici ardentis Agili imposuit: ignẽ extinxit. Edomita febri se dant in viã: tangũt novũ Resbacense Monasteriũ, ubi paucos ante dies Agilus Abbas designat' fuerat Loci fundator Auden' erat (qui postmodum Rothomagensem mitram tulit) coloniam vero Luxovio evocavit, cui S. Agilum præfecit. Disciplinæ fundamenta ibidẽ S. Eustasius jecit, tũ etiam in charybdi falsorum dogmatũ laborantes accolas gnaviter expedivit: inde Luxovium profectus, ubi Galliæ & pro communi patre, & pro oraculo deinceps fuit; nã locus id tẽporis cũ bonarũ artium fons esset, alius ad hauriendã eruditionẽ eo filium miserat, germanũ alius aut nepotem & rari erãt è prima nobilitate, qui nõ aliquod familiæ pignus haberẽt Luxovii. Ter quoq; se beatos credebãt Monasteriorũ conditores, qui cultores à S. Eustasio impetrare poterant. Erexit hæc ætas

Febrim solo tactu abigit.

Luxovium virtutis & eruditionis emporium.

præter ea, quæ memoravimus, Cœnobium Solemniacense, Gaudiacense, Caramonicense, Montem S. Romarici, aliaque. Clotarius multos Monachos Luxovienses sedibus Episcopalibus per Galliam imposuit; videlicet Lugdunensi S. Chagnoaldum: Noviomensi & Tornacensi Acharium: Augustodunensi Renacarium: Bononiensi & Teroanensi S Audomarum.

Caput IV.

S. Fara habitum Monasticum sumit, vitamq; sanctissime traducit.

QVando gravius aliquid inciderat, Clotarius non raro S. Eustasium sententiam rogavit; nec peccare unquam in sapientiam visus est. Sed & Eustasio ipsi semel negotiũ cũ Rege explicandum fuit, qui cũm longissime distaret, discrutiabatur animi tantum itineris sibi cõficiendum. Ire autẽ, Regis quoq; intererat. Itaq; se præcingit, & proficiscitur, certũ est, inquiens, apud Cagnericũ & Landegundam Comites hospitari, sæpe tutum nostris Luxoviensibus limen. Obviis receptus brachiis à Cagnerico aliisq; procerlbus ipsum circum fundẽtibus, obsequiis aliquãdiu certatũ est. Inde susceptl itineris ca sam exposuit. Quibus defunctus, ut liberi advocarentur, rogavit. Ruunt in hypocaustũ acciti pueri: ante orã Eustasii pedem figunt: quid se velit, expectant. Is unumquemq; diligenter lustrans, verbisq; salutiferis impertiens, Deo Regiq; gratos fore, prædixit. Quatuor se Ordini nostro intulerunt, postea Divis inserti, è quibus S. Chagnoaldus, Archiepiscopus Lugdunensis erat, S. Colũbani socius, quocunq; in Alemannia tendebat, individuus. Alter (VValberto nomen fuit) post S. Eustasium capessivit clavum: Meldensis olim factus Episcopus. Hoc demortuo, Farus frater infulã excepit. Quartam se addidit Fara, memorabile sanctitatis raræ exemplum. Istorum liberũm genitor Cagnericus etsi totus à Deo & Luxoviensi Monasterio hærere videbatur, aliquid tamẽ præter omnium expectationẽ admisit. Rũpunt amicitiã cum Deo sæculares, quoties intrita novis honoribus offa ipsis obicitur.

S. Eustasius ner adregem suscipit.

Vaticinatur.

Quidam summo genere natus, ut Faram ducere domum liceret, rogaverat Cagnericum: Facile hic annuit, non ignarus gradum fore istas nuptias, quo altius se efferret. Virgo Monialium habitu à S. Columbano absque velo induta, per ædes paternas incedebat, illigata perpetuæ castitatis vinculo, quod privatim sibi indiderat.

Cagnericus Faram si liam cogitat dare nuptui.

Vbi sensit quid pater & invisus sponsus agitarent, non gemitibus, non prosilienti-

bus lachrymis, modum posuit, Bonum Deum comprecans ut spem utriusque falleret: consiliis eorum intercederet.

Fletibus assiduis exhausta, febri correpta fuit, satique lineæ ultimæ admota. Intervenit. S. Eustasius prorsus in tempore: Cagnerici inconsultum facinus gravissimis verbis multavit, præsertim quod in matrimonio eam collocare contenderet, quæ verbis legitimis se Numini consecrasset. Ille vita periclitari gnatam videns; seque verbis, quæ proco dedisset, stetisse qua licuisset, ratus, nuptiis equidem ipsam absolverem, inquit, modo recte valeret. Copiam insuper veli sumendi facerem. Dehinc simul cubiculum ingressi, visunt ægrotam. *Ante alia, hoc tu mihi primum expedi, Fara inquit Eustasius, anne oblita S. Columbani votique nuncupati, ipsa conciliaveris istas nuptias? vel saltem in patris nutum concesseris volens, lubens, ut si auctor fuit?* Negavit illa tædas jugales sibi unquam in mentem venisse, nec per somnium quidem: nec tam vilem sibi Deum esse, ut cum homine commutare velit.

Fara mavult à Deo duci.

Patrem hæc omnia se clam digessisse. Neque voti emissi redintegrandam sibi memoriam esse, quod abdicare nunquam, cogitasset. Posthæc ut morbo, quo arcte obsideretur, se liberaret, identidem flagitavit Sanctum. Hanc spem sibi præterita nocte factam. Si convaluisset, vitæ rationes se ad ipsius arbitrium instituere velle. Fidem habuit narranti vir divinus, quocirca humi prostrato corpore, oravit Numen, ut salutem redderet moribundæ. Precibus sic defunctus, corpus solo attollit: lectulum accedens oculis virgunculæ, fessis à dolore collapsisque, crucem inscribit: illa, rem salvam esse, exclamat: capitalem æstum abivisse. Eustasius successu lætus, moras se amplius nectere posse negat, ne fors post tēpus ad Regem perveniat. Reversurum autem se, pollicetur, ac habitu sacro ipsam donaturum.

Vix evaserat Sanctus, & ecce mus ad caseum, quem semel libaverat rediit. Nempe Cagnericus salva ex voto filia, confestim meditari denuo nuptias: principi nobilitatis verba dedisse, turpe sibi futurum, ac ignominiosum ratus. Tum instare gnatæ, ut morem gerat: hæc minus moveri, quam Marpesia cautes. Vrgente tamen genitore ac incitante, quo se verteret nescia tenella virgo; denique cum ancillarum fidissima composito dolo, patriis ædibus se clam proripuit. Heu fugam non fert res tua, ô bona Fara! An nescis patri tuo longas esse manus? E fuga retrahet, ac forte puniet. Vel quem subditorum abscondere te ausurum putas. Vtinam vanus essem vates! Cagnericus audito sibi elapsam esse filiam, è stulto factus insanus: agite famuli, sublata voce clamavit: celeriter insequimini præcurrentem. Itane ludos patrem faciat filia? Et uafo ducat parentem utrumq;? Capite scelus piabit. Demite vos: per me licet. Non mora, venatici canes isti in viam se subito coniiciunt: odorantur: vestigant: lustrant: sed pedes frustra corrumpunt. Nam puella in templum D. Petri secessit, eum sibi præsidio futurum confidens. Neque spem fefellit Apostolus. Certiores namque facti, ubi latitaret, servi frementes, magno furore in sacram ędem irruperunt quidem, sed mox retractarunt minas, imperium domini insaniam interpretantes: virginem ut parentibus se restituat, ore sedato singuli inhortantur. Ergo redit domum, in sinu gestanda filia. Quid hîc pater? adhuc implacabilis ardet: in vincula duci jubet invisam prædam. Atqui Fara etsi pessime haberetur in carcere, bono nihilominus animo erat, modo virgini esse liceret. Sub hæc à Clotario revertit S. Eustasius.

Præcipiti fuga se sponso ac patri aufert.

Capitur & in custodiam immittitur.

Dum hos & illos oculis signat salutatq;, neq; usquam comparet Fara, suboluit viro, navim ipsius impactam esse vado. Vbi flagitium, cui se affinem Cagnericus fecerat, ordine narratum fuit, homo fulminare verbis ac intonare: nullum adeo lychnum splendere sine fumo (nam Cagnericum nil nisi virtutem esse, crediderat) indignari, huicque nodo cuneum quærere. Tum primum quid designasset, secum reputans insanum caput, nescivit quo pacto se purgaret Eustasio. Nam illum contemnere, vel è jubere domo facessere, periculosum erat: quippe quod Regi, quod toti regno in paucis charus esset, partim suis oculis perspexerat: partim auribus acceperat. Confitenti demum reo veniam Antistes dedit, gratiamq; ipsum inter & filiam conciliavit: simul etiam pessulam obiecit, ut ne Cagnericus ad tam indignum facinus redire posset, exorato Episcopo Gundualdo, ut virginem obvelando dicaret Numini. Ad ultimum, è renata futurum, dixit, Parthenonem si filiæ pater conderet, in quo primas disciplinæ lineas Cagnoaldus & VValbertus fatres, secundū amussim Luxoviensem ducerent. Factum.

Numini consecratur.

Dignus plures vivere in annos S. Eustasius, ut domum venit, ægrotavit. Fatalem diem cœlitus edoctus, breve tempus in suum bonum, qua potuit, vertit: tandem quasi emeritis stipendiis IV. Kalend. Aprilis mortalium statione decessit. Frequentia per Galliam Monasteria fundavit: viros heroicos, qui stygis imperium magnam partem fregere, eduxit

S. Eustasius effundit vitam.

non paucas virgines prudentes lampadibus instruxit: filio Dei desponsdit, è quibus juvat S. Faram cum suo cœtu in theatrum producere. Dum illi caveam struxit mille artifex diabolus, ipsa avolavit, nidumque in Monasterio composuit, cui cum tanta indoles esset, ut divina humanaque rectissime administrare posset, Antistitem crearant. Paulatim tot castæ animæ confluxerunt, ut Asceterium ipsa multitudine laboraret. Quid! Galliæ quoque & Angliæ Reges suas eo filias mittebant, ut innocentiam imbiberent, altaq; mente reponerent. Ejus Monasterium nonnulli Brigense, alii Eboriacas appellant. Nec mirum tibi sit diversa duo nomina fuisse imposita Monasterio, cum totidem tulerit sacra Antistes, quæ si audias, vix credas eandem esse. Beda Faram vocat, simulque subjicit, Angliæ principes suas filias Galliæ Parthenonibus committere solitos, vel quod id temporis pauca Cœnobia numerarit insula: vel quod fama de Faræ integerrima disciplina eam pervagata, multas exciverit. Ionas, qui ejus acta memoriæ prodidit. Tomo 5. venerabilis Bedæ inserta (quem falsò aliqui pro auctore ferunt) Burgundoforam vocat. Idem ipsi nomen in vita Sancti Eustasii Capite 6. inditum. At si examines, Burgundofora idem est, quod Fara, in Burgundionibus nata. Nos Bedam, Vincentium Belvacensem, & Trithemium imitati sumus, nominando Faram.

Beda l. 3 c. 8.

Belvac. Spec. hist l. 24. 25. & 16 Trithem. de Viris illust. l. 3. c. 65.

Cæterum Fara extra orbitam à Luxoviensibus sibi ductam, nunquam moveri se vel cœtum suum passa est. Agrestinus schismaticus, truncus ille ficulnus, superius à nobis depexus, Brigensi huic Parthenoni se insinuaverat, persuasurus Monialibus ut secum desiperent: S. Columbanum ejusque discipulos ac leges pro nihilo haberent. Sed multa fabulantem ita animose repressit antistes, ut amentem puduerit ac pœnituerit orationis. Victoria parta multo magis illa studuit Luxovio. Farus, frater germanus, in aula Theodeberti, postea Clotarii, Regum, magnum nomen, aliquando visebat sororem. Dum verba ultro citroque ut fit, ferunt, Fara cœleste colloquium inire cœpit, videlicet servitutem, quam sacri homines servirent Deo, regnum esse: nimis grande nefas videri, si operam nostram conducat Numen, abnuere, quasi non proprio sanguine nos emerit, diaboli mancipia. Homines religiosos in portu navigare, ad clavum sedente filio Dei: sæculares in alto jactari, navis gubernatore dæmone, qui alio dirigere aut torquere proram non possit, quam ad tartara. Farus

Ionas in vita S. Eustasii.

Persuadet fratri, ut mundo nuncium mittat.

his dictis faucium pectus plaudens, sat diu siccavi, inquit, cados mundi, fæce immunda plenos. Stat certa & immobilis sententia non plus ultra in pelago navigare, sed portum petere. Tum illa: si quidem te servatum vis. Valere postmodum sorore jussa, Blidechildam conjugem induxit, ut inter Moniales nomen profiteretur. Virtute vitaque functi, ambo Cœlitibus additi sunt.

Fara autem cum suo Virginum cœtu incredibilem S. Regulæ duxit rationem. Iejunia, oratio, Chorus, corporum afflictationes (jumento enim nostro calcaria admovenda sunt, ut currat) omne tempus occupabant. Oculos deposuisse in homines sæculares, grande nefas habitum, ideoque vix admissum. Præter alia beneficia, quæ cœlo quasi perpetuo depluebant, acta hunc in modum innocenti vita, plerumque diem fatalem præscivere: scilicet ut ne absque viatico adirent æternitatem. Si quas cepit ignavia, nec eam excusserunt, pœnas illico dedere castiganti Deo. Prolixus hîc Ionas est: specimina nos duo dabimus.

Ad Monasterium Brigense dies noctesque adspirabat Gibitruda, aliquo cognationis gradu contingens Faram. Parentes abiturientem continuo retinebant. Vbi funem hunc contentiosum aliquandiu duxarunt, illa vicit, velumque sumpsit: vitam absque labe coluit. Sub hæc ardere maligna febri bona antistes, & prope exhalare animam. Cum ab omnibus conclamata esset, doloris impatiens Gibitruda, in templum concessit, lachrymisque & singultibus large indulgens, Domine Iesu, dixit verbis tertiatis, Domine Iesu, ecce! cum febri conflictatur nostra Mater, spe Salutis incisa. Obsecro me priorem vita exve. Illico redditum responsum, ipsam ante Faram morituram. Profecto hæc convaluit: Gibitrudam subitus morbus è medio sustulit. Animam excepere angeli, sententiam tremendi judicis subituram. Vallatus hic undique à Cœlicolis, supra fidem coruscantibus, abi, dixit eminus: abi hinc ad tuos, quos nondum omnino deservisti scriptum est: *Dimitte nobis debita nostra, sicut nos dimittimus debitoribus nostris.* Tu autem dicta acerbiora tuis à sororibus in te jacta, moleste nimis tulisti, neque veniam invadentibus dedisti. Hinc igitur ad corpus tuum facesse, inquam, teque pœnitentia lustra. Tristi fulmine isto perculsa exanimis anima, inane cadaver absq; mora subiit: quid se factum esset, turbatis sororibus ore pallido narravit: singulas postea quibuscum illi simultas intercesserat, conve-

Ionas apud Bedam in vita S. Burgundofora seu Fara.

Loco Faræ moritur Gibitruda.

nit : veniam supplex rogavit, i confessione crebrius quam ante culpas diluit : diras à se pœnas ipsa sumpsit. Dum hæc gnaviter agebat, sex menses elapsi sunt. Iterum morbo corripitur : quo die mortem obitura esset, indicat. Vix beatam animam edidisse visa est, cum fragrantissimus odor per cellam se sparsit, ut si parietes sudarent balsama, quod Ionas Monachus, qui præsens adfuit, refert. Per triginta insuper dies, quibus justa illi ex more veteris ævi persolvebantur, sub sacrificium divinus odor imbuebat nares, superiori multo antecerédus, præ quo tota Arabia male olvisset : quod non ita accipias, quasi morientibus hic aliis non vel hoc, vel aliud prodigium acciderit. Aliquando enim aureæ lux implebat nosocomium: nonnunquam cœlestes Genii suavissimo cantu mulcebant aures, ac animas primoribus labris hærentes, ad Superos invitabant. Sed heu ! aliæ duæ diversam (horresco referens) subiverunt aleam.

Tremendū exemplum Dei in duas Moniales, disciplinæ severioris impatientis, statuit.

Rigor Monasterii duas mulierculas plus æquo fatigabat. Exhomologesis præsertim toties frequentanda dentes indignantibus labefactavit. Folles interea gnaviter agitante dæmone, pudebat excludere ova, quæ vel in sæculo vel in Cœnobio posuissent. Falsus toties Confessarius, quod sibi satis se purgassent, credebat. Non hic malitia stetit.

Comitia habent, qua rima è claustro evadant. De die ac hora inter ipsas convenit. Sarcinulis constrictis stato tempore in viam se dant : ostia moliuntur : gradum suspendunt : non tamen sic abiverunt. Etenim deprehensæ suas in cellas multo clamore raptæ sunt, Sancta Fara cæterisque condensatis vocibus tentatum scelus detestantibus. Causam rogatæ immanis sacrilegii, tremulos oculos dejectæ, diabolum totius mali fabrum esse, responderunt, Ne mireris. Sæpe alius potavit: alii solvendum fuit symbolum. O cælum, ô terra, excepit Sancta Fara : Non tandem posuisseris istam dementiam ? Illæ: ad frugem redire nequivimus. Catapulta hoc dictum bonæ Antistiti fuit : quocirca solicite institit oravitque perituras, ut suas manticas diligenter inspicerent : Confessario peccata sua ad unguem exponerent: propinatum à diabolo venenum funditus evomerent. Vivis Saxis verba fecit. Lenta Numinis ira non tulit longius pervicaciam. Quovis morbo nequiores, in morbum coniiciuntur : supinæ mortem præstolantur, nec rationes vitæ actæ subducunt, ab omni bono alienæ. Demum mortis ante-

Dæmones morituris imminent.

ambulones, dæmones conferto globo irrumpunt : voluuntur ad ferales lectos : semianimes lacessunt. Hæ terribili spectaculo nimium quantum consternatæ, per thorum se versare : horrendis mugitibus aera pulsare : prominentes ardentesque oculos vibrare, simulque rotare brachia, rapi se, trahi se ad tartara, clamitantes. Rumor, strepitus, tumultus, fragor, id temporis in summo tecto, in cella, per solum, auditi: quid verbis opus ? triste ingemuit locus, contremuitque. Turpissimas umbras per cellam vagas, voceque infernali nomina decumbentium cientes, viderunt, ac audiverunt præsentes, quotquot erant, moniales. S. Faræ per artus sudor iit, quam & metus & amor misere differebant (Matrem cogita !) infelicibus filiabus iterum alternis, se admovet, oratque majorem in modum, à Stygis limine referrent pedem: spem in confessione & sacra Eucharistia superesse. Prô hominum fidem ! voce gestuque spem fecere incumbenti, nunc se consilium sequuturas scilicet : nunc vero alterum in diem reiicere. Iratus orci candidalis ille supremus dictator, diem ipsis dixit (ah, diem præsentem !) condemnavit : duci jussit. O curvas animas, quas nihil ad rectum potuit flectere ! Subito exhalant tetras animas : cadavera in extremum cœmeterium abjecta sunt : in cinere redacta corpora : sed ut constaret Orbi quo loco apud Deum essent animæ, tres annos (præsertim nascentis servatoris pervigilio, ac verno jejunio) fumarunt tumuli averni igne in vicina quoque gr[illegible]ssante. Grave supplicium, ô Boni superi ! sed nec levis noxa est, loco adversus vitia munitissimo versari : verbis & exemplis ad virtutem impelli, nihil tamen moveri : majorum consilia & imperia flocci pendere.

S. Fara componit vitam.

Fara ætate fessa, vitam ad septimum Decembris diem, quo ab Ecclesia celebratur, placidissime condidit, aliquot Sanctis filiabus relictis, quæ cum ad annos venturos pertineant, hinc submovendas censuimus. Antistitis munus post ipsam excepit Edilburga, Annæ, Anglorum Orientalium Reginæ, filia, quæ ab Ecclesia v. Kal. Nov. colitur.

Trith. l. 3. vir. ill. c. 93.

***

Capvt V.

S. Gallus detrectat honores, ac diem obit.

MOnachi Luxovienses S. Eustasio, amantissimo patre, sibi fatis erepto, omnes in partes voluerunt oculos, si forte conspicerent, qui numeros demortui Eustasii implere posset. Ductis de vrna sortibus, S. Gallus (qui tum procul Alemanniam colebat) exiit, par oneri, vel major. Dato ab omnibus plausu legatos mittunt, qui virum accersant. Atqui senex per rerum & negotiorum mille discrimina jactatus, mundo penitus abdicato, jam aliquo in angulum abjerat, cum solo Deo commercium deinceps habiturus. Neque amplius sui copiam faciebat, nisi cum cæcis gentilibus aliquid lucis, quam ipse cœlitus in Cella hauserat, impertire vellet. Adsunt igitur Luxovienses: vota omnium & suffragia attonito exponunt: ut æqui bonique electionem faciat, seque viæ paret, obtestantur. S. Gallus alio torquere aures, pridem se decrevisse, dictitans, nullos honores adire. Infulæ Constantiensis à se rejectæ meminissent. Excusare insuper effœtam senectutem: onera validis humeris non infirmis imponenda. Cura hinc prima in charos hospites versa, ut bene haberentur. Frigebat culina, nihilque promittebat: in prandium anxio hac causa Gallo, mensam instruxit Deus, rationem suam antiquam obtinens, subveniendo suis servis cum maxime laborant. Itur ad vicinum fluvium: sparguntur retia, & hem! lutræ ad Numinis imperium intentę, capita sublime tollunt: tum dato quasi signo diversas in partes ocyus dilabuntur, & pisces è latibulis excussos, in retia agunt. Is quem primum interceperunt piscatores vel solus justum convivium præbere poterat. Non mora, ambiguas fossas & foramina iterum subeunt & explorant lutræ, illico spectante Sancto Gallo cum legatis Monachis, ingentem copiam, huc illuc vagam atque fugam intendentem pene premunt, & piscatoribus obiiciunt. Pars majorum; pars minorum gentium erant. Hospites & patronus pariter manus in astra tendunt, infinitas Deo gratias agentes, quod ex voto fluxisset piscatio non absque jucundissimo spectaculo. Illi, legatione usque perfuncti, domum repetunt. Frustrati sua spe Monachi Luxovienses, suffragiis novis in Sanctum VValbertum juere, cœtus sui decus & ornamentum, summa familia natum, qui cum necdum ex ephebis excessisset, Sancto Columbano commissus à Cagnerico patre fuit, in quem proinde optimi magistri virtutes litteræque commigrasse visæ sunt. Singularis viri prudētia cū dexteritate conjuncta, non modo Monasterium, sed totam cepit Galliam, qua de causa Luxovio extractum, Episcopali Sedi Meldensi imposuerunt. Quas res gesserit, nescio an quispiam longiuscule prodiderit memoriæ. Trithemius multa paucis componens, sanctimonia & litteris præstitisse, ait: celebratum etiam à miraculis. Quidam ad vi. Kal. May: nonnulli ad vi. Nou ejusdem mensis eum excessisse, ferunt. Mejerus cujusdam VValberti meminit Comitis de Arcubus, qui se una cum suo Comitatu in Sancti Bertini Monasterium transtulerit: inde Luxovium digressus, ibidem lectus sit Abbas. Idem Molanus memorat: facile nihilominus animum induco, hunc à nostro esse diversum, ità ut duo VValberti Luxovio præfuerint cum imperio. Prior enim adhuc admodum puer Sancto Columbano in disciplinam traditus est: nec patre Comite ortus fuerat: & si annos bene subducas, Monachum ad Sancti Bertini agere nequaquam potuit. Vnde mihi vero simile fit, alteri 28. Aprilis diem esse sacrum: alteri 2. May.

S. Gallus Abbatiæ Luxoviensi implicari detrectat.

Strabo l. 2. c. 27.

Mira piscatio.

S. VValbertus præficitur Luxovio.

Trithem. l. 3. c. 72. & alibi.

Iacob. Mejerus hist. an. 668.

Molan. Indic. in VValberto.

Porro Sanctus Gallus, dimoto pedo pastorali; à Luxoviensibus oblato, ad sui Apostolatus provinciam, uti prius, mentem advertit, meditando vel concionando tempus consumens. Nec aliud senem è Cella, in quam se condiderat, eruere valuit quam salus animarum. Quoties igitur cunque impressio vel in idola, vel in vitia subito enata facienda fuit, pede non tardo se protulit.

Vltima vice, rogatu VVillimari sacerdotis Arbonam profectus, auditorum animos ita versavit dicendo, ut nemo non & se & illum miraretur. Triduo post febri correptus, tandemque extinctus est xvii. Kal. Novemb. anno ab Orbe liberato sexcentesimo vicesimo quarto, cum ipsi laberetur nonagesimus quintus. Consilium nobis fuit: discipulos Sancti Columbani vno tempore in conspectum dare, ut singulos tanto melius nosceres.

S. Gallus cœlo succedit.

Ioannes Constantiensis Episcopus certior de morte S. Galli factus, confestim advolavit, ut funus magistri cum Monachis duceret. Conditis jam optimi patris lumi-

Eius invidenda supellex, cilicium & catena.

nibus

nibus, ejus supellectilem (ò Sancti superi, curtam!) excutiunt: cilicium pilis asperrimum, catenamque æream reperiunt, quibus dolore duplicato immeritum corpus includere & vexare solebat. Hujus secreti quædam cista erat conscia, discipulis ignaris. Vberes vero lachrymas profuderunt, dum explicarunt, & inspexerunt. Sanguinis notæ, tam catenæ quam cilicio aspersæ fecerunt ut cupido incesserit Monachos corporis viscendi, quod hæc tormenta subivit. Ergo id certatim spoliant; quatuor magnis sulcis proscissum, deprehendunt. Attonitis stetere comæ, inedia, frigore, vigiliis, laboribus, hisque duobus carnificibus perpetuò vexatos & detritos actus, ad ultimam ætatem durare potuisse. Apicus & Epicuri de grege porcis pulcherrimum exemplum prævivit, nunquam sequuturis.

Multi quoque per speciem conservandæ valetudinis, terras, maria, aerem fatigant, & quæsitissimis edulijs mensas instruunt. Cuticulam, flagris & stimulis dignissimam, studiosissime curant, byssoque induunt. Sed dum vitam in hunc modum producere laborant, eandem contrahunt, nec raro animæ jacturam simul faciunt. Vestes S. Galli Episcopus in pauperes divisit. Forte claudo obtigere calcei. Lætus munere, impatiensque moræ, statim induxit, incolumisque evasit: postea funeri operam dedit.

Ejusdem calcei claudo pedes expediunt.

Interea foditur sepulchrum: manus de mortuo admovent vespillones, oneri mox successuri: connituntur ut attollant: summis viribus nihil agunt. Tum Episcopus, missum facite Sanctum, inquit, ibi sepeliendum, ubi ipse voluerit. Dato deinde negotio ut impositus feretro indomitis equis committeretur: ab his recta via in suam Cellam, in Eremo sitam, deportatus est.

In Eremo sepelitur.

Vt vero rite curaretur funus, cerei tam in via quam juxta tumulum dies triginta alluxere, neque consumebantur, non secus quam si tu pecunias expendas, de summa tamen nihil decedat. Quin Strabo addit, ceram illam innumeris ægrotis salutem attulisse, unde conjectura Sanctimoniæ hujus Apostoli Alemanniæ facile fit. Idem auctor libro secundo quam plurima miracula ordine memorat, quorum copiam tibi non facimus, semper ad sequentia attentiori.

Deniq; è Cella S. Galli, velut è fundamento, præclarum surrexit Monasterium, quod terras viris eruditis, cœlum Sanctis plurimum auxit, ut si bona trutina penses, pauca illi anteponas. Apertis profecto scholis publicis, confertim illuc Sanguis nobilis, tanquam Athenas, confluxit. A divitiis, calamum abduco, quarum unum argumentum sat est, Abbatem inter Principes Imperii habere locum. Sed talia usque ad Sanctum Othmarum differimus, quo sacros fasces tenente, nidus late crescere, Gallusque pennas nido non minores extendere cœpit. Hucusque ova duntaxat posita fuisse puta.

ANNVS CHRISTI 618. AN. S. BENEDICTI 138.

Sanctus Agilus, D. Columbani discipulus.

RES à Sancto Agilo gestas Vincentius Belvacensis ac alii nobis suggesserunt. Patrem habuit Agnoaldum, primæ nobilitatis virum (Sigeberto Galliæ Regi à consiliis fuerat) SS. Lagnoaldi, VValberti, Fari, Faræ, cognatum. Priusquam periculosæ plenam opus aleæ adiret aulam, in Monasterium Luxoviense abductus est, ut bonis moribus ac litteris à SS. Columbano & Eustasio imbueretur. Subacto diligenti cultura ingenio, multa cum virtutis tum eruditionis specimina dedit, è quibus unum narrare juvat.

Belvac. l. 24. c. 101. Fredegdus in vita S. Angeli.

S Agilus domi nobilis.

Pulso Sancto Columbano, non destitit Brunechildis, impatiens quietis fæmina, cum nepote suo Theodorico Monachis Luxoviensibus movere litem, quod suis penetralibus homines sæculares excluderent. Hi, ut tandem aliquando ex istis fluctibus eluctarentur, Agilum pro legato miserunt ad Regem, quod nemo ante ipsum id negotii felicius confecturus videretur, tam patre quam consanguineis, quos aula habebat opitulaturis. Iter facienti quidam VVandelini cognatus, ardens scelere, se se obiecit, ductoque ferro immanem plagam in caput insons absque convitiis destinavit. Non ferendos in sæculo Monachos, scilicet, qui suis claustris sæculares arcerent, omnique aditu prohiberent. Nec improbum fallebat, quam invisum palacio Luxovium esset.

S. Agilus imminens capiti suo ferrum, cruce propulsat

At non semper ferit arcus, quod minatur. Itaque dum is sublime libravit ensem, S. Agilus vero sublata manu aerem findens, imminenti hosti intentavit crucem, papæ! nec movere is, nec revocare brachium potuit, immo nec impiam dexteram capulo expedire. Preces hoc supplicium scelesto cum lachrymis expressit. Nec istæ, nec

illæ in cassum cecidere. Etenim orante S. Agilo, stupidum brachium alte elatum una cum manu recepit, factique pœnitens Monachum induit. Vulgatum per regiam miraculum Theodorici & Brunechildis animos flexit, ut S. Agilum petitionis fecerint compotem.

Regnante Clotario in Synodum coivisse Galliæ Episcopos, & S. Eustasio, nec non S. Agilo negotium dedisse, ut tam hæresin, qua idololatriam funditus extirparent, adhuc meministi, nisi forsan pulveri inscripseris. Nunc rem aliam imbibe. Aliquando S. Columbanus Eutharii, hominis illustris, tecta subierat. Ubi spiritum recepit, tuos liberos, amabo te, dixit, huc cōvoca Eutheri. Meus enim mos fert, bonis votis tales prosequi. Facile obtinuit rem facilem. Extemplo adsunt Audenus, Rado, Addon. Ille non tantum bene pueris precatus est, sed etiam, in publica Ecclesiæ commoda multum eos collaturos, denunciavit. Excepit oraculum pater: in tres magnos viros evaserunt pueri, & singuli (mirabile dictu!) Monasterium condidere. Rado regil ærarii præfectus, Redelium fundavit. Addon, natu maximus Clodarium propter amnem cui Matronæ nomen constituit, Monachis Luxovio accitis: huic & sua bona & se ipsum intulit. Audenus, natu minimus, rebus tamen gestis cæteris duobus anteponendus, Resbacense (quod nomen à præterlabente rivo accepit) grandi pecunia erexit; ut omittam ea Cœnobia quæ jam Archiepiscopus auxit. Dies hic in aula adeo sine labe duxit, ut cum esset regius Cancellarius, ac ense ex baltheo suspenso, de more procerum, referret militem, omnes tamen appellarent Monachum. Serica quidem veste amicire solebat corpus, at tergum perpetuo in hirsuto cilicio versabat: Sacræ lectioni, jejunio, pauperum ministerio, ad miraculum deditus.

Aimon. l. 4. c. 41.

Audenus externo cultu aulicus, in cute Monachus.

Fuit aliquando, ut ripam fluvioli Resbach inambulando tereret, certus exire aula, & condere Monasterium, idque ingredi. Famulis longiuscule facessere jussis, humi corpus deposuit, obtestans Deum, ut vota sua expleret. Lucidissimus continuo globus in aere librari est visus, qui radios suos ad milliaria non pauca extendebat, neque ante triduum elapsum extinctus fuit. Alacri cœlesti hoc indicio Audenus, locum fundamentis jaciendis designavit, tum operi manum admovens, brevi ad fastigium eduxit: prædia, libros, sacras vestes, contulit, nec quicquam desiderari passus est. Monasterium ferre nomen Ierusalem cupiebat, ob visum sibi divinum portentum, nihilominus id perhæsit, quod rivus imposuerat. Hinc animum ad Monachos, quos introduceret, adjecit. Facile ante alios in mentem venere Luxovienses, quod disciplina ibi omnibus numeris sibi constaret, atque præter rigorem singularem etiam litteræ in pretio essent. Cæterum in Abbatem placuit S. Agilus, quem dum captavit, Clotarium Regem adivit, rogavitque auctoritatem is suam ut apud S. Eustasium, Luxoviensem id temporis Antistitem, interponeret. Omnia cecidere ex sententia. Quem autem vivendi modum isti novi incolæ habebant domi, etiam hic loci exercebant.

Exstruit Monasterium Resbach.

Abbatem facit S. Agilum.

Legem suis sancivit D. Benedictus, ut pauperes, hospites, infirmos, haud secus quam Christum complecterentur. Hinc prope Monasteria passim excitata sunt hospitia, vel ipsis Monasteriis communi pariete adjuncta. Facem nobis prætulerunt antiqui illi Sancti Patres, qui magno studio peregrinos excipiebant, ut Monachi efferentem se semper spiritum vilibus obsequiis subigerent atque deprimerent. Hujusmodi ædem Audenus quoq; Resbaci construxerat, quam S. Agilus cum suis discipulis frequentare, seque ad ultima ministeria deiicere consueverat. Quadam nocte miserabilem vocem ad portam Cœnobii tolli audivit. Aperta raptim fenestra prospexit, visurus quidnam hominis esset. Hoc ubi pauper sensit, magis intendit eiulatus, per omnia sacra obtestans, ut tecto acciperetur. At ego chalybe natus sim, inquit Audenus, nisi inopis me hujus miserescat. Tum submoto Brandolino Monacho (qui ut plurimum lateri hærebat) cænulam instruere ac lectum egeno sternere jusso, moleste ferebat se negotiis aliis distentum, hoc omnium, primum neglexisse. Inde præcipiti gradu contendit ad mendicum, surge tu frater, aiens, & abi intro. Dapes jam tibi parantur & thalamus. Is huc illuc languidum caput jactans, acerba me fata agunt, respondit, quę membrorum quoq; usum misero mihi abstulerunt. Dum enim me intendo ut assurgam, *heu eheu!* in terram iterum fluo. Ergo pius Abbas in humeros sublatum, Monasterio intulit: gelu rigentem camino amantissime admovit, pauper non esse apud se, præ gaudio. Postquam incaluit, posita cœna fuit; S. Agilus mantile cum aqua expedit, illum ut lavet, adhortatur. Hæc dum geruntur, subito ex oculis se eripuit is, qui medicabuli personam sumpserat, ambrosio odore per conclave diffuso. Officiosus hospes impendio magis obstupescens, Numini habuit gratias, quod suorum amicorum animos hoc pacto explorare, & de se bene

S. Reg. c. 53.

Sanctissimus Antistes personatum mendicabulum humeris imponit, fertq; in Monasterium.

merendi ansam præbere, nec non ad majora incitare dignetur. Multa præclara facinora edidit. S. Agilus, at nobis tantum otii non est, ut eamus per singula. Cum annum numeraret nonagesimum octavum, cœlitus didicit post biennium sibi fore moriendum. Quocirca ad momenta quoque solicitus senex attentus fuit, ut bene collocaret. Stato tempore elapso, ad IV. Kal. Nov. deposita vita concessit. Sublime ad superos abeunti præter angelorum chorum etiam chorus Virginum hæc occinuit: *Hodie S. Agilus cum summis laudibus pergit ad præmium: hodie cum Sanctis in cœlo coronatus triumphat: felix valde, quia ab infantia servavit castitatem, & virgo centenarius ascendit ad gloriam.* Hanc oden humana longe suaviorem, etiam Addon, frater germanus, auribus arrectis hausit. Illius è disciplina S. Philibertus prodiit, qui olim cœlo delapsus, Regulam D. Benedicti S. Aichardo per quietē obtulit: quod ideo toties in lucem fero, ut appareat discipulos S. Columbani ad unum omnes Patriarchæ illius leges sectatos fuisse. Nam Monasterium Resbacense, quod S. Agilus Luxoviensis Monachus instituendum suscepit, in D. Benedicti leges juravit: nec postea mutavit. Petrus Venerabilis suū quoque momentum addit, dum Natalem Antistitem Resbacensem, ditissima liberaque Abbatia ista se abdicare, & senectutem in Ordinis nostri clarissimo Monasterio Cluniacensi traducere voluisse, memorat.

Tendentem ad superos, Angelorum & virginum chori prosequuntur.

Petrus Venerab. l. 13. epist. 5. ad Innocent. Papam.

ANNVS CHRISTI 619. AN. S. BENEDICTI 139.

CAPVT I.

Quædam Ordinis S. Benedicti lumina in Hispania exorta.

LIbet vagum pedem postliminio imprimere Hispaniæ, quam tanto temporis intervallo (nimirum à Recaredi principiis) nō visimus. Nihil enim magni momenti in ea gestum, quod nostrum ad forum pertinere videretur. Hoc anno regnū tenuit Sisebutus, pace belloq; clarus. Quamvis autem & Rex & Gothus esset, nihilominus animum ad litteras appulit, quod merito in admiratione te rapiat. Libros enim scribere & epistolas, à Regibus alienum est. Res à S. Desiderio viennensi Episcopo gestas lucubravit, quem Theodoricus è medio sustulit, tam hujus quam S Columbani limæ juxta impatiens. Adeo satis sanus non est, qui venerem incertam more ferarum, rapit. Favit rei Christianæ Sisebutus, neq; unquam Conciliis, subinde indictis, intercessit. Hoc anno Patres Hispali convenere, ubi præside S. Isidoro Acephalorum hęresi stigma inusserunt, duas naturas Christo deneganti. Erroris hujus auctor compertus non habetur, ideoq; assęclę Acephali, quasi capite destituti, appellantur. Aliquo nihilominus progressum hoc malū est. Sed non miraberis, qui dudum scis etiam muscas absque capite ambulare. Porro, pari studio Ordini S. Benedicti consultum iuere. Nam Monasteria nova haud secus quam antiqua stabiliverunt: nec obiter id quidem, sed verbis magnum affectum spirantibus. Sacerdotes vim illis allaturos, non modo sacris prohibitos, verum etiam fidelium consortio remotos voluerunt. Quod si qui huic sceleri jam se affines fecissent, pœnas ab iisdem expetendas, tum vero damnum resarciendum statuerunt. Commune Episcoporum Andaluziæ fulmen est, quod in Monachorum jaciunt hostes: *Talis sit excommunicatus: à regno Dei fiat alienus: nihil illi fides ad salutē prosit, neq; opera quæ faciet, quia semitam vitæ tam Sanctæ voluit destruere.*

S. Isidor. in Chron.

Ad premendos Acephalos Concilium habetur Hispali

Concil. Hispal. Can. 10.

Vndecimus Canon id sancit, ut omnia Monialium Asceteria regantur à Monachis. Episcopis autē in mandatis, ut nō quibuslibet Abbatibus, promiscue hujusmodi Domos credant, sed virtute præditis, doctis, œconomiæ peritis. Bonum factum! Quo enim pacto, amabo te, Religiosorum mores aut cæremonias illi æstiment, trutinent, ad Regulam exigant, qui nec obliquo oculo Regulam legesque Ordinis unquam limarunt? Sutorem Apelles crepidam rodentem æquo animo tulit: ultra tendere haud passus est. Porro ne quid alieni per speciem instituendi Moniales irreperet, Monachos privatos quibus nihil in Parthenonibus esset negotii vel officii, Concilium penitus exclusit. Abbatibus & Vicariis colloquendi cum Abbatissa potestatem facit quidem, ea tamen lege, ut duæ vel tres aliæ Moniales colloquio ad sint, nec aliquod verbum nisi sacrum aut necessarium ore excidat. Item vicariis negotium dat, ut sarta tecta præstēt: ad rem Monasterii attenti sint. Sic enim futurum, ut virgines profanis curis liberę, animum in suo sponso occupent.

Monialium Cœnobia Abbatibus sapienter committuntur.

Decimus Canon non secus quam Concilium III. Toletanum, quid facto sit opus, indicat, ut honor Dei promoveatur. Nimirum quam plurima excitanda esse Monasteria. Quanto fervore id jam olim sit actum, vel hinc coniicias, quod sacri Præsules pa-

Magna incrementa capit Ordo.

rochias à suis Episcopatibus avelli permiserint : immo ipsi obtulerint, unde Monachis domicilia condi possent. Hæc cum ita, multum Ordo Sancti Benedicti Concilii Toletani Patribus debet, cujus auctoritate auxilioque per Andaluziam & regnum Toletanum brevi tempore tantum sumpsit incrementum, ut multorum, provocaverit invidiam, qui Fundatores in publica commoda peccare tumido ore jactarunt : atque ut ad summam veniamus : quædam Cœnobia diruerunt. Ita Ægyptiis ægre faciebat, Israelitas tanto augeri. Metus proinde à Sancto Isidoro cæterisque Concilii Hispalensis Patribus tam nefariis hominibus incutiendus erat: quibus in ordinem redactis, infinita per Hispaniam stetere Monasteria, neque uni civitati unum duntaxat, sed multa erant, quæ postmodum irrumpentes Mauri ingenti strage afflixerunt : Nihilominus oppressa jam Hispania, Sanctus Eulogius octo vel novem Monachorum, ac totidem Monialium dinumerat, quæ sola Corduba ejusque vicinia habuit. Etenim Gothi Ariana hæresi extricati, valde dediti fuere pietati, eorumque opera tam urbes quam deserta ab Oceano ad mare mediterraneum usque redundabant Cœnobiis. Quid hic Sancti Fructuosi nostri labores indefessos referam, Ordini propagando susceptos ? qui divinis stimulis agi est visus, ut servis Dei ubique poneret domicilia.

Fecit imprimis in Vierzo : inde in Galliciam avolans in idem opus incubuit. Hinc in remotam insulam Cadiz se, ejecit, ubi condito Monasterio ingentis animi insigne documentum dedit.

Tulit etiamnum hæc ætas Johannem Viclariensem, postea Episcopum Gironensem : Sanctum Agapium, Episcopum Cordubensem : Sanct. Iohannem Archiepiscopum Saragozanum : Sanctum Helladium, Archiepiscopum Toletanum: examen illud magnorum Monachorum Agaliensium, Eugenium, Iustum, Ildephonsum, aliosque, quibus alibi locum dabimus, nisi quod Helladius & Iohannes Saragozanus huc spectent.

S. Helladius gradibus non usitatis ad visssima opera descendit.

Sanctus Helladius gente Gothus, Sanguine illustris, cum præfecturam cujusdam provinciæ gereret, singulari comitate ac animi submissione omnes cepit : Cum enim nobilitatem absque virtute viliorem alga duceret, in Religiosorum amicitias se insinuavit, persuasus apud hos virtutem locasse sedem. Maxime vero prensabat Monachos Agalienses, quos tota Hispania in oculis ferebat. Huc pulveribus mundi perlitus se recipiebat, ad detergendum. Neque enim Monasterium longe Toleto abest. Secundum S. P. N. Benedicti amussim, omnia necessaria domi habenda sunt, ne Monachi quæ non suppetunt, foris quærere cogantur. *S. Reg. c. 66.*

Ab hac regula nec transversum digitum discedebat Agaliense Monasterium. Itaque intus molebant, farinam subigebant, pinsebant. Helladius pridem in penetralia & intimam familiaritatem admissus, submotis tantisper honoribus cum famulis, sæpe suas quoque sociabat manus: nonnunquam humeros onerabat lignis ad instaurandum furnum, quod Sanctus Ildephonsus scribit, à quo pleraque hauriemus. Bono certe loco apud Reges fuit, sed meliore apud Deum, cujus ductu amplissima re, speque simul, relictis, ex aula evasit : sericam vestem rudi cum cucullo commutavit : vitam sanctissime instituit. *S. Ildephons. de claris vir. c. 5.*

Exactis hic aliquot annis, jubetur esse Abbas, in quo culmine jam magis conspicuus, totam civitatem Toletanam sibi conciliauit, adeo ut Aurasio Archiepiscopo fatis extincto, is omnium votis & suffragiis expetitus sit qui subrogaretur. Aurasium quoque multis laudibus celebrat Sanctus Ildephonsus, ejusque extollit temperantiam, modestiam, tolerantiam, animi magnitudinem. Traxerat prius non paucos annos in Agaliensi Monasterio, subditus ac superior juxta bonus. *Cathedræ Toletanæ imponitur.* *S. Ildeph. l. de claris vir. c. 5.*

Ægre tam gravi oneri humeros supposuit Helladius, quippe annis fessus ac viribus defectus, & qui solitudinem nec non à Deo, semper pendentem contemplationem in deliciis poneret, Clerici tamen una cum populo suffragia sua rescindi haud sunt passi. Quocirca vitam altæ Sedi illatus, summa prudentia ingenti industria res administravit : tanta insuper singularis Sanctitatis specimina edidit, ut nemo amplius dubitarit, fortem, qua designatus Archiepiscopus, fuit, ex urna divino nutu exiisse. Ingenio magno præditus erat, & quorumcunque negotiorum capaci, cui longus rerum usus accesserat, & frequens, quod cum Deo habebat, commercium : unde nihil in ipso desiderare potuisset.

Sacrorum Præsulum non ultimum officium est, pauperibus opem ferre quo Helladius diligentissime functus est. Sancto Ildephonso crede. *Miserationes inquit, eleemosynarumque copias tam largiter egenis intulisse probatur, ac si illius stomacho putasset inopum & artus descendere, & viscera confovere*. Quemadmodum igitur stomachus cum est vacuus, nec famen ultra ferre potest, cibos ab ore poscit, singulis postea membris à se apponendos, ita prorsus desiderium quod Helladium tenebat bene omnibus mendicis faciendi, ex imo pectore, veluti fames, surgebat. Vnde non minorem illorum curam gerebat, quam propriorum viscerum. Miraculo simile fuit, capularem senem Archiepiscopatui admotum, octodecim annos labores inter gravissimos durasse: quod nos pauperum precibus dandum putamus. Quamvis autem eruditione polleret, litteris tamen nihil consignavit: an quod sciret Episcoporum esse, exemplis docere potius quam calamo?

Virtutibus undique septus erat; facere tamen non potuit quin lacesseretur. Sed præbent injuriæ materiam, unde corona Sanctis conflari debet. Actus intemperiis Ecclesiæ Toletanæ Diaconus, ausus est Antistitem longe optimum præ se contemnere: odio ab ipso dissidere: quodque æmuli solent, candida, in nigra convertere. Heu, non diu impune tulit. Miser enim Iustus (hoc ei nomen erat) in alia postmodum civitate ad Episcopatum evectus, à tam diris morbis obsessus fuit, ut etiam mente non nihil exciderit, fuisque Clericis à ratione aliena nonnunquam imperarit. At hi impatientes ineptissimi imperatoris, conspiratione inita, per cæcam noctem hominis cubiculum irrumpunt: jugulum petunt: nequicquam reluctanti vitam adimunt. Horrendum supplicium, sed quod factis respondit. Nam ab allo expectes, alteri quod feceris. Helladium, sanctissimum Patrem, nec amore nec honore ullo dignatus fuerat? quid ni in magistrum scelera rediissent sua, filiis propriis hocce nefas in ipsum molientibus? Sunt qui infelicem hunc Iustum Sancto Helladio successisse credant, sed grandi errore. Homo enim stolidus fuit: vivendi finem ab arcto fune habuit. Atqui, Iustus quem Cathedra post Helladium accepit Monachus Agallensis fuit, vitæque sanctioris rudimenta sub eodem Helladio posuerat: neque Iusti vanum nomen sinere tulit, omnium censura Sanctus, ut non immerito in suam injuriam accipiat, si à te pro Iusto injusto circumferatur. Cæterum Sanctus Helladius tempora Sisebati, Suintillæ, Sisenandi assequutus est, & priusquam ævum clauderet, suum Ildephonsum, quem in Monasterio ad virtutem summa cura formaverat, cernuus senex ad Diaconatum auctoravit. Itaque plenus dierum bonorumque operum anno ab Orbe liberato sexcentesimo, tricesimo quinto XII. Kal. Martii secundum Breviarium Toletanum Cælitum æterna civitate donatus est.

Ecclesiæ Toletanæ Diaconus S. Helladium proscindit: mox pœnas exsolvit.

Hac itidem ætate in magnam famam abiit S. Iohannes noster, Episcopus Saragozanus, frater Sancti Braulii, cujus, gratia hic Sancti Æmiliani vitam memoriæ prodidit: Iohannem vero Monachum fuisse omnibus numeris absolutum, atque Abbatis munus domi obivisse, Prologus indicat. Plura de eo posteris committit Sanctus Ildephonsus: Ioannes, inquit, in Pontificatu Saragozano successit Maximo. Prius pater Monachorum fuit, hic autem factus est Episcopus, rexitque populos. Vir quidem fuit eruditus, maluit tamen verbis quam scriptis docere. Vultu erat læto, ex quo libertatem in agendo sine anxietate conjecisses. Spiritus enim Sanctus intus ungens, animum ejus ad liberalitatem & hilaritatem erexerat. Quicquid dabat, singulari benevolentia condiebat. Qui non impetraverat id quod petierat, saltem humanissimis verbis (quæ acceperat) contentus erat. Quædam ad divinum officium pertinentia scripsit stylo eleganti, quibus etiam admiscuit cantum. Rationem insuper Paschatis celebrandi litteris consignavit, quod argumentum ita subtiliter prosequitur, ut tam operis brevitas quam veritas legentem mirifice delectet. Episcopalem sellam duodecim annos tenuit: inde ad æterna gaudia, quæ toto pectore desiderabat, discessit. Gubernavit Ecclesiam tempore Sisebuti & Suintillæ Regum.

S. Iohannes Monachus & Episcopus, quando res deficiebat, bona verba dabat.

S. Ildephon. de claris viris c. 6.

Sub hæc Cæcilius abdicato Episcopatu, alto suspirio urbem verberans, Monasterium petiit. Moleste facinus tulit Sisebutus: quapropter Cella excitum deserti gregis rationem reddere jussit. Pulsatus hoc ventu Monachus novitius, ocyus se movit: annuente Abbate gradum in aulam præcipitavit: sed à Cæsario Imperatoris Constantinopolitani tribuno, interceptus fuit. Eundem tamen iterum asseruit in libertatem Sisebuti gratia, quæ res inter Orientis Imperatorem & Hispaniæ Regem

Cæcilius Episcop. Mentesanus fit Monachus relicto Episcopatu.

Moral.l.11. c. 3.

Regem pacem conciliavit. Ille enim adhuc aliquot Bœticæ provincias imperio premebat. Nos tamen hinc calamum revocamus, quod Ambrosius Morales ista è libro Ecclesiæ Oviedanæ collecta, fæcunde stylo sparserit. Libri character Gothicus est: titulus. Itacum. Ego cum hac in urbe degerem, antiqua in monumenta ruens, librum istum occupavi, nec cepit admiratio, Hispaniæ Reges tantum juris in res Ecclesiasticas habuisse, vel sibi arrogasse.

Tuam fidem obsecro! Episcopos abrogabant? subrogabant? in malum conjecerunt? ad incudem, velut informes statuas, revocarunt? Concilia indixerunt? Patrum consulta suis signis pro arbitrio firmarunt, non secus quam si Pontificum essent Pontifices.

A Sisebato rege in desertam sedem revocatur.

Sed ita cervicem Ecclesiasticorum subegerant Reges Ariani, ut ferrent non ferendum jugum: Sisebatus vero possessionis tenax, ne quicquam suo de jure concederet, Sarazogæ redonare voluit S. Iohannem. Quis igitur nobis vitio vertat, si liquido dicamus, & Ecclesiæ. Dei oppressione, & Regum subsequentium vitiis irritatum Numen, incitasse Mauros ut pede collum premerent Hispaniæ?

Iam Asia (imprimis vero Arabia) id temporis Mahomedi plaudebat, in Iberia tamen nec lingua is nugebatur, nec ferro rem gerebat, superstite Sisebate vel Sancto Isidoro. Lucas de Tuy testis est.

Cum Sisebati litteras legerem, obstupescebam sapientissimum Regem pulcherrimum Iohannis factum in reprehensionem vocasse, cum potius laudi dandum fuisset. Quot enim Episcopi alii & Archiepiscopi relicta sublimi cathedra in humilia Cœnobia rapuere pedem! Vestigia hæc trivere Cardinales, veluti Petrus Damianus, & Pontifex Max. Cœlestinus, Ovibus se se subducere, & erroribus obiicere cum dux alius ad manū non est qui exemplo trahat; vel alius nocturna manu moliturus sit tectum, & in ovile penetraturus, qui ululare cum lupis, quam balare cum ovibus malit, æquo animo accipiendum haud est. Immo Ius Canonicum talibus Episcopis it obviam. Laudem nihilominus merentur qui de alto gradu descendentes omnium pedibus in Monasterio se se subiiciunt. Vt enim Episcoporum status dignior sit atque perfectior: faciles tamen ad eum aditus periculis patent atque casibus, præsertim si humeri sint impares: Nonnunquam etiam vulnera, olim à mundo accepta, curanda sunt. Quis autem sibi deesse velit, qui liquido scit, pharmaca haberi in Monasteriis! Rectissime igitur faciunt qui jam ratione non tantum mari se se eripiunt, sed etiam è portu in terram firmam se se exponunt, memorès imprimis suæ animæ: deinde aliorum. Si in jus me vocas, Sanctorum exercitum tibi opponam. Nec est quod incomposita mente hæc me scribere putes, cum à parte mea stet Lupus, Abbas Ferrariensis in Francia, Caroli Calvi ævo notissimus, qui hac super re epistolam ad Guenilonem, Archiepiscopum Senonensem dedit.

Innocent.III. l.1. Decret. tit.9. de renunciatione. c. litterat. cap. nisi cum pridie c. post. translationem.

Episcopi olim se subducebant in Monasteria.

supra Abbas Cx.39.

Item Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis, qui pluribus epistolis non tantum hujusmodi secessum Episcoporum & Archiepiscoporum probat, verum etiam multis verbis ad Monasteria invitat. Causa igitur vel attinere discessurum, vel dimittere debet.

Petrus ven. l.1. epist. 50. & l. 1. ep. 9. & c.

Sed cum non facile queamus curuo dignoscere rectum, quoties res nostra agitur, statuere summi Pontifices, ne quis deinceps Episcoporum vel Archiepiscoporum ovibus suis terga verteret, seque in Monasterium abderet, nisi causa prius ad S. Sedem allata probataque. Immo nec quidem exemptis Abbatibus abire officio licet absque Pontificis nutu, quod titulus citatus indicat. Non exemptis vero licentia ab Ordinariis petenda est.

cap Dilecti filii eodem tit.

Roganda lex ista fuit, quod olim insularum splendorem plenique aversarentur: caput nigro cucullo obducere mallent, quorum nos magnum Numerum producemus. Turgida certe vela contrahunt, sibique tempestive consolunt, qui supremo die bene præparatum pectus habendum sciunt.

Hæc cum ita, absolvendus Cæcilius est, quod Episcopatum Monasterio posthabuerit: condemnandus autem Sisebatus Rex, quod in foro non suo sententiam adversus Episcopum tulerit.

ANNVS

ANNVS CHRISTI 620. AN. S. BENEDICTI 140.

CAPVT I.

Sanctus Amatus Monachus Luxoviensis, Abbas Montis Sancti Romarici.

Fllum historiæ Luxoviensis rumpendum nobis fuit, ne longo minis intervallo Hispaniam, post nos relinqueremus. Expeditis Sancti Columbani discipulis, in præsens aliquot producendi sunt, à Sancto Eustasio instituti. Hoc, quem terimus, anno Monasterium Sancti Romarici constructum fuisse, certum est, cum fundationum tabulæ ac privilegia non fallant. Sed Amati acta referre oportet, qui ansam Romarico dedit, ut mundo procelloso se eriperet. Postquam igitur in Agaunensi Cœnobio Monachum egeret, in angustum Eremi antrum se contraxit. Mutata iterum sede, Luxoviensibus se addidit. Causam recensetis, qui Sancti viri res gestas calamo mandavit.

S. Amatus in profundum Eremi se immergit.

Sur. 13. Sept.

Cum mirum Sancti Columbani desiderium teneret Galliæ Regem Clotarium, misit Sanctum Eustasium, ut erutum Bobio ad se reduceret. Hic dum iter habuit per alpes ad Agaunense vicinum Monasterium deflectens, sacris colloquiis bonas subegit horas: nec eum fugiebat aut ibi, aut nullibi, in pretio esse S. Regulam: jejunia: excubias: verbo, Monasticam disciplinam. Subiit tamen cupido animum sciendi, inter tot bonos quis cæteris palmam præriperet.

Pari voce itum in Sanctum Amatum est. Extollebantur ejus animi submissio: patientia: silentii ac solitudinis studium: omnibus in rebus egestas: singularis erga Deum pietas: in nobile corpus (quod perpetuo movet bella) truculenta asperitas. Mirabantur nihil horum ad Eustasii aures pervenisse. Cæterum labi annum tertium, quod is in prædurae rupis specum, durior ipse, se conjecisset. Vide re prodigium hoc hominis, subjecit Eustasius.

S. Amatus à S. Eustasio in Eremo deprehenditur.

Defunctus colloquio curaque corporis, in viam se dat: quamvis autem haud facilis esset ascensus, superavit tamen, & in carcerem penetravit. Perculsus Amatus improviso hospite, salvum esse jubet: tum vero considunt, & argumento cœlitus petito animos sermone oblectant. Nullo negotio alter alterum intellexere, quod uterque cœlo cecidisset. Quod si hujusmodi verba ad albæ gallinæ filios, omnibus rebus voluptatem anteponentes, fecisset barbarum quid te sonare putassent. Brevi tempore tam arcte coaluere insontes animæ, ut consilium ceperint simul degendi. Convenit inter ipsos, simul petere Luxovium negotio à Clotario imposito in Italia confecto. Verbis uterque stetit.

Patria Amatus Gratianopolitanus erat, nobilissimo antiquorum Romanorum sanguine ortus. Theodorus pater Deo devoverat puerum. Ætate firmiorem, in Monasterium Agaunense deduxit Sancto Mauritio dedicatum: id temporis publicis quoque scholis celebre.

Nam in Ordine paulatim aperiri cœperant. Hic ille juventutem duxit, jam virtutibus, jam litteris operando, non facile passures, si quis ante isset. Postquam omnia nosse, scholasque in triumphum ducere posse visus est, altius in sacrarium Numinis penetrans, pedem è Monasterio revocare, atque in Eremum ferre constituit, si annuerent majores, non ignarus per Regulam fas non esse, in cœtu sectari singularem vivendi rationem, S. P. N. Benedicti jussu in nullo ferendam. Quosdam vero tam luculento igne accendit Deus, ut passibus æquis comitari alios non possint: antecedere possint. Tales, inquit idem Patriarcha, veluti strenuos bellatores, singulare certamen in solitudine cum diabolo suscipere consuesce.

Dure corpus habet.

Succensus ita Amatus, in excisam rupem evasit, & miris pœnis solicitavit jam domitam carnem. Tertio quoque die mucidum panem & fontanam è vicino Monasterio Agaunensi suggerebant, quibus præparce fruebatur, ne nomen Eremitæ in largiori victu consumeret. Potitus sic ad libitum diebus integris, contemplationi vacabat, quamdiu suffecit caput: quo succumbente, exigui spacii hortum colebat. Præterea cum inclementia cœli nonnunquam domi tenuerit ferulum, nec statam annonam attulerit, molam manuariam fabricavit, quam infuso hordeo ipse ageret. Adhæc, se infra paupertatem vestiebat. Calceis abjectis scruposam semitem nu-

dis pedibus terebat, quos nec hyeme quidem contra frigus muniebat. Vt rigidus hic talis vivendi modus fit, is tamen nunquam stylum vertit. Quid? Verno jejunio remoto pane, penum clausit, paucis nucibus famam placando: sitim in pauxillo aquæ deponendo: biduum, aut triduum, hoc etiam tenui commeatu abstinendo.

Aucfor vitæ S. Amati. Rerum humanarum spectator atq; arbiter Deus tam præclaris facinoribus multas gratias retulit, Ingruenta sæva hyeme, è lignis quæ sors obiiciebat, ædificavit Cellam. Dum coagmentat & aptat, & quædam debito sunt breviora, nihil ago, inquit. Sed opifex Deus subito ad justam longitudinem ligna extendit. *Lignum æquo brevius extendit.* Aliquando sitientem defecerat aqua. Igitur correpto baculo verberavit rupem: hæc evoluit fontem. Haud frustum exiguum montis, vel longo ævo, vel tempestate, nescio, avulsum, in Sancti tugurium præceps ferebatur. Ille subito fragore arrectus, imperiosam formavit crucem: inhibuit indignantis saxi volumen. Multa hoc genus prodigia in manu sunt, quæ seponimus. Hoc igitur vitæ pœnitentis speculum in suũ Monasteriũ transtulit S. Eustasius, non nescius multum interesse, Ascetериorum principia serveant, an frigeant. Vel i mihi per singulos Ordines: videbis non ex aliis uberiores cepisse fructus terramque cœlumque, quam ubi ab incunabulis omnia fuere austera, rigida, hispida, vix hominibus toleranda. Ita arbores, quæ multum gelidæ laborarunt hyeme, modo vexatæ ventis, modo nive depressæ, sub æstatem atque autumnum quasi è cornu Copiæ poma fundunt. Poterat Sanctus Amatus vitæ cultu, extra ordinem duro, fugare Luxovienses, senihilominus addicebant viro, quod asperitatem suavitate ingenii pulcherrime temperaret.

Si rebus suis unquam sua convenere nomina, non aliud profecto imponendum Amato fuit, quippe quem omnes amabant. Vultuosa Saturni ora, & rugosam prisci Catonis frontem, plus quam tu putes, odit, suam semper in ambrosiam hilaritatem explicans, nec injuriis, nec calamitatibus contrahendam. Consilium semper in promptu: lachrymas in potestate habuit, quibus frequentissime indulsit. Virtutes enim, nisi riges, opinione citius arescunt.

Fidem docet infideles. Ne autem Amatus publico bono natus intra domesticos parietes ulterius lateret, ad gentiles, qui Deos ipsi sibi fingebant, dimissus est. Ita vetus Monasterii hujus mos ferebat. Pars barbarorum trahebantur dicendi copia: pars affabilitate, & nunquam ante id sibi visa virtutis pulchritudine. Dum varia loca pererrat concionando, hem ad vogelum montem defertur: incidit in Romaricum, primæ nobilitatis Gallicæ hominem, cui cum hoc caput nimis angustum sit, sequens dabimus.

CAPVT II.

Sanctus Amatus & Sanctus Romaricus in res magnas eunt.

Sanctus Romaricus patre Romulpho, matre Romalinda natus est, generis splendore clarissimis parentibus. *Francisc. Rosieres. l. 3. c. 79. histor. Lotharing.* Dum bellum intestinum Theodebertum inter ac Theodoricum fratres flagrabat, arma pro illo Romulphus tulit. Theodoricus victoria parta, non modo bonis, verum etiam vita exuit, quotquot Theodeberto nomina dederant, sorsque ipsi obtulerat. Neque manus à Comite Romulpho abstinuit, sed capite & Comitatu, velut hostem, mulctavit. Demortuo Theodorico, Brunechildis sui pronepotis Sigeberti tutelam gerens, paternas opes in Romaricum filium contulit, qui tanta rerum copia præter expectationem affluente, mendicos, peregrinos, Monachos undique contraxit, suarumque fortunarum participes fecit: quocirca etiam Sanctus Amatus eo divertit: quo conspecto, beasti me tuo adventu, dixit Romaricus: fruamur occasione. Etenim sibi vellicari aurem jam ante senserat, ut in Numinis famulatum se committeret: pependit tamen semper animus, quod negotia alia super alia incumberent, nec frangere nucem virum permitterent.

SANCTUS AMATUS ubi ROMARICUM Numinis amore duci posse sensit, pectoris sponte boni penetralia occupans, *S. Amatus in vitatur ad Monasteriũ.* deciduum mundi florem ei depinxit: multa polliceri mundum, nihil præstare: fumos vendere: propinare venenum: suis umbris etiam cautis illudere. Cæterum vitam paucis componi annis: epilogum sæpe in exordio esse. Improvisam lethi vim plerosque seculares rapere, nondum præcinctos ad æternitatis iter ineundum. Dum fugaces laberentur anni, mundi mancipia semper semper lapsui esse proxima. Virtutem equidem extra Monasteria quoque vagari, sed tamen in Monasteriis collocasse sedem. Cum igitur impelli se à Deo

intelligat, ut solum vertat, ne instanti resistere velit, impense orat. Turpe ipsi futurum, si vanissimæ divitiæ moram afferre quivissent. Patere ipsi Monasteria, non tam hominibus quam angelis referta. Prompte se dedidit Romaricus. Enimvero jam olim nactus in aula Arnulphum Ducem, par ingenium (Metensem postea infulam tulit) statuerat domum linquere, & non placens palatium: atque cum Duce subire Lerinense Cœnobium. Mentem pulsabat vox Christi: *Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veniens sequere me.* Nullam famam sequuturam credebant, si in angustam insulam se clam abstulissent: sed talia fugæ consilia agitantes excepit Numen, novas faces accensurus publico. Itaque sublimi Sede Metensi locavit Arnulphum. Munere egregie functum, ut cucullo se conderet, permisit. ROMARICUM domi tenuit, ut de pauperibus, orphanis, viduis, Monasteriis, bene mereri posset. Quid? Etiam stipatissimas argento & auro arcas exhausit condendo Cœnobia. Fumabat nihilominus dudum subjectus ignis, *vendendi omnia, sequendi Christum.* Tandem præsente Amato de se statuit.

Paul. Diac. vita S. Arnulphi apud Sur. 16. Aug. Matth. 19. Luca. 19.

Arnulphus sede Metensi relicta, factus Monachus.

Cæterum priusquam Optimo Maximo Deo Sacramentum diceret, quid amplissimis suis rebus faceret, circumspexit: Erant ipsi duæ filiæ (Gertruda & Clara) quæ dulcissimi genitoris animo intellecto, carpemus, carpemus, dixere, nos quoque viam in Monasterium. Ibimus, utcunque præcedes. Lætus Romaricus nihil sibi obstare amplius, facultates suas in pauperes ac homines religiosos consumsit. Adhæc Asceterium opulentum monti Vogeso imposuit, labentibus annis Sancti Romarici nuncupatum, cui imprimis Gertruda præfuit. Tanto exemplo excitatæ nobilissimæ per Austrasiam virgines, eodem confluxere. Litteras fundationis promit Franciscus Rosiers, fere in hæc verba conceptas.

Condit Parthenona.

Francis. Rosiers hist. Lotharing. l. 5. c. 79.

In nomine Patris, & filii, & spiritus S. Cum mundus sit plenus fraudibus, & legitimas donationes nonnunquam invadat & destruat, consentaneum est donationes Ecclesiis ad augmentum collatas, confirmare atque stabilire. Notum igitur sit omnibus Catholicis tam præsentibus quam futuris, quod ego Romaricus Comes de Avendo, mecum considerando homines pios ac paupertati voluntariæ addictos stigmata pauperis Christi in suis corporibus portare: vivere in desertis, vepribus circumseptos, ut Crucis amaritudinem, & omnibus sæculis laudatam asperam pœnitentiam, tanto melius possint promulgare, quod, inquam, talibus juxta meum desiderium assignaverim locum in monte Rombeck, prope meam quandam arcem locum penitus sylvestrem, non procul Mosella dissitum, ut ubi prius lupi tantum ac ursæ audiebantur, Psalmos sancti angeli, hymnos, & cantica spiritualia audirent, cum perpetua gratiarum actione conjuncta, fieretque incultus ille situs habitatio sanctorum, qui cogitatione piisque desideriis cælum incolerent.

Litteræ fundationis Monasterii S. Romarici.

Itaque spinis & urticis loco expurgato, Monasterium Monialium Ordinis Sancti Benedicti ibi construxi in Sanctissimæ Trinitatis, Beatæ virginis Mariæ, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, omniumque Sanctorum, honorem, idque Montem sanctum, mutuato ab ipso monte nomine, appellari volui. Huc omnium meorum consensu introduxi Sanctimoniales, & Gertrudæ filiæ meæ majori natu, nec non sorori ipsius Claræ, meæ itidem filiæ, cæterisque Deo dicatis personis, concessi idem Monasterium, ubi secure, libere, & absque sæcularium rerum cura Domino nostro Servire possint, cui ego pariter servire & placere cupio. Do igitur & concedo illis libere totum meum patrimonium, id est, Comitatum Abendo, omni ratione, modo, jure, ac proprietate, quibus pater meus & ego eundem possedimus. Facta est hæc donatio quarto Martii, anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo vigesimo, regnante in Francia Clotario gloriosissimo. Sunt testes Arnaldus Episco- Metensis. Dodus, Episcopus Tulnensis. Paulus, Episcopus Verdunẽsis. Arnulphus, meus cognatus, Dux Austrasiæ Mosellanicæ, Brunulphus, Comes Templacensis. VVãbertus, Dux inferioris Austriæ, Comes Salmensis. Et ne quis futuris temporibus ausit hanc nostram eleemosynam subtrahere, aut Monialibus molestiam inferre, quæ in isto loco Deo servierint, Ego hanc chartam meo sigillo, Regis, Episcoporum, Ducum & Comitum, suprascriptorum confirmo.

Præter alia, hæ Fundationis tabulæ mõtẽ Rombech partem Vogesi, seu Vosagi esse, indicant, ab antiquis incolis sanctissimis tota Europa percelebrati, quem cum Nitriæ atque Thebaidis sacerrimis Eremis componere queas. Variis provinciis sese admovet, quod immenso tractu procumbat: nec facile dixerim quam multa olim Asceteria Cellæque Anachoretarum per eum sparsæ fuerint. Philesius magnitudine montis captus, hos versus accinuit:

Mons Vogesus sumit Rhætorum ex alpibus ortum:
Et vindicosta te quoque, Trevir, adis.
Gallica Teutonicis qui separat arva colonis,
Et Mediomatricæ mox videt urbis agros.

Hinc Mosa originem ducit, ad Belgas postmodum se per Eburonum menapiorum, & Sicambrorum agrum, denique cum Rheno in mare prolabens.

Vogesus mons varia induit nomina.

Immani jugo, tam longe lateque exporrecto Vogesi nomen posuere veteres: alia insuper atque alia indidere posteri. Nam ea pars quæ Alsatiam, fertilissimam provinciam, respicit, Mons Sanctæ Ottiliæ appellatur, quod duo illius Ordinis Cœnobia, fama multo notissima, olim sustineret. Qua deinde Treviris objicitur, antiqui Genebam vocarunt: Seri vero nepotes Montem Sancti Pauli (vulgo Paulsberg) mutuum sumentes nomen à Sancto Paulo, Virdunensi Episcopo, antea Divi Benedicti Monacho. Huic monti Monasterium Theologiense impositum est. Alia parte Vogesi appellant Alemanni den Romsberg, quasi montem Sancti Romarici, ad quem spectabat, una cum arce, quam is in Monasterium Monialium Ordinis Sancti Benedicti vertit. Cæterum perpetua illa juga Vogasus & Vogesus promiscue appellantur, quod Superius monuisse oportuit. Incolæ & accolæ illustriori titulo, Montem Sanctorum nominant.

To loc. Coccius in Dagoberto.

Alsatiam, inquit Coccius, *ab Lotharingia disterminat; & munitissimi propugnaculi vice circumsecus ad Occiduam plagam ob vallat, insignium fluviorum scaturigine felix, plurimos amnes variis fortunæ casibus commemorabiles, gremio suo effundit, qui per Alsatiæ mediterranea devoluti, Rhenum petunt.* Pharamundum, Marcomiri filium, atq; sub annum portæ salutis CD.XIX. VVinceburgi primum Francorum Regem inauguratum, in edito Vosagi vertice tumulum cepisse ajunt.

Idac. l. 3. hist. Goth. Pharamundi, primi Regis Francorum mausoleum in Vogeso.

Porro Monachis fuit frequentissimus, quorum alii colebant Monasteria, alii mapalia. Multi se penetrabant in angustas specus, & cavernas terræ, vitamque raro prius auditam degebant, quod auctor gestorum S. Pauli Episcopi Virdunensis his verbis, velut digito notat: *Ad Eremum Vogesi pervenit, ramq; postbabitis mundi rebus & curis omnibus, lætus ingreditur, Christo Regi suo illic militaturus. Ajūt autē in illa solitudine multos habitare Anachoretas distinctis cellulis, quique demptis Sabbato & Dominico die perpetuo soli degerent in arctissimo silentio, nisi vel morbus corporis, vel animæ salus, secus postulasset.*

Sur. 7. Febr. in vita S. Pauli. *Monachorum & Anachoretarum sedes.*

Hos etiam depingunt Fundationis litteræ, quibus Sanctus Romaricus Monasterium se in deserto statuisse affirmat, quod Monachis per Vogesum sparsis, ac ultima inopia laborantibus, nudisque, (nimirum ut tanto pressius Christi vestigiis insistere valeant) opem ferre cuperet.

Id vero Monasterium cessit virginibus sacris, quod viri mallent ferarum lustra incolere, quorum exemplo adductus S. Amatus, etiam antrum subivit fastidiosum. Fœminas enim in Eremis agere sigillatim, fere decorum haud habetur. Proinde Asceterium montis Rembech (forte Romberg) in quod Romaricus integrum Comitatum ingesserat, communem Monialium Monachorumq; penum fuisse puta.

Non pauci scriptores novi extra viam me hic trahere conantur, sarti conjecturis, montem Sancti Romarici Austriacorum natalem domum suo dorso quědam tulisse: quibus nondum me dedo, cum Rudolphus Habsburgi Comes mihi expectandus sit Interea ægre mihi persuadeo Avendum Comitatus S. Romarici tritum nomen, peperisse Habsburgum, unde illi deducunt; usque à leo longe invicem distant.

Insuper ex allatis litteris Fundationis palam fit, Monachos S. Columbani Ordinis fuisse D. Benedicti. Bonam enim hujus montis partem insiderant: deinde Monasterio, quorum jam meminimus, & quæ post referimus, pro legum suarum latore habuisse illum ipsum S. Benedictum, nemo nisi albæ mentis dubitat. Quid nobiscum pugnas?

Monachos S. Columbani Ordinis fuisse S. Benedicti confirmatur.

Dicta repetere, vel dicenda præter tempus & locum adducere, non vacat: sed in rem præsentem veniamus, si libet. Tribus te verbis absolvemus. Romaricus à SS. Eustasio & Amato, Monachis Luxoviensibus institutus, Monasterium Mnnialibus struxit, *Ordinis Sancti Benedicti*. Non pluribus te fatigamus, cum litteras Fundationis adhuc præ manibus habeas quæ id referunt. Sæpe numero *Regula* Sancti Columbani meminerunt Historici: nunquam Ordinis S. Columbani, ut rumpantur qui nostro in flumine piscantur hamo, insanis escis induto.

Præterea nomen commune Regula est, soletque trahi ad quamvis amussim, normam, nec non ad statuta, leges, constitutiones, vitæ formandæ sancitas. Pri-

vilegia autem & Fundationum tabulæ præter Regulam etiam apperiunt *Ordinem Sancti Benedicti*, quando Sancto Benedicto Monasteria transcribunt, ut nullus dubitaret quorsum spectarent: Regulæ vero Sancti Columbani nonnunquam mentionem injiciunt eo, quod is leges privatas ad provehendam disciplinam tulerit.

Nam te obsecro, qui novum is Ordinem condiderit, cum Regula Sancti Benedicti cum suis discipulis semper adhæserit? Hæc cum ita, Ionas Monachus Virgines sacras Montis Sancti Romarici Regulam Sancti Columbans observasse ait, quod Monasterium Ordinis Sancti Benedicti fuisse, monumenta Fundationis, quæ produximus, testantur. Habes omnem rem: nunc alio nobis pergendum est.

Ioan. vita S. Eustasii.

S Romaricus Monasterio se infert.

Sanctus Romaricus Charissimis pignoribus, cognatis, amicis, fortunis omnibus, hunc in modum animose submotis, Luxovium duce Sancto Amato contendit, ubi gentilitii splendoris oblitus, rigentes auro vestes, veluti ultimas exuvias, sibi raptim detraxit: ad pedes Sancti Eustasii egregio facinore abjecit: cucullum non magni precii induit. Mancipia libertate donata huc illuc dilapsa sunt: quosdam famulorum in Cœnobium Dominus exemplo traxit.

• Voto potitus Romaricus nihil potius habuit, quam oculos humi ponere: omnibus se submittere: scoparum vices explere, quem nudiustertius servorum, vernarum, aulicorum stipabat turba. Multis excutiebat lachrymas cum viderent, quod suis etiam serviret servis, & abjecta officia cupidissime involaret. Omne tempus, quod in potestate erat, retulit ad orationem & contemplationem. Vnde tam alte in se descendit, sibique in cute notus omnibus parere maluit, quam uni imperare. Foras plerique imus; at cum nos meditationi damus, quasi domum redimus, nec multo secus quam in objecto speculo nostros non rectos affectus, errores, vitia, curvas animas, denique nostrum nihilum, quod alias tanti estimamus, clarissime intuemur.

Meditatio ipsi ante alia cordi est.

Hinc odium sui, ac amor Dei concipiuntur. Sanctus Eustasius, qui in subditorum suorum verba, motus, actus, diligentissime intentus erat, sæpius oculos in Romaricum, religionis tyronem, flexit, quem ubi orando atque humilia ministeria obeundo & dies & noctes comburere animadvertit, signi hoc sat est, dixit, fundamenta esse jacta. Igitur eum una cum Sancto Amato in Vogesum montem remisit, hæreditatem Divi Benedicti, quæ ibi amplissima erat, curaturos, fieri posse ratus, ut prior sola canicie veneranda, si non rerum longissimo usu, tam Monachos & Moniales, quam sparsos per cellulas Eremitas in officio cohiberet: posterior exemplo duceret, nondum deleto ex memoria vetere Romarico.

Fundaverat id loci Parthenona Sanctus Amatus, in quod cum se quam plurimæ Virgines quasi impetu infudissent, & fibula solutos crines resecuissent; tum capiti velo imposito, se Numini dicassent, sacrum illud agmen in septem cohortes distribuit, illisque *Laudem perennem* (quam prolixe dudum explicavimus) imperavit. Eum historici Abbatem montis Sancti Romarici nominant, nullum tamen Monasterium certum, in quo munere isto sit functus, exprimunt. Vnde communem illius tractus Antistitem fuisse putem, cujus jussa Monachi & Eremitæ capessiverint: diebus Sabbati & Solis, quibus in Ecclesiam confluere solebant, ad eosdem verba fecisse: nonnunquam suscepto itinere ad singula Monasteria & Eremitoria visisse. Item rexisse Parthenonas à Sancto Romarico & à se conditos: etsi duo domicilia quidam in unum confundant. Itaque cum per spaciosum montem is Caput rerum fuerit, historici Abbatem montis Sancti Romarici appellarunt.

S Amatus Asceteria & Eremitoria Vogesi curat.

Incredibile vero dictu est, quam studiose circumspexerit, quis maxime angulus in rem suam esset. Nam solitudinem publico longe anteferebat. Tandem offendit saxum ingens, quod hiabat quidem ore ventreque, non tamen ita amplis, ut plures quam virum unum caperet, qui artus si extendere voluisset, undique prohibebatur. Hic me coërcebo dixit: carcer quem quærimus, hic est Sit squallidus, sit teter, postremo sit angustus, ut si quis nos comparet, incola fere major sua casa videatur, ego nihilominus ter maximum esse ducam, neque me unquam e-tuam, nisi compulsus ab officio.

Subitanțrum.

Igitur in specu ista dies noctesq; rei divinæ operam dedit, nec cuiquam Monachorum vel Eremitarum fas erat, sic occupato intercedere, nisi quid accidisset, quod ad ipsum perferri debuerat. Insuper difficilis erat aditus, nec facilis descensus: ideoque Monachi commeatum, id est,

parum

parum panis & aquæ, in cistellam componentes, eam è vertice summo, qua ille specu imminebat, nexo funiculo demittebat, quas exemplo sui Patris Amati hujusmodi etiam cavernas habitasse, simillimum vero est. Ille vero aliquot annos non absque vario cruciatu in hoc saxo exegit, cujus labores Deus miraculorum copia, ceu præmio affecit. Extremum diem, quo vita ipsum defectura erat, annum integrum ante patefecit, quem sibi absque asperrima pœnitentia effluere haud passus est. Immo nova quædam tormenta excogitavit, quibus anhelum ac pridem subactum pœnis corpusculum persequeretur. Rem cognosce. Accersito quodam Monacho ante alios charo, Fili, dixit, mi fili, quam gravis sim ætate vides. Ad mortem tendo: post duodecim menses ad metam perveniam. Nemo extra noxiam est: ego omnium minime: nec ita facile est expurgatu malum, quod tota vita contrahimus. Age sis igitur tu & Castorius sacerdos: stragulum mihi cilicinum sternite: tum cineribus probe conspergite, meque longis annis prope funeratum, imponite. Namque animum induxi fratribus inspectantibus publico supplicio abolere peccata, quæ admisi. Rejectis ahis negotiis hi thorum apparant è fenis sententia, qui culpa omni vacuus, veniam omnes rogavit, & morbo non levi raptatus, horridum pilis & cineribus lectulum occupavit, bis moriturus: quodque vehementer mireris, illi tumulo verius quam lectulo adeo deditus fuit, ut obire quam inde abire maluerit. Certe is, qui memoriæ facinus prodidit, non modo cutem ab horrentibus pilis eruibuisse, asserit, sed ossa extare visa. Iam in hac re ut taceamus, cum mors pallida incumbentem cineribus tandem abstrahere vellet, alicui imperavit, ut voce clara Sancti Leonis epistolam ad Fabianum datam, quæ fidei articulos exequitur, coram recitaret. Quid deinde? Cum bona fide hac se moriturum, protestatus est.

Asperas à se pœnas exigit.

Mortem obit.

Postea discipulos suos obsecravit, ut corpus non dignum templo, defoderent ante fores. Monachi obstinatas ita gravi petitioni applicuere aures. Abiturientem cum jam nihil moraretur, ad Superos evasit XIII. Non. Septembris. Sublato tam charo patre, nulli sumus, ulularunt Monachi cum Eremitis & nulli profecto sumus: perimus: occidimus! Ille post fata quibusdam sese committens, venia à Bono Deo, ac insuper cœlo donatum esse, indicavit.

Candidissimus cygnus epitaphium hoc ipse sibi ante funus cecinit, quod mœrentes Monachi sepulchro inscripsere:

Epithaphium ipse sibi condidit.

Omnis homo Dei, qui in hunc locum sanctum introjeris,
Si veneris impetrare quæ postulas,
Pro anima Amati pœnitentis hic sepulti,
Domini misericordiam deprecari digneris:
Vt si quid mea pravitas de meis peccatis
Obtinere non potuit,
tepide pœnitendo,
Obtineat vestra sanctorum charitas,
Sedulo Domini misericordiam deprecando:

Papæ! an non Amatus hocce Epitaphium in humilitatis fundo meditatus sit? exaraverit, sibique posuerit? Delitiarum expers, nunquam blanditus corpori est, vigilavit, jejunavit, flevit, oravit, pœnas de se non notas sumpsit, nihil tamen momenti tantæ asperitati inesse putans, spem in aliorum precibus sitam habuit. Munus Abbatis post ipsum Sanctus Romaricus excepit, quod tam bene gessit, quam meruit. Schismatis ignominiosam notam utrique impingit Baronius, quasi huic crimini affines se fecissent auctore Agrestino, qui Sanctum Eustasium aliosque Sancti Columbani discipulos maledictis differre ausus est. Constare namque, litem ipsis cum Sancto Eustasio intercessisse, animisque alienatis ad partes Agrestini accessisse.

Baron. an. 617

Hinc illas lachrymas fluxisse Amato morituro, scilicet criminis designati memores. Atqui nemo historicorum, quos hactenus vidimus, tam Sanctos Viros schismatis reos facit: quod si demus Cæsari Baronio erratū fuisse pœnitentia ipsos culpam expiasse, fatendum erit. Sancti Petri ac aliorum tibi in mentem veniat, qui tanto altius surrexerunt, quanto profundius ceciderunt. Quocirca non in animum in ducas, laborem te inanem capturum, si SS. Romaricum & Amatum venereris, modo à Baronio notatos, cum saltem macula diluta, Cœlitum Albo ab Ecclesia impositi fuerint. Quid? animus nobis redit, ut Baronio non credamus, Sanctos absque gravissimis & antiquissimis testibus accusanti. Surius, Vincentius Beluacensis, Ionas Monachus, à cæremoniis ac ritibus tantum Monasticis S. Eustasii eos discessisse, affirmant, ac novos instituisse: sed hac causa schismatis

SS. Amatus & Romaricus non absque admiratione de schismate postulati.

Sur. 13. Sept. Beluac. l. 24 c. 72. tom. apud. Sur. vita S. Eustasii 29. Mart.

invidia illis conflari non debet. Suspicionis initium ab Agrestino ortum esse, putamus. Nam hic à Pontifice Max. imprimis ad Patriarcham Aquilejensem defecit: deinde disciplinam à S. Eustasio institutam scabris dentibus invasit, ut odium ipsi, & inimicos pareret, hosque ad sua signa pertraheret. Igitur tam à sede Apostolica, quam à charitate alienus fuit. Nunc tu mihi auctorem cedo, qui scripserit Amatum & Romaricum auspicia scelesti hujus capitis sequutos, Patriarcham cum Papa mutasse? Regulam S. Columbani, inquit Clemens Reynerus in Apostolatu Angliæ, f. 151. qua differt à Regula S. Benedicti, non aliam intelligere par est, quã statuta quædã Regulæ superaddita, qualia forte fuerunt aliqua ex illis, de quorũ neglectu Romaricum & Amatum reprehéderat Eustasius, atq; ita demum exasperaverat, ut inde occasione arrepta schismaticus Agrestinus, Romaricum & Amatum pene in suas partes abstraxerit, nisi Deus Sanctorum suorum miserius, ipsos ad viã rectam, & obedientiã sui Patris Eustasii revocasset. Inter ea autem constituta Columbani præcipua sine dubio fuere, modi aliqui distincti Psalmodiæ, seu cursus officii divini, & pœnitentiarum asperiorum, in quibus D. Benedictus Abbati expresse plenam reliquerat dispositionem. Nam apparet Agrestinum nihil potuisse in Concilio contra Eustasium objicere, præter prolixitatem liturgiæ seu officii divini, & quasdam cæremonias austerioris pœnitentiæ, *Recte hæc omnia.* Immo ante, quam Agrestinus ex Italia in Galliam venisset, diversas in sententias itum fuit, aliud Sancto Eustasio, aliud SS. Amato & Romarico sentientibus. Nosti tritum illud verbum: *suum cuiq; pulchrum.* Vel D. Pauli memento, cui aliquando cum S. Barnaba non conveneràt, Act. xvi. Hujusmodi autem bella non diffluunt amicitias, cum non à voluntate, sed ab intellectu moveantur. Quocirca etsi aliud S. Eustasio, aliud Amato & Romarico de cæremoniis sit visum, arcto nihilominus nexu animi conjuncti erant, nec controversia obstitit sanctitati. Vnus tamen occasione Agrestinus, partes magis accendit. Quodsi igitur vehementius hinc arserunt, nõ ideo in jus cũ schismatico ambulare debent, cum nec latum unguem ab Ecclesia Romana discesserint. Forsitan nec levissima quidẽ culpa per hanc cõtroversiam contracta fuit, nisi adeo plebeja tibi sit anima, ut Philosophos & Theologos sententias diversas acriter propugnantes, peccare putes. Esto insuper: negaverit sibi commoda omnia S. Amatus unũ annũ ante, quam occumberet: vigilaverit: prolixe jejunaverit: in cinerem ac cilicium se abjecerit: hinc tamen conjectura duci nõ potest, schismatis reum fuisse, & scelus hoc pacto voluisse expiare, quando vitam ab adolescentia dure Agaunensi in Cœnobio instituit nec postea remisit rigorem, sed intendit nondum etiam noto sibi S. Eustasio. Ita sæpe sinistre capiuntur, quæ recte data sunt.

Defenduntur.

Laudandus potius fuerat Amatus, quod rebus relictis minimas ab anima maculas abstergere conatus sit, postquam vitam omnem in annum unicum sibi conclusum intellexit. Nimirum prosequutus est viam, quam semel fuerat ingressus. Non referunt pedem viri sancti, qui serio astra petunt. Etsi incommodum mihi eveniat, quoties contra Cardinalem Baronium eundum est, quem sequi mallem: facere tamen non potui, ut culpam nostris Divis per errorem impositam non emacularem.

Quod capita, tot sententiæ.

AN. CHRISTI 621. AN. BENEDICTI 141.

S. Paulus Monachus Theologiensis, Episcopus Virdunensis.

Priusquam Vogeso, Sacerrimo monti, vertamus terga, S. Paulus nobis attingendus est. Qua igitur latus ille Trevirorum urbi objicit, Monasterium se se cõspicuo jugo attollebat, quod nonnulli Tabuleum, alii Dolojense, sed quamplurimi Theologiense appellabant, eo quod Monachis cum in cõgressibus privatis, tũ etiam in scholis, Deus perpetuo in ore esset. Hic loci tanquam fidus S. Paulus fulsit, cujus miracula, dicta, facta, haud omnia, ut par erat, memoriæ tradita fuerunt. Virdunenses Episcopum decimum tertium numerant.

Theologiense Monasterium Vogeso impositum.

Surius, & quidam alii, fratrem S. Germani Episcopi Parisiẽsis faciunt: sed labuntur: sanguine tamen ipsi junctus fuit. Errori ansam præbuit, quod utriusque parentes eadem nomina Eleutherii & Eusebiæ tulerint. Ingenio ante alios pollebat: unde Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, paucorum annorũ spacio imbibit, visus sapere ante annos. Nec modo pietatem coluit adolescens, sed altius in mundi vanitatem penetrans, sæpenumero curvas illius leges ad divinam normam sedulo exegit: pericula ubique obvia expendit: annos oppido paucos, quibus vita traducitur, ad calculos rapuit: sequacẽ à tergo, vel instantẽ à fronte mortem, & post mortem subeundam sententiã anxio animo voluit. Detestatus igitur odorem, quo mundi ara fumat, pauper pauperi Christo adhærebo, dixit Certum est deserere viam, quã decrevi persequi, ac Eth-

Sur. 8. Ian. Trith. de viris illustr. l. 3. cap. 258.

ac Ethnicæ philosophiæ nuncium mittere. Non mora, argentum, aurum, res aliæ, in egenos, ægros, captivos, mendicos, effundũtur. Tũ vero S. Pauli primi Eremitæ in mẽtem venit, cujus vestigia premere secum cõstituit. Porro Vogesum, nobilem montem, à sanctissimis viris per cellas ac antra sparsis, qui festis solum diebus congregarentur, aliis neminem mortalium vel viderent, vel audirent coli à fama acceperat. Huc igitur contendit, eandem vivendi rationem initurus. Tum vagus per Eremitoria & Monasteria, strictis oculis singula perlustrat: explorat: rimatur: incolarum moribus ubiq; imminet sagacissim⁹ juvenis. Ad extremum auspiciis Superum ad Tabulensẽ seu Theologiense Cœnobium delatus est, in quo etiam illa disceret, quæ publicus olim magister (nã postea Episcopum crearunt) è cathedra doceret. Exceptus in limine à janitore, in sacram ædẽ primo, deinde ad Abbatẽ deductus est, qui pedes hospiti de more lavit: inde sermone de rebus divinis ultro citroq; habito, flammam ac materiã piis desideriis suggessit. Dũ Paulus neminem eo in cœtu frigere animadvertit, fluctuare ac animi pendere cœpit, nũ illic potius sedẽ figeret, quã in solitudinẽ (quod statuerat) forte non duraturus secederet. Nõ aliorum pectora magis huc illuc rapiuntur quam eorum, qui terram cœlo post ferre cupiunt, angelorum opera inter homines edituri. Vocant Superi: revocant inferi: modo gaudia late cor spargunt: modo tristitia illatis ex transverso signis, idem cor convoluit: jam spes, jam metus attonitam mentem pulsant: nec ullus angulus sancta solicitudine vacat, quod nostro Paulo accidit.

S. Paulus vitam Eremiticam affectat.

S. Regula. c. 53.

Tandem cum hoc bellum solus debellare nõ posset, suppetias ab Antistite petivit. Madebat ipse quidem Eremi amore: Abbas ingenio distracto tormẽta admovens, ad Cœnobium impulit. Vbi se premi intellexit, nõnihil pedem referens, *Contristatus sum* inquit, *in exercitatione mea: & conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris. Quoniam declinaverunt in me iniquitates, & in ira molesti erant, mihi Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. Et dixi: quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Hic Antistes obliquo hominem ictu petere: Cœnobitas vix ullis patere periculis: ducum peritissimorum signa tuto sequi, abdicata propria voluntate, quod haud in ultimis ponendum sit. Immo in hos carmen Davidis convenire, adjecit: *Imposuisti homines super capita nostra.* Ita *Christum factum obedientem usq; ad mortem, & quidem ad mortem crucis.* Inclinãrunt nonnihil hæc dicta juvenem, ad vitam Cœnobiticam amplectendam, quapropter antagonista ultra instandum ratus, magnum illum Abbatem Iohannem à Cassiano percelebratum, in exemplum ei ante ora statuit. Is enim triginta annis in Monasterio exactis, in Eremũ discessit, ubi vicenos annos posuit: utroq; loco dig⁹ admiratione. Ad ultimũ, in Monasterium se restituit, sua fata præstolaturus. Causã rogatus, *Solitudo quidem*, respondit, *vagis profanisq; curis animos prorsus denudat, Deoque arctissimo vinculo connectit: sed enimvero Cœnobium voluntatem propriam (portentum ingens!) perpetuo insectatur, premit, in crucẽ Christi agit. Deinde solicitudinem parandi victus eximit. Viderit enim œconomus, quid cras sit appositurus.*

Auctore Theologiensi Abbate Cœnobiticam amplectitur.

Psal. 54.

Psal. 65.

Cassian. collat. 19. c. 3.

Cœnobium voluntatem propriam in Crucem Christi agit.

Neque segregandus hinc Abbas Theodosius visus, qui certus mundo terga dare, persuasus à Simeone Stylita, post longum animi certamen, Eremum post putavit præ Cœnobio, temere facturum militem, dictitans, si castris desertis solus invadat hostes. Iam mitto quæ scripsit S. Benedictus; nimirum tantum bellatores veteranos, qui multa stipendia in Monasteriis antea fecissent, recte pedem in solitudine cum dæmonibus collaturos. Tot arietibus pulsatus noster Paulus, se dedidit, ut in Monasterium Theologiense admitteretur, Abbati supplex fuit. Agnoscere se nutum ac beneficium Numinis: petere veniam contumaciæ.

S. Reg. c. 1.

Receptus in cœtum Monachorum, humilitate, obedientia, paupertate, silentio, cellæ studio, pœnitentia, oratione, neminĩ secundus fuit, cujus animum ut ad majora tolleret Deus, sæpe per ipsum miseris salutem tulit. Quamvis autem historici multa admiranda per eundem patrata fuisse affirment; pauca tamen memoriæ prodiderunt, è quibus unum occupare libet. Solebant hîc loci farinam ipsi Monachi subigere, ac pinsere panes. Tactus ordine Paulus, operi manum gnaviter admovit: sed simul etiam mentem contemplationi applicuit, cui dum altius indulget, tempus imprudenti omne elapsum est. Interea minister advolat, Heus Paule, clamitans, actutum mihi panes à te recens coctos expedi: in cœnam inferendos. Ain' tu? excepit mediator.

Miracula edit.

Sic est, inquam, retulit minister. Et Paulus; farina adhuc jacet lente exporrecta, nondum in orbes formata: perii! Non mora, ad officium se componit: furnum incendit: se deinde ipsus immittit, & vivos carbones convertit, defunctusque periculoso labore intactus è furno se denuo evolvit. Quantum ex ipsa re conjecturam capimus,

Deus Opt. bono pistori auxiliatus est, nec non medendi vim panibus indidit. Quidã enim paupertate ac membris simul captus, cum rogasset stipem, & à Paulo accepisset panem, non ita diu agitavit molares, famis placandæ gratia, & ecce, obsecro, membra quævis muneri suo sunt restituta: unde magnam sui admirationẽ Monachis hic pistor incussit. S. VVandelino morte sublato, omnium suffragiis Abbas creatur. In publicam profecto lucem proferendus erat, qui tum etiam, cum lateret, radios quoquoversum sparsit. Porro in multis qui mutato gradu vitæque cultu in Monasterium se conjecere, Grimo eminebat (quem etiam Adalgesilum dixerunt) Dagoberti & Clotarii Regum Galliæ cognatus, amantissimi discipuli, assidui comitis, denique unici filii loco à S. Paulo habitus. Opes, honores, aulæ voluptates, mirum est quam longe uterq; post Monasticam pacem & quietem posuerit.

Grimonem regio sanguinum ortum, instituit.

Hæc dum geruntur, Hermenfridus Episcopus Virdunensis, ante id Monachus Luxoviensis, mortem oppetit, duodecim annis in cathedra peractis. Clotarius, qui Monachis nostris virtute ac eruditione præstãtibus imprimis bene cupiebat, oculos ad Grimum adjecit, quem dum sufficere conatus est, abnuens ille, magistrum sibi suum (S. Paulum notans) obstare dixit, oravitque Regem potius in animum induceret, hunc Episcopum renunciare. Nullum se in cathedra præ Paulo futurum.

Francisc. Rosiers l.2. c.7.

Clotarius, ratus Paulũ divinitus sibi obtigisse, ideoque litteris hominem adortus est, litteris nihil proficientibus. Enimvero hujusmodi honores cum præsenti periculo conjunctos à se amovent, qui sapiunt. Ergo Rex repulsam passus, legatum misit, qui vel invitum ad se pertraheret: viroque potitus in summo fastigio nequicquam supinis manibus deprecantem collocavit. Duodecim, non minus, Episcopi S. Paulum antecesserant, primum tamen ipsum numerare licebit, si posteræ industriæ habeatur ratio. Res enim Ecclesiæ adeo angusta erat, ut alendis ministris non sufficeret, ideoq; publico Numinis cultu vacare. Quo se hîc vertisset Paulus? Clotarium vellicavit, tenues nimis fortunas augeret: non perditurum oleum, si Divos tutelares ungeret. Impetratum est. Quin Grimus quoque in eundem remum incumbens, luculentum patrimonium suum pauperi Episcopatui transcripsit, Monachis detritis cucullis oblitis, haud indigne facinus ferentibus. Inde Paulus telam aliam tenere: Canonicos instituere: rei divinæ non absque summa majestate operari. Agebatur tunc annus sexcentesimus vicesimus primus, si Dinochari & VVasburgo fidem habes: vel certe aliquis alius anterior, quam fidem privilegium meretur, quod Franciscus Rosiers de Monasterio S. Romarici edidit. Sed quemcunq; annum capias, S. Paulum Clotarii jussu cathedram insedisse deprehendes, non vero Dagoberti, qui primum anno sexcentesimo tricesimo (nimirum patri ipsius fatali) manum Gallico sceptro admovit, quantumvis ad regnum Austrasiæ sub annum sexcentesimum vicesimũ sextum fuerit inauguratus. Etiam hoc apponimus: historicos erroris esse manifestos, quotquot Dagobertum Cœnobii Theologiensis Fundatorem faciunt, quando S. Paulus Abbas Theologiensis secundus infula Virdunensi vinctus fuit Dagoberto nondum in solium regni Franciæ vel Austrasiæ elato: Asceterium vero jam sub VVandelino Antistite primo stetit. Est tamen quod Ordo etiam Dagoberto habeat gratias, qui multas fortunas in illud ingessit. Privilegiũ adi Frãcisci Rosiers, quod nos in Appendicẽ submovimus: sed annos correximus, adjiciẽdo decẽ ad quod ita res Dagoberti ferrent, qui id temporis dextram clavo injecit, atque sub regnĩ principia Theologiense Monasterium è tabulis concinnatum (unde vulgus Tabulejo nomen indidit) è saxis regia munificentia eduxit, quamob causam Fundatoris honore donatus est: male tamen à quibusdam pro Fundatore primo habitus.

Cogitur tiaram Virdunensem imponere.

Dinoch. l.2. de sacrificio Missæ. VVasburg. in hist. Episc. Virdunensium.

Dagobertus Theologiense Monast. non fundavit, sed auxit.

Rosiers in privil. hujus Cœnobii Tralbem. hist. Franc. in Dagoberto. sur. 8. Septembr. Script. 5.

Monachi Divum tutelarẽ S. Michaëlem legerunt suo Cœnobio, quod propter fluvium (Sago nomen est) conditum, tam situ quam magnificentia oculos in se convertit. Non procul abest locus, quem S. VVandelini nuncupant, appellatione à primo Abbate Theologiensi imposita. Quamvis autem in Archidiœcesi Trevirensi staret, Virdunensis nihilominus vicinus Episcopatus sæpenumero ex hoc horto flores carpsit, quod nobilitas, eruditio, sanctitas incolarum, omnium animos tetigissent. Præter Grimum genere quoque admodum illustris fuit Loherus, Dux Lotharingiæ, qui post tricesimum ac unum annum opibus, honoribus, ducatu, se abdicans, habitum Cœnobiticum sumpsit. Nos tamen scholas publicas, quæ discentibus hîc apertæ sunt, sanguinis nobilitati longe anteponimus. Sed factũros operæ precium nos putamus, si catalogum Abbatum subjiciamus.

Francisc. Rosiers l.3 c.33.

Syllabus Abbatum Monasterii Theologiensis.

1. *S. VVandelinus.* Hunc aliqui Rege Scotiæ procreatum autumant. At enimvero

S. VVandal. Abbas Theologiensis. I.

tota errant via, quod alibi ostendemus. Vero propius est, discipulum fuisse Sancti Columbani, quem Trithemius ab Evangelii promulgatione non leviter celebrat. Persuasit hic Paulo, ut ex orbe amplissimo in angustam cellam, conjeceret.

Trith. l. 3. cap. 79. de viris illust.

2. *S. Paulus, Episcopus Virdunensis*, cujus caput Tholoia insigni cultu prosequitur.

Brusch. Chronolog. Monast.

3. *Grimo*, Dagoberti Regis frater, cui etiam Adelgisilo nomen fuit.

4. *Leo.*
5. *Chietmericus.*
6. *Chranderigus.*
7. *Frodonius.*
8. *Herbertus.*
9. *Annodo.*
10. *Fidenardus.*
11. *Anno.*
12. *Buermerus.*
13. *Hildo, seu Hildi, Episcopus Virdunensis.*
14. *Theodefridus, Episcopus Virdunensis.*
15. *Guilbitrarius.*
16. *Rogobertus.*
17. *Figebardus.*
18. *Ebertnus.*
19. *Hermonandus.*
20. *Adalelmus.*
21. *Stephanus.*
22. *Berthebadus, Episc. Virdunensis.*
23. *Hildinus, Episcopus Virdunensis.*
24. *Hatto, Episcopus Virdunensis.*
25. *Gerardus, Episcopus Virdunensis.*
26. *Frido, Episcopus Virdunensis.*
27. *Bernonius, Episcopus Virdunensis.*
28. *Bernigerus Episcopus Virdunensis.*
29. *Bernhardus.*
30. *Adolo.*
31. *Rupertus.*
32. *Elicberius.*
33. *Helironius.*
34. *Gerhardus.*
35. *Ebervvinus.*
36. *Folradus.*
37. *Conradus.*
38. *Aberberdus.*
39. *Arnoldus.*
40. *Fliernominius.*
41. *Bertolphus.*
42. *Hildericus.*
44. *Rudolphus.*
45. *Theodericus.*
46. *Gregorius.*
47. *Viricus.*
48. *Thomas.*
49. *Henricus I.*
50. *Henricus II.*
51. *Hugo*, qui Monasterium instaurasse fertur.
52. *VVilhelmus, Episc Virdunensis.*
53. *Henricus de Indagine, Abbatem egit anno 1328.*
54. *Folmarus.*
55. *Emicho de Superiori lapide.*
56. *Betzelinus de Soetteren.*
57. *Reinoldus.*
58. *Philippus de Indagine. Rebus praefuit anno 1346.*
59. *Reinoldus de Soetteren.*
60. *Thomas de Soetteren.*
61. *Iohannes de Ellembach.*
62. *Nicolaus de Lebenstein, Clavum tenuit anno 1474.*
63. *Casparus de Dalem.*
64. *Damianus de Lommersvveiler, Abbas lectus anno 1489.*
65. *Gerardus Hassels. Onus subivit anno 1517.*
66. *Iodocus de Colonia. Admotus ad Gubernaculum anno 1520.*
67. *Tilmannus de Embrica, Abbas anno 1526.*
68. *Balthasar de Trajecto inferiori, Abbas anno 1531.*
69. *Gerardus, de Gronda anno 1535.*
70. *Rupertus de VVick, anno 1540.*
Lucas.
Antonius. Ob. anno 1617.
Martinus. Ob. anno 1638.
Maurus.

Ad sacra lipsana quod attinet, de S. Paulo praeter caput, quod statis diebus promi ostendique solet, nihil prae manibus est. Hic insuper conditi sunt Loherus, Dux Lotharingiae, quem fata sub annum octingentesimum nonum abstulerunt. Conradus Archiepiscopus Trevirensis, anno millesimo sexagesimo sexto mortuus. Opes Monasterio ingentes erant, Regibus Galliae ac Ducibus Lotharingiae mutuis exemplis se vicissim incitantibus. Quantis vero auctibus creverit, Privilegia, quae Franciscus Rosiers ex Archivis Ecclesiarum Cathedralium & Monasteriarum collegit, te docere queant. Neq; vero guttatim tantum aliquid asperserunt Monachis, sed arces, sed integras urbes dederunt. Stare adhuc videtur hocce Asceterium, cum in id salvum atq; incolumé apud historicorum quempiam sub annum millesimum quingentesimum quinquagesimum inciderim: deinde eo quod male sanus Lutherus, qui haereticorum ordines per Alemanniam duxit, in Trevirensem agrum minus grassatus sit. Certe nos hoc votum in coelum ire cupimus

Rosiers privil. 4. 7. 13. 15.

tuus, ut hæresi ac bellorum ventis pulsatum, firmiter persistat, nec quisquam sanctissima fundamenta (SS. VVandelinum & Paulum puta) labefactare vel eruere valeat.

Non mittuntur incassum justæ præces. Sed Virdunum nobis, atque ad Paulum revertendum est.

Bene meretur de Episcopatu.

Quicquid ex usu Ecclesiæ suæ futurum esse prospexit, instituit: ipse vero quod fecerat Monachus, fecit & Episcopus: nec verbis satis dici potest, quantum operæ in servandis animabus posuerit. Miraculorum ab ipso patratorum memoriam, tempus delevit, nisi quod Berchovius Monachus, non modo vetus, sed etiã antiquæ fidei auctor, à Dadone Episcopo Virdunensi jussus brevi syllabo ejus Ecclesiæ Præsules comprehendere, multos ægrotos à pictore expressos, per explicatum parietem reptare, atque à Paulo salutem accipere, suis oculis se usurpasse, affirmet. Dagoberto Regi, Clotarii II. filio, à consiliis fuit, unde facile de viri prudentia existimes. Oblata isthac occasione, tam regno quam Episcopatui consuluit. Annos septuaginta duos exegit, è quibus viginti novem tiara Virdunensis carpsit. Exanime corpus Sancti Saturnini ædes, extra mœnia Virduni posita, excepit. Ad Monachos autem Divi Benedicti pertinebat, qui sacra Patroni sui ossa multa tempore ibidem servarunt; postea ad Præmonstratenses abiit. Ille à tabulis Ecclesiasticis VI. Id. Februarii celebratur.

Martyrolog. 8. Februarii.

AN. CHRISTI 622. AN. BENEDICTI 142.

Annus, à quo computandi initium ducunt Arabes.

Alcoranus ferro introducitur, & propagatur.

ANNUM sexcentesimum vicesimum secundum Alcorani promulgatione insignem fecit humani generis monstrum deterrimum Mahomed, suisque sectatoribus ansam præbuit, ut non aliunde quam hinc computi sui originem atque seriem deducerent. Paulatim colluvies ista quamplurimas provincias in potestatem redegit, incolasque hanc numerandi rationem sequi compulit. Ita Hispani inclinata ipsorum fortuna annorum calculos ponere coacti sunt: nam aliter mercaturam facere (ut cætera negotia prætereamus) haud potuissent. Satis exploratæ tabulæ sunt, quæ res hoc vel illo anno Arabum accidisse recensent. Consilium mihi est hanc viam nõ semper mutare, cum in Monachos incidero, à Mauris occisos. Adverte sis tamen, amice Lector, non eodem pacto ab omnibus hujusmodi annos constitui.

In annis Arabum numerandis variant historici.

Etenim nonnulli eos ordiuntur ab anno Servatoris nostri sexcentesimo decimo octavo: quidem à sexcentesimo decimo nono: à sexcentesimo vigesimo: sunt etiam qui ad sexcentesimum vigesimum sextum usque progrediantur, videasque historicos haud indiligentes singulos interjectos primum designare turpi doctrinæ à turpiore magistro profectæ. At nos historicorum vulgi pœnitet. Malumus à Regis Alphonsi, Roderici Archiepiscopi Toletani, Iohannis Luccidi, Gerardi Mercatoris, Onuphrii, & Genebrardi parte stare.

Alphõs. in tabulis Astronom.

Ægre ego quidem per ambages eo, credamque certari sententiis, quod alii hanc telam à condito Alcorano: alii ab hagira *(seu fuga)* prophetica *texere incipiant. Dum enim cruda sua dogmata ore duro vulgavit, pseudopropheta, aliunde in fugam actus fuit. Vt enim multi benevole audiverint concionantem rabulam, ab honestioribus tamen auditoribus quassus est foras. Id quoque possum asserere, literas me Arabicas ad Sultanum datas, apud D. Iosephum Abudacni, civem Memphiticum & Orientalium linguarum Professorem Lovanii vidisse, quæ annos ab hagira numerarunt, non ab Alcorani promulgatione. Hoc habui, ut scrupulum tibi vel injicerem, vel eximerem.*

Anni Arabum lunares.

Porro ut scopum tangamus, expenso anno unde Arabes numerare incipiunt, etiam scire oportet, mensibus illos uti lunaribus, ideoque annum ipsis aliquot diebus citius circumagi, quam nobis, quibus solis periodus describit tempus. Annus prode trecentis quinquaginta quatuor, vel trecentis quinquaginta quinque diebus illis conficitur. Vbi igitur nos triginta duos emensi sumus, ipsi triginta tres absolverunt. Iam vero elapsis aliquot sæculis, quis non animadvertat, fore ingens intervallum? Exemplo rem palam faciamus. Nos originem putandi annos Arabum ad sexcentesimum vicesimum secundum nati Servatoris referimus. Vbi centum effluxerint, dicemus septingentesimum vicesimum secundum à parta salute agi. Arabes autem centesimo abjicient quartum; hoc vel illud anno post vulgatum Alcoranum centesimo quarto accidisse, dictitantes. Scis quid loquar? Multi historicorum nesciunt, eaque de causa variis erroribus capiuntur. Hæc paucis exponere animus fuit, ut si annis notandis me ab aliis discrepare videres, non computi communis, id est, nostri, sed illorum habitam à me rationem intelligeres.

ligeres. Iohannes Mariana eruditione, atque imprimis historia, ingens, librum nuper mecum ultro communicavit, quo annos Arabum ad nostros redegit (quod dici solet) ad unguem. Nolui quicquam excerpere, ac publico committere, eo quod auctorem ipsum hoc facturum sperem.

ANNUS CHRISTI 623. AN. S. BENEDICTI 143.

S. Licinius Episcopus, & S. VVinebaldus (quibusdam VVinebaudus) Abbas Tricassinus.

POstquam regna Galliæ in unam confluxere coronam, Clotario ejusque filio Dagoberto Monarchis, Divini Numinis cultus resque Monastica ingens incrementum sumpsere, quod Sancti quamplurimi, qui nobis deinceps obviam erunt, indicabunt. Primi autem occurrunt Sanctus Licinius Episcopus Andegavensis & S. VVinebaudus Tricassini Abbas, quos inserre oculis nunc libet, sed obiter.

Renat. Bened. l. de Sancto Francia. S. Licinius cœlum in cucullo quærit.

Licinium genere fuisse illustrem, quippe VVarnerio Comite in Burgundia prognatum, certa res est. Primos juventutis annos in palatio duxit, ubi cum virtutem suam prolixe probasset Regi, Comes stabuli creatus est. Opes, honores, aulæ fumum, pertæsus, Monachum in Ciciliacensi Monasterio induit. Ea sanctimoniæ specimina hic dederat, ut Episcopo fatis erepto ab Andegavensibus suffectus sit. Infulæ munus ita gnaviter functus est, ut urbem totam suspenderit admiratione. Ibidem Asceterium ædificavit, quod Sancti Iohanni Baptistæ dedicavit. Annis bene multis inter labores elucubratis, ad Kalend. Novembris, vitam exuit, cum æra Christi volveretur sexcentesima tricesima prima, quem publico calculo Cœlitibus à Vitaliano Papa additum ferent sub annum sexcentesimum septuagesimum quartum. Nos tamen extremum hoc non injuria expungimus, eo quod canonizationis, ut vocant solennis ritus nondum fuerit institutus. Neque sibi solis hoc munus id temporis vindicabant Pontifices Maximi, sed Episcoporum quilibet sua in Diœcesi, putatis vitæ & miraculorum rationibus, pro Cœlite venerabatur, qui cultum ejusmodi promeruisse visus fuerat.

S. VVinebaldus Abbas Tricassinus. *Trith. l. 3. c. 67 de viris ill.*

Hos etiam annos, & Clotarii regnum, Sanctus VVinebaldus nobilitavit, Tricassinensis Monasterii Antistes, cujus laudes Trithemius exhausit, dum sanctum atque doctū appellavit. Aptus Regis amicitiæ, inopiam Cœnobii in copiam vertit. Malevoli quidam atque maledici nomen Sancti Lupi, Archiepiscopi Senonensis, detulerant ad Clotarium. Hunc tantum cepit viri odium, ut insontem Episcopatu proscripserit. Amici illico ad Sanctum VVinebaldum, quem apud Regem gratia plurimum posse callebant, sese conferunt: ad hominem se applicant: orant, Clotarium iratum bonis verbis impelleret, ut Lupum suum Præsulem in patriam reducem faceret. Nullo negotio impetrant: voti compotes fiunt. Nam ille Regem aggressus, tamdiu abalienatum versavit animum, donec ad revocandum sistendumque Lupum ipsus est missus. Non mora, in viam se conjicit: extorrem vestigat: tum vero complexus deprehensum, ô mi exspectate Lupe, exclamavit, salve, teque ocyus ad iter compara. Ad Regem eundum est, qui venia te donavit, donabitque veteri sede. Itur ocyus, atque ubi perventum ad Regem est, vix ferre hic potuit squallorem. Incultus jacebat capillus: sine lege undique prominebat barba: frontem vitiarat turpis scabies: triste micabant oculi: ora insecerat pallor: & si paucis vis multa, nudum cadaver Lupus erat. Miseranda facies non modo lachrymas uberes Clotario expressit, sed etiam vehementer commovit in delatores. Dato deinde suis negotio, ut pannis obsitum vestirent: squallidum lavarent: ora cadaverosa semianimi detraherent. Conviviū posthęc instruxit, ad quod novum jam Lupum imprimis adhibuit, carptorisque officium obiens, sua manu cibos porrexit, sæpe interponens, ut sibi ignosceret, quod assentatoribus fidem habuisset, vel etiam accusationum capita in majus accepisset. Ad extremum humi quoque profusus veniam petiit: tum vero donis onustum comiter dimittens. Ecclesiæ suæ restituit Sancto VVinebaldo stipante latus. Parisiis, quo ex itinere diverterant, multos in vincula conjectos votis ad Deum conceptis, in libertatem asseruerunt. Tandem VVinibaudus xv. Kalend. Ianuarii mortale corpus deposuit, quem diem ante alios Tricassini cultu solenni prosequuntur.

S. Lupum è Luporum faucibus eripit.

Moritur.

AN. CHRISTI 624. AN. S.BENEDICTI 144.

Regnum Northumbriæ Christianis sacris imbuunt Monachi S. Benedicti.

CVm vitam Gregorii Magni sub manum haberemus, frequẽter regni Cantiæ in Anglia siti, injecimus mentionem. Complures reguli dominabantur insulæ, quam nunc diligentius obibimus; nam citius, id est, tempore alieno non licuit. Vestigia nobis præibit Venerabilis Beda, gravissimus auctor, qui res suæ gentis haud multo post, quam sunt gestæ, calamo excepit, vulgavitque. Hic Sanctum Mellitum, Archiepiscopum Cantuariensem, anno sexcentesimo vicesimo quarto fatali telo ictum, vivere desiisse, refert: ei subrogatum Sanctum Iustum, quorum uterq; S. Augustino Cantiæ regnum ad Ecclesiam adducenti, strenuam operam navavit. Ex Monasterio S. Andreæ Romano auspicia Augustini sequutum fuisse, nec non Roffensi mitra ab eodem ornatum, alibi narravimus. In serie Archiepiscoporum Cantuariensium locum quartum tenet. Quantos susceperit labores tuleritque lustrando gentiles & expiando, è quadam epistola à Bonifacio Papa ad ipsum data, conjicias, qua virum multis laudibus tollit ob indefessam operam Ecclesiæ Dei præstitam: ac insuper animat, ut contra idola tendere pergat, certus æterni præmii. Immo ipsa quoq; non vili dono sudorem absterfit fluenti. Nam pallium misit, nec non Episcopos per totam insulam inaugurandi fecit potestatem sed hæc satis.

Beda, l.2.c.7. hist. Anglic.

S. Iustus à Pontif. ornatus pallio.

Northumbriæ regnum, adversus Septentrionem in Anglia situm, Scotiæ conterminum, Rex unicus premebat, sceptro. In id viam nostris aperuit matrimonium. Etenim Edvvinus, penes quẽ summa rerũ erat, cum prudẽtia arteq; bellica polleret, urbibus nec nõ agris bene multis ferro subactis, nuptias filiæ Regis Cantiæ (Edilberto nomen erat) ambire cœpit. Legatione igitur ad Eadbaldũ, qui Edilberto demortuo successerat, splẽdide adornata sororẽ germanã, cui Edilburgæ nomẽ, in connubiũ deposcit. Oratoribus opes, formã, virtutẽ, remq; spemq;, sui domini magnifice, ut fit deprædicãtibus, Eadbaldus ferme nuptias pactus est: atq; religio intercessit. Quocirca vereri se, dixit, ne soror à vero Deo ad Deos falsos abduceretur. Absq; hoc esset, facile se Edvvinũ petitionis cõpotẽ facturũ. Legatis ista domi canẽtib', captus amora virginis Rex, nunquã ipsã ad idola a se invitandã, ꝓmisit: multo min' cogendam. Item nostros se mystas in regnum admissurum, nec ulli subditorum fraudi futurum, si ejurata idololatria, ad Christi signa, quæ ipse vel ipsius majores deseruissent, referret pedem Immo, si nostri Sacerdotes initis colloquiis veriora docerent, se cum proceribus regni Christianum fore. Et huic rei firmavit fidem. Pollicitis lætus Eadbaldus, Edvvino Edilburgam nuptui dedit: S. Iustus capillatam occasionem utraq; manu complexus, viros egregios in Northumbriam immisit, qui Deos plebejos obsiderent: denique expugnarent.

Beda, l.2.c.7.

Edvvinus matrimonio sibi collocari petit regis Cantiæ filiam.

AN. CHRISTI 625. AN. S.BENEDICTI 145.

S. Paulinus stomachantibus dæmonibus, Northumbriam erroribus depurgat.

CVm Gregorius Magnus sacram expeditionem in Angliam meditaretur, cieretque agmen è Monasterio S. Andreæ Romæ sito, etiam Paulinus armis Evangelii ferendis idoneus est visus. Nec spem fefellit in Cantia. Itaq; dum profectionem parat Edilburga, nuptiis Edvvino jungenda, Iustus Archiepiscopus in eo regno jacturus fundamenta, Paulinum magnos animos ad hoc operis ferentem, Northumbriæ Episcopum creavit: quem deinde omnem rationem inire jussit, Reginæ cum familia in religione Christiana conservandæ, paganos vero ab idolis avertendi. Sed cum solus integro regno ad frugem perducendo par esse non posset, suppetiæ ipsi additæ sunt. Ergo itur in Northumbriam: pervenitur: Edilburga nubit: Edvvinus ducit: Evangelii sidus exoritur: idololatria occidit.

S. Paulinus expeditionem in Northumbriam suscipit.

AN. CHRISTI 626. AN. S.BENEDICTI 146.

Rex Edvvinus Christiana sacra capessit.

FOrtunæ quisq; suæ faber est. Multi vero, quos dum fortunæ suæ pœnitet, etiam fortunas alienas ad incudem vocant. Ita Guilhelmus Angliæ Occidentalis Rex, limis sæpe oculis Northumbriam respiciens, consilium ipse secum cepit, quo pacto divite regno potiri posset. Edvvinum solio insidentem occidere parat.

Edvvino laqueus nectitur.

Ergo magna pecunia conducitur sicarius: hic ferrum acuit: veneno imbuit: in latus Regis expedit, saltẽ alteruto malo perituri. Vt vero ad Edvvinum penetrare liceret, legati personam sumpsit. Fide bona admissus ipso Paschatis die, scelus, quod meditabatur, sedulo dissimulans, legationis capita exposuit, quæ Rex in vultu dicentis hærens,

rens, suspensis auribus accepit. Inde ad frivola delapsus, & alia ex aliis narrans, Edvvinum fecit oscitantiorem. Tum flagitii conscium sicam promit, quã dum in Regis jugulum summa vi librat, Lilla (quidam Chillam nominant) minister fidissimus intercessit. Nam clypeus quem objiceret, præ manibus haud erat. Sed is dum pium hoc officium persungitur, immani fulmine à latrone ictus, divellitur: Rex sauciatur.

Sed capitur sicarius.

Iam salus scelesto propera fuga quærenda erat, quam dum præceps inivit: ecce tibi ministro quoque alteri, qui obicem anhelo atque trepido ponebat, mortem tulit.

Vltimo tamen in casses incidit. Eadem luce Edilburga sobole bearat maritum, cui Eanfledæ nomen indidere. Quocirca Edvvinus bene multas magnas gratias Diis suis meminit, à quibus uno die beneficiis duobus affectus esset.

Regi rudimenta fidei instillat S. Paulinus.

S. Paulinus indigne ferens gratias haberi idolis, quibus nihil deberetur præter ignem, Regem edocuit, supplicem se fuisse Christo, ut prolem Regina facili partu explicaret, postquam ingenti eam cruciatu lacerari rescisset.

Deos lapideos atque ligneos nihil profecto posse; quod dictum prolixe confirmavit argumentis, quibus eo usque animum Edvvini flexit, ut in Christi nomen se juraturum, si parta de Saxonibus Occidentalibus victoria, salvus rediret, promiserit. Verbis pondus addidit, orando Episcopum, ut interea suam gnatam sacro fonte ablueret, quod festo die Pentecostes factum. Vna insuper lustrata est familia, regiæ filiæ ministerio addicta.

Rex id temporis è vulnere jam convaluerat, cujus salutem nos singulari miraculo in acceptis ferimus, etsi Beda narrare supersedeat. Scopum tamen sicarium tetigisse, asserit: deinde machæram veneno fuisse illitam, cujus vim solus Deus poterat coercere.

Edvvinus Guichelmum fundit.

Posthæc habiti delectus: viri fortes undique exiti: validæ legiones in hostem ductæ. Guichelmus sceleris sibi conscius, manuque promptus, pariter ingentes copias contrahit: infesto animo contra tendit. At vero Edvvinus causa melior, vicit: hostem interceptum mactavit, ejus regnum suo adjunxit.

Iam igitur standum promissis erat, nihilominus moras is nexuit sacrorum nostrorum nondum satis peritus, ventosis autem Diis à puero deditus. Nonnunquam solus Christum & idola secum disputavit: aliquoties viros sapientes, arcanis sermonibus madentes, quid factu videretur, consulvit. Trahente Sancto Paulino, vicissim tenebatur ab illis nugivendulis, ut fluctibus diversis iactatus nesciret ubi potius anchoram figeret. Hæc dum geruntur, litteræ Roma in ipso tempore afferuntur, quibus Bonifacius Pontifex Max. Edvvinum ad Ecclesiam Catholicam invitat: Edilburgam vero Christianam, ut conjugem eo adducat, majorem in modum orat. Provocaverat Romanum Antistitem ad scribendum Paulinus, suggesto ipsi Angliæ statu: epistolas tamen etsi doctrinæ Christianæ plenas, non subjicio, ne te fatigem, cui brevitas placet. Pondus quidem apud Edvvinum habuere, nihilominus quasi inter sacrum & saxum staret, nec à suis Diis abire, neque ad Deum nostrum accedere decrevit.

Beda.l.2.c.10. & 11.

Ambiguus fidei fluctuat.

Quocirca alia insuper machina intendenda erat. Olim juveni vir quidam cultu orisque habitu venerandus sese objiciens, spem regni fecit. Spectaculum hoc cum vaticinio Paulinus cœlitus edoctus, Regi in memoriam revocavit, nulla memorabili re præterita, quæ tum acciderat. Hic obstupescere Edvvinus: pro vate divino Episcopum habere: ejus ductum sibi sequendum existimare. At fine, paucis dicam, quæ Beda multis exequitur.

Beda.l.2.c.12

Rex Northumbriæ Edelfridus animo adeo averso ab Edvvino erat, ut in sontem violaturus fuisset, si occasio tulisset. Iuvenis cum capite se periclitari sensisset, convasavit, perque varias Angliæ provincias vagus, randem ad Redoaldum Orientalium Anglorum Regem tutum receptum habuit. Edelfridus hoc audito, excanduit; oratores muneribus & promissis onustos confestim misit, petitum ut fugitivus sibi dederetur; vel certe hospes hospitem cæderet. Redoaldus fidem extorri datam, ut par erat, excusavit. Edelfridus repulsam passus, legatis aliis super alios expeditis, majorem semper vim auri obtulit, si hujusmodi hamis firmum Edvvini amicum capere posset: Ad ultimum spe sua frustratus, à muneribus ad minas versus, bellũ pertinaci indixit. Demum quem auri fulgor transversum agere nequiverat, dejecit metus, quo ut se exsolveret, hospitem per summum nefas è medio tollere, secum constituit. Collocantur insidiæ: teguntur: sed tamẽ per hiantes non nihil rimas effluunt: quas dum captavit quidam aulæ

Incidit in Scyllam.

Redoaldus Rex manus ab Edvvino abstinet ob fidem datam.

familia-

familiaris quocum Edvvino (*jam sacro*) amicitia intima intercesserat, idem sub noctem in cubiculum irrupens, Heus tu, in aurem dixit: heus tu Edvvine: si vivum te & salvum cupis, ex inhospitalibus hisce tectis te ocyus eiice. Redoaldus tantum in thorace te amat, non in sinu; officiolissime te necaturus. Tibi nunc in manu est, ne fiat. At fuge sis, inquam, extemplo. Iam inter se transegerunt ipse, ac Edelfridus. *Ipse? quis ipse?* Qui fœdus tecū icit Redoaldus subjecit monitor. Iuvenis stupore defixus, quoq; se verteret ignarus, præstat semel cadere perfidi Regis manu; respondit, quam vitā per tenebras & latibula trahendo, pendere semper. Nulla via ut apparet, nunc elabi possum. Habeo tamē non vulgares gratias, quod salutis mihi fueris auctor. Scivit ille bonus vir, colloquia arcana esse abrumpenda, ne in suspicionem veniant; ideoq; pedem cito extulit, sinceri amici numeros se abunde absolvisse ratus, etsi fugam sibi persuaderi haud pateretur Edvvinus.

Spe evadendi & regnandi impletur Edvvinus.

Inde ad quietem hic se composuit, quam tamen capere nequivit, quod fatum suum in momenta expectaret. Dum igitur in lecto tergum versat, & latera alternatim mutat, neq; fugæ, neque consilii satis potens, ecce tibi, quidam de improviso se infert, cui species humana insignior, amictus vero ante eum diem Edvvino nunquam visus; dumque se propius ædmovit, Eho, dixit, cur tu solus horas insomnes ducis, cæteris per aulam in utramque auram dormientibus? Possumne te facere, ut causam edas, ob quam tu rem aliam ex alia cogites, & suspiria fundas? Nihil est, excepit supinus juvenis. Et ille: nihil est? Vt aliquid sit, retulit Edvvinus, quid tū postea? Vel quid adeo tua refert, ronchos ego ducam an ducam vigilē noctem? Canam, an plorem? Vix eloquutus est hoc, cum peregrinus ardentius aspectans cunctatorem, etsi tu pessulum ostio arcani pectoris obdas, inquit, me tamen haud fallit cura, quæ nunc te coquit. Satis ego quidem fortunam tuam exploratam habeo. At cedo, illi quid dabis præmii, qui difficiles tuas rationes explicaverit, induxeritque Redoaldum, ut exulem defendat, vel captum in libertatem asserat? Edvvinus sibi ostentatam ab homine ignoto tam insperatam occasionem amittere nolens, omnes gratias huic beneficio inferiores futuras, testatus est. Mox alter: domo exulas modo: quid si hostibus deletis, regnum tibi pollicerer ego, non augustum, cujusmodi majores tui condiderunt: sed valtissimum quale nemo Regum in Anglia unquam tenuit? Arrectus auditor, ita me

Vaticinium nocturnum supra spem Edvvini.

Dii ament, tacitus animo subjecit, ut majestas viri credere me cogit, haud fumos mihi vendi. Atqui verborum præ gaudio inops cadente lingua obmutuit. Tum fando institit alter: pollicitis dives tibi videor: unum tamen hoc mihi expedi: ubi ventum ad rem erit, visne illi qui tam bene de te merebitur, morem gerere, ubi te ad meliorem frugem vocaverit? Annuit confestim Edvvinus, quamvis incertus, quo illa spectarent.

Ergo juveni promissis capto manum imponit aureus patronus cum vice altera, dictitans, summo vertice alienam feres manum, facilis ut res modo à nobis gesta quodque inter nos jam nunc convenit, tibi in mentem veniat: simulque è conspectu se proripuit: unde mortalium numero habendum haud esse, censuit Edvvinus, ac bona spe plenus animum abjectum recepit: hîc, hîc fortunam secundam exspectabo, inquiens, dum veniat. Sub hæc benevolus ille amicus advolat, qui paulo ante fugam suaserat, Heus Edvvine, mussitans, habe bonum animum, nec porro te macera: ipsa te salus amat. Enimvero postquam Regina intellexit, quam infandum scelus in se admittere statuerit suus Redoaldus, à sententia eum deduxit, ut neque tuo sanguine suas manus imbuere amplius velit neq; Edelfrido te dedere cogitet. Hem, ut hominum mentes ex arbitrio suo facile versat Deus! Nam Rex improbam cędem, quam meditabatur, ultro damnans accersivit regium juvenem: renovatis dexteris cum eodem icit fœdus adversus Edelfridum: conscripsit exercitum: in hostem (quod bene vertat!) movit. Hic irarum plenus & incitatus, nec minorem spem quam Redoaldus in armis ponens, pariter classicum cecinit. Concurritur: pugnatur: victoria læta Redoaldo obvenit. Cæso ipso quoque Edelfrido, regnum ejus in potestatem redegit Edvvinus, felix ac fortunatus, quem nuper pessima fortuna exercens, pro ludibrio habuit. Cæterum congressum illum & colloquium à nobis expositum, Edvvinus alto silentio pressit, vel ne secretum violaret: vel quod linguæ suæ imperare posset: sæpe tamen tacito pectore volvebat, in ultimis præsertim verbis hærens, quibus virtutem se culturum spoponderat, ubi ducem nactus esset. Cum igitur Paulinus Sanctissimus Antistes clām dicta factaque ipsi denarraret, supra fidem obstupuit, emanasse. Ille etiam reliquum conficiens, brachio sublato dexteram summo vertici Edvvini imposuit, subeat in memoriam ea ma-

Cædit hostem Edelfridum.

ous dictitans, quam capiti tuo olim incumbentem, à spectabili viro datam, facilem expertus es. Nunc autem sta verbis, & te virum præsta: meque sequere. Non enim aliis gradibus ad regium fastigium evasisti, quam quod in potestate boni ducis te futurum promiseris, si quis olim obtigisset. Non fortuna, sed Deus tibi favit, Deus te provexit. Hic ut idola, quæ tuis cum majoribus hactenus in sinu tulisti, pro nihilo putes, imperat: sibi soli rem divinam facias. Edvvinus non blanda manu, sed torto cœlitus fulmine tangi se existimans, consistere pedibus haud potuit, Paulinus corruentem excipiens, ad animum redi, dixit: ehodum Edvvine, impeditam subito metu mentem expedi, & rem cognosce. Vltimo discrimini ab Edelfrido objectus, Deo adjuvante servatus es: manum supremam tuo capiti, suisque malis simul, imponi desideralti: votum consequutus es. Age nunc, fili, libera fidem quam dedisti: patere Christianis sacris te initiari Macte virtute esto. Ad nostras leges finge mores, remotis vitæ hujus nimbis cœlo inferende.

In fidem inclinat. Sustulit hic animum Edvvinus, dicto audientem se fore spondens: operæ tamen pretium se facturum credere, si prius cum

Beda l. 2. c. 3. regni proceribus consilium de re gravissima capesseret.

Posse deinde fieri, ut ipsi quoque in novam Religionem exemplo agantur. Conventu igitur optimatum indicto, singulos de doctrina Paulini rogavit sententiam summus idolorum sacerdos (Coifi nomen erat) propemodum dubitare se dixit, an sua fana veros habeant Deos: se equidem diligentissime iisdem operari, neque etiam scire, qui cultu se antecederet; nunquam tamen merito affectum præmio: nec quicquam pietate profecisse. Occidisse jam sibi spem omnem. Forte opibus carere idola & spititu. A cæteris in eandem fere sententiam itum est. S. Paulinus ab Edvvino certior factus, ardore novo accensus, res inanium Deorum summis passim viribus accidit concionando, auditoribus majori numero majori etiam benevolentia se offerentibus, postquã senserunt, Regis animum in Evangelium inclinare. Quidvis l

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Proscribuntur idola. Fuit, ut S. Paulinus alia super alia momenta ad fidem Catholicam astruendam, tum etiam vanitatem Deorum monstrandam, afferret, cum gentilium mystes publicam vocem misit, stulte se ad eum diem sapuisse, thura ponendo nullius precii Diis. Multos se contrivisse annos in eorum arcanis perdiscendis, quotidie evasisse indoctiorem. Hæc fatente nefandorum sacrorum Pontifice, non modo Regis, sed insuper totius consessus maximo applausu & consensu fides Christiana admissa est: dies vero egregiis idolis dicta, quibus una cum templis, aris, lucis abolendis, operam suam ante alios obtulit Coifi indignatus truncis, quibus nunquam beneficiis usus esset. Putavit quoque suarum partium esse, toti regno exemplo præire. Conscenso postea equo, captaq; hasta, urbes pagosq; obequitavit Regis edictum & senatus consultum exequendo. Nefas id temporis sacerdotibus erat, equo invehi. Idcirco iste Coifi, quod antiquum morem non obtineret, ubique pro stulto habitus est. At is productis tabulis, factum suum purgavit ignaris: inde ad templa conversus ignem subiecit, Diis una combustis: nec ipsi ullus gratior ivit annus.

AN. CHRITI 627. AN. S. BENEDICTI 147.

Edvvinus Rex cum subditis Sacro fonte expiatur.

LÆtus S. Paulinus res ita bene procedere, quod scitu opus erat, tam Regi quam subditis, velut lac, instillavit. Anno deinde undecimo quam ille regnare cœpit, id est, à Christo nato sexcentesimo vicesimo septimo: post Anglosaxonum vero in Britanniã irruptionem centesimo octogesimo, ipso paschatis die, qui tum duodecimus Aprilis erat. Edvvinus multiq; proceres è vulgo autem multo plures Eboraci (Iorch vocant Angli) in quadam æde S. Petro dedicata salutaribus undis capita submiserunt. Quantas subito radices egerit & quam late sparserit Evangelium sex insequentibus annis, quibus Edvvino regnũ duravit, verbis explicari vix potest. Animis omniũ mire ferventibus, ingens templi moles in urbe surrexit, ubi Archiepiscopi Northumbriæ capturi sedem erant, qui labentibus annis ejus splendore perstricti, primatum Angliæ sibi arrogare ausi sunt, quantumvis contra tenderet Cantuaria. Tantis enim opibus eam Basilicam ditarat Rex, ut non modo Archiepiscopo & quam plurimis ministris alendis par esset, verum etiam copia sua laboraret. Magnam quoq; operam idem sibi sumpsit, ut subditos ad unũ omnes ab vanis Diis demoveret. Vestigia patris ad sacras undas pressere Ofridus, & Eccafridus, quos ille prima è conjuge sustulerat; nec nõ reli-

Edvvinus lustratur.

Proceres & populus capita pariter admovent.

qua soboles quam susceperat ex Edilburga tot bonorum fonte.

Regem sequuntur subditi, toto regno concionantem.

Parum Edvvino fuit cum suis accepisse jugum Christi: per totum regnum suum volitavit, ut omnes ad veram fidem impelleret. Vnde pulcherrimũ certamen nobiles inter ac plebeios exarsit, aliis alios antevertere conantibus. Narrat Venerabilis Beda Regem & Reginam Adreginæ triginta sex diebus substitisse: ostia non solum provecto jã die, sed sub galli cantũ à catechumenis fuisse pulsata, ac inde S. Paulinum in seram usque noctem cæcis abstersisse tenebras: insudisse lucem Evangelicam: aptos sacro Baptismati ad vicinam Gleni ripam produxisse: Christiano ritu lustrasse.

Hæc in verniciis acta: inde ad Deiros se dulus Antistes cum Rege digressus, positam in medio omnibus palmam ostendit: Deum inter ac idola quantum interesset aperuit. Propendentibus cunctis in baptismarundas circumspexit. Non procul aberat Sualva fluvius. Huc igitur perductos, latice vivo juxtaq; sacro abluit cœli candidatos, numero ferme carentes. Neque hic stetit Edvvini pietas, sed longius progressa nil intentatum, nil inausum reliquit, ut etiam Regẽ Anglorũ Orientalium Carpualdum, cui stabili amicitia junctus erat, tanti boni faceret compotẽ. Patre Redualdo creatus fuerat, qui auro mi nisq; victus, olim Edvvino insidias intenderat. Neq; mirum fecit prope rumpendo fidẽ juveni datam, quando etiam Numen Sanctũ violavit post editam in baptismate sponsionem, non se alio transiturum. Etenim è Cantia, ubi nostrarum partiũ fuit, redux, à vero Deo ad idola defecit uxorius vir. Tamen aliquo numero etiam Christum adhuc habere visus est: quandoquidem huic arã posuit, quasi idem templum caperet plures Deos. Carpualdus ab Edvvino persuasus, ad Romanã Ecclesiam transiit, brevi tamen idololatræ cujusdam manu cecidit. Per scelus interempto successit Sibertus frater uterinus, qui exiliũ Francia agens, artes ingenuas, bonos mores, legem Christianam didicerat. Secum Felicem Episcopũ traxit, qui postea pars magna fuit conversorum ad fidem Anglorum Orientalium. At at, Sibertum nunc missum faciamus, atq; ad Edvvinum, nec nõ Eboracensem Pontificẽ Paulinum visamus.

Beda l. 2. c. 15.

Redoaldus in falsorum Deorum te plo etiã Christo aram posuit.

An. Christi 628. 629. An. S. Benedicti 148. 149.

S. Iusto superis sociato, sufficitur S. Honorius.

Sub hoc tempus invida mors vitamS. Iusto abstulit, is vero laboris indefessi præmiũ tulit, ad iv. Id Novemb. Cœlitibus insertus, quo die Ecclesia ut Divo plaudit. Vacuam cathedrã S. Honorius insidere jussus, comes itineris & expeditionis S. Iusti quẽ etiã moribus expressit. Vt enim mercatores foro uti sciunt, ita ille In S. Andreæ Monasteriũ Gregorii Magni (sui magistri) virtutes in se trãsferre diligentissime olim studuit, quas dum per Angliam exposuit vænum, adeo animos omnium cepit, ut Archiepiscopum Cantuariensem fecerit. Posthæc in Northumbriam contendit, ut à Paulino consecraretur, quem cum Edvvino in Lindensiana provincia fidem propagantem offendit, ubi Rex omnẽ movebat lapidem ut barbaros ad fidem Catholicam amplectendam perpelleret: Paulinus vero ministrorum suorum ope ingentes hominum globos, sibi certatim succedentes, instituendo, lustrandoq; diẽ fatigabat. Lindecolinæ, ubi præfectus urbis una cum familia Christo nomen dederat, illustre templum pietas condidit. Huc S. Honoriũ seduxit S. Paulinus, atq; Archiepiscopum ritu pro tẽpore solito inauguravit. Ea in sacra æde ꝗ annis edita fuisse miracula, venerabilis Beda affirmat. Nempe quoties lucem suam Evangelicam cæcis gentilibus infert Deus, miraculis doctrinam prosequitur, ut pondus habeat, ac hælitantes provocentur.

S. Honorius Cantuariensis Archiepiscopus renunciatur.

Beda l. 2. c. 16.

Cæterum pro laboribus in idolis eiiciundis ita prõpte susceptis actisque, haud idonat' abivit Edvvinus. Etenim alta pace gaudebat amplissimũ regnum, bonis sua sponte nihil moventibus: malis formidine pœnæ, novis rebus studere nõ ausis. Tam felix status postquam Romã nunciatus est, Honorius, qui Pontificiam tiarã post Bonifacium excepit, tam Paulino quam Regi singulas litteras misit. Pallium sacrum addidit, sudoris quo pro Ecclesia Sanctus Præsul disfluxerat, mercedem. Istis, Regem maximis laudibus extulit ob sociatam cum S. Paulino operam. Deinde igniculos ei injecit, amantissime inhortando, ut à ducta semel lineane abscederet: orationi prolixe indulgeret: libros Gregorii Magni diligenter tereret. Regiorum operum hoc facile primum esse, servire Iesu Christo. Præterea ad Honorium ųnque novum Archiepiscopum epistolam dedit, qua sanxit, ut deinceps Cantuariensis Eboracensem, hic illum consecraret. Itaque dum discipuli S. Gregorii eas Sedes tenuere, miro amoris nexu ambæ Ecclesiæ devinctæ erant: at at, postquam esse desierunt, amicitia exspiravit, utroque Archiepiscopo vi summa pro primo loco pugnante.

S. Paulinus à Bonifacio Pont. Max. sacro pallio donatur.

Sed dimittamus modo Sanctum Paulinum.

***

An. Christi 630. An. S. Benedicti 150.

Caput I.

S. Amandus, sidus Galliæ.

Decus hujus sæculi S. Amandus fuit, nec facile invenias quem eruditione, virtute, raris patientiæ exemplis nobilissimorum discipulorum copia hoc tempore ipsi anteferas. Anno quingentesimo septuagesimo primo in lucem felici partu editus vitam usque ad nonagesimum extraxit, Numinis nutu, quod labores ipsius in magnum cederent Ecclesiæ incrementum. Observatum à nobis aliquoties est, benignissimum Deum primis nostris patribus ætatem longissime produxisse, ut rerum usu (qui seris ab annis venit) prudentia, industria, sanctitate instructi D. Benedicti Regulam non modo in Remp. Christianam introducerent, verumetiam stabilirent. An non post Orbem conditum diutissime mortalibus vivere licuit, ut tanto copiosiorem sobolem procrearent patres? In prima Ecclesia quidam Apostolorum & discipulorum non florentes ætate, sed annis & canis obsiti, terris demum excesserunt, veluti SS. Iohannes Evangelista Lucas, Dionysius Areopagita, Ignatius, Polycarpus, Quadratus. Relinquendi enim Magistri erant Ecclesiæ etiamnum balbutienti, ac testes oculati. Ita S. Amandus tanto temporis tractu quam plurima condidit Monasteria: discipulos prope innumeros eduxit, quibus vestigia S. Mauri & primorum Patrum ostendit, suadens ut sedulo sequerentur. Genitorem habuit Serenum, Aquitaniæ Ducem: matrem Amantiam. Vterq; parens ut gloriæ quærendæ materiam præberent filio, magnas res olim in mundo gesturo, litteris addixere, quas avide imbibit. Igitur jam mediocriter tinctus, rationes vitæ deinceps instituendæ secum putare cœpit prudentissimus juvenis, tum spem amplissimam & rem non angustiorem animo magno relinquens, ita caute se subduxit, ut etiam fefellerit parentes, quonam dilapsus esset. Is vero ut omne vestigium suæ fugæ aboleret, conscensa navi Augiam, Angliæ insulam mari Britannico innatantem, petivit, nec quicquam potius ibi habuit, quam ut sine cunctatione sumeret cucullum. Quapropter tota via errant, qui Letinensem insulam in mari Mediterraneo sitam ipsi imprimis cultam ferunt. Inter Monachos nomen professus, alte in se descendit, utq; rectam insisteret viam, orationi majorem in modum studuit: corpus vero diversis afflictationibus, prope hostiliter invasit. Miraculorũ, pleraq; si per te licet, non persequar, cum alia nos seges invitet. Postquam parentes omnẽ diligentiam consumpserant quærendo gnatum, in Augia latitare intellexerunt. Ergo vocant domum, multis precibus revocant: verba perdunt. Sed tamẽ ut procul, adeoq; extra telorum hujusmodi jactum, degendi vitam sibi potestas fieret, vehementer Abbatem oravit: quod ubi impetratum est, Turones contendit, ubi palmis sublatis obortisque lachrymis D. Martino supplicavit, ne se hospitẽ unquã destitueret, sed à recta abeuntem cohiberet. Nova nunc consilia se agitare, videlicet nunquam deinceps reverti domum. Aliquandiu nidum ea in urbe posuit, quo tẽporis intervallo sacerdos initiatus est. Interea Monasterium Bituricense à disciplina celebrari audiverat, nimirum, in quo nulla virtus non eniteret. Proinde illuc concedere statuit, nisi aliter Deo visum esset, cui soli ætatem impendere desiderabat. Monachos reclusos exactis omnibus delitiis ac commodis, arcte contẽteq; vitam habere, probe callebat: nec alienis vestigiis (sæpe lentis) sed suis passibus ad Cœlites properare. Igitur majorum voluntate angustam cellam Ecclesiæ conjunctam subit, non minus societatis humanæ expers, quam si in Eremum Thebaidis se recondisset. Nil propius miraculum fuit, quam nectare olim educatum atque ambrosia, quindecim annis sordido vitam pane tolerasse, & frigido latice: immeritum vero corpus perpetuo cilicio attrivisse. Condimentum austeritatis oratio, lectio, deducta cœlo gratia, erant.

Postquam suum tyrocinium Numini probavit, Romam se trahi sensit, etsi animus in cella non secus quam clavo fixus esset. Credebat id tantum secum agi, ut liminibus Apostolorũ pia oscula imprimeret, at Numini divino aliud consilium fuit, quod Romam è tugurio virum elicuit, ut à Pontifice remigio veloq; per vastas provincias cum Evangelio volitare juberetur. Euntem Nicasius, morũ innocentia clarus, comitatus est, quibus se tertium Humbertus addidit, ad quẽ hospitii gratia diverterant. Mens omnibus una: optime de omnibus promereri. Nunc vide sis ut se adjungat Deus, cum duo vel tres in ipsius nomine congregantur.

Forte iter capessunt per sylvam. Invitat umbra, corruptique persuadent pedes ut corpora in viridi herba deponerent. Dum forte se versant in quam partem lubebat, papæ! spaciosus supra fidem ursus è lustro prorumpens, equum impetu capto rebus portandis addictum, de improviso occupat:

Nostri primi Patres grandævi.

Nobili sanguine ortus Amandus est.

Monachum induit.

Sacerdotio initiatur.

Romam contendit.

Vrsum mittit sub jugum.

prolap-

prolapsum fœde lacerat. Nihil horum advertit Sanctus. Fessis artubus jam sat refectis, age puer, inquit Amandus, equus aliquo concessit carpturus gramina: ocyus eum in viam restitue: satis diu viridi solo adhæsimus. Hac illac per arbusta obstantia penetrans puer, victimarium ursum reperit cum supina victima. Moleste pueri moram, quem stupor defixerat, ferens Amandus, subsequitur: in spectatorem & spectaculum incidit. Cænabat nimirum ursus: cænam præbente equo. Percitus inopino casu, gravissimis verbis bestiam compellavit: rem nobis solves urse, dictitans: solves symbolum magno tuo malo. Dei munere jumentū istud habuimus, quod sarcinulas nostras veheret. Tu dilaniasti. Sustulit ora cruenta ursus culpæ obnoxius: & quasi fugā meditaretur alternatim vestigia suspendit. Tum Amandus mane mane, clamavit: nunc te sub jugum istud mittemus. Dorsum præbe. Paruit imperio trepidus reus: feritate excussa blanditur: onus volens lubens excipit: gradum una cum dominis suis promovet: una cum iisdem quoque gradum sistit. Illis tecta subeuntibus ipse quoque onustus reculis se intulit: siquod lucellum à discumbentibus fame ilico objectum fuit, murmure presso modeste sibi vindicavit. Acquiescentibus subinde dominis, ipse ad sarcinas excubabat. Sed Romæ proximi officio egregie defunctum, missum fecere, ne totam vrbem in se converterent, aut vanæ se gloriæ periculo exponerent. Certe universos, quoquot obsequiosam bestiam viderunt, admiratio cepit.

Ad limina D.Petri pernoctat.

Romam multo labore delati, loca Sancta pientissime obivere. Sanctus Humbertus voto expleto socios valere jussit, Galliam repetiturus, ubi mitram ei Episcopalem designaverat Numen. Hoc in culmen evectus ut se dignum faceret, Maricolense Monasterium construxit. Interea Sanctum Amandum sacræ ædes tenebant, sed ante alias templum Divi Petri, quem Apostolum sedulo observabat ne gratia Dei excidere se permitteret, cujus à nutu totus pendere perquam cuperet. Æditur, cum nullum orandi finem facere Amandum videret, sed etiam nocte jam imminente durare, verbis illum acerbe invasit, templo facessere jubens: mox per brachium tam bonum oratorem corripiens, foras ejecit: patentes portas adduxit. Amandus triumphatum de se esse cernens, in limine saltem consedit, non procul saltem principe Apostolorum ducturus eam noctem. Postquam se composuit ad quietem, hem tibi, sopore oppresso, D. Petrus se admovit, ac arridens, bono es animo, Amande, dixit, atque hanc tristitiam à te amove. Quin age, & in Galliam vestigia relege, quæ plurimam tibi occasionem serviendi Deo passim obiiciet. Somno solutus, absque cunctatione domum postliminio profectus est, ignarus quid superi de se statuissent. Reducem sacri Præsules Episcopum crearuut è Clotarii Regis sententia, non qui certam ex more obtineret sedem, cuique suam extra Diœcesin extendere curas nefas esset verum qui totum regnum, quantumvis vastissimum, suo sinu cōplecteretur, alios ab idolis, à vitiis alios avertendo. Submisit humeros gravissimo oneri Amandus: respondit expectationi, hos ad virtutem, illos ad sinceram fidem traducendo. Quantum enim fervoris ac novi spiritus ipsum annorum quindecim spatio in parva cella collegisse putas? In multam noctem vigilare consuevit, concionibus materiam parando; id vero multo magis cordi fuit, ut faceret quæ doceret: unde mirum haud est, verba illa si non perierunt apud tam benevolos & æquos auditores: cumque satisfecisset omnibus, sibi nondum satisfecerat. Ergo excogitavit ac iniit novam rationem demerendi Deum. Aliarum terrarum pueros atque juvenes in Gallia vel in servitutem vel in carcerem redactos, summo studio conquirebat: suo deinde argento in libertatem assertos, fide Catholica instituebat: baptizabat: bonis moribus ac artibus, conductis ad eam rem magistris, instituebat. Milo Monachus, qui acta S. Amandi in tabulas retulit, excultos hunc in modum per Ecclesias & Monasteria distributos fuisse, asserit, & multos in sacerdotes, Abbates, Episcopos evasisse. Dum igitur tot viis omne genus hominum aggressus est, facile animum inducere potes, ut credas, multis animarum millibus Ecclesiam Dei ab ipso fuisse auctam.

Infula redimitur.

Includi non poterat amor quem spirabat. Quocirca etiam in Galliam Belgicam sese effudit, pede aliquot annis Gandavi fixo. Terra id temporis frequens incolis erat, nisi quod Gandavensis tractus raros numeravit, quos Gordunos seu Goducos, Nervys ortos appellabant. Labentibus annis locus prope vacuus in urbem cive copiosissimam excrevit, cui Sisa (quibusdam Legia) Scaldisque nobiles amnes, annonam aliaque subvehunt. Agrum rivi quoque alii diversis itineribus secant, atque sterilitatem undique submovent. Itaque ob amœnam loci faciem privilegia à Comitibus data,

Agrum Gandavensem excolit.

lucro-

lucrosam mercaturam æmulorum diu expertem, ædificiorum magnificentiam, aliquando inter primas Europæ civitates habita fuit. Nobilior tamen, quam ulla re alia, à Carolo v est, ibidem nato cum Orbis annum millesimum quingentesimum volueret. Non procul Segnis stabat lacus cui Gandæ nomen: è lacu arx parum alta sese erigebat, quam Oducam dixere, huc que receptum habuit Amandus, qui incensus amore gentis circumquaque se ferebat, cruda ingenia bonis verbis excoquendo. Spartam hanc alii ante nostrum Amandum colere aggressi sunt, sed cum fructum haud referrent, manus ab opere callosas revocarunt. At at, Apostolus hic fulmen erat, quod ea domat, quæ maxime resistunt. Incredibile quidem dictu est, quantos labores subiverit: quantas injurias æquo animo tulerit: quoties verberibus acceptus fuerit: non tamen cessit malis. Quibusdam è comitibus cecidere animi ut spe utilis laboris oppressa, pedem retulerint. Atqui S. Amandus veteres potius revocavit spiritus: obstantia quæque perrupit: aliis signum receptui canentibus, ipse sibi classicum cecinit. Nec quidem onustus injuriis abivit, sed commiseratione gentis infelicis captus, quo pacto salute illos donaret, solicite consideravit. Animo itaque obfirmato cum tot difficultatibus luctatus, auxilia humana divinaque accivit. Scilicet Icarium Noviomensem Episcopum (hodie Noion) rogavit, Dagobertum Austrasiæ Regem induceret, ut si ipse à feroci populo perpetuo reiiceretur, ille viam Evangelio vi aperiret. Principes enim Catholici bella infidelibus inferre per leges possunt, Evangelii promulgationem impedientibus. Sub hæc alii quoque, futuri laborum socii, se adjunxerunt: unde barbari paulatim se dediderunt, quorum animos maxime debellarunt miracula, à S. Amando patrata. E plurimis unum habe, per totam provinciam decantatum.

Furi cui gula fracta, vitam reddit.

Exorto nescio unde dissidio atque motu, missus fuit Dotus Comes, ut de rebus cognosceret atque tumultum componeret. Inter reos alios, obtorto collo latronem traxere ad tribunal. Dotus negotium lictoribus dedit, ut imprimis scelestum caput flagris lacerarent, postea infelici arbore suspendendum. Dictum: factum. Vbi satis pœnarum dedisse S. Amando visus fuit, etiam atque etiam oravit Comitem, misero veniam daret: suspendium remitteret: nihil egit. Post lumbi fragium tollitur in patibulum: laqueo gula frangitur: anima exprimitur: reditur domum, denso hominum globo severum judicem stipante. Amandus ad furcam perstitit, donec resti exanimem truculenti carnifices exemerunt. Quam primum è furca defluxit, vos obsecro, inquit, hujus cadaveris copiam mihi facite. Obtinuit, suamque in casam auferri curavit. Remissis inde Monachis, ostio obvoluit pessulum: humi fusus in preces, inque lachrymas incubuit quã diutissime poscendo Numen, ut vitam latroni redderet. Luce prima quosdam è discipulis accersens, aquam eos afferre jussit. Eunt, hauriunt, rati suum magistrum cadaver lavare instituisse. Ergo inferunt aquam, miraculum! assidentem latronem & sermones, cum S. Amando serentem offendunt. Divus plagas passim liventes abluit: carnem cutemque pariter instaurat, etiam vibicibus seu verberum notis deletis. Rem tam inauditam mox vulgavit fama: incolæ jam melius de suo Apostolo, deque ipsius doctrina existimare: ad sacrum lavacrum adspirare: quibus docendis baptizandisque vix pius pater cum suis Monachis sufficiebat. Hoc successu omnes injuriæ à barbaris acceptæ, è mente S. Amandi erasæ sunt.

Lustrat incolas.

Ne autem res Christiana, quæ tanto labore stetit, facile convelli posset, Monasteria cumplura per provinciam excitavit, ad leges D. Benedicti victura. Tum viros egregios diversas per stationes disposuit in hominum dæmonumque artes intentos. Vt vero etiam virgines receptum haberent, Parthenonas extruxit. Sed ut multa in pauca conferamus; vel unguem ostendamus, unde leonem æstimes: Gandavi, unica urbe, Cœnobium à dextra præterfluentis Scaldis statuit, & D. Petro sacrum esse voluit de more nostrorum Monachorum, qui prima domicilia huic principi dedicare consueverant. Accedit amor singularis, quo is in S. Petrum ferebatur, præsertim postquam in Vaticano nonnullam cum ipso familiaritatem contraxit. A læva fluminis, ubi lucus Mercurio Diisque aliis sacer, verticem erigebat, ædificavit alterum: ejusdem Patroni sui nomine notavit, quod vulgo S. Petrus Blandiniensis dicebatur, discriminis ergo, ducta appellatione à monte Blandinio, cui impositum fuit. Primum, S. Petrum Gandensem vocarunt, quod tamen postea S. Baudonis nomen sibi adscivit. Tertium in ora Lizæ amnis posuit: Truncinium appellavit: in quod Canonici Regulares, deinde lapsu temporis Præmonstratenses successerunt, qui communi Regulæ austeras addiderunt constitutiones. Primum etsi ab initio à Clericis fuerit habitatum, Illis tamen alio dimissis, S. Amandus Monachos nostros introduxit, ut cardo & salus urbis in majore

Blandiniense Monasterium ponit, & S Bavonis alterum.

[illegible]lanus in S. Bavon.

deinceps

deinceps rigore verteretur: sed materiam longam in proximum Caput transferamus.

CAPUT II.

S. Alloinus, seu Allovvinus, cui Bavoni cognomen fuit.

Theodric. Abbas S. Trudonis. Molani indiculo Sanctorum Belgii. Beda. Petrus in Catal. l. 3. c. 10.

INter S. Amandi discipulos omnium ore ferebatur Alloinus (seu Allovvinus) Bavo, Francorum principum genus, & Austrasiæ Ducum hæres, Agilulpho patre, Adelthrudâ matre in Galliâ Belgicâ, pago Hasbaniensi natus, Pipino I. Regum Galliæ Majori bonus, necnon S. Gertrudæ sanguine conjunctus. Ætate florente, cum militiam cæteris artibus potiorem duceret, castra sequutus est. Missione accepta, Adilionis opulenti Comitis filiam duxit, ex qua Agletrudam suscepit, quæ teneris ab annis, pertæsa moras, viam ad superos tentare cœpit, multis aliis natu grandioribus à tergo relictis. Etiam parentibus exemplum præire visa est.

Certe Alloinus, cui circus, scenæ, theatra, convivia, ad id temporis in deliciis erant, ad sidera oculos tollens, fastidivit quicquid non erat Deus. Pœnitebat vitæ præteritæ gravissime: culpas leves ita ubertim lachrymis eluebat, ut si ingens nomen apud supremum judicem fecisset. Quam assiduo Ecclesiarum limina triverit: oraverit: colloquia rebus de divinis iniverit: quam præparcus in se, quam profusus in pauperes fuerit, non assequar dicendo. Eum denique modum voluptatibus fixit domi, ut Cœnobitam vel Anachoretam crederes, non hominem sæcularem, illigatum connubio. Quid? In Eremum præcipiti gradu evasisset, Antonii vel Macarii vitam acturus nisi charissima uxor, nisi parva filia retinuissent. At nodum hunc Bonus solvit Deus conjuge è vivis subducta.

Rem egenis distribuit.

Parta libertate, constanter alteras detrectavit nuptias: mundo se quantum licebat expedivit: immo quasi jam manu emissus, totos dies cœlo inhærebat: quicquid vestis, vel auri, vel ornatus in manu erat, pauperum in stipem vertit, thesauro suo consulturus, quem in cœlo congerere instituerat.

Facile in errores rapiuntur rerum spiritualium tyrones; proinde dux illis & auctor opus est. S. Amandum Gandavi morari, à fama acceperat Allovvinus. Nil cunctandum ratus, illuc contendit: culpas ante id admissas fatetur: spondet emendationem: quid coqueret, palam facit. Sanctus Antistes obviis ulnis tam promptum discipulũ complexus, insidias dæmonum ei detexit: mundi, ad veteres delicias invitaturi, technas aperuit: quâ via esset eundum, ne denuo labem conscientiæ imponeret, edocuit. Bavo stetit tacitus: cumq; nihil esset reliquum, me tibi totum dedo, inquit. Tum Amando breviter valere jusso, domum concedit: filiæ dulcissimæ atq; familiæ prospicit: quod è fortunis supererat, locis sacris, egenis, mendicis, affatim distribuit: animo sedet, nudum nudo Christo se adjungere. Reducem rogat sacer Antistes, quam igitur viam inire vellet? In Clericorum numerũ admitti se cupere, respondit. Annuit S. Amandus: itur in templum: ante aram S. Petri barba cum capillis ponitur: fit Bavo cõpos petitionis. Hoc facinore totam provinciam in stuporẽ dedit, attonitam & mussitantem, hominem nobilem, divitem, gloria pollentem, fortunæ adversæ penitus expertem, rebus abdicatis umbras porro sedari velle, scilicet!

Vacuus fit Clericus.

Sanctioribus sic legibus addictus, cum veste etiam pellem vertit: patiendi amore omnium se telis, veluti metà, objecit: omnibus se submisit: aliis servire, dictis audientem esse, orare, meditari, legere, pietatem ubique colere, primam voluptatem credebat. Crebra jejunia: ductas nudo super cespite noctes hic omitto. Quamvis autem degeret inter Clericos, supplex nihilominus Sancto Amando fuit, ut vicinos Monachos adire liceret. Posse enim fieri, ut aliquas virtutes colerent, quæ ipsi nunquam in mentem venissent. Omnes vel anteire, vel presse sequi, stabat sententia. Vix quicquam magis, quam solitudo, vellicabat animum. Antistes precibus lassus, dimisit virum. Capta igitur, inquit Theodoricus, auctor idoneus, capta temporis & loci opportunitate, saltum quem Beilam nuncupant, ingressus est, ubi repente in remotiori devenæ vallis latere annosa fagus oculis ejus offertur, cujus concavitatis pedum non minus sex spaciosa altitudo in modum fornicis camerata, & quæ hominem erectum in aluo posset sustinere. Hoc quasi habitaculum ab Angelis Dei sibi reputans præparatum, ingreditur tanta cum jucunditate, velut si totius orbis delicias augusto secum clausisset in pariete. Per aliquot dies occultus, latere non potuit: & cum à populo frequentaretur, infelicem se esse judicans, nocturno silentio iterum loco cedit. Est usque hodie tandem miræ magnitudinis fagum videre, quæ in æternam hujus Sancti Dei memoriam, adhuc continet

Fagum in colit.

Theodric. c. 10.

in se antiquum altare, ubi & presbyter parochiæ frequenter Ecclesiam evocat, & communicat. Nec desistit arbor contra morem tam annosa, adhuc florere & germinare, in qua latuit flos ille de quo dicitur. *Florete flores quasi lilium.*

Cap. 11.

Igitur inde digressus, aliam requirit Eremum athleta Dei Allovvinus, Medmedung nomine, à sua Ganda distantem duorum tantummodo milliariorum itinere. Locus in densissimum nemus sylvescens, vasta ac pene inaccessibili palude distentus, pomorum quoque, quæ gignit saltus, & nucum ferax: præterea amnis leni murmure præterfluens, facile habitationem suadent. Ingreditur cum sarculo: humum sarrit: cellulam permodicam erigit: & in ea se quasi sepelit. Cibos saltus ministrabat: potum amnis. Vestimenta ipse detulerat secum, sagum & cilicium, non quæ frigus arcerent, sed nuditatem prohiberent.

Revertit Gandavum.

Sic aliquamdiu ignotus cum mansisset, iterumque fama vulgante ulterius posse latere, desperaret, comperto quod Beatus Amandus Monachos in Gandensi Ecclesia substituisset, & venerabilem virum Florebertum in Abbatem ordinasset, (nam quia ipse incumbebat prędicationi, necesse visum fuit constituere qui provideret novellæ adhuc plantationi) tum vero magno se æstimans quasi donatum munere, ad locum professionis suæ statuit redire, ibique reliquum vitæ cursum percurrere.

Cap. 12.

Reversus itaque quasi Angelus Dei receptus hospitio inducitur: inductus honoratur: nec ullum ante habuere gaudium capitalius, quã quod talis vir in contubernio eorum est receptus. Dehinc Abbatem in colloquium evocat: reditus sui causam explicat: familiarem sibi fieri cellulam ad commanendum petit, & impetrat. Cum autem sive ex amicitia familiari, sive ex regulæ præcepto, obtemperanter Fratres accingerentur in ædificanda cellula viri Dei, ad declarandum electi sui meritum, omnipotens virtus tale ostendit miraculum.

Maledicum beneficio afficit.

Laica persona Artinus sabulum & lapide plaustro advehens, latratu canum impediebatur. Cumque gravius urgeretur, & longiori mora teneretur ore procaci murmurare, & nescio cujus susurri maledicta in Sanctum virum evomere, permissus diabolus, qui dolebat fana dirui, & Ecclesias Sanctorum erigi, hominem vehiculo proturbatum: mole desuper ponderis & jumentorum incursu relinquit mortuum.

Cap. 13.

Vbi id Bavoni nunciatum est, tum vero dolere, tristari, & ingemiscere, sibi defuncti sanguinem imputare, & totis ad Deum conversus visceribus, Eia, ait, Domine, cur recepturus animam ejus me celasti? Iubet dehinc cadaver ad se inferri, & clauso ostio cæteros amoveri: ipse solus super exanimem extendi, & accenso igni Spiritus Sancti in cordis altari, lachrymarum ligna ubertim subiicere: seipsum in holocaustum imponere: & adipes pacificorum Deo adolere: appendens scilicet thymiama orationis in auro preciosæ fidei, qua sciebat omnia possibilia credenti.

Mortuum in vitam revocat.

Vix trium horarum spacium intercesserat, orationem necdum terminaverat, cum mors legem pati coacta, restituit, quem rapuerat. Artinus surgit, & ambulat. Fit strepitus populi: omnis ætas, omnis sexus concutitur novitate miraculi: & in ore omnium sonat laus Dei. Cum in Bavonis quoque laudem omnis lingua consonaret, tanta is se abjecit humilitate, ut resuscitati statum, suum reputaret casum, si vel levis ventus auræ popularis, intraret ad tangendam radicem humilitatis. Hæc Theodorus, nihil (quod vulgus historicorum solet) in majus celebrans. Magnum momentum hocce miraculum apud novos Christianos habuit. Nam mortuorum in vitam revocatio fere cæteris antefertur. Sed ita me Deus bene amet, ut me hoc pulcherrimum facinus, quod mox enarrabo, majori capit admiratione.

Tergum præbet cædendum servo.

Vincent. spec. hist. l. 24. c. 6. 7.

Rem olim familiarem servus neglexerat, quem Allovvinus ira incensus, vænum exposuit. Abductus in servitutem miser, aliquandiu post domino suo inter Monachos nomen profitendi, obviam est factus. Ille aspectu perculsus, vi lachrymarum profusa, non secus quam si Christum vendidisset, ad vestigia vernæ se abjecit: iterum iterumque genua occupans veniam oravit. Tum se attollens, *sanguis sanguine lavatur*, inquit: *hem tibi hoc flagellum: tot tibi de tergore meo ictus dabo, quod tu sumere, volueris. Cædo, obsecro!* Ego non, subjecit servus, ut tergum mei domini flagello proscindam? Nunquam me profecto induces. Et Allovvinus: *fiat fiat, obtestor: gere morem, si servus es.* Ille indignum facinus despuere: abominari: negare, pernegare denique operam se ipsi redditurum. Repulsam passus dominus, nihilominus institit flagellum itendidem promendo, ac obtrudendo, persequere scelus meũ, ingeminans: an nescis qualis sim? sævi sævi in hanc cutem: à me inibis gratiam hoc beneficio me tibi servum emes. At extremum tot precibus, quas miscuere lachrymæ, expugnatus famulus, dorsum viri spoliat: manus rogantis tunc componit: pedes illigat: totum Allovvinum sublime suspendit. Correpta post hæc scutica, fulmen aliud supra aliud pendenti in-

torquet:

torquet : nunc supra, nunc infra, nunc promiscue tergum lacerat ; crudelissime vero aream dilaniat. Quid verbis opus est? officium truculenti carnificis fecit. Verberando tandē fessus quiescit, crebroq; anhelitum ducens factum utriusque obstupuit. Vibicibus miserum in modum descriptus, plagarumque plenus vir Sanctus, bene secum actum esse, dixit : laudavitque frugi servum. Adhuc tamen in ære tuo sum, addidit : sed nomen meum liberavero, si per te licet. Cape sis forficem, mihique capillum, quod servis fieri solet, deme. Servus domini jussu etiam capitis segetem, invasit ingentemque stragem edidit, non indiligens messor. Papæ! quid non ferre potest divinus amor? ultimo tam prolixe de se merito servo immortales gratias retulit.

In cippum pedes induit. Mancipio jam simillimus, novam suam cellam petivit, miraculo insignem : incola celebrem. Postquam ex lumbifragio respiravit, parum esse duxit, gradum è tugurio nullum efferre; etiam tenaci utrumque pedem cippo inclusit, quibus in pedicis fere quatuor menses hæsit, deditque veteri libertati pœnas. Dira, ô cœlites, supplicia! quæ tamen Allovvinus inter nugas habuit: idcirco invenit qui corpus totum subigeret, vexaret, funus faceret. Accitis nimirum S. Amando Episcopo, & Floreberto Abbate, huc & huc ora vertit, nihil esse pœnæ, questus, cippum ferre: proinde cupere exire, & corpus totum in arcto compingere: & si liceat, complicare. Illi mitte, quæsumus, inquiunt, insolitos hujusmodi cruciatus, fecte flagellis, nunc cippo capte. Saltem da tibi inducias. Non tamen destitit ille rogare per sacra, ut probarent quæ supplex peteret. Tandem precibus fracti significarunt se permissuros. Quid fit? Cippo exclusus fores, ergastulum medio domus æquore molitur, quod solum hominem unum admitteret, pedibus insistentē, huncque adeo arcte coerceret, ut caput neque dextrorsum ne clævorsum avertere posset: si vellet tamen, inclinaret, Christi in crucem sublati effigiem exhibiturus. Quod igitur bene eveniat, anno post salutem partam sexcentesimo vicesimo nono, v. Id. Novembris vivere Bavo, quantum potuit, desivit: morti se dedit : Age vero, quid deinde virum facturum putas? sepulchrum vita nondum amissa subit. *Quid non aggrediuntur mortales, si magna nobis præmia proponuntur!* Porro ne quicquam in hoc funere desiderares, Clerus populusque Gandavensis fuit accersitus : prælata crux : admota fumātia thure præluxere faces: auditæ lugubres voces: visæ lachrymis natantes genæ, ut cadaver efferri nullus dubitasset. Parochi munere functus est Sanctus Amandus, in egregio Mausoleo Bavonem vivum condendo. Non modo is siccus, verum etiam lætus intravit, quasi post longam jactationem fidissimo portu tandem potitus esset, duobus amplius annis nec pedem inde discessit. Nostrum est, *Laudare Dominum in Sanctis suis.* Sed mensam mortui adeamus.

Theodoric. c. 16.

Psal. 150. Panem ex nullo fermento, sed cinere subactum, nec non diligenter expensum, offert : insuper aquam propinat, ne corpus omnino pessum detur. Somnum inire consuevit postquam noctis bonam partem contrivit vigilando. Neque toto pectore, quod ignavi solent, proflabat somnum, sed spiritu leniter meante, & luminibus solicite excubantibus, acquiescebat ne si ipse justo longius quietem forte produceret, oculi conniverent. *Magis eum aliquid meditari putasses*, inquit Theodoricus, *quam dormire.* Languidum caput lapis : reliquos artus excipiebat humus cinere conspersas, & hirsutum implicabat cilicium. Hem, ut nullam asperitatem vel rigorem declinant homines Sancti, cum pœnitentiæ serio incumbere statuerunt! succensi enim Amore Numinis, ipsi sibi excidunt : nec sunt apud se præ gaudio quo perfunduntur

Theodoric. c. 17.

Hic pollicem rodunt, atque austeritatem pro temeritate accipiunt, qui frigent. Ardens vicissim Allovvinus, non usitatis in se grassatus est suppliciis, Christi imitandi studio. Nec revocarunt virum SS. Amandus & Florebertus, quod spiritum, divinum intus urgentem & incitantem facile sentirent. Nunc alium tibi cruciatum auctor vitæ ipsius expediet : adverte sis animū. Cap. 18.

Grandem lapidē brachiis sustinet.

Cum suppremi operis jam teneret fastigium, & quod perfectis viris posset sufficere, in divinæ scalæ ascendisset gradum, quasi nihil cœpisset aliud exquirit tormentum. Lapidem jubet deferri, quem manibus libratum cum non sufficeret ei ponderi quod volebat, alterum pro eo præcepit importari, qui duorum esset hominum onus. Hunc inter frequentes genuflexiones & perpetuas preces brachiis tenebat, & eo non modo se lassabat, sed pœne mortificabat. Tum vero si quis obiiceret, cur se ipsum adeo excruciaret? non bonam esse virtutem quæ modum excederet, prudenter respondebat. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Audenter dico : qui se ita quotidiano afficiebat martyrio, si Deciana aut Diocletiana Rom. 8.

habuisset tempora, sponte omnia prævenisset tormenta: non rogos, non equuleum: non bestias refugisset, aut gladium.

Cap. 19.

Famam ei cudit orcus.

Ita res est. Omnibus incommodis, pœnis, suppliciis, superior Bavo fuit. Non tulit ignominiam furcifer diabolus, sed è vulcani olla cum integro agmine emergens, quicquid irarum habuit, in virum Dei vertit, crimini sibi apud tartarum fore, ejulans, nisi victor abiret. Locum igitur, in quo Bavo seu Allovvinus veteran' miles, posuerat castra, ingẽti tumultu aggreditur: verberat fores, fractur' assulatim: molitur parietes: confusis vocibus obstinato diem simul omnes dicunt: stygios minantur ignes. Tacite auscultans obsessus, periculum fiducia in Deum discussit, non nescius, vanam esse sine viribus iram. Quod si hostes auribus teneri potuissent, quod in Spiritus non cadit, absque mora prorupisset: signa furvo exercitui intulisset: invasores in pavidam fugam conjecisset. Interea autem assiduo voluebat ore sacrum carmen: *Dominus mihi adjutor: non timebo quid mihi faciat callidus persequutor.* Vbi spes capiendi castra cornigerum ducem destituit, suis receptui cecinit, satis esse ratus, evasisse. Mox aliam instruxit aciem, quam pleno gradu in reclusum induxit, vel trepidationem ei injecturus, ut hasta clypeoque abjectis salutem pedibus quæreret: vel certe odium expleturus. Itaq; ipsius imperio hic leonis ora sumpsit, ille ursi: alius strictis dentibus molossi exuvias tulit: iterumque alius suem induit: fuit etiam qui ularet cum lupis: atque ut verbo expediam, quilibet alieno vultu diabolum condidit. Formidabile agmen rapitur in victorem Allovvinum; datur signum pugnæ vis omnis adhibetur: nullum genus terroris contumeliæq; non editur in caput, orco invisum. Non tenuit risum præsidiarius Cellæ miles: nec tamen otiosus tantam tempestatem sustinuit, sed sua quoq; arma promens. *Increpet Dominus te*, Satan, voce sublata dixit: *increpet Dominus in te, qui elegit Ierusalem.* Non plura; hoc telo unico emisso concussa infernalis acies, inconditum, dissonum, imparem eiulatum, qua valuit, redintegravit, inq; fugam subito effusa, ruinæ simili fragore tartarum repetivit. Quicquid autem hujusmodi evenit, mox fama divulgavit, unde incitata vicinia frequens adesse: modo consilium, modo salutem poscere: ille omnes blande alloqui, & libentissime juvare. Nunc extrema auscultemus, Theodorico narrãte: Hacten' per scopulos tribulationis & syrtes quotidiani martyrii oratio de milite Dei pernavigaverit. Nunc portus intrandus velis secundis, & ad terram illam festinandum, de qua scriptum est: *Iusti autem hæreditabunt terram*: ad quam possidendam cum videret jam imminere vocationẽ suam Allovvinus, incessanter se affligere, animamque ad visionem conditoris sui infatigabili desiderio anhelantẽ his verbis consolari quotidie: *Expecta Dominũ: viriliter age & sustine Dominum.* In hac exhortatione cum afflictũ & pœne exossatũ corpus modico indulsisset sopori, meruit dulcissima Dei bonitate cõsolari. Angelus enim in specie columbę adfuit, & super filium notę simplicitatis tam familiariter requievit, ut videretur dicere. *Super quem requiescam nisi super humilem, & trementẽ sermones Dei?* Liquefactum statim & pæne perterritum amici pectus iterũ blande refovet, & totã cellulam tã miri odoris fragantia replet, ut raptũ se æstimans, paradisi deliciis interesse cogitaret. Cum vero recessisset visio, in se rediens & vigilanti animo causam discutiens, velut si flammæ oleum addidisset, majori adhuc S. Spiritus accendi amore, ne dies non noctes vacare, & deinceps in cœlum clamare: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est!* Ego certe columbã istam & Ambrosium odorem viaticum fuisse putem, oblatum cœlitus præcincto jam, atq; ad superos tendenti civi. Sed ah ah! majus aliquid jam nunc recensebimus. Forte in summum fastigium sol radiis vallatus evaserat, cum lux in crucem dispensata se cœlo in Allovvini cellam demisit. Consertam populi turbam attonitis oculis in spectaculo hærentem, sacer corripuit horror, divinam majestatem à quopiam mortali in terras deduci posse. An stipendiũ illi numerare cœpit Deus, etsi nondum militia soluto? Inde semper in ore habuit: *Me autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi.*

Psal. 117.

Zach. 3.

Cap. 20.

Psal. 36.

Alovvinus cœli delicias prælibat.

Esa. c. 66.

Psal. 119.

Eius anima in cœlum infertur.

Post hæc in lethalem morbum incidit, quod etsi frangeretur, nihilominus ora pallore imbuta præbuit orationi: circumfusos Monachos, vacuas aures admoventem plebem, ad æternam beatitudinem erexit: singultientes & complorantes blandis dictis demulsit. Interea venitur ad ultimam lineam rerum, felici anima sponte sua e vinculis eluctante. Sub hæc defluunt Angeli; quin ipse Rex cælicolũm: ducturi funus. O terra, ô mare! Allovvinus præ gaudio sui propemodum incertus, qua licuit per defectas vires vocem raucam intendit passis brachiis *Vale*, ingeminans, *vale servorum Dei Ecclesia. Christus adest: egredere in occursum ejus, anima mea.* Hisce cum verbis vitam effudit. Confestim Monachi lacrymis madidi ad lectulum ruentes, mille osculis sonantibus exanime corpus triverunt, aliis fron-

Martyrologium Octob. an. c. 831.

tem,

Exanime corpus prensant Monachi.

rem, aliis manus, nonnullis pedes sibi vindicantibus; luctum post intervalla identidem instaurarunt. Etiam Sancto Amando Episcopo & Floreberto Abbati, fortissimis viris, cecidere lachrymæ. Funus in Sancti Petri ædem, sacerdotibus feretrum subeuntibus, delatum est, quod omnis ætatis ac ordinis homines prosequebantur. Applicavit se quoque miserabile examen pauperum, eiulantium, ac vestes quas dono ab ipso acceperant, ostentantium? Postquam vir Dei concessit, præter expectationem Sancti Gertrudi virgini longiuscule distanti se se obtulit, orans ut telam in Monasterium mitteret, qua corpus suum involueretur. Huc, huc divites, quorum cadavera in serico & gemmis fœde computrescunt. Discite inopiam non fastidire, cum pauper Bavo vile linteamen post fata petiverit, quo arida ossaincluderet.

cap.24.

Energumenis auxiliatur.

Funus curavit Sanctus Amandus, qui ut justa illi rite persolverentur, tædis ac cereis expeditis, nec non funebri psallentium choro instructo, exporrecta prosequentium serie sacra ossa in veterem cellam retulit: ea more Christianorum contumulavit. Sub idem temporis punctum, vir atq; fæmina malis genlis agitati, terribiles voces de vicino sustulerunt: albis dentibus spumas ore sparso subigebant: non ratio, non vis persuadebant, ut manus darent.

Vincula tamē ipsis indita, & à viris validis, officium Christianæ charitatis fungentibus, ad S. Allovvinum pertracti sunt. Luctuoso spectaculo perculsus populus, magno sonitu exclamavit: *Sancte Bavo subveni: qui vivificasti membra mortua, male viventes istos libera.* | Dum sæpius hæc vota iterantur energumeni admoventur feretro, idq; cōtingunt: cacodæmones sublatis carnibus erumpunt i orco se recondunt. Multa alia admiranda intacta dimittimus, ut modum teneamus.

D. Petri Gandensis Monasterio S. Bavonis nomen impositur.

Post hæc D. Petri Gandensis templum, mutato nomine, Sanctis Bavonis induit, quod etiam mutuum sumpsit Monachorum Cœnobium. Item à toto Belgio in patronum adscitus fuit, annisque labentibus catervatim ejus Sepulchrum frequentabatur, votorum solvendorum causa. Monachis insuper hujus viri Dei gratia singularem habebant honorem adeuntes, quorum studia multo maxime accendebat integerrima disciplina, quæ fallere præsentes, ac omnia curiose observantes non poterat. Tanti refert, in religiosas domos jam inde à principio rigorem, austeritatem, timorem Domini introduci, senioribus juniores exemplo trahentibus. Ita hic loci SS. Amandus, Florebertus, Bavo, Iohannes secundus, Antistites Monasterii, virtutes suas in alios derivarunt. Cum igitur omnis in Deo spes ac res esset, illo impellente Comites Flandriæ opibus & privilegiis tenue domicilium auxerunt & illustrarunt: provinciales auro pollentes non parum de suo ad jecerunt.

Hildebertus VI. caput ferro pro sacris imaginibus obiicit.

Iacob. Meyerus an. 752.

S. Hildebertus Abbas & Martyr.

Molan. in Indic.

Einhardus litteris clarus.

Post SS. Florebertum & Iohannem hujus Monasterii Abbates, fama quoque Sanctum Hildebertum sextum præsulem percelebravit, quem Iacobus Meyerus per errorem Blandiniensi Asceterio adscripsit. Hic dum sacras imagines vi summa defendit, martyrio sub annum septingentesimum quinquagesimum secundum confectus est. Molanus viri gloriam etiam hinc intendi posse existimat, quod omnium primus fuerit, qui hac de causa mortem oppetiverit, Concilio generali septimo adversus Iconoclastas nondum habito. Einhardum suæ lucubrationes insignem fecere; præsertim res gestæ à Carolo Magno, quas memoriæ prodidit. Vivere desiit ad annum octingentesimum, historia lugente, quasi deserta foret. Meritis laudibus etiam ferendus Erenboldus est, qui numerum Sanctorum corporum istius Monasterii auxit. Sanctus Gerardus, vicesimus Abbas, in Sancti Dionysii nobilissimo Cœnobio Monachum professus, postmodum Belgii Monasteria à Nordmannis destructa instauravit: pietate, prudentia, eruditione ingentem sibi famam peperit.

S. Gerardus lapsa Monasteria instaurat.

Sacra ossa barbaris subducuntur.

Crebā de Nordmannis mentio à nobis facta est, qui plurimos urbes & provincias barbarum in morem populati sunt, præsertim cum irruptionem facerent in Galliam, funesta via per Belgiam capta. Cum enim fluminibus, quæ navigari possunt, abundet, hostes classibus invecti, urbes littoribus impositas diripuerunt, ussērunt, solo æquarunt. Forte agebatur annus à Christo nato octingentesimus quadragesimus sextus, cum longe lateque arma & incendia circumferrent. Ab iis Heneberitus Abbas Sancti Bavonis Monasterio timens, quod propter scaldim, celebrem fluvium, ac majorum navium patientē, situm esset: Sanctorum lipsana (imprimis D. Amandi) nec non thesaurum reliquum collegit, & cum suis Monachis, in tergum sublatis sarcinis, ad Sanctum Audomarum (hodie Omer) se recepit: ossa non violando, uti sperabat, Sancti Bertini Asceterio

commisit. Bonum factum! Enimvero intra quinquennium, id est, anno octingentesimo quinquagesimo primo. Nordmanni, classe per Scaldim acta, cepere Gandavum: ab urbis vastatione ad duo Monasteria nostra conversi utrumque solo æquarunt. Quid non facturos fuisse putas barbaros, auri sacra fame vehementissime laborantes, si fors corpora Sanctorum, inclusa argento, ipsis obtulisset? Cũ passim jam plurimũ possent, locis præsertim maritimis nostri Monachi ad S. Audomarum convolarunt: inde Laudunum petiverunt, animadvertentes terræ aliquam sed fluminibus ac mari fidem nullam haberi posse. Quis autem verbis explicet quanta sint usi cautela, ne suus sibi thesaurus eriperetur? Centum fere annis huc illuc migrandum fuit ut hostis vel à tergo hærebat, vel imminebat à fronte. Vbicunque cum Sancto suo Allovvino fixere sedem, statis horis psallendo, aliaque religiosa officia exequendo in ordinem ita se illico redegerunt, quam si Gandavi degerent. Tandem bono Deo visum, & atrox flagellum à Belgii dorso revocare. Pars enim barbarorum cæsa & morbis consumpta: pars Galliæ quadam provincia in potestatem redacta, cui Nordmanniæ nomen indidere, positis armis pennas ultra nidum haud amplius extenderunt.

Sub annum nongentesimum quadragesimum cum Arnulphus Comes cognomento magnus, rerum in Flandria potiretur, pax alta urbes & agros tenebat. Quocirca extorres Monachi cum Sancto Allovvino Gandavum se se retulere. Quamvis autem Monasterium hostium furore humi procubuerit, cœtus tamen Religiosus semper sibi constitit, quem Abbas moderabatur: tum etiam Patroni loco D. Allovvinus perpetuo habitus fuit.

Id temporis Sanctus Gerardus omnia Flandriæ Cœnobia ad veterem normam reduxit, cui Arnulphus suppetias tulit. Gandensi Asceterio quindecim annis præfuit: bona quæ interea ad dominos non suos abjerant, ut domum redirent effecit. Ista ne te laterent, privilegium quoddam à Clotario Rege acceptum, in Appendice exhibuimus. *Scriptura 6.* Farta sæculares marsupia, summam rerum esse putant in Monasteriis: nos sacra lipsana longe anteferimus, quibus palmam multis Ecclesiis Cathedralibus præripuit Gandense Asceterium.

Gandense Monasteriũ reliquiis illustre. Etenim in sinu SS. Marcellinum & Petrum habuit, Einhardi studio ac pietate allatos Roma, ex quorum miraculis quatuor is confecit libros, dignos lectu. Hisce fortissimis Martyribus se se integris corporibus adjunxerunt Sanctus Landoaldus, Sanctus Amantius, Sanctus Adrianus, S. Vinciana, S. Landrada, S. Adeltruda, Sancta Farailda, Sanctus Livinus, Sanctus Brigius, Sanctus Pancratius, S. Barbara.. Posteriores tamen, ossa duntaxat insigniora apposuisse ferunt. Splendoris sui magnam partem Sancto Macario Archiepiscopo, Armeniæ Præsuli, debet hoc Monasterium, qui sub annum millesimum decimum, cultu animoque peregrini petita atque obita Europa, Gandavum pervenit, captusque religione hujus nostræ domus, annum unum ibidem extraxit: fractus postea cum ætate tum morbo, ad superos excessit, suis exuviis (insigni pignore) Monachis relictis. Lipsanis Divorum minutis, quæ hîc innumera sunt, nolo tenere properantem Lectorem. Aliud est, quod plus ipsum affecerit.

Rebus novis, studebat Gandavuum, vel Caroli v. fastidio, vel dulcissimæ libertatis amore. Is ut urbi insolescenti frænum imponeret, privilegia abolevit: deinde animum ad validam arcem ibidem excitandam adjecit, unde præsidiarius miles quietem turbantibus, vel arma spectantibus civibus, immineret. *Carolus v. Ordinem S. Benedicti insigni hoc Monasterio imminuit.* Igitur anno millesimo quingentesimo trigesimo quinto, pace Pauli III. Pontificis Max. locum castello Monasterium Gandense cepit, hocque in Sancti Iohannis Baptistæ Ecclesiam principalem transtulit, quam illa præ aliis venerabatur, quod sacro fonte lotus in ea fuisset. Civitate sic sub novum jugum missa, rebellibus aliquid indulsit, eoque cogitationes flexit, quî Gandavum, cujus amore ab incunabulis imbutus erat, altius aveheret. Adortus iterum Pontificem, eo rem adduxit, ut is suppresserit Sanctis Bavonis seu Allovvini Monasterium possessionibus, opibus, prædiis Sancti Iohannis Ecclesiæ illatis, hæcq; in cathedram Episcopalem fuerit erecta. Laudem meruisset Imperator, si de suo liberalis aut magnificus fuisset. Quicquid Sanctorum, quicquid auri argentique aut divitis vestis sacristia habuit, ablatum est. Gemmam & decus ordinis per hanc intempestivam Cæsaris pietatem se perdere sibi videbantur nostri. Fieri enim non poterat quin dolore muti ac silentes tristissima suspiria imo de pectore petiverint, tantis bonis absq; culpa se exui videntes: ante omnia vero suos Divos è complexu sibi avelli,

præser-

præsertim S. Allovvinum ibidem Monachum professum, ibidem sepultum: mille nominibus suum: sibi tamen eripi. Tam nobilis Monasterii jacturam quod nongentis annis possedimus, in rebelles cives conferre cogimur. Sed quid vetat, aquam post mille annos suum ad fontem retro agi? Denique huic Asceterio Gandensi, quod S. Petri nomen imprimis ferebat, tempus S. Bavonis imposuit. Eandem sortem Ecclesia S. Iohannis Baptistæ passa est, si nomen spectes. Nam hodie S. Bavonis vocatur.

Caput III.

Monasterium Blandiniense, Gandavi positum.

Blandiniense Cœnobiũ antiquissimum. MOnasterium Blandiniense ante mille nos fere annos fundatum, etiamnum hodie fartum tectum stare, nec variis tempestatibus, quas subjit, concidisse, vel veteres incolas mutasse, tam gaudio afficimur, quam admiratione. Gloriæ & divitiarum palmas paucis concedere fertur in Belgio. S. Bavonis Cœnobium (à Carolo V. ad Canonicos submotum) nonnunquam pari passu cũ isto ambulare creditũ est; alias vel antecedere vel pone sequi. Enimvero eodem anno, quodq; simillimum vero est, ab uno S. Amando cõdita fuerunt. Florebertus Abbas rem utriusque curavit. Ambo extra urbem, de more Ordinis nostri, locata erant. At illa cum temporis intervallo multitudinem amplius capere haud posset, laxato murorum spacio utrumq; inclusit. A Nordmannis adæque hoc Blandiniense, atq; alterum Gandense direptum & disjectum fuit, Monachis in fugam actis, donec pace reducta Arnulphus Magnus Flandriæ Comes, & Sanctus Gerardus Abbas, consilio ac opera conjunctis, dispersos Monachos, quasi è naufragio tabulas, collegerunt: confirmatis denuo privilegiis, redditus Monasterio restituerunt: novis censibus auxerunt: postremo allatis undiq; è civitatibus Sanctorum corporibus mirifice nobilitarunt. *Ab Arnulpho Comite instauratur.* Vt magnos in id sumptus faceret Arnulphus, subdiderat calcaria mausoleum, quod ibi capessere statuerat. Inde omnes nervos in eo ornando contendit. Episcopi jurisdictione exemptum est: mitra pedoque insigne; plenum honoris. *Blandiniensis Monasterii sacer thesaurus.* Nunc mihi sacrum thesaurum inspecta. Obviam hic veniunt Sanctus Florebertus, qui licet utrobique Antistitis munus sit functus, fatis tamen defunctus apud Blandinienses quiescere voluit. S. Vulfrannus Episcopus Senonensis; S. VVandregesilus primus Abbas Fontanellæ: S. Ansbertus ejusdem Asceterii Præsul, postea Archiepiscopus Rothomagensis factus: quos omnes Arnulphus Comes Bolonia excivit. Hinc quoq; adducti S. Gudubaldus, Angliæ Episcopus illustris: S. Bertulphus Confessor, quibuscunq; rebus in Flandria celebris. Itẽ duo corpora è societate S. Vrsulæ, quæ anno millesimo quadragesimo nono cum SS. Floreberti, Amalbergæ, & VVinbaloci lipsanis in majorem lucem ac splendorem producta sunt. Volo autem te existimare, corpora nos integra hactenus recensuisse, parvis reliquiis omissis.

Si porro gloria certandum sit, primi Comites Flandriæ mausolea sibi in Blandiniẽsi, non vero Gandensi, Monasterio legerũt: neq; majore illud honore afficere potuerũt. Sepultus hic est Balduinus Calvus Caroli Calvi Imp. nepos, Comes Flandriæ secũdus, qui sub annum nongentesimum decimum octavum captus amore loci, suis negotium dedit ut postquam vitam absolvisset, sua ossa ibi deponerent, quamtumvis id temporis securitatem sibi à Nordmannis polliceri nõ poterat. Hic quoq; suo tumulo successit Arnulphus, quem in æde Beatissimæ Virginis sibi fodi jusserat, ut ne à genitore atq; matre Atella longiuscule abesset. Nonnulla enim Monasteria plura templa habuere, ab illis fors ędificata, qui ex suo arbitrio sibi sepulchra designârunt. Ita prætet Virginis purissimæ templum aliud quoq; S. Laurentii nomine ibidem stabat, quod Arnulphum II. Arnulphi Magni nepotẽ, ac insuper Balduinũ IV. cui Barbato cognomẽ erat, accepit, quibus se Mathilda Arnulphi junioris mater, nec non Ogina Barbati conjunx adjungi curârunt. Istis omnibus Meyerus Ludovicum Alemanniæ Regem, Arnulphi Imp. filium, addit. *Meyerus Annal. Fland. ann. 911.* Vnde Blandiniensi Cœnobio plus quam Gandensi datum fuisse, conjectant. Licet insuper Codicem taxarum Romano Pontifici solvendarum appellare, qui docet Abbates Gandenses quatuor millia florenorum, Blandinienses autem quinq; pro Cõfirmatione solvere consuevisse. Grãdis utraq; summa, si in digitos mittas. Tantum pietas apud Flandriæ Comites valuit. Iterum apponere quæ Tomo primo posuimus, haud libitum est, ne stomachum tibi moveam. *Tom. 1. an. 556. n. 2.*

Tantum splendoris & divitiarum, famæ ac gloriæ Virtus meruit, cui semper in hoc Monasterio locus fuit. S. Amandus, S. Florebertus, S. Gerardus aliique, si testes requiris, adsunt. Immo inde coloniæ in Asceteria recens fundata deduci consueverant. Vt alia inferioris notæ præteream, Affliginiense sua principia huc volens lubens refert. Anno millesimo octogesimo

tertio, Gedericus pietate ac litteris insignis Monachus, amore Numinis hominumque diffluens, totum Belgium obivit divina verba serendo: nec tantum in errores ac vitia impressionem fecit, verum etiam lapsos, & spe vitæ æternæ deposita jacentes, denuo in pedes erexit; ut porro in pœnitentiam serio incumberent, persuasit, inter quas fuere quatuor nobiles, qui postea huic Afflighiniensi Monasterio se intulere. Insuper sæculis longe retroactis mos obtinuit, ut novus Comes dignitatem aditurus, pridie in quopiam loco ad S. Petrum Blandiniensem pertinente, cum aula sua pernoctaret? à Monachis pro copia acciperetur: mane instructa pompa urbem peteret, quem Clerici, nobiles, cives, obviam effusi, ardentibus studiis intro prosequerentur. Antistes Monasterii cum suo cœtu religioso ad portam D. Petri in ordinem digestus, adventantem præstolabatur, qui equo eousq; invectus, descendebat: Crucem ab Antistite sibi oblatam deosculabatur: inde in Monasterium ac templum S. Petri, quod proximum est, officiose deducebatur: Abbas solenni ritu rem divinam faciebat, Comite interea distincto operam dante. Sacro peracto, idem Præsul gladio Comitem denuo accingebat, & Protectorem civitatis salutabat. Porro, ab Antistite & Monachis dimissum, cives exceperunt, pompaque instrumenta in templum majus duxere: ubi Cœlitum fide ac ope implorata, frequentes in forum coibant, Comitemque in pegma bene altum (tapetibus supra quam credas preciosis stratum) tollentes, ac solio imponentes, in ejusdem verbo jurabant. Sub annum millesimum quingentesimum quadragesimum nonum, cum Carolus V. has provincias cessisset Philippo II. filio hic documenta daturus posteris, à tam memorabili consuetudine desciscendum haud esse, in Monasterio ritu antiquo accepit possessionem.

Gedericus inferiorem Germaniã ad cœlum invitat.

Inauguratio Comitum Flandriæ.

Estilla Caveto en el viage del Principe Philippe, Gante.

AN. CHRISTI 631. AN. S. BENEDICTI 151.

S. Arnulphus Nustrasiæ Mosellanicæ Dux: Archiepiscopus Metensis: Monachus Ordinis S. Benedicti.

POst SS. Columbanum & Amandum multa eaque præclara momenta in Ordinem S. P. N. Benedicti contulit. S. Arnulphus, Austrasiæ Dux, Archiepiscopus Metensis. Præterquam enim quod propria virtute egregiam sibi famam peperit, alios etiam quamplurimos sui similes effecit, qui postmodum magnum decus familiæ nostræ concitarunt. Addam etiam ex Arnulphi stemate summos Europæ principes ortos, nec alios majora apud nos, beneficia collocasse.

Beda 1 3 Otho Frising. l. 5. c. 9. Vinc. in Spec. l. 24. c. 25. Sigeb. in chron. an. 640.

Europæ summi principes genus à S. Arnulpho trahunt.

Nam ad hunc fontem suum sanguinem referunt Pipini, Caroli M. Ludovici, Clotarii, quotquot in Gallia eminuere alii: item principes, Reges, Imperatores Europæ: nec facile Monarcham reperias, qui generis decus S. Arnulphi se debere, non sponte fateatur. Quamvis autem is hoc anno, quem modo circumagimus, jam ætate fuerit provecta, titulisq; Majorisdomo Franciæ, multarum provinciarum Gubernatoris, Archiepiscopi Metensis, Tutoris Dagoberti Regis, &c. gravis, nihilominus non alio quam isto producendum duximus, quo mundo valere jusso, titulos abolevit: dignitatibus abivit: religiosam vitam in solitudine colere cœpit.

Patrem habuit Arnoldum: avum Ansbertum, cui olim Blithilda, Clotarii primii Francorum Regis filia matrimonio collocata fuit. Hunc sanguinem nonnulli historicorum ab Hectore usq; Trojano, conatu majore quam successu, derivant. Si quis periculum facturus, num veritas dicto adsit, rationes ab iisdem exigat, à pumice aquam petit, adeo sicca omnia sunt, quæ in medium afferunt. Surculi, ab antiquissimo trunco Trojano ad hoc ætatis usq; propagati, nobis semper suspecti fuere. Francos ob partas de Romanis & Alemannis victorias, ubi gentium fuisse celebratos, nemo nescit: at non ideo ex Castoris & Pollucis ovo, aut equo Trojano prodierunt. Galliæ tamen nomen Franciæ (quod nonnullos à Franco Hectoris filio ducere jam diximus) non esse gentilitium, sed sub Merovæo impositum, facile inter historicos convenit. *Etenim cum Franci*, inquit Iodocus Coccius, *Belgicã universam Romanis extortã, siccam fecissent, tandem, ut Godefridus Viterbiensis Frisingẽsis imitatus, communem oras, Gallicanis urbibus, Tornaco, Cameraco, captis, deinceps sensim progressi Remos & Suessiones, Aureliam, Coloniam Agrippinam, Treviros, & circũsitas urbes subjugarunt. Exinde Gallis plus quam ducenta millia, ut ajunt, cæsis, atq; ingẽti metu, vicinis nationibus incusso, Francorum nomen cunctis cœpit esse formidabile. Cumq; Thuringos inter & confines Suevos, gente id temporis bellacissimam, implacabile dissidiũ perpetuaret, Genebaldus Francorum propter Rheni ostia degentium dux, Thuringorũ, accitu iisdem adversus Suecos maximis copiis accersitis, in tempore suppetias venit. Ex quo tẽpore sub annum Christi* CCC. XXVI. *Sede Francis prope VVirzeburgum assignata, ceu obicẽ verato, Suevorum hostilitas atq; audacia compressa esse. Quin & Francorũ Orientalium dominatus*

S. Arnulphi genitor. *scrips. 10.*

Iodoc. Coc. in Dagob.

Gallia à victoribus Francis dicta Francia.

invale-

invalescente, Thuringorum potentia decrevit, regio eorundem titulo, regnoque à Francorum Ducibus sub annum orbis redempti D.XXIV. *penitus abolito, Francis illinc Gallias, hinc Franconiam & Thuringiam occupantibus. In tanta igitur provinciarum amplitudine, gemino magistratu gubernata, duplex Francia evasit, Orientalis, quam possim Franconiam, patrioq; idiomate Franckenland nominamus.. Gentis caput, Francofurdia ad Mænum. Vrbs primaria, eademque Ducum olim, hodie Antistitum regia:*

Herbipolis, quondam Druidum celeberrima sedes,
Francigenæ eximii quos coluere viri.

Regnatum in ea fuit quatuordecim supra quadringentos annos ab viginti Ducibus, sibi ex eadem prosapia continuata serie succedentibus: In his Pharamundus Marcomiri filius, Clogionis nepos, qui cum Ducali nomine annos præter propter XV. *iuis cum imperio præfuisset, anarchico interregno ad sex supra viginti Annos in Gallia cisrhenana evoluto, sub annum partæ per Christum salutis* CD. XIX. *magna procerum voluntate consensuq; VVirzeburgi primus Francorum regio titulo cum potestate inauguratur. Quare in Francongalliam cum insigni principum & Druidum comitatu novus Rex concedens, Genebaldo fratri orientalis Franciæ ducatum cessit. Porro Francia occidẽtalis, quã vernacule Frãckreich, uti incolas Franzosen, dicimus, & si Aventino fides est,* Francigenas vel Francos novos, *universam Galliam, omnemq; Germaniam à Rheno ad usq; Illyricum Caroli Magni ævo comprehendebat. Vtraq;, tam Eoa quam Occidentalis nomen a libertate corrivat: vel potius à Francis primis parentibus inditã novo partæ libertatis præconio clarius illustravit.* Sed quid facimus? æquo diutius moramur Lectorem in Francia. Tribus verbis dictum oportuit: Francos origine Germanos, bellicosissimos fuisse, & Gallis bonam partem subactis nomen suum imposuisse.

In Galliæ igitur & Hispaniæ Reges peccaturi essemus, si dubiam ipsis originem affingeremus. A S. Arnulpho descendunt, cujus majores nobilissima pars Galliæ fuerũt, ipso gentis suæ gloriam mirifice augente, Vnde summi Europæ Principes magnitudinis & majestatis suæ partem deputant, sanctissimo viro cognatione adhærere.

S. Arnulphi pueritia diligenter exculta.

Eductus liberalissime fuit, uti par erat tam alti stemmatis sobolem. Ingenio cum præpolleret, litteras ac artes quę à dolescentiam detinent, brevi excussit, evectus altius: mores tamen bonos omnibus rebus antetulit, quod Eremita quidam Italus, (Stephano nomen erat) secum perpendens, publicam hanc vocem, quasi cœlesti oraculo edoctus, edidit, *Arnulphum apud Deum & homines magnum futurum.* Mos in Francia tenebat, ut nobilium ac procerum filii in Regum & principum aulis educarentur, ac pro ætate belli pacisq; artibus imbuerentur, ne domi otio diffluerent. Vtrasq; calluit Arnulphus, ita ut æqualibus palmam praeriperet, unde magnam à Regibus Galliæ inivit gratiam.

S. Arnulphus res magnas gerit.

Operam suam imprimis probavit Theodeberto: mox eum captavit Clotarius I. totius Galliæ Monarcha, cumq; validos humeros expert' esset, sex ei provincias imposuit, aliis ægre provinciã unã recte ferentibus.

Quidquid deniq; magni ponderis fuit, Arnulphus sustinere jussus est: nec tamen tot inter negotia animæ curam deposuit, sed *Cæsari reddebat quæ erant Cæsaris, & Dei quæ erant Deo.*

Iejunio & orationi mirum in modũ studuit, quibus effecit ut omnia ei feliciter sub manum succederent. Pauperes curæ habuit ut qui maxime, nec pulsandus diu precibus fuit, ut stipem largiretur: sed manus vacuas tendentibus, & vix dimidium dicentibus, loculos duxit.

Ducit Dodam.

Iuvenis matrimonio sibi junxit Dodam, sanguine & virtutibus adæque illustrem. Etenim Gunzonis Suecorum Ducis filia erat. Tracti hoc in statu aliquot anni summa pace nec minore pietate. Liberos suscepit tres, è quibus major natu Ansegisus, (alii Anchisen nominant) qui olim Sanctam Vegam duxit, & ex ea Sanctam Gertrudem, inferioris Germaniæ decus, nostræ autem familiæ sidus, felix pater sustulit: sed hoc felicior, quod ipse quoque Divis sit additus. In regno Franciæ supremum honorem Majoris domus gessit, quod munus non modo ipsius filii, verumetiã nepotes post eum exceperũt, ac rem eo deduxerũt, ut Galli veterũ regum, à Merovæo dependentiũ, quasi obliti, novos istos sibi adsciverint. Etenim Antegisus seu Anchises Pipino, Majoridomus: Pipinus Carolo Martello: iste Pipino Galliæ Regi primo de hoc stemmate: Pipinus S. Carolo Magno pater fuit, à quo Imperatore plurimis annis Reges Galliæ profecti sunt.

Alter Arnulphi filius VValchisus fuit, Sancti VVandregesili nostri genitor. Ille Monasterium Fontanellæ sua fundamenta debet. Tertius Clodulphus, non modo simillimus patri, si mores spectes, verumet-

Metensis Pontifex creatur.

Iam si honores. Defunctus connubio, quo non sterili usus est, ordinem Ecclesiasticum occupans Metensem tiaram tulit, qua tamen postmodum deposita, D. Benedicto nomen dedit, atq; in virum sanctissimum evasit. Nunc autem mihi vides is, obsecro, an non Bonus Deus bene Arnulphi familia dixerit? Nam ipse fuit sanctus: uxor & nurus sanctæ: consocer, filii, nepotes, sancti: quodq; stirpium aliarum pace dixerimus, soli ipsius posteri majorem hujus Tomi secundi partem impleverint.

Poterat Arnulphus frui suo melle, quod mundus illi affatim obtulerat, id tamen fastidivit præ nectare, ad quod à Numine invitabatur. Quapropter sæpe tacitus secum ponebat rationes, qui fieri posset, ut commodis omnibus relictis, in mediam se solitudinem inferret: cœlum pro mundo sibi conciliaret. Magna, si meministi, necessitudo ipsi cum Romarico, summo viro, interfuit, qui idem saxum volvebat.

Anno 620.

Ne omne tempus cum regiis ac publicis negotiis, tum privatis contererent, sæpe horas suffurabantur, viam elabendi è mundo anxii quærebant, indagabant, solicite vestigabant. Momordit animũ Lerinense Monasterium q Monachi in eo omnes nervos ad virtutem vitamq; aspere degendam intéderent, nec facile pateret aditus sæcularibus, ipsa insula hospites submovente. Agitato hac super re aliquoties consilio, nequiverunt tamen è portu solvere. Post aliquantum temporis S. Romaricus Luxovii Monachum inquit. S. Arnulphus rebus cum filiis compositis, S. Dodam conjugem suam ad Cœnobium D. Mariæ Treviris Ordinis nostri, adspirantem, qua potuit, juvit: agebatur sors annus DC. XXIV. ipse vero tunc Eremum petiisse, collamque in Vogeso Monte subjisse fertur. At brevi è latibulo in publicam lucem revocatus fuit.

Sub hoc enim tempus Episcopus Metensis vita excessit, cui S. Arnulphus post prima rudimenta in Lerinensi Monasterio posita, communi suffragio est suffectus. Quamvis autem vi summa resisteret mitram detrectando, constantibus tamen votis, & efficacibus precibus tandem manus dedit, magnam Ecclesiæ utilitatem allaturus. Quinquennium in hac Sede exegit, quo negotia sacri Numinis multo majore cura tractavit, quam olim sui Regis, memor post acceptum jugum quosvis labores subeundos esse. Ovibus suis tutelam diligentissime gessit. Liberalissima ipsius dextera in vulgus pauperum sparsa, etiam lõge remotos excivit, ut ad fores ipsius perpetuo excubarent. Publicum hospitium sancti viri ædes putasses, adeo limen peregrinis, médicis, Monachis fervebat. Exclusis à ministerio servis, nõ puros pedes, manusq; lutidas, ipsis lavit: cibos famelicis apposuit: seminudis integras vestes injecit: quibus dimissis, continuo turba successit alia, deinde alia, nec unquam Arnulphi potuere fatigare charitatem. Quoties ærarium & vestiarium fuere exhausta, miseris adhuc ultima laborantibus egestate, argentũ sacrum invadit, ut hoc potius quam illi perirent. Quid amplius vis? Non minor erat ejus modestia, mansuetudo, animi submissio, quam munificentia.

Non tantum manus, sed etiam [illegible]los dat pauperibus.

Inedia triduũ se conficit.

In se vero nulla usus benevolentia est. Sæpe triduum totum quovis cibo abstinuit: demum pane profecto ultimæ notæ famem, aqua, sitim levavit. Arida ossa vix pelle amicta, cilicio lancinare, idq; cultu Pontificio contegere solebat. Mitto jam lachrymas: nil pnto assiduas vigilias, quibus mirifice indulsit. Animum se laxare putabat, si quando in solitudinem secedere, cumq; Monachis sacra colloquia inire licuisset.

Mosella fluvius est, qui non suas duntaxat sed alienas quoq; quas excipit, vehit undas. Fuit igitur ut Arnulphus ex Eremo revertens pontem, quo ripæ jungebantur, trajiciendo, subito peccatorum suorum (ut ajebat) recordaretur, nec animum supra modũ anxium posset componere. Aliquandiu fixo pede, aquarum contemplabatur profunditatem ac volumen: tum vero inter spem ac metum fluctuans, annulum digito exemptum, in fluvium abjecit, venia donatum non ante se crediturum, dictitans, quam præceps datus annulus manui se reddidisset.

De peccatis sibi remissis experimentum capit.

Post aliquot annos, quibus innocentissimus mortalis graves sibi pœnas dedit, à piscatore eximius piscis affertur in culinam, quem dum coquus desquamat, & sulco per ventrem ducto expãdit atq; eviscerat, annulum in hospitali ventre deprehendit: Episcopo, suo domino, defert, qui gaudio delibutus in gratiam se cum Deo rediisse, innumeras gratias persolvit. Si pro certis habenda ea sunt, quæ magnos auctores habent, hem tibi Paulum Diaconum, fidei plenum, qui hoc portentum à Carolo M. Imp. se accepisse, affirmat. Simile quid de S. Attilano monacho nostro, S. Froilani discipulo, Monasterii Morervelensis Priore, demum Zamorrano Episcopo, narrant historici Hispanici, ut potentiæ divinæ; tum meritis Sanctorum injuriam sit facturus, qui hoc genus miracula ore duro negare ausit. *De hoc sanctissimo viro Arnulpho quædam miranda scripsi*, inquit Paulus Diaconus, *quæ superfluum duxi modo replicare.*

Paul. Diac. lib. de Episcop. Metensib.

Paul. Diac. l. 6. c. 16. de gestis Longobard.

Ne putes uno tantũ miraculo suspiciendũ

esse. Quod hærentes in corporibus humanis dæmones fugârit: quod miseros quamplurimos, ingratã vitam morbis ducentes, salute impertiverit, quod leprosũ sacro fonte perfundens, etiam à scabie vindicarit, prolixe refert, qui gesta ipsius memoriæ prodidit. Nos hæc talia vix digito extremo tangimus, quod majorẽ vim virtutibus inesse putem*.

Beda tom. 3.

Etsi viro sancto nihil æque charum fuerit, quam publico abstinere, ubi nulla necessitas prodire cõpulisset, ob singularẽ tamen prudentiam cum morum integritate conjunctã, quasi totius regni humeris vectabatur, adeo ut nefas crederent si quid gravius incidisset, Arnulphum in consilium nõ adhiberi. Quocirca Clotarius II. annis fessus, negotiis vero fractus, regni partẽ Dagoberto filio imponere secũ constituens, ut se superstite tanti imperii habenas vel remittere vel adducere cõdisceret, Austrasiæ regium ephebũ præfecit. *Iam id exploratũ est. Franciam in Austriã & Vestriã, seu Austrasiã ac Neustriã, fuisse olim divisam (sat scimus alios Franciam Orientalem & Occidentalem appellasse) nam Franci Galliam Romanis ereptam duas in partes distinxerũt, eamq; regionẽ quæ in Septentrionem vergit, & Rheno Mosaq; intercipitur,* Austrasiã, *quà vero Ligeris & Mosa interlabũtur,* Neustriam *dixerunt: quo fit ut sicut* Austriam *Germaniæ Germaniam Orientalem, ita Galliæ* Austriam *seu* Austrasiã *tanquã Orienti propius obversam, Galliã Orientalẽ,* Neustriæ *opposito recte nominemus, præsertim si Scaligerum & cõplures recentiorũ audimus, qui (sicut partim è Frãcicarum legum interpretatione, partim aliis multis documentis obfirmare pertendũt) veterum Francorũ dialectũ Germanicæ Teutonicæq; nostræ gemellam fuisse, ita nativo quodam idiomate Austrasiam* Ostereich; *at Neustriam (quasi Neustriam diceres)* VVestereich *appellatum volunt. Erat porro amplissima priscis temporibus Austrasiæ ditio, ab extremis Burgundionum finibus (qui ad Iurassi montes Galliæ Celticæ in Sequanis extenduntur) ad usq; mare Frisium Rhenum inter & Scaldim porrecta. Itaq; Mediomatrices, Trajectum, Treviros, Vbios, Moguntiacum, Cleves, Geldriam, Brabantiam, Hollandiã, Zelandiam, Hannoniam, Hasbaniam, Eburones, cum Limburgensem & Lucemburgensem Ducatum, & quicquid cis & trans Rhenum Comes Palatinus obtinet: denique Alsatiam, Lotharingiam, Burgundiones, Bullonium, Bairum Ducis & Arduennam comprehendit. Quare propter amplitudinem regni titulo decorata, seorsim à cæteris Galliæ regnis gubernabatur. Hæc Iodocus Coccius.*

Gallia in Austrasiam & Neustriã divisa.

Iodoc. Cocc. in Dagoberto.

Hanc ingentẽ molẽ Clotarius in Dagobertum filiũ inclinavit, ut à teneris sceptro assuesceret. Ne tamen succumberet oneri, vel juvenili ardore præceps in vitia abiret, additi sunt ipsi Pipinus Carolomanni senioris, Brabantiæ ac Tungrorũ Ducis ex Itta, religiosissima fæmina, soboles, Pipini junioris avus: & S. Arnulphus, qui munirent latera: licentiam plerumq; huic ætati noxiam premerent: regnum una sustinerent. Rectissime factum. Hisce enim custodibus atq; ducibus in eum Regem evasit Dagobertus, qui domi belliq; rebus præclare gestis, omnium ora meruit.

Beda tom. 3. Aim. de gestis Franc. l. 4. cap. 17.

S. Arnulphus adolescentiam Dagoberti moderatur.

S. Arnulphus à suo centro avulsus, & in aulam trãslatus, sæpe ingemuit bonas horas in regni negotiis explicandis sibi collocandas esse: nec orationi, nec meditationi vacare licere, quoties liberet: neq; pedẽ amplius in Eremũ rapere posse, ibiq; cœlestia gaudia delibare. Ergo onus jactare cœpit, ut solent qui ægre ferunt, Clotariũ Regẽ obtestando, ut non modo tutoris publico munere, verũ etiam Archiepiscopatus honore abeundi, faceret potestatem. Atqui repulsam passus est, eo quod Clotarius annis obsitus facile intelligeret melius se filio, nondum satis adulto, consulere haud posse, quam si parentem, ipsi alterum adderet. Deinde Ecclesia & Respublica tã idoneo ministro minime privandæ, sapientissimo seni videbantur. Præ manibus est fragmentũ litterarum, quas ille ad S. Arnulphum, aulæ oraculũ, dedit: habetis. *Hoc quod per epistolam vestram Domine Pater, rogare voluistis, ut in loco vestro alter substituatur Episcopus, nullatenus nostra præsumptio facere præsumit. sed potius omni devotione rogamus, ut si in bonorũ operũ exercitio vitam alicubi ducere deliberatis, apud populũ vobis commissum, sicut cæpistis, conversando exemplũ ei sitis promerendæ mercedis.* Alterius quoq; epistolæ Clotarii partẽ exhibet auctor vitæ S. Arnulphi, qua Rex toties interpellatus, dolere se scribit, quod spe ipsius vidẽdi exciderit. Si abdicato palatio aliquo secedere, ubi Deo servire facilius posset, omnino decrevisset, saltem non totus abiret, nec regno tergum verteret. Vincula hæc verba erant, fugam meditanti Arnulpho injecta, unde se se Clotario superstite expedire non potuit.

Abire cupit & aula, & Archiepiscopatu.

Auctor vitæ ipsius.

Patre hoc anno è vivis sublato, Dagobert' regiis olim virtutib' à Pipino Majore dom' & Arnulpho imbutus, jã vero metu solutus, tantoq; imperio auct', desciscere cœpit monitoribus, qui palabundã juventutẽ premebant, asper. Igitur Arnulphus vel nova spe plenus, facile magistrum à discipulo missionem obtenturum: vel certus, surdo se fabu-

Solvit ingenium Dagobertus.

lam

lam deinceps cantaturum, ut munus deponere liceret, summa vi institit. Apparuit Regem ægerrime hanc petitionem ferre, nisi vultum ira inflammatum astute composuerit. Ego enimvero, dixit, si aulam meam, si Episcopatum tuum deserveris, Ansegiso filio tuo caput adimam.

Non tamen animo cecidit Arnulphus, sed tanto audacius contra regem tetendit, sat gnarus saltem Deum sibi fore propitium. Ille insaoi furoris impotens, dextram ad capulum ensis confestim retulit, tumidoq; ore ultima est minitatus. Expecto, excepit Antistes, exspecto quam mox, pro beneficiis à me acceptis gratias mihi habeas. Minerval sic tu magistro persolvis? At lita insaniæ tuæ: æqui bonique faciam mortem, quam mihi intentas; videlicet eam pro virtute, pro justitia, pro Christo subiturus.

Auctor gestorum S. Arnulphi coævus.

Fuerunt è palatinis, qui accensum ira Regem ad se redire rogitarent, veteraq; beneficia in mentem revocarent. Tandem is spacio sibi dato, damnavit cogitatum scelus: ad extremum, humi se una cum Regina deponens, insuper lachrymas fundens, sibi ignosci supplices flagitârunt: anhelantem ad Eremum, benevole dimiserunt.

S. Arnulphus in eremum se recondit.

Compedibus aulicis liber Arnulphus, S. Goerico, sibi in Episcopatu suffecto in desertum avolavit. S. Romaricum, veterem illum Cœnobitam simulq; Anachoretam, una cum cæteris, ingens cepit gaudium, ad se in montem Vogesum advenisse ita illustrem hospitem: atqui pauperes ac subditi altum ingemuerunt, patre se posthac patronoque fore destitutos: nec videndi quidem spem superesse.

Restinguit incendium.

Quantum apud Deum valeret, præclarum indicium edidit abiturus. In palatio Dagoberti ingens sub noctem excitatum fuit incendium. Diffusa subito flamma pene inspirantibus ventis, jam ultra coërceri non erat, sed urbi quoque illata, incredibilem ædificiorum stragem dedit.

Concitata undique multitudo, fontem ferebat, certatim undas affundebat, tecta proxima deripiebat; sed ut ad pauca redeamus, operam ludebat. Monachi qui S. Arnulphum in Vogesum montem abducturi erant, vellicârunt virum, ut ocyus se urbe ejiceret. Ille abnuens, immo, dixit, monstrari mihi velim, ubi insolens incendium vel maxime incumbat urbi. Ergo S. Romarico cæterisq; Monachis comitantibus, pari passu eo contendunt: ibidem corpora humi prosternunt: preces fundunt: Arnulphus se iterum attollens, intenta palma crucem adversum imminentes ignes format: hi subsidunt frustra stridentes: demum in fumos abeunt.

Huoc in modum de peritura civitate bene meritus, suppellectilem, quam necessitas reliquam fecerat, egenis divisit: inde se in viam conjecit, summa inopia corporisq; afflictatione vitam traducturus. Eremo potitus, omnibus Monachis, quasi ipse nullo numero habendus foret, se submisit. His solatia suggerebat: lectulos componebat: illis calceos demebat: servitia quoq; in culina nidore plena obibat: summam vero pauperum, ægrotorum, leprosorum curam gerebat. Facile apparuit omnem eum exuisse mundum, nec quid aliud præter Christum animo volvere.

In Eremo omnibus se submittit.

Imis mortalium detrahere soleas: lutosos abluere pedes: ulcera blanda manu mulcere, suum solius opus esse credebat. Hærentibus in cœlo oculis diei noctisq; maximam partem orando absumebat, redibantque preces divina luce, gratia, auxilio stipatæ. Hanc vivendi rationem post abdicatum Archiepiscopatum novem annos vel decem tenuit.

Supremo tribunali se anxie parat.

Supremam sibi diem instare jam certus, veterem amicum S. Romaricum, in quo plurimum præsidii posuerat, accersivit, ut ejus ope tam periculosam pugnam feliciter depugnaret. Nam gravis ipsi cura incesserat, ut salvus è tristi arena evaderet. Adventanti, en mi Romarice! inquit: magno discrimini me dies hæc objicit. Enimvero ad tremendum Iudicem me rapiet. Quæso te, mihi patronus esto! tuam fidem imploro, causæ meę diffidens. Aut cedo sis, quo me vertam? In sæculo nihil me dignum egi. Nunc, nunc me intercipiunt, sepiunt, cingunt, circumdant peccata mea. Verbo: captus sum. Veniam (eheu veniam!) veniam tu mihi impetra, te obsecro, Romarice. Peregrina res vita S. Romarico, virum culpis majoribus vacuum, tanto tribunalis metu percelli posse. Igitur proplus se admovens, Arnulphe, heus Arnulphe, dixit: es bono animo: Cadere causa eum apud Iudicem non potes, quem apud gravium criminum reus fieri nequis. Immo vero, ut esses sceleribus onustus etiam, plus tamen ille ac misericors est. His & hujusmodi dictis Arnulphus in spem æternæ salutis venit: mœsti Monachis ultima verba tulit: ad Superos inde animum erexit: excessit. Confestim ambrosius odor nares contingere: contingendo lachrymas ciere, simulque viri sanctitatem prodere. Romaricus, ceu funeri curando præfectus, omnia adornat, componit, in quadam Vogesi Ecclesia seniles artus condit, ubi ferè annum unum quievit. Goericus enim ipsi

Anxie sudanti animo S. Romaricus favet.

olim

Vincent. in Spec.l. 24. c. 96. & 97. Paul. Diac. l. 6. c. 5.

olim subrogatus, hunc thesaurum civitati Metensi vindicaturus, insignem pompam instruxit (quam præter infinitam multitudinem Episcopi Tullensis Virdunensis intenderant) ossaq; sacra ex Eremo extulit. Quacunq; Divus incedebat, valetudinem secundam ægris impertiebat. Auctor gestorum ipsius multa miracula calamo excepit, & post eum Vincentius Belluacensis, quorum mentionem facit Paulus Diaconus.

Metis.

Vrbem Metensem Gallia Belgica semper jactavit, præsertim hoc temporis, quo de jam agimus. Enimvero plus terrarũ Galliæ Reges tum possidebant, quã hodie, quippe quorum sceptro bona pars Germaniæ tenebatur. Diviso in Franciam Orientalem & Occidentalẽ imperio, istius metropolis, Parisii: illius, Metis erat, ut Reges suæ majestatis interesse putârint, sedem suam munire ac ornare. Situm si requiras, Mosellæ atq; Sellæ, amnibus duobus, adjacet, Series nec nõ magnificentia ædificiorum haud parum splendoris addit. Multa olim Ordinis S. Benedicti numeravit Monasteria, è quibus unũ Sigebertus Rex Austrasiæ extruxit, suaq; ossa inferri imperavit. Alteri S. Vincentii nomen fuit, quod circumfusæ undę in insulam extulere. De loco superiore ibidem docuit Sigebertus Gemblacensis: (nam Academiam omnibus litterarũ studiosis commune aperuerant Monachi:) inter historicos magnum nomen. Alia duo D. Petro dedicata erãt, sed differenda in locum proprium sunt, ne telam cõfundamus.

Abbatia S. Arnulphi.

Celeberrimum vero omnium id erat, quod stabat in suburbio, Abbatia S. Arnulphi nuncupatum. An ipse fundamenta jecerit cũ adhuc Metensem tiaram ferret, nõ satis cõpertum habem': suspicamur tamẽ solebant. n. Episcopi tunc tẽporis Cœnobia locare in suburbiis, quo depositis negotiis secederent: adhærentes pulveres discuterẽt: animũ renovarent. Forsan propius verum tibi videtur, Goericũ successorẽ eam molem eduxisse, qui S. Arnulphum ab Eremo repetitum ibi sepelivit: sed tanti non est curiosius indagare. Pro certo habendum, non opibus magis, quam disciplina Monasteriũ hoc floruisse: multos viros principes extremum diem inter psallentes Monachos illic præstolari. Nam præter S. Arnulphum, sua ossa dedit S. Clodolphus, Antistes Metensis tricesimus secũdus *patre Arnulpho, & matre Doda progenitus, Sanctis ambobus & in seculo clarissimis*, inquit Baronius. Drago, Episcopus Metensis, Caroli Magni filius. Amalarius Trevirorum Archiepiscopus, Imperatoris Cancellarius. Saligerus & Vitronus, Austrasiæ Duces. Hildegarda Caroli Magni conjunx, nec non Rotaida soror. Cum enim

Reges devotos mandidit. *Martyrolog. 8. Iunii.*

ille non exiguam magnitudinis suæ partem existimaret, à S. *Arnulpho* genus ducere, locum hunc multis aliis anteposuit, ubi sua Hildegarda sepeliretur. Insuper Ludovicus Pius, Caroli Magni filius, qui *Aquisgrani* apud Patrem, vel Parisiis apud S. Dionysium, ex more omnium fere Galliæ Regum, sibi Mausoleum capere poterat. Sed magnes S. *Arnulphus* fuit. Pium parentem *Adelheida* & Hildegarda, piæ filiæ, sequutæ sunt. Plures omittimus, ne amittamus tempus.

Patribus Metens. Concilii locum præbet.

Multa tam multos principes in hoc Monasteriũ intulisse, quis dubitet? Hinc eam in amplitudinem evasit, ut ibi Synodus Metensis, quam Tomus Conciliorum quartus exhibet, à Patribus habita sit, quod hæc verba testatum faciunt: *Acta Synodi in suburbio Metensi, in Ecclesia S. Arnulphi.* Hujus etiam Gregorius VII. epistolis, ad Metensem & Rhemensem Episcopos datis, meminit. Nihil Ordinariis, ut vocitant, in hanc *Abbatiam* juris fuit, soli Pontifici Max. subjectam. Ejus memoriam (quod mireris) à prima origine usq; ad præsens seculum historici deduxerũt: longi præsertim sunt cum signa à Carolo V. Imper. & Francisco Rege Galliæ collata describunt, Treviris è Cæsariano exercitu circumsessis, defendẽte Monsieur de Guisâ Gallo, Monachi Monasterio suo timentes, Sanctorum ossa, Principum lipsana, luculentum Ecclesiæ thesaurum, publica supplicatione instituta, ex suburbio in urbem ad Patres Dominicanos convexerunt, belli aleam exspectaturi. Quid postea acciderit, nescimus profecto: nobis tamen persuademus, tempestate illa sedata, Monachos cum rebus ad suum Monasterium rediisse.

Epist. decret. Greg. VII. 52. & 43. indict. 11.

Hanc nobis mentem injecit Georgius Breul, *Divorum & Regum corpora*, inquiens, *Regio plane fastu translata fuere, quo ad obsidionem se urbs muniret.* Cum igitur urbs nec vi à Carolo V. tunc sit capta, nec in deditionem venerit, verosimillimum est post solutam obsidionem Monachos & se, & sua, eo retulisse.

Breul theatro civis. l. 2. tab. 15.

AN. CHRISTI 632. AN. S. BENEDICTI 152.

Dagobertus Rex S. Arnulpho custode ac monitore remoto, libidinibus capitur: proscribit S. Amandum.

Libidines Dagobertum transversum agunt.

QVantum S. *Arnulphus* apud Dagobertum, magnorum spirituum juvenem, auctoritate potuerit, plane apparuit ut primum is aula exivit. Qui enim auspicia regni

à clementia, temperantia, liberalitate, justitia duxerat, digresso moderatore, æraria sacra in ærarium suum profanum transtulit: magistratus vænum exposuit: qua iter cunque habuit, impuratum pellicum gregem traxit. Ita feruntur non usitato impetu in vitia principes, dum nemo frænum imponit, coercetur. S. Arnulphus Eremo cum palatio commutato aberat: alii sacrorum Antistitum leoni barbam vellere non ausi sunt: vel ora digitis presserunt, quod scirent nunquam facturum Regem, ut sana consilia capesseret: solus Amandus, vir longe sanctissimus, tacere non potuit. Igitur perditum libidine Dagobertum petit, relictis interea idolorum cultoribus, quorum saluti tum insudabat: quam turpia, quam fœda dicta ubique locorum de ipso acceperit, exponit: quam multos exemplo præcipites ageret, percurrit: non esse clementia vitiorum prima, quæ ederet, verumenimvero flagitia ultima. Difficiles huc usq; Rex aures præbuit: deniq; in reprehensionem vocatus etiam, tactusq; altius, hem inflatis ira ambabus buccis, tam bonum medicum à se facessere ocyus jussit: tandem toto regno exegit, impatiens Amandi concionis, quem prius universum regnum obeuntem habere conciones, gaudebat. Quid non mortalia pectora cogit vesanus amor!

Hugbald. vita S. Rictrudis, Sur. 12. Maj.

Revocantem in viam Amandum regno pellit.

Frater Dagoberto erat, cui nomen Eriberto. Huic Aquitaniã tanti imperii particulã, cum regio titulo asperserat: Regulus hic potius quam Rex, proferre fines nimis angustos studens, Vascos adjecit: populum qui hodie Gasconiam, seu Vasconiam, tenet, id temporis à Christiana fide alienum. Nihil magis in votis S. Amando erat, quã & hic & alibi divinorum verborum sementem facere. Placebat etiam Galliæ Regibus, quod nõ unius provinciæ vel Diœcesis Episcopus fuisset creatus, sed universo regno, ceu cõmunis Doctor, datus, quod tũ quasi cõsuetudo ferebat. Hujusmodi autem Episcopus appellabant Regionarios, quod uni loco addicti haud essent. Igitur publicus hic præco inversum Dagobertum sibi obstare videns, ad Eribertũ oculos adjecit: in Gasconiam vestigia convertit, cui ille tum incumbebat. Incolæ Christi leges sibi imponi haud ægre passi sunt: nonnulli tamen, ut fit, detrectarunt. Interea mirum desiderium S. Amando Martyrii subeundi incessit, quod etsi Deus nõ expleverit, præmio tamen laborum maximo eum affecisse visus est, dum infinitis animabus concionibus operantem donavit.

Inter alias eminebat S. Rictruda, Arnoldo & Lucia, nobilissimis parentibus, progenita, sed idololatria infectis. Hæc rosa medius è spinis sublecta, Adalbaldo nupsit, non modo natalibus, verum etiam opibus clarissimo, Eriberto Regi percharo, quodque rerum caput est, Catholico. Illam formæ venustas morumque suavitas mirifice commendabant: hunc urbanitate condita singularis comitas. Filium unum tresque filias procrearunt, nimirum Mauroncum, Chloderindam, Eusebiam, Adelsendam, quibus uterque parens timorem Domini à teneris instillârunt, unde adultiores Divo Benedicto nomina dederunt, ac tandem cœlum occuparunt. Nam inter Cœlicolas habentur. Sed hic non te tenuero, cum alius locus tempusque ipsis debeatur. Nunc Sancto Amando valere jusso, ad Floribertum, ipsius quondam discipulum, vitamus, relictarum ovium tutelæ intentum, ut ne lupis in prædam cedant.

S. Rictruda idolis nuncium mittit.

AN. CHRISTI 633. AN. S. BENEDICTI 153.

CAPUT. I.

S. Floribertus vices S. Amandi in Belgio Gerit, cui S. Livinus egregiam operam præstat.

S. Amandus Gandavo totaq; Germania inferiore excessurus, S. Floribertum, compertæ virtutis Monachum ideoq; ad duas Abbatias (Gandensem & Blandiniensem) auctoratum, oneri succedere cum imperio jussit. Confirmatis dominovis Christianis, pius pater avidufq; salutis omnium, per totam Flandriã & Brabantiã suos dimisit, ut idololatriam inde fugarent. Par conatui successus fuit. Hoc ipso anno (quod Molanus refert) S. Livinus, quibusdã Levinus, & Lebuinus, è Scotia hospes venit, stipatus sociis, non alia de causa, quam ut miseros cultores dæmonum errore liberaret. Cum enim animadvertissent, fidem Catholicam indefesso Sanctæ Columbæ ejusque discipulorum labore altas satis radices egisse, vitio sibi vertendum putârunt, si domi desiderent, multis animarum myriadibus alibi pereuntibus. Multi sequentibus annis occurrent, qui verso alacriter solo patrio, in Franciam, Belgium, Alemanniam, se se ejecerunt, ut etiam alios facerent bonos. Segetem late diffusam videbat: paucos falcem submittere. Sancto Levino Episcopo se comites addiderunt Foilanus, Helias, Chilianus. Non fugit peregrinos arces duas Gandavi stare, contra tartarum extructas, unde Monachi excursiones in idola facerent. Huc proinde se contulere. S. Flo-

Floribertus officio S. Amandi fungitur.

Molan. in Indic. verbo Livinus.

Suppetias ei S. Levinus fert.

rebertus audito cujates forent: quæ arma ferrent, quibusq; bellum moverent, obviis brachiis amantissimos commilitones accepit: prensavit: optime habuit.

Breviar. Eccl. Gandens. unde Francis. Harveus vitam ipsius collegit. Molan. Indic.

Porro Livinum nobili sanguine ortum S. Augustinus, angliæ primus Apostolus, sacro fonte lustravit. Quid vero ipsi tunc negotii fuerit in Scotia, nos nescire fatemur. Certe ad fidem Catholicam adducti ante erant Scoti, quam Greg. M. per suos discipulos expeditionem misisset in Angliam. Quid si parêtes famæ nominis S. Augustini illecti, puerum in Angliam miserunt, ut à sanctissimo Præsule nostris sacris initiaretur? In hanc nos sententiam impellit, quod vitæ Christianæ rationes ab eodem S. Augustino sit edoctus; quo Magistro eos progressus fecit, ut ætate nondum adulta aliquot miracula domi patrasse, feratur. Etiam in sacerdotum ordinem à S. Augustino redactus est. Quid insignes virtutes viri memorem? Omnes Archiepiscopali mitra componam, qua redimitus is fuit simul ac illa capite vacavit, Rege, Regina, populo applaudentibus, Verticem obstinate subduxit quidem (quod mitras tam curis quam periculis graves putaret) ultimo tamen acclinare caput debuit: officium postea adunguem exequutus est.

Sur. 12. Nov.

Ergo rebus in Scotia Sytuano Archidiacono commissis, iter in Belgium suscepit: delatus cum sociis Gandavum, triginta dies in Monasterio S. Petri traxit, ubi S. Allovvinum esse conditum memoravimus, à cujus morte jam tum triennium effluxerat. Quamplurima eo tempore edebat miracula. Quocirca is ad D. Mausoleû toto mense rê sacrâ faciêdo, sûmo cultu sanctissima lipsana prosequebatur. Interea quoq; orando meditandoq; ad bellum cum vitiis idolisque ineundum, se comparabant socii. Officina autem, in qua apta hujusmodi bello arma cuduntur, secessus est. Post hæc S. Floriberto valere jusso in mediam regionem penetrarunt, quod vis ibi cacodæmonis major esset, ad quam frangendam advenerant.

Meyer an. 633. S. Levinus cum sociis Galliam Belgicam lustrat non absq; miraculis.

Labore ingenti exhausto, cæcos incolas gregatim ad Ecclesiam adduxerunt. Cum idem animas juvãdi ardor Holtam illos hoc anno rapuisset in aliquot dæmonis hospites inciderunt. S. Levinus stygiis verberonibus fortiter obtulit: sine cunctatione in fugam egit. Puero luminibus casso, meridianam lucem impertivit. Hisce miraculis arrectus populus, S. Levino dicto mirifice audiens fuit: aliis autem exêplum præivere Craphahilda, cæci pueri mater & Verna, nobilis matrona. Ægre successum orcus tulit, quocirca ut S. Levino circumvento, promulgationi fidei imponeret finê, aliquot idoneos lapides movit. Videlicet scelesta quædam capita, de sancto viro è medio tollendo conjurarunt. Grande nefas! Itaq; nihil cogitantem adoriuntur: vario cruciatu afficiunt: linguam ex ore promptam abscindunt: canibus ceu offam objiciunt. At vi quadam divina ipsi lingua rediit. *Tandem apud Hescham Flandriæ vicum*, inquit Surius, *multis vulneribus saucium obtruncarunt pridie Idus Novembris quo eodem loco nobilem quoq; & religiosam matronam Craphabildã Livini hospitam una cû filiolo ejus Brixio, cum palam quærerentur immerito interfectum esse sanctum Episcopum immaniter trucidarunt. Quo facto discipuli beati Martyris collectum ejus corpus simul cum beati Brixii corpusculo uno eodemq; in loculo in Hauthem, vicino pago, decenter sepelierunt, & juxta eos seorsim sanctam Martyrem Craphabildam.*

Sur. 12 Nov. Occiditur.

Postquam miraculorum fama percrebuit, Theodoricus Cameracensis Episcopus, periculum facturus advolavit, famâ rebus minorem animadvertens, tum etiam à Monachis D. Bavonis, penes quos jus patronatus id loci erat, impulsus, SS. Levini & Brixii sacra ossa veteri sepulchro exempta, in majorem lucem produxit, quod anno à Christo nato octingentesimo quadragesimo secundo factum. Multo post cum Erembolduus, Monasterii Gandensis Antistes, huic thesauro ab avidis manibus metueret, cum Monachis in Hauthem profectus funebres arcas aperuit: ossa ordine digesta invenit: incolis exhibuit: iterumq; composita suum in Monasterium Gandense sub annum millesimum septimum, obviam effusa civitate, transtulit. Festum S. Livini duodecimû Augusti diem occupat, summoq; studio à Flãdris celebratur. Quidam hunc cum Levino altero, annis posteriore, S. Clementis discipulo, Monacho Ripensi, confundunt: nos errorem alibi detegemus.

Absente S. Amando, morte vero sublato S. Levino, multum remissura fuisset gentiliû conversio, nisi S. Floribertus cum suis Monachis gnaviter vices egisset, rem Christianam fortiter fulciendo. Vnde haud immerito *Vir Apostolicus & raræ pietatis*, à Molano vocitatur, qui sanctimoniam, bonitatem ac humilitatem illius ætatis etiam hoc argumento comprobat, quod Monachi honores nô modo nô ambiverint, sed insuper obtrusos rejecerint, ideoq; S. Floriberto Abbatias duas fuisse gerendas. Sed par utrique sustinendæ erat, simulq; pugnæ cum inanibus Diis depugnandæ, quos inter sudores dignam cœlo animam exhalavit. In Monasterio S. Petri Blandiniensis humatus: anno

Molan. Indic.

Sepelitur.

nongentesimo septuagesimo quinto eductus iterum humo ab Adelberone Episcopo Rhemensi: anno demum millesimo quadragesimo nono à Balduino Episcopo Noviomensi, festivam pompam Balduino, Comite Flandriæ, mirifice accendente, translatus & publico loco propositus fuit.

CAPUT II.

S. Claudius Vesontionensis Episcopus.

Alii homines, alii mores.

ALios longe homines ea ætas, quam expédimus, tulit, diversos à nostra. Ad dignitates Ecclesiasticas cupide rarus respiciebat; multi vero è summo mitrarũ fastigio in angustas ac humiles se cellulas demittebant, quod in his spem salutis verti crederent. Ita S. Claudius hoc anno Archiepiscopale pallium, dignitatis plenum, cum vili cucullo cõmutavit. Patria, ut ferunt, Burgundus fuit, Salinensium principum seu Palatinorũ sanguis. Septennio domi exacto, quos in pietatis tyrocinio posuit, probatissimis magistris commissus fuit, liberalibus artibus imbuendus. His diligenter exhaustis, sacras litteras, tum etiam res præclaras à Sanctis gestas volvere nec nõ memoriæ sedulo mandare cœpit, tantos ante ambulones olim cõsequuturus. Illecebras, juvenibus quas mundus ambabus manibus objicit, veluti spectacula, choreas, symposia, lyras, milleq; nugas opere maximo fugitavit, bonas horas potius cũ bonis viris comburens, se Monachis haud multo aliter, quam si talis esset, immiscens. Scurras, balathrones, mimos, procaces, angue pejus odit. A fæmellis ætate ac forma florentibus tam oculos quam pedes torquebat: quas si compellare necesse fuit, credi vix potest quam caverit, ne verbulum non satis decens imprudenti excideret, aut ora solicitetur in risum. Templum vix alterum quépiam frequentius accepit, ut diebus, præsertim Dominicis festisq;, sacerdotibus rem divinam sacrificando, cõcionando, psallendo, obeuntibus, animo cœlis suspenso adsuit. Viginti annos natus Ecclesiæ Bisuntinæ Canonicus renunciatus fuit, fama integritatis ipsius jam late sparsa. Præeuntem in virtutes, nemo cæterorum assequi valuit.

Martyrolog. 6. Iunii. Surius eodem die. Claud. de Rota c. 187.

S. Claudius discendo traducit primos annos.

Fit Canonicus.

Officia divina tam noctu, quam interdiu persolvit in Choro: reliquum temporis litteris sacris impendit. Vt aliis prodesset, qui in luto hæsitabant, libros lucubravit, unde viri eruditionem æstimes. Illos vero ab interitu vel oblivione hactenus Iurense Monasteriũ vindicavit. Burgundia tum neminé habuit, quem suo Claudio anteferret. Si diẽs Dominicos & festivos excipias nunquã cœnitabat. Quid autem? noctes crebro totas orando, meditando, legendo, traduxit. Multos inter labores fere prima cura, castitas erat. Vestes mediocritatem non excedebant, uti nec mores modestiam. Anno ab initio Canonicatu duodecimo Velontionensis seu Bisuntinus Præsul fato cõcedens, locum S. Claudio fecit, cui cum suboluisset Canonicorum & populi erga se studium, erupit ad parentes, tum primum rediturus, cum latis suffragiis alius suffectus esset. Nihil tamen egit. Clerus enim populusq; Bisuntinus in preces ac lachrymas procumbentes, atq; Antistitem à Numine reposcentes, paulo post oraculo divino didicerunt, placere Claudium. Ergo ore uno Claudius legitur Episcopus: è fuga domum retrahitur potius, quam ducitur.

Deinde Bisuntinus Pontifex.

Defatigant nos innumera viri decora, sed pedibus in hanc sententiam à Bisuntinis itum est, favẽte Numine S. Claudium veluti Canonicorum, Episcoporumque Regulam cœlo delapsam fuisse.

In Episcopale culmen sublatus nihil de modestia aut animi submissione mutavit. Horæ, quas Canonicas appellant, adeo ipsi cordi erant, ut dato signo confestim advolaret, nec præter negotia gravissima quicquam ipsum morari posset. Ecclesias sibi cõmissas frequens obivit: si quid à recto delirabat, ut par erat, correxit: lites audivit ipse, composuitq; bonis, ut tales perdurare vellent, incubuit: malos, ut se ad frugẽ reciperent, extimulavit: ut miseros, ut pauperes servaret, nil intentatum reliquit, vires autem ad tot tantasq; res gerendas orando ac contemplando cõparavit. Gravia nonnunquam suspiria hoc sub onere duxit, nec aliud magis in votis fuit, quam solitudo, ubi nimirũ nullo obice prorsus objecto, Deũ adire licet.

O præclarum custodem ovium.

Iura mons est, apud Alsatas & Burgundiones perquã nobilis. Monasteriũ is D. Benedicto sacrum, disciplina firmum, sustinebat, quod imprimis Iurense dictum: postea à S. Eugendo nomen traxit, loci quondã Antistite, cujus etiam ossa habuit. Igitur S. Claudius vitæ suæ asperiorem clausulam impositurus, post septennium Archiepiscopatu se abdicavit: angeli admonitu in S. Eugendi Cœnobium pertendit: admitti Injuriosum Abbatem rogavit, se deinceps in ejus auctoritate futurum pollicitus. Voti compos factus, se ipse novos ad labores incitavit: excusso penitꝰ mundo vigiliis & inedia corpus afflixit: piis exercitiis tempus omne occupavit lectionem meditatione vicissim excipiẽte. Vt paucis exæquar, Caput Regulæ quartum, de instrumentis bonorum operum inscriptum, usq; ad calcem exhaurire, assiduũ studium fuit. *Ad divina celebranda officia*, inquit auctor vitæ ipsius, *omnes templi ingressu antevertebat: postremus omnium è*

Cucullo ad S. Eugendi traducitur.

Apud Sur. c. 4.

templo

templo recedebat. Atq; hac ratione adeo cũctos ad Monasticæ perfectionis provocabat studiũ, ut Injuriosus Abbas, vir sane eximia tum sanctitate, tum prudentia, cũ multa humilitate & instantia Monasteriũ illud regẽdum ei obtulerit, quod tamen vir S. modestissime recusavit. At tamẽ post annos quinque Injurioso Abbate cum magna meritorũ copia ad Dominũ migrante, venerabiles ejusdẽ Cœnobii Patres illũ unanimiter elegerunt sibi Abbatem, quibus ægre tandem assensus est.

Legitur Abbas.

Capto igitur pedo, omnem curam & custodiam ovibus impendit: quoties autem se evolvere potuit, orando & cõtemplando rem suam privatam egit. Vnde Abbatiam ipsi ad annum usq; quinquagesimũ à Deo fuisse productã, boni historici ferũt. Monasterium Monachis, disciplina, opibus auxit. Sanctitatis illius fama totam provinciam pervadens, Clericos, nobiles, cives, illexit, ut certatim nomina dederint. Is qui acta viri litteris mandavit, *Cujusmodi autem filios spirituales, ait, illic enutriarit, id nostram excedit dicendi facultatem. Potest autem quisquis eum invisit locũ sanctum facile id colligere ex multitudine Sanctorũ corporum, quæ illic venerationi habentur.* Dum igitur imprimis quæsivit regnum Dei, magnas Monasterio divitias principũ, regum, nec non inferioris notę hominum manibus, adjecit idem Deus. Clodovęus II. qui Franciam id temporis imperio tenebat; modios tritici quinquaginta, totidẽ hordei, & *quinquaginta denariorum argenti libras*, quotannis affundere solebat. Vnde optimus Antistes tam mendicos quã hospites liberalissime accepit. Templum sacro apparatu veluti crucibus, calicibus, candelabris auro argentoq; cõflatis, aliisq; divinum cultũ spectantibus ornamentis, prorsus oneravit: Divorũ lipsana argento inclusit: fabricam usq; ad decentiam, sed non ultra, provexit. Monasterium Episcoporum Iurisdictione liberum fuit; ex quo intelligas inter alia Burgundiæ Asceteria excelluisse.

Ad Superos ibit.

Tandem capularis senex levi morbo correptus est. Mortem sibi imminere sentiens, fratribus convenire jussis, gravissima oratione Numinis amorem, nulli rei unquam postponendum, instillavit: cadentes lachrymas, quod amantissimus pater se subduceret, multum singultientibus blãde abstersit. Sed cum in fontibus tam copiosis obstruendis operam se perdere videret, data pace acceptaq; in suam quemq; cellulam dimisit, ipse vero totam eam noctem precibus exegit. Quarta luce cõscientiam confessione in Ecclesia expiavit, ibidemq; sacro viatico abituram animam, lachrymis sinum infundens, pientissime instruxit. VIII. Id. Iun. concessit, quo Ecclesia debito ipsum cultu prosequitur.

Ejus fatum historici ad annum sexcentesimum octogesimum octavum referunt vitam ejusdem ad annum centesimum tertium extendunt.

Corpus suum è Monasterio efferri vetuit (nimirum ad pompam funebrem removendam) quod usq; hodie incorruptum miraculisq; clarũ est, quæ suo calamo excepit Claudius de Rota: verum multitudine obrutus compendio sibi utendum ratus, *Quanta S. Claudii Archiepisc. fuerint merita*, inquit, *quotidiana eaq; innumera miracula demonstrant, quæ suis clientibus exhibet. Certe sanctus iste desolatorum dulcissimus consolator: captivorum liberator: demortuorum resuscitator: cæcorum lumen. Surdarum aurium, mutarum linguarum restitutor: naufragorum portus: Monachorum præsidium: debilium & ægrorum servator: omniũ medicus: errantium via: quinimmo salus publica vocari potest universorũ ad se confugientium. Omnia igitur miracula, quæ sanctus iste patravit, huc afferre, fuerit Lectorem tædio afficere. Qui plura cupit (nam ego aliqua duntaxat ponam) Monasterium S. Eugendi adeat, ubi magna volumina rerum admirandarũ plena reperiet, ac obstupescet.*

Valetudine laborantibus medetur.

Hæc Claudius de Rota. Nobis, cum legeremus multos Sanctos prodigiis editis vicisse profecto visus est, præsertim si de mortuis in vitam revocatis certamen instituatur. Duo narrabimus: cætera, ut nostrum institutum persequamur, præteribimus.

Exanimem infantem vita impertit.

Vrbe in Lingonensi fœmina prolem in lucem extulit, vita cassam. Animam sedulo exploravit obstetrix, demum trepida exclamavit, puerum exanimem esse. Hic uterque parens collidere manus: solvi in mœstissimas lachrymas: ciere inauditos questus; sibi tantũ mali oblatum esse, plus autem filiolo, è Cœlicolarum classe æternũ expuncto. Postquam fluctus nonnihil detumuerunt; consilium capiunt non sepeliendæ sobolis ante lucem tertiam; rogaturi Numen, ut saltem vitæ tantillum spacium indulgeat, donec sacro fonte abluatur. Dum hæc tragœdia à miseris agitur; Parochus madido patri in aurem immurmurans; quin tu, bone vir, dixit, voti reum te facis apud S. Claudium? quin ad ejus sepulchrum suscipis peregrinationem? Patriæ totius commune asylum est. Illico persuasit. Breve igitur funus portatur ad S. Claudium: donatur vita: lustratur: candida animula ad Superos elabitur.

Alia etiam parvulum ediderat mortuum, quem miserabili voce sublata conclamavit,

Simili beneficio prosequitur alium.

Nocte suspirus lachrymisque extracta, primo mane fœminæ puerum in sinum receptum, celeri gradu ædi S. Claudii cum muneribus intulerunt. Cum sacra hostia sublime à mysta tolleretur, euge! exanimis puer respirare occepit, & plorare, id quod, quantũ est hominum, facere solet, ut primum in vallem lachrymarum immittitur. Sacerdos postea sacris undis admotum lustravit: pater voto se exolvit. Tam singularia vel suo genere miracula SS. Eugendi ac Lupicini nominibus deletis, Monasterio S. Claudii nomen imposuere, quem Guilichmus Paradinus *toto orbe celeberrimum*, appellat. Insuper Chilpericum Regem hoc Cœnobiũ imprimis fundasse: tum etiam Apocalypsin D. Iohannis Apostoli manu exaratam, in eo asservari, prolixe idem affirmat. Precium hujus thesauri intẽdit, quod nihil de isto Christi discipulo in manibus sit, quippe cujus tumulus refossus ne os quidem unicum suppeditarit, toto suo domino vacuus. Hic pedem contra nos tollit Robertus Zenalis, negatq; erecto digito autographum S. Iohannis esse. Multorum enim sententia Apocalypseos librum intus forisque ab eo perscriptum fuisse. Si tu caput concutias ille mox Caput Apocalypseos quintum tibi objicit, ubi S. Iohannes se vidisse asserit. *In dextera sedentibus super thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillatum sigillis septem.* Vero autem simile videri, S. Iohannem volumen sibi conspectum imitatũ esse. Atqui librum quem S. Claudii Monasteriũ offert, intus solum esse scriptum: ac insuper litteris à principio aurum coloresq; alios aspersos: neminem vero cui non implicat, crediturum, Apostolo tantum otii in insula Patmos fuisse, ut curiose pingendo abuti opera potuerit, vel etiam pictorium apparatum omnino in promptu habuerit.

Galiel. Paradin. de antiquo statu Burgundiæ.

Apocalypsis Ioh. Evan. manu scripta, servatur ad S. Claudium.

Robert. Zenal. l. 2. periochę 13. Histor. Franc.

Negat Zenalis, & errore solvitur.

Quietus esto, mi Roberte: tuis enim argumentis abest nervus. Nos equidem ultro tibi damus, Apocalypseos auctori nec aurum, nec colorum sucos alios fuisse, nec Iohannẽ sibi hanc operam sumere noluisse: sed alios qui eo libro potiti sunt, quodã pietatis ductu admovisse manum; facturi tamẽ rectius, si manũ abstinuissent, neq; suos colores cum atramento Evangelistæ confudissent. Ita Quintil. negavit statuas marmore factas gypso obducendas: tolli enim tali crusta splendorem, oculos nostros invitantem. Quocirca aurum libro Apocalyseos, quẽ versamus, illitum, distinctiq; smaragdi, nihil ornamẽti addunt, sed demunt. Verum quod aliquis Abbas, à S. Iohanne gratiam initurus, penicillo præpostere sit usus, non ideo D. Benedicti familia tanto thesauro privanda est. Argumentum tuum alterum, Roberte, quo frustra nos captas, longe à scopo aberrat. Viderit Apostolus, *In dextra sedentis super thronum librum scriptum intus & foris*, si tamen non piget mecum adire Bedam, Rupertum, Ambrosium, Hieronymum, Gregorium, audies hoc libro sacram scripturam notari, intus plenam mysteriis: at foris *sensum litterarum* (ut vocant) exhibentem. Intelligis opinor in cortice te laborasse. Vel si ab Andræa Cæsariensi expugnari mavis, cum hac sentẽtia adest quam Ribera quoq; probat: *Per librum intus forisq; scriptũ, infinitos labores ego designari puto, Ecclesiæ subeundos.* Quando rerũ copia intus condi haud poterat, extremã quoq; partẽ adhibebãt veteres, vocabãtq; hujusmodi libros ὀπισθογράφους, quasi retro inscriptos. Vt igitur S. Apostolus animis nostris graphice objiceret calamitates, quæ extremo die imminente miseris mortalibus incumbent, librum undiq; exaratũ nobis exhibuit, quem te oculis ac manibus contigere velle miramur. Apocalypsis, mi vir, nõ agit eo de libro, quẽ S. Ioh. scripsit, *sed quẽ vidit.* Hunc autem is in ventrem abscõdit: sed ipse hoc te doceat: fac animo præsenti sis. *Et audivi vocem de cœlo iterum loquentem mecum, & dicentem: vade & accipe librum apertũ de manu Angeli stantis super mare & super terram. Et abii ad angelum dicens ei, ut daret mihi librum. Et dixit mihi: accipe librum, & devora illum, & faciet amaricari vẽtrem tuum: sed in ore tuo erit dulce tanquam mel. Et accepi librum de manu angeli, & devoravi illum, & erat in ore meo tanquam mel dulce.* Ergo ille liber, quo de nunc disputamus, à S. Iohanne comestus est: alter quem is conscripsit, ab eodẽ Ecclesiæ relictus est, habeturq; hodie in Monasterio S. Claudii. Inveni, credo, remedium infirmis Roberti argumentis, ac Ordinem D. Benedicti antiquam in possessionem recte restitui.

Cap. 10. Apoc.

Caput III.

Concilium IV. Toletanum Ord. S. P. N. Benedicti consultum it.

LAbente anno post Virginis partum sexcentesimo tricesimo tertio Concilium Toleti habitum est, cum negotiorum gravitates, tum Patrũ frequentia celeberrimũ. Id *A*mbrosius Morales in annum sequentem rejicit: sed fallitur. Nam Concilia M.S. æram sexcentesimam septuagesimam primam exhibent. Quodsi vero annos triginta octo ab æra Cæsaris subducas, prodidit noster numerus. Sexaginta duo Episcopi eo in tẽplo convenere quod S. Leocadiæ ossa habe-

An. 633. Toleti habitum Concilium.

Moral. l. 12. c. 19.

bant,

bat, in suburbio Toletano situm. Concilium moderabatur S. Isidorus, Archiepiscopus Hispalensis, Sanctitate doctrinaq; clarissimus. Multa pro fide Catholica saluteq; regni sancita sunt, uti tum mos ferebat. Omissis iis quæ ad nos nil attinent, obiter quæ ad nostram historiam faciunt, tangamus. *Monachum*, inquiunt Patres, *aut paterna devotio, aut propria professio facit. Quicquid horum fuerit alligatum tenebit. Proinde his ad mundum reverti intercludimus, & omne ad sæculum interdicimus ingressum.* S. P. N. Benedictus pueros etiamnū primam ætatē agentes habitu Monastico induit, quod post ipsū in consuetudinem abiit, multosque in annos duravit. At non ideo in Monachorū numerū simul asserebantur. Verū parentes religione Numinis icti, filios suos servitio conceptis votis offerebant, postea Abbatum fidei Monachorumq; in templo ipsos committebant, imitantes Annam uxorem Elcanæ, de qua Regum historia hæc narrat: *Puer autē (Samuel) erat adhuc infantulus, & immolaverunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli.* Item, Samuel ministrabat ante faciem Domini puer, accinctus ephod lineo. Ita S. Benedict⁹ adventantes excipiebat puerulos, divini Numinis cultu imbuendos. Sed oraculum ipsum, id est, Regulam adeamus, quæ Canoni meridianam lucem affundet *Si quis forte de nobilibus offert filium suum Deo in Monasterio, si ipse puer minor est ætate, parentes ejus faciant petitionem, quā supra diximus, & cū oblatione ipsam petitionem & manum pueri involuant palla altaris, & sic eū offerant. De rebus autē suis aut in præsenti petitione promittant sub jure jurando, quia nunquā per se, nunquā per suffectā personā, nec quolibet modo ei aliquādo aliquid dent, aut tribuant occasionē habēdi. Vel certe si hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint in eleemosynam Monasterio, pro mercede sua, faciant ex rebus, quas dare volunt Monasterio, donationem, reservato sibi si ita voluerint, usu fructuario. Atque ita omnia abstruantur, ut nulla suspicio remaneat puero per quam deceptus perire possit, quod absit: quod experimento didicimus. Similiter autem & pauperiores faciant. Qui vero ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant, cum oblatione offerant filium suum coram testibus.*

Concil. Tolet. 4. c. 49. & c. 2. q. 1. Cap. Monachum.

S Benedictus recepit puerulos.

1. Reg. c. 1. & c. 2.

1. Reg. c. 59.

Quid multis opus est? lator ipse hujus legis S. Maurum unde cennem, S. Placidū septennē, sibi ab Eustichio & Tertullo, illustrissimis parentibus, adductos, in Monte Casino recepit. Faustus se septem non amplius, annos natum ab eodem Patriarcha susceptū fuisse, litteris prodidit. Multis deinde sæ-

Faust. vita S. Mauri.

culis sic mos diversas per provincias obtinuit. Exemplis fidem faciamus. In Anglia S. Bonifacius cucullum induit quinquennis puer, venerabilis Beda septennis: S. Hildegarda in Alemannia annum octavum agens, S. Mechtilda septimum; Panormitanus in Italia tredecim annos natus, Petrus Diaconus in Monte Casino quinquennis. Don Ramirus (postea cum res ita se darent, Rex Arragoniæ) adhuc admodū puer Monasterio S. Pontii de Tomeras traditus fuit. Immo hæc consuetudo tam vulgata fuit per Hispaniam, ut S. Fructuosus Bracarensis Archiepiscopus statuerit, quo pacto à nutrice adhuc pendentes parvuli, extra Monasteriū essent educendi, donec adolescerent. Etenim parentum pietas ne extingueretur, omnem is ætatem offerri patiebatur. O tempora aurea, moresq; bonos! Ergo operā dabant Ecclesiarum Antistites, ut felici succu religionē imbiberent infantes: & à parvis unguiculis jam parvam crucem ferre condiscerēt. Si enim aliis in artibus multum interest, ut à teneris operam des, in hac certe amplectēda minime omnium cunctandum putamus. *Bonum est viro* (Ieremiæ Carmen est) *cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua.* Itaq; infantes quoq; ac parvos pueros cultu monastico indutos fuisse, nemo in dubium vocaverit. An vero talibus fas fuerit, habitum denuo exvere, certatur sententiis Concilium profecto Toletanū videtur nodū arcte adducere. Repetamus verba: *His ad mūdū reverti intercludimus, & omnē ad sæculum interdicimus regressum.* S. Bonifacius Germaniæ Apostolus, cum nodum istū explicare non posset, opem Gregorii II. Pōtificis Max, imploravit, qui data epistola ambiguum Bonifacium certiorem fecit, hunc in modum oblatis parvulis integrum haud esse, è Monasterio in mundum referre pedē: aliter gravi se se piaculo obstricturos. En verba Gregorii tibi recitamus. *Addidisti adhuc, quod si pater vel mater filium vel filiam intra septa Monasterii in infantiæ annis sub regulari tradiderint disciplina, utrum liceat eis, postquam pubertatis impleverint annos, egredi & matrimonio copulari? hoc omnino devitamus, quia nefas est ut oblatis à parentibus Deo filiis voluptatis frena laxentur.* Canonistæ, qui Caput *Monachum* (quod Gratianus ex Concilio Toletano deprompsit) qui Caput, inquā, *Monachum*, hodie exponunt, tales parvulos, ajūt, si usū rationis adepti permansissent ac siluissēt, visos fuisse, nec per ipsos postea amplius stetisse, utrū figerēt pedē, vel in sæculū referrēt. Quod si usu rationis prędiri, jam scivissent quid distarent æra lupinis, &

Panormit. in prolog.

Thren. 3.

An pueris aliquando gradum e Monasterio revocare liceat.

Baron. an. 726.

Causa 20. q. 2 cap. Monachū

& non modo nó tacuissent, sed cucullum excutere aperte voluissent, his licuisse. Ita rem hanc jus Pontificium c. 8. & 9. atque 10. ejusdem Causę satis clare decernit: quam in sententiam Turrecremata Cardinalis pedibus it: nec opus est pluribus cum tempus veritatis mater omne dubium sustulerit. Intolerabilius enim nihil foret, quam voluntate aliena quemquam teneri ad solvendum id, quod nunquam promiserat, nunquam somniaverat, præsertim natura ipsum alio inclinante. Cum igitur futuro Monacho sint tria vota concipienda: hæc autem à propria voluntate proficisci debeant, apparet Canonistas, quos diximus, de errore postulari non posse, quibus etiam nos merito adhæremus.

Turrecremata in c. 59. S. Regulæ.

Addimus autem multa olim usu recepta, vel à Iure quoq; statuta fuisse, quæ temporis progressu Pontifices mutârint, vel penitus sustulerint. Fuit, cum Monachi sacerdotio minime initiarentur, sed potius inde arcerentur: postea vero cum res Ecclesiæ ita ferrent, non modo admissi, verum etiam invitati sunt, ac jussi. Quocirca si Iuris textum quempiam exequi libet ad unguem, vide sis quid posterioribus temporibus sanxerint Pontifices. Nova enim sunt lima veterum. Hinc trito fertur proverbio: *Bene concordant Iura, si bene distinguantur tempora.* Crediderim ego S. P. N. Benedicti ætate, nec non quo tépore Concilium Toleti celebratum fuit, secundum decreta antiqua pro insigni nævo habitum, adeoq; vitio versum, si quis à prima pueritia divino cultui destinatus, postmodum à parentum voluntate descivisset. Hinc Concilium gravissimis verbis vinculum à piis parentibus injectum liberis cum professione propria, seu à liberis emissa, videtur adæquare. Quodsi igitur tales u- tt ovis modo devinciebantur, quippeni Patres Concilii viam ipsis, quam ducit ad sæculum, diligenter obstruxerint! Non exiguũ momentum huc fert D. Benedicti Regula, quæ parentibus author est, ut filiorũ fortunis se abdicent, ne res in sæculo relictæ olim ipsis ansam præbeant revertendi. S. Isidorus Concilii, quo de agimus, verissimus interpres (nam ejus auctor haberi potest, cũ primas partes in eo gesserit) in Regula quam pro Monachis condidit, *Quicunq;*, ait, *à parentibus propriis in Monasterio fuerit delegatus, noverit si ibi perpetuo permansurum.* Vnde conijcias pueros sic oblatos, fuisse Regulis & Canonibus quasi circumseptos, ne qua in mundum evadere possent. His accedit Concilium Toletanũ secundum, in quo Patres, cum Reip. multum interesse vidissent, vt futuri Clerici à teneris virtute ac timore Dei imbuerentur, seminaria per Ecclesias instituerunt, quæ essent pietatis & artium liberalium gymnasia. Sanxerunt insuper, ut hujusmodi tyrones ad decimum octavũ annum provecti rogarentur, quæ staret senté- tia menti. Et si tum ordini Ecclesiastico, nomina darẽt, repetere libertatẽ amplius haud liceret, sed perpetuæ castitatis lege tenerentur. Quodsi rogati nuptias antęferrent, liberi dimitterentur. Oportet igitur rẽ longe aliter cum pueris se habuisse, oblatis Monasteriis. Neq; enim annos octodecim nati examinari, & sententiam edere à Concilio jubentur, utrum Religioni se se dedere, vel eidem nuncium mittere velint, sed exitu absq; ambagibus prohibetur. Magno idcirco discrimine hi ab illis distabant. Nam parentes qui ephebulos suos seminariis instituendos dabant, libertatem illis haud omnem adimebant, sed decimum octavum annum, ceu limitem, figebant, quo statum alterutrum amplecterentur. At at qui suos Monasteriis obtulere, divino servitio eos perpetuo addictos esse voluerunt. Vnde infamia notabantur, si conversis velis mundũ repetivissent. *Cum autẽ fuerint suscepti*, inquit S. Basilius, *si forte propositum suum trangressi fuerint, nec videre oportet eos amplius, tanquam eos qui in Deum deliquerunt.* Hæc verba Smaragdus Abbas iis applicat, quos vel parentũ oblatio, vel propria professio Numini dedicavit. Rigorem illorum temporũ late persequuti sumus, ut tanto melius panderemus quam recte inter Concilium & Regulam S. Benedicti convenerit. Quâvis autem (si rem ad unguem reseces) Professi, ut loquuntur, haud erant, quos sola parentũ voluntas Deo mancipaverat, ipsis nuptias somniantibus, & religiosa vincula detrectantibus, bonorum tamen aut honestorum numero vix habebãtur, quod venerandorũ parentum explosa pietate, Numini quasi terga vertissent.

Consuetudines & leges quoque, sæpe mutavit tempus.

S. Isid. ref. 2. 20. q. 1. c. quicunque.

Concil. Tolet. secundum.

Interest futuros Clericos à teneris virtute & timore Dei imbui.

S. Basil. c. 2. Reg.

Smaragd. in c. 59. S. Bened.

Canon quinquagesimus Monachorũ causam hisce verbis agit: *Clerici qui Monachorũ propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos iis ab Episcopo in Monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.* Qualia tu sæcula ea fuisse putas, militibus sua stipendia, Episcopis & Archiepiscopis tiaras, clericis pingues redditus relinquẽtib⁹, & incẽsis religione animis viam ad Monasteria affectantibus? honori ac licentiæ se se eripientibus? Episcopatibus profecto tã multi abiviere, ut Pontifici Max. necessitatẽ imposuerint condendæ legis, ne quis deinceps in Monasterium se amovẽret, nesciente vel abnuente Sede Apostolica. Sed crãbeñ nolumus repetere. Imperatores quoque suos milites,

Clerici, Episcopi, Archiepiscopi, magno quondam numero se abdebant in Monasteria.

Etiam milites.

deinde

deinde magistratibus gerendis implicitos, cohibebant. Quam obrem Gregorius Magnus ingenti pectore Mauritio, Ecclesiasticâ libertatẽ imminuenti, obviam ivit. Episcopi etiam Hispaniæ suos ministros ad cucullum aspirantes arcebant; immo ne Clericis quidem, Monachis esse licebat, absque illorum nutu. Quapropter Patres Concilii rem adeo indignam haud ferentes, potestatem fecere Clericis, Monasteria libere ingrediendi: quippe neminem ad vitam meliorẽ tendentem, impediri debere. Si libet, decretum adi in causa 19.q.2.c.1.& 2. ubi Doctores mentem Vrbani papæ II. exponentes, Clericos, ajunt, mundo excedere, ac statui religioso tanquam perfectiori se addicere posse, quantumvis invitis Episcopis. Oppressis quoq; Monasteriis opem tulit idem Concilium. Cape Canonem. *Nunciatum est præsenti Concilio, quod Monachi Episcopali imperio servili opere mancipentur, & jura Monasteriorum contra constituta Canonum illicita præsumptione usurpentur, ita ut pene ex Cœnobio possessio fiat, atque illustris portio Christi ad ignominiam servitutemque perveniat. Quapropter monemus eos qui Ecclesiis præsunt, ut ultra talia non præsumant.* Iam olim Concilium Lateranense, sub Gregorio Magno habitũ, Episcopis in mādatis dederat, ut à rebus Monasteriorum manus abstinerent, nec nova illis tributa imperarent. Quidam nihilominus nulla Canonum ratione habita, avidas manus admoverunt, quæ injuria Monachi incitati, opem Concilii implorârunt, ac impetrârunt. Iis profecto verbis Patres sunt usi, è quibus facile æstimes quanti Monachos fecerint. *Illustrem* namque *portionem Christi* vocant: prædas è Monasteriis agentes, excõmunicationis fulmine feriũt. Canonẽ 60. de Monialib⁹ virginibus ac viduis latũ alio reiicimus.

Rem Monachorum invadentes Episcopum arcentur.

Sexaginta duo Episcopi confluxerant, quos inter multi Sanctitate ac eruditione fuere conspicui nam id temporis, nec non aliquot annis insequentibus, paci frui licuit Hispaniæ, Gothis jam Christianis nihil moventibus, unde tã virtutes quam litterę vitia & ignorantiã in triumphũ duxere; nec quicquã aliis regnis hac parte cessit Hispania. In Ordine S. Benedicti nõ pauci excelluisse feruntur, in certos tamen cum incertis nolumus confundere. Igitur dubio & oblivioni isti exempti sunt: S. Iustus, Archiepiscopus Toletanus, Monachus quondam Agaliensis: S. Nonitus Episcopus Gironensis, Monachus Valleclarensis: Germanus Episcopus Monasterii Dumiensis: S. Tonantius, seu Conantius, Episcopus Palencianus.

Patres Concilii Toletani ex Ordine S. Benedicti.

Forsan miraberis nos S. Isidorum Concilii bujus præsidem non eos inter Episcopos censere, qui ex Ordine S. Benedicti interfuerunt: verũ etsi primas is partes egerit, nec non Arnoldus VVion conjecturis nõ levibus inductus, Albo nostrorum Monachorũ ipsum inserat, nobis tamen animus haud est, Ordinem propriis ornamentis insignem alienis seu coloribus seu plumis exornatum dare. Itaq; pro certo habemus cultu Clerici semper usum; nec produci auctorem antiquum posse, qui adversum nos eat. Atqui in Monasterio Mantuano stat, inquit Arnoldus, habitum nostrum à pictore indutus. Nihil dicit. Nam pictores atq; pœtæ suo sępius ex arbitrio pingunt canuntq; quam ex vero. Vtinã ille se sponte familiæ S. Benedicti offerret, inferretq; sed cum hoc non faciat, profecto trahi non debet. Conficta miracula uti non placent Deo, ita à Sanctis alienis nullus Ordo splendorem capit. D. Gregorius discipulũ habuerat Isidorũ nomine factũ postea Siciliæ Episcopũ, ab isto Hispalensi Archiepiscopo diversũ, quos historici imprudenter cõfundẽdo, errori ansam prębuerũt.

VVion. l. 3.

Hic mihi Carolus Sigonius tangendus est, qui cætera officio boni historici functus, in S. Isidorum Hispalensem impegit. Nam Bononiæ mortuum, Bononiæ sepultum, scripsit. Somnia narras, Sigoni. Dubia vero dissimilia, deniq; impossibilia affers: Hispaniæ vim facis. In Hispania spiritum duxit in Hispania eundem efflavit: ossibus in illustri Monasterio Canonicorum Regularium S. Augustini conditis. Infinita privilegia cum historiis longe certissimis producere oculisque subiicere promptũ est, quæ docent viri hujus beata lipsana Ferdinandi Lcognometo Magni auspiciis, Hispali eruta, Legionem in Monasterium Ordinis nostri Monialium, D. Iohanni Baptistæ sacrum, translata fuisse: Locum postea Canonicos Regulares obtinuisse, Monialibus Carvajalem traductis. Punctim hic Sigonium tetigisse sat est, arenam justioribus armis alias repetituri. Hæc interea prolusimus, ne Italia quietam jactaret possessionem.

Carol. Sigon. de Episcop. Bonon.

S. Isidorus Hispalensis a Ferdinando I Legionem translatus.

Concilio huic præter alios subscripsit S. Iustus Archiepiscopus Toletanus, Monasterii Agaliensis ante id Monachus, quod urbi tanquam plantarium Antistitum erat. Habitum religiosum ex more illius temporis admodũ puer sumpsit, Egregio ingenio, incredibili eloquẽtia præditus fuit. Magistro usus est S. Helladio Archiepiscopo, qui tũ Abbatis munus obibat; cujus virtutes cum litteris simul hausit, nefas esse ratus si ab ejus vestigiis quoquam discederet; quibus studiis adeo omnium animos cepit, ut imprimis Abbas Agaliensis: deinde S. Helladio

S. Iustus Archiepiscop. Toletanus Concilio subscripsit.

S. Ildephons. de claris vir.

fatis extincto, Archiepiscopus fit jussus. Nō modo laborum, verū etiam injuriarū, ut ille, tolerās fuit illū Toletan' Archidiaconus, (Justo nomen erat) hunc Gerontius sacerdos, Regi in paucis charus, contemptui habuit, supercilium efferens quod in palatio multum posset; quo facto iram Numinis in se vertit: ratione de improviso excidit. Demum conclamatus à medicis, postquam emotæ mentis specimina aliquandiu edidit, furiis ac intemperiis actus, vivere desiit, relicto saltem bono documēto, majoribus parendum esse: ab eorundem contemptu abstinendum. Quod S. Iustus spem longam, ab omni hominum genere conceptam, tribus annis absolverit, deplorat S. Ildephonsus. E litteris, quibus erat plenus, una solum epistola, Rechilæ Abbati Agaliensi missa, ad manum est. Libris enim scribendis vacare per Ecclesiæ Toletanæ negotia non licuit. Rechila autem reiicere Abbatis onus: succedere Cellæ: quiete religiosa frui, cogitabat; quod culpans S. Iustus, animas quieti anteponendas esse ostendit.

Quidam Iustum eum esse arbitrantur, qui S. Helladium lacessivit, nec alia de causā ita cito vita defunctum esse, Deo vindice. Sed hic ab illo altero plane toto cœlo, quod aiunt, differt. S. Helladii insectator. Clericus is quo de agimus Monachus erat: ille Episcopus, hic Archiepiscopus: illi sui Clerici collū laqueo obstrinxere: hunc morbus extinxit: ille superbia vecors, omnibus gravis erat: hunc ob animi submissionē cuncti amplexabantur: denique nostrum Iustum Divis adnumeravit Ecclesia. Sub annum vero sexcētesimum tricesimum quintū, regnante Chintila, mense Majo, diem, obiit, cui Eugenius, non Ordine sacro quàm amicitia arctius quondam conjunctus, suffectus est.

Nec non S. Nonitus.

S. Ildeph. de claris viris l. 2. c. 18.

Chirographo quoq; Concilium hoc confirmavit S. Nonitus vir prima classe dignus, cujus acta paucis S. Ildephonsus tradit. Fuisse Monachum, pro certo fertur: habitum in Valleclara sumpsisse, vero simile est. In schola enim Iohan. vidarēsis viri undiq; spectatissimi, quo etiam tiara Gironensis gloriatur, eductus fuit. De mortuo magistro, is à virtutibus usq; superq; notus, è Monasterio à quo unice pendebat in Pontificiam sedem raptus est. Numinis instinctu id factum potius, quam promiscuis hominū suffragiis, S. Ildephonsus notat. Simplicem & rectū se præstitit, orationi & Divorū venerationi ante alia deditus, quem apud palmā S. Felix de Girona tenuit. Hujus propter tumulum perdius & pernox orabat, quoties negotia nō impediebant. Quamvis autem litteris nihil commiserit, factis tamen subditos suos egregie instituit. Miracula immortalia tam vivus quā mortuus edidit. Regibus Suintila ac Sisenando orbi illuxit: sub posteriore, Concilio IV. Toletano inter primos subscripsit, quod cæteros ætate antecederet.

S. Ildephons. c. 11. de claris viris.

Hoc sæculo Conantius seu Tonantius, Episcopus Falenciæ, morum gravitate, prudentia, eruditione, facundia, cumprimis clarus, rationē Numinis publice colendi auxit: cantum melius concinnavit: psalteriū paucis notis explicavit. Episcopatum annis triginta gessit: tertio, quarto, quinto, sexto Cōcilio Toletano adfuit, sceptra tenentibus Gundemaro, Sisebuto, Suintila, Sisenando, Quintila. Nos pro certo habemus, Ordine de nostro Monachum fuisse, cum S. Fructuosum (quem è catalogo nostrorum hominū expungere nemo ausit) erudiverit.

CAPUT IV.

Angliæ status inversus.

Ludit fortuna in Anglia.

EDvvino Rege Northumbriæ à S. Paulino Archiepiscopo ad Linceram fidē traducto, ex voto fluxere pleraq;. At non ita bene cum mortalibus agitur, ut magnis bonis diu frui liceat. Cum alta pace floreret regnum, cui is septendecim annos imperitārat, tanta felicitate excidit, Penda Merciorum, & Corduallo Bretonum Regibus, arma adversus incogitantem sumentibus. Prior ethnicus, posterior Christianus erat, neuter tamē Anglo Saxones ferre poterat, quod magna mole antiquis incolis incumberent, ac vetere sede exuere conarentur. Quocirca ingentes exercitus moverunt in Edvvinum, ejusque subditos. Ille positis aliis negotiis, omnem curam in militem scribendum, ac bellum gerendum intendit. Postquam levibus præliis aliquandiu trivere tempus nunc procursando, nunc recurrendo, demum non ultra in velitationes summam rei contulerunt, acie congressi. Dejecto Rege, cæsi fugatiq; Northumbri sunt, cum præsens volueretur annus. Alia via Edvvinum Regem optimum vita excedere debuisse, creditum est, at Numini aliter visum. Caput, à bona fortuna quærentibus objectum, sustulere familiares, temploq; Metropolitano condiderunt, tumulo ante altare D. Gregorii Magni, à cujus discipulis fide Catholica imbutus fuit, effosso subditos lachrymas ubertim affundentibus. Hoc fulcro subducto, animis mirifice cecidere incolæ, quod regnum in servitutem prolapsum esse, manifeste cernerent.

Beda l. 2. c. 20.

Edvvinus belli alea subo. & superatur.

Beda l. 2.

Ergo Paulinus publico luctu depositos animos nunc mulcere nunc in bonam spem revocare: modo omnes simul, modo singulos

gulos sigillatim erigere, eos præsertim quos tam gravis casus præ aliis afflixerat, & quibus majorem ipse operam debebat. Si enim quæ alibi attulimus, etiamnum memoria tenes, Reginam is in Northumbriâ proficiscentem prosequutus est, quam temporibus ita nubilis deserere, nefas erat. Vidua marito, orba duobus liberis (nam hi quoq; vita exuti sunt) quò se verteret, nesciebat. Suboluit Sagaci Pontifici, vincula & carceres quoque imminere miseræ, ideoque raptim convasare jussit: tum vero navi cum familiaribus imposuit: Regi Cantiæ Eadbaldo, amantissimo fratri, commisit.

S. Honorius Roffensem Episcopa. tum gubernat.

S. Honorius Archiepiscopus Cantuariensis cum nollet S. Paulinū Northumbrorū gladiis obiicere, præsertim cum operâ perditurus esset, illuc si rediret, Roffensem Episcopatum in Cantia situ tantisper administrare exulē imperavit, donec tempus insolitos regni motus compressisset. Virum gnavum cura Roffensium animarum tenuit, atq; haud paulo major Eboracensium, quibus ad rectam vitæ normam dirigendis, Iacobum quemdam, virum egregium, præfecit, usq; dum positis odiis discussaq; tempestate reverti sibi liceret. Partes hic suas desiderari minimè passus, rem Christianam à S. Paulino illatam, non modo stabilivit, sed insuper mirifice auxit, laboribus cum annis usq; ad Regis Osvvaldi ætatē extractis, quo jura dante, meliorem mox faciē induit regnum. Sensere incolæ, post pœnas à Numine sumptas beneficio se majore affici, dato Rege sapiētia Catholicaq; fide juxta clarissimo.

S. Paulinus diem obit.

Intera S. Paulinus inter curas, vigilias, labores, senectutem terens, spe in Northumbriam redeundi frustratus, in Cantia animam edidit: cœlum petivit. Quamvis autem anno sexcentesimo quadragesimo quarto sit mortuus, volui tamen eodem ipsum funere cum rege Edvvino ducere, cui vivus arctissima amicitia junctus erat. Ossa Sanctissimi Archiepiscopi templum Cathedrale, ab Edelberto Cātiæ Rege D. Andræ in Roffensi urbe dicatū, excepit, cui postmodū Itamar successit, ea de gente nàtus. Nā Gregorii Magni discipuli paulatim ad superos abivere

An. Christi 634. An. S. Benedicti 154.

Caput I.

Northumbriæ mutat Deos, SS. Aidano Archiepiscopo & Osvvaldo facem ad Deum verum præferentibus.

Beda l. 3. c. 1 Hist. Anglic.

Edvvino Regi longe optimo fatis defuncto manus sceptro admovere Eanfrid' Osfridus, sanguine illi quam fide atq; moribus conjunctiores. Etsi enim Christo nomen ante id dederint, postea tamen sus deq; tam fidē, quā sacrū lavacrū habentes, idola de statione quondam dejecta, reposuerūt: una cū subditis pessum iuerunt. Qualis fluvius, tales pisces. Sed novæ tyrannidi ac idololatriæ brevi, benignus Deus cecinit receptui, immisso Zodoalla, Bretonum Rege, à quo ad ultima sunt acti, interfectique. Improbis ergo Regibus è medio sublatis, jugum à regni collo hunc in modum rejectū est. Osvvaldus Edvvini ex fratre nepos, cum rem publicam domi eversam cerneret, Regulis Anglosaxonibus omnia bello miscētib' fuga se abstulit: vicinorum Scotiæ Regum fidem imploravit.

Iam altas pridem radices in Scotia egerat Evangelium: Catholicis ab ipso S. Columba institutis nihil erat firmius, qui passim Monasteria, veluti rectæ fidei munimenta, erexerat. Pollebat S. Osvvaldus singulari prudentia, nec quicquam ante integritatem vitæ habebat. Imbutus nostrarum legum capitibus, regium verticem præbuit lustrandum præbuit. Interea aures terebant certi homines, afflictas res Northumbriæ nunciantes, ut tandem animum induxerit exul, alienam opem poscere. Donavvaldum Scotiæ Regem & hospitis sui Osvvaldi, & regni Northumbriæ, quod duorum principum levitas pessum dederat, misertum est. Statuit igitur utrisque ferre suppetias. Habentur delectus: capiuntur arma: auspice Deo, duce Osvvaldo, inferuntur signa: funduntur hostes; corona sceptroque potitur Osvvaldus. Victoria Numini in acceptis relata. Vbi enim ventum est ad manus, crux cœlo stare, atque Catholicos animare visa, nec ullo sub ligno alias fortius pugnatum est. Ne vero anni abolerent beneficium, Rex eodem loco defixit crucem, imposuitq; nomē Campi cœlestis: nec jam aliud habuit antiquius, quā ut subditi, vel apostatiæ vel idololatriæ rei, explarentur: Ecclesiæ vindicarentur.

Osvvaldus Northumbriam in potestatem redigit.

Hector Boet. l. 9. hist. Scot.

Beda l. 3. c. 2.

Positis armis, legionibusque dimissis, legatum ad Scotiæ Regem expedivit, rogatum verbi Dei sacros præcones. Petitionis compos factus est, atque Cormanno, viro docto juxtaque gravi, provincia commissa. Itur ergo à Cormanno: pervenitur: sudatur. At ubi se in arena sementem facere intellexit, non mora, solum vertit: Scotiam repetivit: tū Regi auctor fuit, exueret Northūbrorū curā: silice natos homines, quos apud nemo non operâ perditurus esset. Institit tamē Osvvaldus, neq; urgere Scotū desiit, donec is coacto concilio duris ac cuidis vicinis medicinā fecit. Euntib' in orbē sententiis atq; suffragiis, S. Aidanus Huensis Monach', jux-

aque Scotensis Episcopus, tam virtute quam eruditione clarus, negavit pedem è Northumbria referendum esse, sed potius vadum iterum tentandum, nec uno ictu cadere quercum: igitur auspicia de integro repetenda. Suavitate, patientia, blandimentis, affabilitate, plura hîc confici, quam morosa severitate. Tum ad Coromannum conversus, *videtur mihi frater*, inquit, *quia durior justo indoctis auditoribus fuisti, & non eis juxta Apostolicam disciplinam primo lac doctrinæ mollioris porrexisti, donec paulatim enutriti verbo Dei, ad capienda perfectiora, & ad facienda sublimiora Dei præcepta sufficerent.* His dictis perculsus Rex simulque Patres, mox ipsum hoc munus obire jusserunt, quod discretione, quæ omnium virtutum mater est, præpolleret.

Suscepta provincia Aidanus Monachos paucos è Monasterio suo Huensi illico sibi adscivit, gravissimos labores nihili ducens præ salute animarum. Ingressus regnum à Deo aversum, à Rege alienum, tempore non longo ad sanam mentem incolas reduxit, quod fronte exporrecta, oratione blanda, illos cum sociis adiisset: captu facilia primis congressibus docuisset. Sed omne tulit punctum, quod Sancta verba simillima vita prosequeretur: unde Beda defixus admiratione, præter honorem opt. Max. Numinis, nihil ei curæ fuisse, indicat. Quicquid preciosi dono acceperat in vacuas pauperum manus effundebat: horas ad orandum statas habebat, quo etiam suos vernas trahebat. A Rege ad mensam adhibitus, mappulam ante fercula penitus illata componere, seque proripere cum famulis consueverat, ne tempus quod lectioni aut precibus deberetur, prandendo contereret. Diebus Mercurii, veneris, Sabathi, à cibo omnino abstinebat. Quamvis autem imæ sortis turbam summa comitate acciperet, in magnates tamen ac opulentos, posthabito eorum favore gravius, cum opus esset, invehebatur. Pecunias nunquam diu apud se hærere passus est, sed pauperibus dividebant, qui ad ipsum tanquam ad sacram anchoram confugiebant: quod si nemo amplius esset, qui stipem posceret, æs in captivorum lytrum vertebat. Multos quoque aluit, quibus disciplina Ecclesiastica excultis, olim sacerdotibus uteretur. His artibus non satis laudandis & Scotiam & Northumbriam ita demeruit traxitque ut nulla jam ædes sacra multitudinem caperet, in qua ipse de loco superiore verba erat facturus. Quopropter sæpe spacium aperto campo concioni habendæ capiendum fuit.

Beda l. 3.

Mavult esurire quam cœnare.

Ægrè autem Aidano fecit, quod excito sedibus suis magna mole populo, minus quam vellet satisfacere posset, linguæ Anglicæ non satis gnarus. Ergo divino operi se immiscuit Osvvaldus, interpretis munus gnaviter fungendo, tantumque doctrina unius, submissio ac fervor alterius, Sanctimonia utriusque potuit, ut ad nutum eorum se compararent auditores. Haud exiguum horum argumentum sit, quod septem dierum intervallo quindecim millia lustrata sint. Nec jam inter Christianos tantum, sed etiam inter Monachos & Eremitas incolæ profiteri cœperunt nomen suum, hoc piorum hominum genere aliunde quoque confluente, quod Episcopi & Regis claritatem ac liberalitatem fama ubique vulgasset. Attonitus venerabilem Bedam audi: Fertur quod tempore quodam cum die Sancto Paschæ cum præfato Episcopo (Aidano) consedisset ad prandium, positusque esset in mensa coram eo discus argenteus regalibus epulis refertus, etiam jamque essent manus ad benedicendum panem missuri, intravit subito minister ipsius, cui suscipiendorum inopum cura delegata, & indicavit Regi, quia multitudo pauperum undecunque adveniens maxima per plateas sederet, postulans aliquid eleemosynæ à Rege. Qui mox dapes sibimet appositas pauperibus deferri, & discum confringi, atque eisdem minutatim dividi præcepit. Quo viso Pontifex qui assidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit dexteram ejus, & ait, nunquam inveterascat hæc manus. Quod & juxta votum benedictionis ejus provenit. Nam cum interfecto illo in pugna, manus cum brachio à cætero essent corpore resecatæ, contigit ut hactenus incorruptæ perdurent. Denique in urbe regia, quæ à Regina quondam vocabulo Bebba cognominatur loculo inclusæ argenteo in Ecclesia S. Petri servatur, ac digno è cunctis honore venerantur.

S. Osvvaldus concionanti Aidano operam & verba locat.

Hector Boeth. l. 9. Iohan. Leslæus an. à 2. in Bosvaldo.

Beda l. 3. c. 6

Liberalem S. Osvvaldi dexteram mors corrumpere non potest.

Neque Rex mendicabula tantum stipe opima explevit, sed in homines sacros æque liberalis fuit: templa Monasteria, ædificavit: locupletavit. Animadvertit sapientissimum virum è re fore, si alicubi Ecclesiam statueret cathedralem ac Monasterium, quo etiam impellebat S. Aidanus. Ergo locus capitur in Lindisfarnensi insula, omnibus scriptoribus pertalebrata, quod in seminarium Episcoporum multorumque Sanctorum plantarium evaserit. Scotiam inter & Angliam supina jacet, solitudini adeoque secessui aptissima. Peninsulam rectius appellaveris, continenti enim, qua aditur, adhæret; quamvis hæc etiam pars

Idem Rex Monaster. in Lindisfarnensi insula condit.

Pol. virg. l. 4.

dum æstu citatur mare (citatur autem bis quotidie) duodecim horis condatur undis. Arrisit locus S. Aidano, à quo ita scite ad temporis spacia cum Deo hominibusque dividenda invitaretur. Nunc enim à mari obsessus, Numini se dabat; cedente æstu quasi soluta obsidione liber iterum, erumpebat, ad munus Archiepiscopi per provinciam obeundum. Hæc vestigia quam plurimi successorum presserunt, Cœlitibus postmodum inserti. Idem fecere Monachi, qui Ecclesiam Cathedralem ibi curabant, vitam ad D. Benedicti normam composita, quæ multos in annos sarta tectaque duravit.

E Monasterio Hues colonia Lindisfarnium ducta.

Primi coloni è S. Columbæ Monasterio Hues (quod scotia nō immerito jactaverit) à S. Aidano huc deducti sunt, quibus se labentibus annis Northumbri addiderunt. Inde pulcherrimum virtutis & monasticæ disciplinæ certamen ab utraque natione initum. Quamvis autem non late se diffundat hæc insula, Episcopum tamen & Monachorum ingentem numerum aluit, quod etiam Venerabilem Bedam conjecit in admirationem.

Beda in vita S. Cuthberti, c. 61.

Sed ex usu tuo est, audire Bedam ipsum. *Nec aliquis miretur, quod in eadem insula Lindisfarnea, cum permodica sit, & supra Episcopi, & nunc Abbatis, & Monachorum esse locum dixerimus: revera enim ita est. Namque una eademque servorum Dei habitatio utrosque simul tenet; immo omnes Monachos tenet. Aidanus quippe, qui primus ejusdem loci Episcopus fuit, Monachus erat, & Monachicam cum suis omnibus vitam semper agere solebat. Unde ab illo omnes loci ipsius Antistites usque hodie sic Episcopale exercent officium, ut regente Monasterium Abbate quem ipse cum consilio fratrum elegerit, omnes presbyteri, diaconi, cantores, lectores, cæterique gradus Ecclesiastici, Monasticam cum ipso Episcopo regulam servent: quam vivendi normam multum se diligere, probavit Beatus Papa Gregorius.*

Hæc Bedā, vivendo eos assequutus, qui Cuthberto familiariter sunt usi. Itaque dubium illis exemptum putamus, qui animi pendebant, num aliquando Monachi in Anglia Canonicorum opus fecissent per Ecclesias Cathedrales.

Publica privataque cathedralis hujus Ecclesiæ officia obire Monachi.

Monachos autem Ecclesiæ Lindisfornensis fuisse Ordinis S. Benedicti, sub annum quingentesimum sexagesimū quintum ostendimus, dum illustre Monasterium insulæ Hues, à Sancto Columba conditum, D. Benedicto asservimus: cujus Patriarchæ Regula certe tunc ibi culta fuit, quando Sanctus Aidanus inde se movit. In medium prodeat Lesleus Episcopus Roffensis cum Sigenio Abbate: *Has ætate*, inquit, *ad Benedictinum Monasterium in Huensi insula clavum sedit Abbas, qui omnia Monachorum instituta, ad Benedicti Regulam diligentissime exigebat.*

Lesleus an. 646.

Lesleum denuo adduximus, ut obliviosis refricaremus memoriam, Monachos in Anglia omnes hoc ætatis Regulam S. Benedicti professos esse, quod olim nemo mortalium in dubium vocavit. Deinde quis non majorem habeat fidem iis, qui suæ gentis historiam cōdunt, quam externis? Hi enim res eminus vident: illi non tantum oculis, sed probe manibus attingunt cominus: archivorum chartas in manu habent. Cum igitur Lesleus gente Scotus, Ordini nostro nullo Sacramento devinctus (ne suspiceris aliquid gratiæ ab ipso datum) sub hoc tempus Regulam Sancti Benedicti in insula Hues Monachis jus dixisse affirmet, certe gravissimo testi, ac patriæ gnaro credendum est. Illud quoque à vero abesse non potest, Sanctum Aidanum cum sociis, in Huensi Monasterio eductis, eandem in Cathedrale Monasterium Lindisfarnense introduxisse.

Quibus nihil erat Sanctius.

Porrò hîc loci virtus ac disciplina Monastica plene sedem posuisse accolis visæ sunt. Primas sibi partes vindicabant divina officia, magna majestate obiri solita. Proximas, contemplatio, vigiles noctes, jejunia, continuatæ preces. Inde per Monachos religiosissimos toti regno Northumbriæ fides ac salus parta. De multitudine plerumque non certius indicium capimus, quam ab eo, qui clavum tenet. Quid verbis opus est! à capite putrescit piscis, & Regis ad exemplum componuntur subditi. Antistites autem hujus Cathedralis Monasterii cum viri fuerint integerrimi, ex omni parte beati, sua innocentia etiam subditos imbuerunt. Id vero Sanctus Aidanus fundaverat, post quem cathedra Episcopalis Sanctum Finanum, inde Sanctum Colomannū excepit. Fas sit denuo verba facere Lesleum. *Illis temporibus*, inquit, *Scotia S. Finanum & S. Colomannum episcopos educavit, duo Religionis lumina, qui imprimis vestigia Sancti Benedicti sequendo, adhibitoque studio & diligentia omnium virtutum splendorem sibi compararunt. Ad horum in cibis temperantiam, vestium contemptum, in gravissimis negotiis explicandis ad Remp. pertinentibus, prudentiam, multi hujus temporis Ecclesiastici aspirarunt, sed pauci assequuti sunt.*

Lesleus an. 664.

illis Sanctis è Scotia oriundis, in Monasterio Hues qualibet virtute excultis, SS. Catto, Iohannes, Cuthbertus & Edilvvaldus in sedem Lindisfarnensem successerunt, qui cum anachoretis, ipsorum è societate in deserta dilapsis, ingentem calamo materiam obiiciunt. Nam hoc Monasterium veteri more perfectos Monachos in Eremos dimisit: alios, qui cœtui quoque Monachorum eximi cupiebant, domi reclusit. Ipsi quoque Episcopi non raro secedebant, & contemplationi aliquot dies vindicabant, ne obiter seu de mantica, sed considerate atque ex pectore effunderent conciones. Talia tamen, quæ mundum hodie rapiunt in admirationem, cum olim usu vulgata fuerint, sæpeque occurrant, præsertim volenti Bedam, in præsens missa faciamus, nec non Lindisfarnensi Asceterio describendo finem imponamus, quando longæ historiæ compendium est, insulam *Holillond* id est, *Sanctam terram aut provinciam* Anglis dictam fuisse, quasi nulla haberet vitia. Igitur Sanctum Aidanum ædificandæ casæ intentum, nec non S. Osvvaldum gnaviter auxilium ferentem, relinquamus: quid vero alibi locorum agatur, oculis non lippis dispiciamus.

An. Christi 635. | An. S. Benedicti 155

Saxones Occidentales lucem Evangelicam capiunt, Sancto Birino Dorcestriensi Episcopo, facem præferente.

Beda l. 3. c. 7. Sur 3 Decemb. Polyd. Vir. l. 4. Trithem. l. 4. c. 140.

S. Birinus Anglosaxones occidentales adit, jussu Honorii PP.

DVm Sanctissimus Præsul Aidanus, Northumbris, seu Anglis Septentrionalibus, verba serit ecce faditus ad Anglos seu Saxones Occidentales subito patet. Angliam autem universam in multa parva regna fuisse divisam, supra admonuimus. His commemorandis denuo, supersedemus, ne tibi nauseam moveamus. Annis superioribus Cantiam, Northumbriam, & Saxones Orientales (quorum caput Londinum) ad Ecclesiam Sanctus Mellitus adduxit: hoc anno Anglosaxones Occidentales excolere Sanctus Birinus Monachus Italus, instituit.

Quicquid hodie Episcopatus Batoniensis, VVelensis, Salisberiensis, & Exoniensis includunt, ad regnum occidentale Anglorum spectabat. Anglia autem in septem regna, quondam distincta, paulatim ab hac parte occidentali subacta, & quasi hausta fuit, inde regnum conditum hodiernum. Saxonibus tunc Occidentalibus cum imperio præerat Cinigilsus, consilio manuque juxta promptus, nec non Sancto Birino, Monacho Romano, terque quaterque felix.

Hanc insulam, spissis tenebris passim sepultam, illustrare, tum vero Ecclesiæ asserere, suum opus esse crediderunt Pontifices, exemplo D. Gregorii incitati, cujus in hanc gentem singularis amor etiamnum spirabat: emolumentaque ingentia (ejus discipulis debita) oculis se offerebant. Post longam culturam alicubi tamen inculta jacebat, quod superaret multitudo improbum laborem colonorum. Forte Pontificatum gerebat Honorius, qui Catholicorum rogatu suppetias misit, duce Sancto Birino Monacho tam litteris quam prudentia Romæ percelebrato. Hic expedito agmine Genuam tendens (ita ratio itineris ferebat) jussu Pontificis ab Asterio vrbis præsule ad insulam Episcopalem est auctoratus.

Mare, ceu terram firmam, pedibus terit.

Si animum advertis, Optimo Max. Numine sic usus est, ut novos Apostolos, regni vel provinciæ alicujus conversionem meditantes in primo limine incolis late commendet à miraculis. Parta in hunc modum benevolentia, pronas illi ut plurimum dant aures. Poterat dicere Sanctus Birinus id, quod Iulius Cæsar jactavit: *veni, vidi, vici*, adeo facili manu ad Deum adduxit idolis litantes. Sed miraculo ab uno disce plura. Postquam portum Britanniæ subjens, in terram se cum sociis ejecit, opere subitario excitavit aram: missale, calicem, aliaq; exposuit: rem divinam fecit: Catholicis sacrum ferculum præbuit, ne animi vires deficerent plus ultra profecturos. Nitebat cœlum: nihil turbabant venti: sed instabant nautæ, ut Monachi navim repeterent sine mora ventis tam secundis. Repetitur ergo navis: laxantur vela: solvitur è portu. Quid fit? Forte divinum mysteriem fefellit, corporalia (uti appellant) se in littore reliquisse, à summo Pontifice dono accepta, quæ cum condiris intus aliquot sacris hostijs semper in sinu ferre solebat.

Auctor vitæ S. Birini.

Inter navigandum venit in mentem admissa (ita is interpretabatur) negligentia: ergo ingemiscit: quiritatur, ringitur. Negantibus nautis vela se retro daturos, impulsu divini spiritus, mari se credit: ad littus curriculo contendit: res relictas tollit: ad navigium se refert: tam siccus pervenit, quam si terra iter fecisset, quod non immerito pro miraculo

altero

altero habitum est. Adhæc, dum Sanctus Birinus ivit ac rediit, immobilis stetit navis, ut si anchoris defixisses, nequicquam indignantibus ventis se velis incumbendo summis viribus, nihil promovere: cujus gratia gubernatorem vectores, remiges, ingens incessit stupor, ut attoniti hæsitarent & vix sui compotes lumina solicite in pontificem deflecterent. Quidam insuper in genua provoluti, pro Deo adorarunt. Visus occasione vir Apostolicus, causam susceptæ expeditionis exponere, fidei fundamenta jacere; simul adorantes in vestigia erigere, & grandi errore liberare.

Navim figit.

Porro nova lex, à Servatore nostro lata, cum à ratione ac naturæ lege plane proficiscatur, miraculis viam aperientibus facile provehitur. Vnde non pauci vectorũ Christo nomina dederunt: cæteri inaudita prodigia cupide per insulam vulgãrunt. Non mora, urbes & pagi effundi: ad Præsulem gregatim confluere: novo oculos spectaculo aures verbis inauditis pascere, cœperat. Tribus miraculis superioribus accessit quartum, Numine viam ad sacrum fontem per compendium expediente. Fæminam annosam oculis simulque auribus cassam, pio patri obtulere. Nihil hic cunctatus, crucem oculis & auribus inscripsit: illa mox vidit audivitque; quo facto concussi insulani ad lustrales undas jam ultro ruebant, idololatria una cum idolis male fultis cadente.

Hinc insulæ innotescit.

Lucem instruit oculos cæcos.

Postquam nova hæc palatio intulit fama, accersitus Sanctus Birinus advolavit: Evangelica lege Regem, proceres, summos infirmosque imbuit: sat superque edoctos, salutaribus aquis abluit, S. Osvvaldo Northumbriæ Rege Cinegilsum fonti admovente. Ambiebat ille nuptias filiæ Cinegilsi, quas tanto vehementius ardebat, quod nullum fidei discrimen subiturus esset, sponsa à Sancto Birino lustrata. Quantam gratiam ab utroque Regum inierit, incredibile dictu est, cui Dorcestria, nobilis urbs, assignata fuit, ubi sedem Episcopalem poneret ac Monasterium, aptandis armis adversus tartarum officinam. Ecclesiam ibi ædificavit, inquit auctor vitæ ipsius, atque in ea Cœnobium Canonicorum Regularium ædificavit.

Sedem collocat Dorcestriæ, Canonicorum opere Monachis permisso.

Iar. 3. Decemb.

Cum Monasterium Cantuariense describeremus, intento per multa exempla digito, monstravimus, Canonicorum Regularium appellationem promiscue impositam fuisse ijs, qui officia divina in Ecclesiis Cathedralibus fungerentur, non habita ratione Augustiniani an Benedictini forent, & proximum testimonium Ecclesiæ Lindisfarnensis omittamus. Idem hic factum, tibi persuasum sit. Cur enim solus iste locus abusu ac more abivisset? Sin autem est, ut quid hominis Birinus fuerit, dubites, Trithemium ante alios, vel post alios, consule, qui illustribus eum viris Ordinis D. Benedicti hisce verbis inserit *Birinus Monachus in urbe Roma propter excellentiam doctrinæ & Sanctitatis, ab Honorio Papa Episcopus ordinatur: mittitur in Britanniam, ubi regem cum magna populi multitudine ad fidem Christi convertit, quem Sanctus Osvvaldus Rex Nordanymbrorum de sacro fonte levavit. Qui duo Reges eidem Birino civitatem quæ vocatur Dorcic, donaverunt, ad faciendam inibi sedem Episcopalem.* Non igitur vero simile est, ascitas illum in Dorcestrense Monasterium introduxisse, qui alteri Regulæ, quam S.P.N. Benedicti, quamque ipse professus fuerat, parerent. Accedit, eundem auctorem hoc quoque litteris consignasse, elapsis quadringentis quinquaginta amplius annis, sub Rege Gulielmo Ecclesiam Cathedralem Dorcestria Lincolniam translatam fuisse, Alexandrum vero Canonicos Regulares Dorcestriæ imposuisse. Facile patiar ut credas, hos Canonicos Regulares ad D. Augustinũ pertinuisse. Nam si superioribus quadringentis quinquaginta annis jam ibi coluissent, non fuisset cur Alexander tanquam novos incolas eos introduxisset. Quocirca pro certo habeo, vitam communem quam hoc in Episcopatu & Monasterio novo Canonici degebant, ad normam aliorum insulæ Episcopatuum, id est, ad Regulam D. Benedicti à Sancto Birino institutam fuisse. Igitur vitam hic Regularem ipse duxit: idola per totum regnum stravit humi: Catholicæ fidei tam alta jecit fundamenta, ut non alibi firmius steterit in Anglia, quam universam Cinegilsi successores tandem in potestatem redegerunt.

Incolæ Dorcestrenses fuere Monachi Benedictini.

Trith. de viris ill. l. 4. c. 140.

Fundatum est hoc Monasterium labente anno sexcentesimo tricesimo quinto, quæ res mihi aurem vellicavit, ut S. Birini acta hic referrem.

Tempore viribusque docendo, confirmando, muniendo, dure vivendo, exactis, præmii securus rrr. Non. Decembris ad superos abvivit, quem Anglia præcipuis suis Apostolis adnumerat. Demortuo Birino oculi in Sanctum Agilbertum, Monachum ex Hibernia venientem, conversi, quem postea etiam Lutetia habuit Episcopum. Dorcestriæ ex aliorum Præsulum more sepultus est; inde Ventam translatus. At cives Dorcestrenses in-

Martyrol. 3. Decemb. S. Birinus moritur.

Beda l. 3. c. 7.

inficias eunt & sacris ipsius ossibus glorientur, quicquid obiiciant Ventonienses. Sed cum historiæ nostræ non multum intersit, litem sub judice relinquimus, nec non ad Anglos Orientales visimus.

An. Christi 636. An. S. Benedicti 156.

Caput I.

Rex Sigebertus mundo se eripit, ac Christo dedicat. Academiam Cantabrigiensem aperit.

Bonus Deus Angliam respicit.

Res Angliæ hoc tempore melius quotidie, atque melius habere cœperunt, præsertim qua illa Orientem spectat, quæ tum Nordoviensem Episcopatum & Eliensem, nec non Folkiam, Northfolkiam, Suth, & Cantabrigiam suo quasi sinu coercebat. Etsi vero passim Christiani sub Redualdo fuerint sparsi, postquam hic tamen à fide defecit, alii simul retro relapsi animum desponderunt ita vero ut facili manu reduci potuissent. Spes à Eorpvvaldo filio erat, consiliis etiam Regis Edvvini ad Ecclesiam perducto, nisi mors propera intercepisset. Hisce annis Sigebertus, Sanctitatis fama inclytus sceptra tenebat, cujus opera tam bonæ litteræ, quam res Catholica magnos progressus faciebat, quod etiam per reliquum Europæ factum. Sed à teneris hujus Regis annos repetamus.

Sigebertus in Galliam se amovet, metu Redualdi.

Averso à Sigeberto animo erat Redualdus idqua manifeste, ut eum juvenis odium cepisse, nemo dubitaret. Quod ut suboluit Sigeberto, in Gallias adornare fugam instituit, domi, adeoque in Anglia, omnium ope destitutus, quod Redualdus late terrorem sui intulisset, animadversus scilicet in eum, qui bene fecisset Sigeberto. Bona hic indole præditus erat, bonisque moribus. Fidem igitur Christianam edoctus à Gallis, facile manum dedit: salutares undas prono capite excepit, nec ante domum postliminio concessit, quam Redualdus cum filio suo Eorpvvaldo vitam posuissent.

Redux rem Christianã pridem collapsam restituit.

Polydorus l. 4.

Vtroque fatis sublato, Angli Orientales Sigebertum è Gallia evocatum crearunt Regem, magno totius Regni bono. Nihil enim potius habuit, quam ut Christianam fidem ac disciplinam, in Gallia à se haustam, in patriam transferret. Viros secum traxerat litteris eximios, virtute præclaros, quos inter Felix quidam, gente Burgundus, lingua Anglicana promptus, rebus maximis gerendis aptus eminebat, qui jam pridem discipulis D. Gregorii Magni suam operam in regno Cantiæ affirmarat. Quocirca dictus Episcopus est, quo in gradu positus, cum idolis pedem contulit: dejecit: templa Monasteriaque erexit; fidem Catholicam, jam olim ab incolis delibatam, stabilivit.

Academiã Cantabrigiæ aperit.

Opus etiam aliud insigne Rex iste patravit, cum ipsius summa laude æternaturum: Sparsis per regnum scholis, in quibus rudes animi excolerentur, Cantabrigiæ nobilissimæ Vniversitati jecit fundamenta, quam non injuria alteras Athenas appellaveris.

Polyd. l. 4.

Virgilius Polydorus tempore non multo doctissimos inde mortales prodiisse refert, omnibus bonis artibus mirifice ibidem florentibus; nec postea unquã in Anglia litteratorum penuria fuisse laboratũ. Magnas proinde gratias deberi Sigeberto primo hujus Academiæ conditori, auctore Felice.

Cum circumlatis per regnum oculis, fidem Christianam altas fixisse radices videret: Ecclesiæ ministros eruditos atque sedulos non modo sufficere suo regno, sed cum tam bonis mercibus etiam traiicere in Galliam: præter Cantabrigiensem etiam sua opera stare vniversitates Pariensem ac Papiẽsem (has enim duas Polydorus ipsi quoq; in acceptis fert:) dici non potest quantã ceperit animo lætitiam. Sceptrum ita temperavit, ut nemo acceperit injuriam. Quid postea? Tantum Rex ille regni cœlestis amator factus, est *inquit Beda*, ut ad ultimum relictis regni negotiis, & cognato suo Ecgrico commendatis intraret Monasterium quod sibi fecerat, atq; accepta tonsura, pro æterno magis regno militare curaret. Quod dum multo tempore faceret, contigit gentem Merciorum (*mediam insulam insidebant ubi hodie Lincolnienses, Coventrensis, Lichfeldensis & VVigorniensis Episcopatus*) duce Rege penda, adversus Orientales Anglos in bellum procedere. Qui dum se inferiores in bello hostibus conspicerent, rogaverunt Sigebertum ad confirmandum militem secum venire in prælium. Illo nolente ac contradicente, invitum de Monasterio eruentes, duxerunt in certamen, sperantes minus animos militum trepidare, minus præsente duce, quondam strenuissimo, posse de fuga meditari Sed ipse professionis suæ non immemor, dum opimo esset vallatus exercitu, non nisi virgam tamen in manu habere voluit: occisusque est una cum Rege Ecgrico, & cunctus eorum, insistentibus paganis,

Beda l. 3. c. 18. Fit Monachus.

Cadit in acie.

cæsus

cæsus sive dispersus exercitus. Anglia eum pro Martyre habet colitque.

CAPVT II.

S. Osvvaldus diem obit. S. Aidanus effertur, & laudatur.

QVantum fides & opes Northumbriæ sumpserint incrementum, agitante Aidano Pontifice, & Osvvaldo Rege, affatim supra narravimus, veremurque ut satias te teneat. Hoc solum addimus, multas provincias in Osvvaldi venisse potestatem absque sanguine: insuper, cum Britonibus, Pictis, Scotis, pletisque Anglis eidem amicitiam intercessisse. Famam, principis & regnum auxit Deus, quod injurias illatas nunquam reposuerit (hoc in magnis magni æstimandum est:) quod clemens in subditos: liberalis in egenos, fuerit. Quin etiam ægrotos ipse adire: blandis dictis erigere: captivos vinculis eximere: viduarum & pupillorum tutelam singularem gerere: jus, fas, curæ habere imprimis consueverat, dignus à quo cæteri Reges ducant exemplum. Vltimo necem ei Penda tulit, impius Rex Merciorum, fatalis hostis Christianorum.

Osvvaldus, optimus princeps:

Sine nos, obsecro, Bedam verba facientem adducere: Regnavit Osvvaldus Rex Christianissimus Nordanhumbrorum novem annos, annumerato etiam illo anno, quem & feralis impietas Regis Britonum, & apostasia demens Regum Anglorum, detestabilem fecerat. Siquidem uno animo omnium consensu firmatum est, ut nomen & memoria apostatarum de Catalogo Regum Christianorum prorsus aboleri deberet. Quo completo annorum curriculo occisus est, commisso gravi prælio ab eadem gente pagana, paganoque Rege Merciorum, à quo & prædecessor ejus Edvvinus peremptus fuerat, anno ætatis suæ trigesimo octavo, die 5. mensis Augusti. In loco ubi interfectus est, usque hodie sanitates infirmorum, & hominum & pecorum, celebrari non desinunt. Vnde contigit ut pulverem ipsum, ubi corpus ejus in terram corruit, multi auferentes, & in aquam mittentes, suis per hoc infirmis multum commodi afferrent. Qui mos adeo increbuit, ut paulatim ablata exinde terra, fossam ad mensuram staturæ virilis altam reddiderit. Miracula post cædem ab ipso patrata idem Beda narrat.

Beda c. 9.

A Penda Merciorum Rege occisus.

S. Osvvaldo in regnum successit Osuuin, frater, triginta annorum juvenis; cui se socium adjunxerat Osrici filius (huic Osvini nomen erat:) quasi regnum caperet duos. Istum tamen illi Virtus ipsa prætulit. Fronti inerat majestas: ori affabilitas: toti corpori grata compositio & urbanitas: quibus accessit liberalitas erga omnes. Oderat enim gravissime avaros quibus dentem facilius evellas, quam teruntium è marsupio. Vnde nemini non carus fuit.

Osvinus Rex Ecclesiasticos veneratur.

Erga Ecclesiasticos usque ad miraculum se submisse gerebat. Specimen verbis Bedæ damus. Donaverat equum optimum Antistiti Aidano, in quo ille quamvis ambulare solitus, vel amnium fluenta transire, vel si alia quælibet necessitas insisteret, viam peragere posset, cui cum parvo interjecto tempore pauper quidam occurreret, eleemosynam petens, desiliens ille, præcepit equum ita ut erat stratus regaliter, pauperi dari. Erat enim multum misericors, & cultor pauperum, ac velut pater miserorum. Hoc cum Regi esset relatum, dicebat Episcopo cum forte ingressuri essent ad prandium: quid voluisti, Domine Antistes, equum regium, quem te conveniebat proprium habere, pauperi dare?

Beda l. 3. c. 14.

Numquid non habuimus equos viliores plurimos, & alias species, quæ ad pauperum dona sufficerent, quamvis illum eis equum non dares, quem tibi specialiter possidendum elegi? Cui statim Episcopus, quid loqueris, inquit, Rex? num tibi charior est ille filius equæ, quam filius Dei? Quibus dictis intrabant ad prandendum, & Episcopus quidem residebat in loco suo. Porrò, Rex venerat de venatu, & cœpit consistens ad focum calefieri cum ministris.

Et repente inter calefaciendum recordans verbum, quod dixerat illi Antistes discinxit se gladio suo, & dedit illum ministro, festinusque accedens ante pedes Episcopi corruit, postulans ut sibi placatus esset, quia nunquam, inquit, deinceps aliquid loquar de hoc, aut judicabo quid vel quantum de pecunia nostra filiis Dei tribuas. Quod videns Episcopus, multum pertimuit, ac statim exurgens levavit eum, promittens se multum esse illi placatum, dum ille residens ad epulas, tristitiam deponeret. Dumque Rex jubente ac postulante Episcopo lætitiam reciperet, cœpit contra Episcopus tristis usque ad lachrymarum profusionem effici. Quem dum presbyter suus lingua patria, quam Rex & domestici ejus non noverant, quare lachry-

S Aidanus [illegible] natur [illegible] vi moriturum.

maretur interrogasset, scio, inquit, quod non multo tempore victurus est Rex. Nunquam enim vidi ante hac humilem Regem.

Vnde animadverto citius illum ex hac vita rapiendum. Non enim digna est gens, talem habere rectorem. Nec multo post dira Antistitis præsagia tristi Regis funere impleta sunt Fatiscente enim concordia, ultima consilia sunt capta. Sed Bedam narrantem a udiamus.

Habuit Osvvin primis regni sui temporibus consortem regiæ dignitatis, vocabulo Osvini, de stirpe Regis Edvini, hoc est, filium Osrici, virum eximiæ pietatis, qui provinciæ.

Deirorum septem annis præfuit. Sed nec eum eo ille, qui cæteram transhumbranæ gentis partem ab Aquilone regebat, habere pacem potuit; quin potius ingravescentibus caussis dissensionum, miserrima hunc cæde peremit. Siquidem congregato invicem exercitu, cum videret se Osvinus cum illo, qui plures habebat auxiliarios, non posse bello confligere, ratus est utilius tunc dimissa intentione bellandi, servari se ad tempora meliora.

Remisit ergo exercitum, divertitque ipse cum uno tantum milite suo fidelissimo, celandus in domo Comitis Hunualdi, quem etiam sibi ipsum amicissimum autumabat. Sed longe erat aliter. Nam ab eodem Comite proditum eum, Osvvin cum præfato ipsius milite per præfectum suum Edilvinum detestanda omnibus morte interfecit.

Ab amico proditur, & occiditur.

Sed nunc funus B. Aidani prosequamur. Laboribus, vigiliis, jejunio, ipsa etiam ætate exhaustus, ægre jam corpus senile trahebat. Audita Osvini cæde, duodecimo post die (nimirum pridie Kal. Septembrium) vitam cum morte commutavit, inque publicas Beatorum tabulas relatus est.

Insulam Lindisfarnensem, quam is sexdecim annos tulit, Sancto Finano gente Scoto, Monacho Huensi, imposuerunt. Quam bono Aidanus loco apud Deum fuerit, miracula docuere, à Beda abunde litteris consignata.

Beda l. 3. c. 15. 16. 17.

Presbyter quidam, inquit, nomine Vtta, multæ gravitatis ac veritatis vir, cum mitteretur Cantiam, ad adducendam conjugem Regi Osvin, filiam videlicet Edvini Regis Eanfledam, quæ occiso patre illuc fuerat adducta, qui terrestri quidem itinere illo venire, sed navigio cum virgine redire disponebat. Accessit ad Episcopum Aidanum, obsecrans eum pro se suisque qui tantum iter erant aggressuri, domino supplicare. Qui benedicens illis ac domino Commendens, dedit etiam oleum Sanctificatum, scio, inquiens, quia ubi navem ascenderitis, tempestas vobis & ventus contrarius superveniet: sed tu memento ut hoc oleum quod tibi do, mittas in mare, & statim quiescentibus ventis serenitas maris vos læta prosequetur: quæ cuncta, ut prædixerat Antistes, completa sunt.

S. Aidanus maris ingentes fluctus oleo componit.

Et quidem imprimis furentibus undis pelagi, tentabant Nautæ anchoris in mare missis navem retinere: neque hoc agentes aliquid proficiebant. Cumque verrentibus undique & implere incipientibus navem fluctibus, mortem sibi omnes imminere, & jam adesse viderent, tandem Presbyter reminiscens verba Antistitis assumpta ampulla, misit de oleo in pontum, & statim, ut prædictum erat, suo quievit à fervore. Sicque factum est, ut vir Dei per prophetiæ spiritum tempestatem prædixerit futuram.

Insuper Merciorum caput insanum Frenda, cum Bebbam, Northumbriæ regiam urbem, solo æquare frustra conaretur, bis spe capiendi dejectus, ligna, tigna, virgulta, trabes, in immensum cumulum, inflammatus ira, congessit. Captatis deinde ventis, ignem subdidit.

Beda 16. Paucis verbis immineutes urbi flammas avertit.

In vicina insula (nomen Farne erat) degebat forte Aidanus, qui cum densum ad astra fumum ferri conspiceret: grassari flammas: igneos quoquoversum volitare globos: sublatis in cœlum oculis palmisque, *vide domine*, dixit, quanta *mala facit Frenda*.

Nec plura, mutati subito venti, flammam in hostes accersetunt. Post miracula, in viri laudes prolixe it Beda: fuisse nimirum pacis & charitatis perquam studiosum, castum, humilem, ab ira & avaritia alienum, vanæ gloriæ inimicum, verba factis expressisse, lectioni vigiliisque deditum, gravem, in corrigendo magnis & paruis parem, erga pauperes & infirmos benignum:

Qui, ut breviter multa comprehendam, inquit Venerabilis Pater, *nihil ex omnibus quæ in Evangelicis seu Apostolicis, sive propheticis litteris facienda cognoverat, prætermittere, sed cuncta pro suis viribus, operibus explere curabat. Quod autem Pascha non suo tempore ob-*

A Paschatis celebratione notatur: rursumque purgatur.

servabat

servabat, vel Canonicum ejus tempus ignorans, vel suæ gentis auctoritate, ne agnitum sequeretur, devictus, non approbo nec laudo. In quo tamen hoc approbo, quia in celebratione sui Paschæ non aliud corde tenebat, venerabatur & prædicabat, quam quod nos, id est, redemptionem generis humani per passionem, resurrectionem, ascensionem in cælos mediatoris Dei & hominum hominis Iesu Christi. Unde & hanc non, ut quidam falsò opinantur, quarta decima luna in qualibet feria cum Iudæis, sed die Dominica semper agebat à luna quarta resurrectionis, quam eandem unam Sabbati, quæ nunc Dominica dies dicitur, veraciter futuram cum sancta Ecclesia credebat.

Quartadecimani hæretici. Non te fugiat, bone vir, hæreticos olim fuisse, Quarta decimanorum nomine notatos, qui Pascha decimaquarta luna primi mensis lunaris agendum contenderent, Iudæos imitantes. Catholicos vero die Dominico, lunam decimam quartã proxime sequenti, id festi celebrasse, quod eo in vitam redux Servator noster apparuisset.

Magni olim operis erat profecto, verum Paschæ diem invenire, tum propter lunares annos, quorum ratio ducenda fuit, tum ob varios solis ac lunæ motus. Quamobrem id temporis à scopo sæpe aberratum fuit, diversis provinciis Pascha diversis diebus obeuntibus, salva nihilominus Catholico fide, à qua desciscere haud animus erat, ut merito Aidanum Beda absolvat, consuetudini gentis suæ Scoticæ adhærentem. Non igitur est cur quis SS. Columbæ, Finano, & Colomanno dicam impingat, eo quod argumentum hoc pertinacissime disputarint, & morem à sanctis majoribus suis introductum propugnarint.

Divinis gentis ipsum prementibus ad Superos evadit. Cæterum Pascha non officisse S. Aidano, indicium esto, quod Sanctus Cuthbertus, dum alii pastores in somnum incumbebant, pervigil ipse ac orationi intentus, magno hiatu diduci cœlum; subito fulgore illustrari aërem; descendere de cœlo Angelorum agmen; nec diu post cœlum repetere, omnibus magno studio affusis cuipiã animæ, simul evadenti, atque radiis undique circumvallatæ, conspexerit. Postridie primum intellexit, eo ipso momento Sanctum Aidanum Episcopum ad Supero abiisse.

Iam in viam se dederat Cuthbertus, quæ ad astra ducit: atqui admotis hisce calcaribus, mirum est quam in cursum incitatus fuerit. Nam oves cum mundo bene valere jussit: pastoribus vero ob somnolentiam reprehensis, quam bene sibi suæ vigiliæ vertissent, aperuit.

AN. CHRISTI 637. AN. S. BENEDICTI 157.

Regia soboles Abdicato mundo in cellas se se abdit.

QVamvis S. Aidanum solenni pompa jam extulerimus, is tamen ante sexcentesimum quinquagesimum primum annum non concessit, quod Epitome, Historiæ Venerabilis Bedæ addita, docet. Solemus autem telam semel cœptam pertexere, ne crebro interrumpendo, memoriam Lectoris confundamus. Nunc regnis Angliæ expeditis, precium operæ fuerit, egregia facinora stirpis regiæ commemorare, omissa nimis superstitiosa annorum ratione. Vti in Ecclesia primitiva non tam fervore quam impetu quodam vehementissimo ad divina ferebantur Christiani, ita in prima cujusvis regni conversione usu venire consuevit, qui animorum ardor paulatim remittit, ac intepescit. Quis non miretur, Angliam brevi tempore tam multos & sanctos Reges numerasse? Incidemus vero posthac in plures, qui ad Sigeberti exemplum, paludamentum regium commutarunt cum cucullo. Principium fervet.

Porro, cum res pietatis ac devotionis est, fæminæ plerumque viros antecedunt. Præsertim in Anglia factum, quam si cogitatione obeas, Regem ægre unum ex ista ætate reperias, cujus filia una vel plures non nupserint Christo. Patres, matres, palatia, mundum muliebrem, regna, destituere, intenta in Parthenonas fuga. Quin omni patria sæpe relicta, exteras adivere nationes.

Prima occurrit S. Ebba, Edelfredi Regis Northumbriæ filia, quæ fratribus in prælio cæsis, in Scotiam se subduxit. Capta ab hostibus, sed ope Numinis iterum elapsa, obviam ad Forteam fluvium occupavit navim: hinc undarum secundo cursu illata mari sedem in quodam promontorio, rupes inter altissimas, cepit, quod posteri Caput S. Ebbæ dixerunt. S. Ebba caput velo submittit. Hector Boeth. l. 9.

Scotiam Monasteriis tam fæminarum quam virorum frequentem fuisse, non nescis. Vnum tamen, cui Codlingen nomen, cæteris palmam præripuit. Hic annos bene multos Sancta Ebba, omne virtutum genus graviter exercendo, contrivit. Demum rebus præesse jussa, summa diligentia

gentia administravit, donec appulsi Dani (quos etiam Normandos vocāt) in Scotiam ubi Monasterium stabat penetrantes, miserabili strage edita tam Antistitem quam cæteras virgines è medio sustulerunt. Impendente jam proxime periculo, ac spe sublata evadendi, bona mater suis auctor fuit, ut ora cultris sauciarent, ne forma capti barbari vim pudicitiæ afferrent: neque consilium fefellit, illi enim vultus tam fœdos abominati, uno ferri fulmine omnes confecerunt.

Idem facit Eansvvida.

Merito hic etiam locū Eansvvidæ, Eambaldi Regis Cantiæ gnatæ, damus, quæ Folestoniū, Virginum Asceterium, ædificavit, eiq; postmodum præfuit, haud dubiæ sanctitatis fæmina, ob continua jejunia, vigilias, orationes, & vix ferendas corpori asperitates. Vsuardus in Martyrologio ad xxxi. Augusti ejus meminit, quo die è vivis excessit.

Chronograph. Britannia.

Redoaldo Anglorum Orientalium Regi tres fuere filiæ, nimirum Editha Eadburga, Ositha: quæ votis Deo in SS. Petri & Pauli Cœnobio nuncupatis, nō solum in sacrarum Virginum, sed etiam sanctarum numerum venerunt. Iuvat autem rem altius repetere. Multæ per Angliam virgines ad sacrum velum adspirabant, sed deerant loca quibus reciperentur. Id forte Moduvennam, magni animi Abbatissam, advertit; quocirca propter Ardernam, nobilem sylvam, duo Monasteria, Principum ære adjuta, condidit, ponte juncta. Etsi vero in altero fixerit sedem, nihilominus in utrumque dividere solebat curas, Abbatissæ titulo S. Edithæ permissio; quæ negotia graviora, præsertim ubi de animarum salute agebatur, cum matre sapientissima communicare solebat. Fuit, ut hæc bona fæmina fructus non pœnitendos è quodam libro carpsisse sibi visa sit. Læta proinde repentino commodo, ut Moduvennam quoq; participem faceret, *adesdum heus*, Osithæ dixit: *Adesdum, inquam, & hoc libri matri nostræ Moduvennæ perfer, non lusuram operam si legerit. Propere propera.* Dictum, factum. At dum minus lente festinat ac caute à ventis præceps de ponte in flumen agitur: undis hauritur.

Sur 7. Octob. Alberic. Verus.

Moduvennā condit Parthenonas.

Puellam flumine sub-mersam ad ripam revocat.

Triduo post angelus orantem in Cella Moduvennam voce lacessit, ad fluvium se ocyus ejiceret; rem magnam esse. Illa nil cunctata se se foras proripit: Editham offendit quærentem, ac Osithæ nomen identidem cientem, ac sciscitantem, num ipsa domi puellam detineret. Cum negasset sibi à triduo proximo visam, complosis palmis vitam puellæ conclamarunt. Exciti fæmineo ejulatu pastores, & rogati num fortem candidissimæ animulæ compertam haberent? se quidem conspexisse, affirmarunt, initia pontis carpentem: at qua deinceps fortuna sit usa, equidem se ignorare. Nec sibi tantum otii à pecore esse, ut viatores multum curent. Capitur consilium in arena. Tendamus supplices manus, infit Antistes major, ac Deum per Cœlites omnes obtestemur, ut amissam nobis Osithā reddat. Fusis bene diu precibus cū lachrymis, Moduvenna corpus solo attollens, ter Osithā nomine cōpellans, *In nomine sanctissimæ Trinitatis veni foras*, dixit, *& è flumine isto incolumis emerge.* Vix ultimū absolverat verbum, jum Ositha manu librum tenens imprimis caput, deinde totum corpus extulit undis, ter, *ecce ego*, clamitans: *ecce ego, ecce ego, domina mea.* Remeantem complexa Moduvenna, Edithæ restituit, actisque gratiis Numini, diversæ invicem, Monasteria sua repetivere. Ositha loco *Nunpole* nomen fecit.

Ositha nuptui invita datur Sigero Saxonum Oriental. Regi.

Porro, demortua Moduvenna, parentes suam Ositham repetivere: quam olim viro maturam cum ad nuptias urgerent, Sigero Saxonum Orientalium Rege solicitante, omnem illa movit lapidem ut hæc vincula propulsaret: verum operam perdidit. Itaque matrimonium demum initum ab invita est. Atqui ne marito copiam sui faceret, varia eidem excusavit. Aliquando tamen is ne uxoris incertus esset, in secretius cubiculum ipsam accersivit, non passurus ut sua desideria longius traherentur. Ositha è re sua quid esset, non ignara, in veri sui sponsi Iesu Christi brachia se infundens, rogavit ut aliam Regi mentem injiceret; parata, ah! è medio potius excedere, atque mori. Numen (ecce tibi!) in ipso tempore subvenit. Non procul palatio insolentis formæ cervum egere venatores. Fera undique pressa cum nesciret quo se verteret, ad regiam capessivit fugam. Interea toto cœlo venaticus ivit clamor, qui vim majorem apud Regem habuit, quam amor. E cubiculo enim absque mora ruit, fusurus manu sua cervum, oblitus Osithæ. Hæc periculo exempta metuque soluta, ut pessulum redituro deinceps Regi objiceret, planeque excluderet, Ecciam est & Bedovinum, Orientalium Anglorum Episcopos advocat: sacrū velum exposcit, quod pridem se Numini dedicasset, ad connubium vi tracta. Illi re ad trutinam expensa, lachrymantem ac multa precantem voti faciunt compotem. Post cōbustos aliquot venādo, dies, Sigerus redux visit ad Ositham, quam dum Monasticum in morem obvelatam cōspexit, hæsit in obtutu attonitus: Nec tamen amore in odium vertit, sed quid illa jam dudum in animo habuisset, satis odoctus, consilium

Conjugio se expedit, ac velamen religiosum sumit.

bonæ

bonæ virginis æqui bonique fecit, eique in villa Chichensi Parthenona condidit.

Quamvis auctor Chronographiæ Britanniæ in Monasterium SS. Petri & Pauli, ubi nimirum religiosæ disciplinæ rudimenta duxerat, eam secessisse affirmet. Simile vero est, hic eam hæsisse, donec novum Monasterium incolere licuit, quod etiam SS. Petro & Paulo dicatum fuit.

Agit Abbatissam.

Antistes jussa Ositha, sacras sibi virgines adjunxit, vitamque austeram aggressa est, arcano silentio, jejunio, vigiliis, simul cum aliis perfungens, nihil de religiosa disciplina omisit. Quorsum enim conjugio, aula, regno, se se abdicasset, delicias in Monasterio venatura? Risum profecto stygio corvo movent, quotquot in Cœnobia se conjiciunt, ficus ut comedant, & uvas. Nam spe sua dejecti, etiam ultimo animos abjiciunt, melius tali foro usuri in medio mundo.

Hic præter Deum cogitare aut quærere aliud, nefas est: fames ac sitis in exigua patella parvaque testa deponendæ: mundus exuendus penitus: à solo cœlo pendendum.

A Danis capite imminuitur.

Vidit cacodæmon nihil in hoc Asceterio à summo virtutum certamine remitti, & ductu Osithæ vinci tartarum, hanc illi machinam intendit. Dani effuso cursu pridem maria infestabant: in portus invecti provincias, regna, ferro flammaque depopulabantur, quibus injuriis Anglia imprimis opportuna erat.

Anno à Servatore nato sexcentesimo quinquagesimo tertio, mense Octobri, inimica classis ad villam Chichensem appulit. Expositi barbari, huc illuc impetum facere, cædere, urere, rapere. Ductor scelesti agminis ut vitæ institutum Osithæ habuit compertum, eam adesse; præsentem idola colere jussit, in ultima experiri mallet. Nec minis tantum institit, sed etiam blandimentis illexit, aureos pollicitus montes, dicto si sibi audiens foret. Sed illa æque magno animo tormēta & munera sprevit. Ergo impotens iræ barbarus, ocyus in eam animadvertit; caput ademit. Vix hoc abstulerat impius ensis, cum Ositha id humi legit: recepit: recto gradu firmoque ad SS. Petri & Pauli ædem, tribus fere stadiis remotam, deportavit. Cum fores non paterent, manibus ipsa cruentis eas pulsavit, ut panderentur, relictisque sanguinis innocentis vestigiis, quasi defecta viribus collapsa est. Ad portentosum miraculum accedit pellucidum erupisse fontem, ubi capite plexa est, multisque tulisse opem.

Ambulat absq; capite.

Regii parentes allato tristi nuncio, doloris impatientia subacti, dulcissimæ filiæ exuvias, à SS. Petro & Paulo repetitas, in plumbea tumba composuerunt, temploq; Ailesbiriæ intulerunt, inquit Albericus, vitæ ejus auctor. Postremum hoc, adduci nō possum, ut credam, cum id temporis Osithæ parentes jam fuerint extincti, ipsaq; anno nostræ salutis sexcentesimo quinquagesimo tertio interfecta sit. Parentes igitur martyris eos accipio, qui hanc adhibuerunt industriam, illique parentarunt. Multa hic loci edidit miracula; post aliquantum vero temporis in S. ædem Chichensem, ubi capitis sententiam subivit, rogatu jussuque nocturno relata est. De miraculis multis, duo cape.

Clerico sanitatem præstat.

Clericus quidam, inquit Albericus Veerus, apud Surium, voto simplici in Monasterio Sanctæ Osithæ Virginis habitum Monasticum se suscepturum promisit. Sed propositum male blandiente fortuna exequi differens, ad extrema vitæ perducitur. S. Ositha ei apparens, quid est, ait, quod me tam solicite invocas? An non meministi quid quarto abhinc anno tibi præstiterim, cum ægrotares morti vicinus, cumque satisfacerem provinciæ huic mortalitate imminente, impetravique à Domino meo Iesu Christo, ut visitaret populum meum, tunc etiam Dominum pro te rogavi, & tu ab infirmitate liberatus vitæ conversionem promisisti, & tamen ab eo tempore te ipso deterior semper extitisti. Qua igitur fronte lucris & nugis aulicis deditus, me invocare ausus es? Illo vero emendationem cum lachrymis pollicente, sancta virgo hilariore jam vultu eum intuens, Misereor, inquit, tui, si tu ipse tui misertus, Deo servire vel sero volueris. Mox ille ejus contactu sanatus, Monasticum habitum accepit, & devote Deo serviens, in Priorem apud S. Bartholomæum Londoniæ electus est. Quod autem hic Clericus in S. Osithæ Monasterio habitum religiosum se sumpturum spoponderit, mirum tibi videri non debet, quando olim majora Virginum Monasteria etiam cœtus, Monachorum qui sacra obirent, comprehendebant.

Brachium & pedes laborantis puellæ expedit.

Item, puella quædam officio brachii adeo privata, ut lateri ejus inseparabiliter adhæreret, cum meritis S. Osithæ perfecte sanata esset, votum continentiæ nuncupavit: sed postea cum quodam juvene matrimonium contraxit. Ei S. Ositha apparens, cur temerario ausu vota, quæ distinxerunt labia ipsius, rupisset, redarguit, & compedum vinculo invisibili pedes ejus arctius constrinxit, ut pedem pedi subjectum divellere non valens, officio pedum prorsus destituta,

stituta ultionis divinæ flagellum sentiret. At tandem tamen meritis Sanctæ Virginis sospitati reddita, correctius deinceps vivere cœpit. Miraculum multitudine vitæque innocentia gloriam sibi ingentem peperit, Cœlitum fastis ad VII. Octobris diem illata, cujus sorores Editha & Eadburga, ætate in SS. Petri & Pauli Asceterio exacta, etiam pro Sanctis habitæ fuere.

Sed, quod maximum est, non domi tantum sanctissime vitam instituere Anglicanæ Virgines, verum ob recantatam toties à fama Monasteriorum Galliæ disciplinam, cohibere se nequiverunt, neque facere quin se in naves mitterent: Galliam peterent: sacra ibi vela capitibus injicerent. Exemplum placet Earcongotæ, Cantuariorum Regis (alii Cantiæ) sanctissimæ filiæ, de qua hæc Beda.

Beda l. 3. c. 8. Earcongote Monialis Brigensis.

Earcongote, ut condigna parente soboles, magnarum fuit virgo virtutum, indesinenter semper serviens Deo in Monasterio, quod in regione Francorum constructum est ab Abbatissa nobilissima vocabulo Fara, in loco qui dicitur Brige.

Nam eo tempore necdum multis in regione Anglorum Monasteriis constructis, multi de Britannia Monasticæ conversationis gratia, Francorum vel Galliarum Monasteria adire solebant: sed & filias suas eisdem erudiendas, ac sponso cœlesti copulandas mittebant. Maxime in Brige, & in Cale, & in Andilegum Monasterio. Inter quas erat Sethryd, filia uxoris Annæ Regis Orientalium Anglorum: & filia naturalis ejusdem Regis Edilberge: quæ utraque cum esset peregrina, præ meritis virtutum, ejusdem Monasterii Brigensis est Abbatissa constituta. Cujus Regis filia major Sexburg, uxor Earconberti Regis Cantuariorum, habuit filiam Earcongotam, à nobis paulo post inducendam.

Sethryd.

S. Edilberga dure vitam instituit.

S. Edilberga seu Edelburga pede presso Antistitem suam S. Faram sequuta, & consequuta est, omnia Christo posthabendo: in preces & lachrymas incumbendo: corpus quavis asperitate fatigando. Post, Parthenonis clavo admota, templum omnibus Apostolis dedicandum moliri cœpit, in quo sepeliretur.

Atqui suprema nondum manu imposita, è vivis excessit. Ossa quidem ejus ibidem condiderunt, non tamen surrexit moles septem annos intermissa.

Post septennium integra in tumulo.

Visum est igitur in ædem Sancti Stephani transferre Divam, quam dum è tumulo eximunt, vivere rati sunt, adeo nihil cadaveres apparebat, quod merito Beda indicium summæ integritatis fuisse, duxit. Lotam denuo, ut illius ætatis mos ferebat, in tumbam iterum intulerunt.

Beda l. 3. c. 8.

Earcongota regia Earconberti proles, Eadbaldi neptis, mortua Fara, Brigensis Monasterii præfecturam excepit, quam fatali horæ proximam, magno favore prosequutus Deus est. Sed omnem rem à Beda accipe: Imminente die suæ vocationis, cœpit circuire in Monasterio casulas infirmarum Christi famularum, earumque maxime quæ vel ætate provectæ, vel probitate erant morum insigniores, quarum se omnium precibus humiliter commendans, obitum proxime suum, quem revelatione didicerat, non celabat esse futurum, quam revelationem hujusmodi esse, perhibebat: vidisse se albatorum catervam non minimam idem Monasterium intrare, hosque à se interrogatos, quid quærerent? aut quid ibi vellent, respondisse, quod ob hoc illo fuerint destinati, ut aureum illud numisma, quod eo de Cantia venerat, secum assumerent. Ipsa autem nocte, in cujus ultima parte, id est, incipiente aurora, præsentis mundi tenebras transiens, supernam migravit ad lucem. Multi de fratribus ejusdem Monasterii, qui aliis erant in ædibus, manifeste se concentus angelorum psallentium audisse, referebant: sed & sonitum quasi plurimæ multitudinis, Monasterium ingredientis. Unde mox egressi dignoscere quid esset, viderunt lucem cœlitus emissam fuisse permaximam, quæ sanctam illam animam, carnis vinculis absolutam, ad æternæ cœlestis patriæ gaudia deducebat. Addunt & alia, quæ in ipsa nocte, in Monasterio eodem, divinitus ostensa fuerint miracula. Sed hæc nos ad alia tendentes, suis narrare permittimus. Sepultum est autem corpus venerabile virginis & sponsæ Christi in Ecclesia Beati protomartyris Stephani: placuitque post diem tertium ut lapis, quo monumentum tegebatur, amoveretur, & altius in ipso loco reponeretur: quod cum fieret, tanta fragrantia suavitatis ab imis ebullivit, ut cunctis qui astabant fratribus & sororibus, quasi opobalsami cellaria aperta esse viderentur.

Earcongota ab angelis in cœlum evehitur.

Hæc pluraque alia miracula tantum potuere, ut Sanctis ad VII. Iulii diem fieri adscripta, quo etiam Edilburga excessit, à publica fama Cœliculis addita.

Neque solum ex Anglia Regiæ filiæ trajecerunt in Galliam, ut in Brigensi Monasterio

Velum excipit S Syra.

nasterio se Numini dedicarent, sed tantum animi etiam Sanctæ Syræ, Eugenii IV. Scotorum Regis gnatæ fuit, quæ tanto ardentius ad id Asceterium adspirabat, quod S. Friacrium, suum fratrem, in eo degere accepisset.

Aliud præterea Monasterium fama insigne non procul Parisiis aberat, quod Calesse vocabantur, positum imprimis à S. Crothilda: instauratum euntibus annis auctumq; à S. Bathilda, quo Principes Angliæ, ut Beda narrat, suas filias mittere solebant. Hic sacrum velum sumpsit S. Hilda, de Regis Edvini stirpe nobilis surculus, quam sub annum sexcentesimum octogesimum in medium producemus.

Et. S. Hilda.

An. Christi 638. An. S. Benedicti 158.

S. Faro, Episcopus Meldensis Monachus Luxoviensis: Cagnerici Comitis Burgundiæ filius.

Ingens S. Faræ nomen adeo animos virginum Anglicanarum occupaverat, ut non paucæ de principum sanguine ad ipsam avolârint. Par sorori, vel certe major, S. Faro Episcopus Meldensis fuit, cui se SS. Friacrius & Chilianus, nec non alii regio sanguine orti, adjunxerunt. Felicem Galliam quæ tam multos è suos & alieno gremio tulit Sanctos! Hoc autem temporis quod nunc tractamus, innumeri Monachi ex Hibernia & Scotia eo vela vertebrunt, non tantum benevolentia invitati, qua summa à Gallis accipiebantur, sed etiam pervasti regni cultura incitati, quæ avarissima vota poterat explere. Non denuo Sanctum Columbanum, Gallum, Deicolam cum sociis, Levinum, Foilanum, Heliam, aut Brabantiæ Apostolos oculis objicimus, sed novas advenas, veluti Sanctum Elochium, Foilanum, Vltanum, Ettonem, Bertinum, Furseum, Fredegandum, Vbirum, Plechelmum, Fiacrium, Chilianum, ostendimus, quorum præclara facinora ab ovis usque ad mala describere uti longum foret, ita summa capita notare, æquum est.

Cum Magnus Columbanus per Meldensem agrum haberet iter, forte ad Cagnericum (alii Hagnericum) Comitem divertens, filiis ipsius bene precatus est. Numen preces bene vertit. Nam honores summos gesserunt: sancti omnes facti sunt. Chalnoaldus & VValbertus tempestive nomina dederunt Luxovio: Faræ, Parthenona

Coden. M. 8. apud Sur. 28. Octob. Liberi Cagnerici in cunullos se condunt. Faro pius aulicus.

pater construxit: Faronem tenuit paterna domus, in spem familiæ. Annis nondum satis firmum aulæ Theodeberti Regis genitor dedit, quem Clotharius, qui successit, eo loco habuit, quem is virtutibus meruit. Neque enim sola ministeria palatina recte obibat, sed insuper salubria quoque consilia domino suo suggerebat, cum inducendo ut res fluxas æternis longo intervallo postponeret: subditos non ceu pilas, sed ceu homines Christi sanguine emptos haberet. Præter aulicorum ingenium injurias nullas reposuit: ambitionem, invidiam, procul habuit: inique depressos in priorem gradum erexit: denique gratiam, qua plurimum valuit, in aliorum commodum vertit. Legatos Saxones, linguæ intemperantia ultra quam par erat provectos, duci Rex jussurus erat, ni Faro intercessisset. Itaque dum ille spacium iræ dedit, hic fidem Christianam barbaris instillavit; quo facto Clotharius placatus, addictos jam, vita donavit. Quid multa? Pater patriæ Faro fuit.

Interea ingens cupido Faræ sororis videndæ animum incessit. Conventum est non absque magno emolumento. Habito enim ultro citroque colloquio, Faro fastidire cœpit, quicquid prius volnptati erat. Omnia præ cœlo sordebant. Volvere igitur cogitationes serio cœpit, qua via exiret aula, quove pacto se conjugio expediret.

Cap. 5. Fugam ex aula & mundo meditatur.

Hoc opus, hic labor erat. Retinere maritum ad Deum tendentem, Blidechildæ religio erat: neque manum injicere Rex ausus est. In libertatem assertus Faro, in ordinem Ecclesiasticum se intulit: Luxovii habitum Monasticum sumens, Sancto Eustasio in disciplinam se obtulit, imitatus suos fratres. Ante vero, Sancti Stephani Meldensis ædem; Sanctæ Faræ Monasterium: cives, exules, pauperes, magnis beneficiis affecit. Quod si talis in seculo fuit, quantum in Monasterio eum promovisse putas, te obsecro! Quocirca demortuo VValberto fratri, qui post Abbatiam, quam Luxovii gesserat, Meldensi infula redimitus fuit, voluntate Clotharii suffectus est. Clavum tenuisse sexagesimum sextum annum, ferunt. Sat multum temporis ad demerendum Deum. Quanta autem fuerit sanctitate, ex miraculis, quæ patravit, auctor vitæ ipsius æstimandum, ait. Sed operam da narranti.

Trith. de vir. ill. l. 3. 74. Fugit.

Fit Episcopus.

Beatus Audoenus in fundo suo Monasterium condidit ad torrentem Resbacensem: cumq; Beati Petri Apostolorum Principis oratorium cuperet dedicari, ei rei incubuit Faro sanctissimus, quippe in cujus

Marmor fractum, cum S. Amando precibus redintegrat.

diœceſi extructum eſſet: atque Audoenus ejus loci ordinationem omnem ex ejus conſilio facere decreverat. Ipſo autem dedicationis die parvum quidem, ſed egregie politum marmor Pontifices benedicentes, cum deinde altari imponere vellent, humi collapſum ita duas in partes ſciſſum eſt, ut ferro ſectum videri poſſet. Id conſpicati Antiſtites Faro & Amandus, proceresq; Audoenus & Eligius, in terram ſe ſe proſternunt, Deoque preces offerunt. Inde ab oratione ſurgentes, marmor crucis ſigno conſignant, moxque adeo inter ſe partes coaleſcunt, ut nullum fracturæ veſtigium cerneretur.

Luce laborantibus oculis, lucem impertit.

Adhæc, quodam Paſchali tempore cum ſacrum chriſmate populum Beatus Faro cõfirmaret, quidam puer cæcus inter alios acceſſit; qui ubi chriſmate unctus eſt, lumen cœli, quod nunquam antea viderat, jucundiſſimus aſpexit: ſimulque Sancti ſpiritus gratiam ex Confirmatione ſecum reportavit.

Captivos vinculis abſolvit.

Item, aliquando carcerem, in quo vincti homines detinebantur, caſu præteriit. Id ſentientes miſeri illi, petunt veniam facinorum, & vinculorum ſolutionem. Mox ille, pietate commotus, abite, inquit, liberi quandoquidem factorum vos pœnitet. Ad eam vocem vincula ſtatim ſoluta ſunt.

Submerſam piſcatur navim.

Hoc autem quod nunc referemus, miraculi modum ferme ſuperat. Fuit, ut urbe egreſſus S. Remigii oratorium peteret, precandi gratia. Defunctus opere tam pio, confuſum variis vocibus clamorem arrectis auribus accipit, pereuntium ſcilicet, ac triſtem caſum miſereſcentium.

Certior inde factus, navim vectoribus onuſtam in proximo flumine ſubſediſſe, ad pontem præceps contendit: pronus eidem incubuit: pro perditorum ſalute aſtra fatigavit. Poſt mediam fere horam ſe attollens, infidas undas ſcipione, quem tenebat manu, verberans, navim ipſis creditam reddere jubet. Non mora, fluvius navim, abſque remorum ope, regurgitat. madidos vectores ripæ admovet: exponit. Quod ſi igitur miraculorum magnitudine ſanctorum excellentia metienda foret, Faro (qui multo etiam plura edidit, quæ auctor ſe præterire ait) pleriſque palmam præriperet. Proximum certe nec viſum ante, nec auditum fuit. Quæ autem raritate præſtant, raræ item ſanctitatis indicium faciunt.

S. Chillenus [illegible] ſedusit.

Inter alios quos hoſpitio accepit, & humaniſſime habuit Faro, S. Chillenus fuit, Scotus, diverſus à Chiliano, Franconiæ Apoſtolo. Sub hoc tempus in Franciam venit, quod Monachos iſtius regni ubique celebraret fama. Excuſſo mundo Luxovii Monachum induit, ubi tam in virum doctum quam ſanctum evaſit. Quibus rebus inductus S. Faro, è cella hominem evocatum, ſacris concionibus in ſuo Epiſcopatu præfecit, unde magnos fructus auditores retulerunt. Infulæ jam pridem capax, Atrebatenſi ornatus eſt (urbem hodie Arras appellant) quo S. Faro ſuum quoque momentum contulit. Hoc in gradu honoris laboriſque collocatus, ita gnaviter ſuas partes egit, ut nihil penitus deſiderare potuiſſes.

Mitra Atrebatenſi ornatur.

Aliquando cibos cum S. Farone dum caperet, miniſtro vitrum è digitis oblitis excidit, inque plurima fragmenta diſſipatum eſt.

Vitreum poculum humi effuſum in fruſta, compoſuit.

Trepidi ac pallidi pocillatoris pium patrem miſertum eſt. Igitur incerto & ambiguo quid faceret, ut fruſtra colligeret, innuit, ſibique afferret. Factum. Mox ille pectus ſuſpiriis, ora precibus exhauſit: calicem belliſſime compoſuit.

Trith. l. 7. 73.

Chilleni & miraculi Trithemius his verbis meminit. *Chillenus Monachus, & diſcipulus S. Columbani & Euſtaſii ejus ſucceſſoris, natione Scotus, vir magnæ & incomparabilis ſanctitatis, à Beato Pharone miſſus ad provinciam Atrebatenſem, eam ſua doctrina ſana Chriſto acquiſivit, & claris miraculis attraxit. Hic vas vitreum à caſu confractum, ſuis orationibus redintegravit. Claruit anno Domini 640.* Credimus de hoc à Molano agi in Indiculo ſub nomine Chiliani Epiſcopi & Confeſſoris, quem Altiaci in ditione Atrebatenſi ſepultum, ait.

Sur. 30. Aug.

Hoſpes S. Faronis alter, S. Fiacrius fuit. cujus de integritate, vitæque aſperitate fama nunquam ſatis verborum feciſſe ſibi viſa eſt. Qui geſta ejus refert apud Surium, imponi ſibi paſſus eſt, dum Hibernum credidit: cui tamen merito veniam damus, cum priſcis temporibus Hiberni & Scoti, idem nomen tulerint. Patrem habuit Eugenium quartum Scotiæ Regem, quod Hector Boethius & Leſleus affirmant, viri clariſſimi.

Hect. Boeth. l. 9. Ioh. Leſleus l. 4.

Cæterum tres filios ſuſtulerat Eugenius, Fercuardum, Fiacrium, & Donebaldum præter Syram filiam, cujus fecimus mentionem. Vt officium veri patris faceret, Conano Epiſcopo Sodorenſi tradidit educendos. Hujus auſpiciis & ductu ſimul bonæ artes cum virtutibus diſcendæ erant, quo Regum liberos efferri par eſt. Sub uno tamen magiſtro non æque progreſſi ſunt. Fercuardus enim & Donobaldus regiam ſobolem includi ludo, dedecus rati, pro nihilo literas putarunt.

Alia mens Fiacrio erat, qui tandem bo-

Fiacrius eremum subit.

nis artibus plenus convasavit: parentem, patriam, fratres reliquit: suspenso vultu gradúque domo profugit: ubi in Meldensem Episcopatum ventum est, Eremitorium subiens arcte vixit. Conanus annona laborantem sæpe juvit, Brodolium denique, locum culturæ aptum, assignavit, quem is passim æquavit, purgavit, ut seri metique posset, effecit. Quod ubi labore improbo consequutus est, Monasterium bono fundo imposuit, atque Beatissimæ Virgini dedicavit.

Cœnobium condit.

Sibi vero angustam condidit cellam, in qua vigilando, orando, meditando, cœlum attingeret. Si æquo accipis animo, omissis delitiis, per asperitates recta itur ad astra. Immo istæ voluptati erant Fiacrio, qui etiam bolos suæ fami debitos, hospitibus apponere solebat. Mapale viri tum maxime teri cœpit postquam mutis, claudis, cæcis, energumenis, imponendo manum salutem attulit. Nos vero miracula, quæ plurima fecit, non movemus præter unum, quod Martyrologia & Flores Sanctorum prætereunt, sed Hector Boethius & Iohannes Lesleus memorant.

Regnum detrectat.

Eugenio fatis sublato, Scotorum regnum Fercuardus major natu filius adivit, tā à patre, quam fratre Fiacrio diversus: quippe libidinibus deditus, sceleratus, regimen susdeque habens, hæresi Pelagiana tactus, qua tum tartarus Scotiam imbuebat. Proceres regni habitis publicis comitiis, ne malum sumeret incrementum, movere solio insanū Regem & in vincula dare: Fiacrium autem è Gallia evocatum subrogare statuerunt. Sed cum metus esset, hic ut coronæ caput subduceret, nimirum quem vita privata jam pridem ad astra rapuisset, ad Clotharium Franciæ Regem misere oratores, rogatum ut abnuentem subire onus compelleret. Igitur hi in Galliam iter intendunt, Fiacrium indagant, absque multo labore inveniunt, quod magna virtus latere non possit.

Lepram ferre mavult, quam sceptrum.

Ille, quid molirentur legati, cœlitus edoctus, magnam animo cepit tristitiam, quod verus Rex esset, qui Deo serviret. Quocirca Numen obtestatus est, in Monasterio ætatem exigere ut sibi liceret, etiamsi ægrotandum foret. *Non omnibus datum est, tam bene sapere.* Dum hujusmodi precibus versat cœlum, immunda lepra totum invasit corpus. Interea adsunt spe pleni oratores; qui à Fiacrio admissi, imprimis turpi spectaculo icti secretum spiritum imo pectore duxerunt: tum vero quid à proceribus regni in mandatis accepissent, perfrigide exposuerunt, quod jam talis Regis puderet.

Ille gratias regni ordinibus meminit, quod sceptrum offerrent, cæterum stare sibi sententiam, dixit, vitam à turbis remotam degere. Si insuper cutem inspicerent, toto corpore peccantem, facile intellecturos pœnas à se exigi, quas Numini æquo animo in angulis dare constituisset. Denique leprosis publico abstinendum. Pro mantissa, verba hæc aurea adjecit.

Satis mihi esse cognoscite cellam, vestem, olera, his manibus præparata. His enim contentus nihil est humani fastigii, ut ut res meæ se habent, quod præ illis concupiscerem. Ite ergo, & germanis, gentisque nostræ majoribus renunciate, ut Deum imprimis revereantur, religionis observationi incumbant, rectumque colentes virtute se muniant & pietate, quam nulla hostium vis unquam expugnavit. Me impensis, uti cernitis, non indigere, eoque Dei benignitate devenisse, ut meo vivendi generi privata vita magis, quam publica, deinceps convenerit. Hoc responsum tulere domum legati. Proceres à leproso Fiacrio ad Donebaldum, fratrem tertium, versi, Regem jusserunt. Fercuardus taota re, atque spe simul dejectus, ipse sibi mortem conscivit.

Fiacrius cellæ suæ jam securus, quod regnum evasisset, Deo suam quietem in acceptis retulit: inedia continua, vigiliis, aliisque asperitatibus corpus haud mediocriter attrivit: quod ubi accolis innotuit, undique ad eum confluxerunt, quos inter merito S. Chillenum memoramus, qui Roma redux etiam sedem apud Sanctum Fiacrium fixit; unde à S. Farone in agrum Atrebatensem missus est. Noster autem Fiacrius cum pietatis officiis 12. Kalend. Septembris vitam absolvit, in Sanctorum fastos relatus, miraculis inclaruit, è quibus ante alia hoc dignum relatu est.

Mortem obit.

Martyrolog. 30. aug.

Anglorum Rex Henricus parta à Francis insigni victoria, ovantem exercitum, omnibus passim tectis direptis & exustis, late circumduxit. Incursione quoque in Episcopatum Meldensem facta, in æde sacra Divi Fiacrii milites sacrilege convasarunt: & ne parum scelesti essent, ædem diruerunt. Sub hæc, lepra Regi dense aspersa est, quam vulgo *malum seu morbum Sancti Fiacrii* dicunt. Hic subito consternari: aures scalpere: Medicos quid mali esset, anxie percunctari. Isti lepram esse malignam, retulerunt, remedio carentem, cui incolæ à S. Fiacrio, regio Scotorum sanguine orto nomen posuisset. Ergo, subjecit Henricus, Scoti in Anglorum perniciem nati sunt profecto. Nam vivi ac mortui domi

Leslæus in Roberto.

A sacrilego prædone pœnas petit.

ac foris nos persequuntur: nec quidem à Scotis cœlum colentibus tuti sumus Angli. Ita mutuum odium, quo id temporis hæ duæ nationes flagrabrant, exprimendum erat.

Æde S. Fiacrii fæminis interdictum est.

Fæminis S. Fiacrii templum intrare, nefas est, ob blasphemas voces, in Divum à procaci quadam fæmina jactas. Alia violare legem, & superare limen aulâ, insania correpta fuit. Sequi deinceps nulla voluit. Gaguinus rem duobus versibus canit,

Robertus Gaguinus in Clobario.

Fæmina quæ læsit blaſphemo murmure Sanctum,
Fecit, quod Sancti non intret fæmina templum.

Scipione, ceu aratro, hamum findit.

Sed rem altius repetamus. Sancto Faro, ut fama est, sua in ditione tantum fundi concessit Sancto Fiacrio, quantum is ducto continuo sulco designare posset. Littus se araturum ratus Fiacrius, quod dies elapsura esset, antequam ipse vel exiguum spatium sui juris fecisset, impacto ligone. Igitur ad preces conversus, opem Numinis poposcit. Tum vero baculo correpto, eum non secus quam vomerem post se traxit: terram longe lateque hiantibus glebis aperuit. Illud autem visu mirabile fuit, quod quacunque viam carperet, etiam saxa se dederent: arbores radicitus humo excideren. Obstupuere omnes spectatores, sola una muliercula verbis elevavit miraculum, quasi à mago vel incantatore profectum.

Immo, male sana etiam S. Faronem Pontificem evocavit, visum ingentem sylvarum stragem, quam prodigiosus orator passim per montes edidisset. At is nil læsus, Deo gratias persolvit, quod rem nullam amicis suis negaret. Fiacrius partis lætus, de Monasterio cōdendo consilium inivit. Hęc memoriæ prodita sunt, quæ nos attulimus, ut causa in promptu esset, ob quam fæminis ex antiquissima consuetudine templum S. Fiacrii frequentare non liceret.

S. Faro vita defungitur.

Etsi mors S. Faronis in annos posteriores inciderit, libet tamen SS. Chilleno & Fiacrio, hospitibus suis, eum adjungere.

Martyrolog. 28. Octob.

Exactæ igitur ætatis senex, bonis operibus onustus: omnium consensu magnus, v. Kal. Novembris, ad Cœlites abivit. Ossa patriæ asylum fuere. Apparet autem Ecclesiam Meldensem Monachos habuisse Cathedrales, ut aliæ multæ in Anglia. *Etenim cæcus quidam ab ipso ortu*, inquit codex M.S. *cum in Rothomagensium finibus degeret, procul à Meldensi civitate, nocturna visione admonitus est, ædem Beati Faronis petere, visum ejus meritis impetraturus. Credit homo visioni, seque accingit itineri. Postquam ad locum indicatum pervenit, omnibus tum diurnis, tum nocturnis horis Monachis psallentibus se adjungit, avidissime expectans promissum oculorum lumen. Et ecce, cum sub auroram quandoque staret ad sepulchrum Beati viri, Monachis cantantibus versum illum:* Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum semper nos, & misereatur nostri: *palpebræ hactenus semper clausæ, stillantes sanguinem aperiuntur, perspicueque cernit.* Psallentes igitur hi Monachi faciunt, ut credamus Ecclesiam Cathedralem ad eos pertinuisse.

Monachi Cathedrales in Meldensi Ecclesia.

AN. CHRITI 639. AN. S. BENEDICTI 159.

Dagobertus Rex prolem è Ragintruda suscipit.

MVltum temporis fluxit, quod nullam vel Sancti Amandi vel Dagoberti, hac ætate in Francia imperium tenentis, fecerimus mentionem, cum tamen ille magnam rerum copiam nobis obtulerit: hic vere ante alios Reges de Ordine nostro prolixe sit meritus, ideoq; suo quodam jure calamum nostrum sibi vindicet. Sed Anglia nos hactenus tenuit: deinde ut verum fateamur, cum juvenis Rex in voluptates effusus, huc usque ad frugem non redierit, sanctis ad miscendus haud erat. Postquam enim Sanctus *Arnulphus Archiepiscopus* ex aula se removit, ac Principem, quem custodiendum accepit, missum fecit, non modo libidinibus is operam turpiter dedit, (rapta etiam è Cœnobio Nanthildæ) sed & Sanctum Amandum in exilium egit, quod pedicas ipsi à lascivis mulierculis inditas demere conatus esset.

Dagobertus frugi esse incipit.

Quamvis autem plures duxerit uxores, liberos nullos sustulit, quod nullis tum dignus esset. Tandem ad sanam mentem rediit: peculatu, quo infamis ferebatur, se abdicavit: ad propitiandum Numen publicas & privatas supplicationes instituit. Resipuit autem Richario Abbate stimulos admovente qui humili loco natus, fontana solum, & hordeo, lachrymis ac cinere sparsis victitabat

Iodoc. Cocc. in Dagob.

Itaque anno Austrasiani regni octavo, Christi vero nati sexcentesimo sexto, post Gomatrudæ, sterilitatis prætextu olim repudiatę, mortem, Ragnetrudem sed Ragintrudam.

Append. Hist. Franc. l. 11. c. 59. Aimon. l. 4. c. 20.

Augetur sobole.

Sigeb. Gemblac. in Sigeberto Rege. Hugbald. in S. Amando.

trudam Connubio sibi junxit, è qua Sigebertum filium suscepit, postea Cœlitibus adnumeratum.

Felix hac prole Dagobertus, cui sacris undis lustrandam: tum ubi primum liceret, optimis moribus imbuendum traderet, cogitare cœpit. Nimirum Clotharii, optimi patris vestigia premere, animus erat, à quo ipse S. Arnulpho commissus fuit. Multa volventi Sanctus Amandus in mentem venit, ab ipso quondam proscriptus. Quæritur S. Amandus: evocatur: in Clypiaco villa Regem convenit. Vbi propius se admovit, Rex in genua se deponens, virum sanctum supplex rogavit, sibi ut ignosceret: aliquid inconsultæ juventuti daret. Insuper sobole mascula se auctum; percupere ut sacro fonte expietur, & ephebulus post aliquot annos in disciplinam accipiatur. Amandus supplicem Dagobertum attollit: injuriam sponte remittit: ut palatium, honores, turbas, solitudini ac Numinis obsequio posthabere liceat, etiam atque etiam orat. Dimissus à Rege, id demum *Audoeni* & Eligii, qui tum aulæ adhærebant, obstinatis precibus dedit, ut cũ Dagoberto Aureliam proficisceretur, eumq; voti compotem faceret. Hic enim Sigebertum salutaribus undis abluit, Æriberto patruele, Aquitaniæ Duce, infantem sacro fonti admovente. *Quod contra veterum tabulas*, inquit Iodocus Coccius, *in Alsatia nostra Isenburgo, arce quæ Rubeaquensi oppido imminet, factum nonnulli recentiores portendunt. Sed non committam, ut falsis ornamentis atque affuctis eorum, quæ vera sunt & certa, fides labefactetur.*

Lustratur Sigebertus.

Iod. Coc. in Dagoberto.

Cæterum in Sigeberti lustratione; cum D. Amandus recitaret preces, quæ ex ritu ac instituto Ecclesiæ Baptismati præmitti solent, patrinus vero ac aula circumfusa animos non adverterent, parvus catechumenus, quadraginta non amplius dies natus; *Amen*, respondit. Acceptum pietatis omen est; nec eventus spem fefellit.

Respondet, Amen.

Alsatia etsi longe lateque nimis exporrecta, haud sit, mitissimo tamen cœlo, fertili gleba, vini generositate, ingeniorum elegantia, plerisque Germaniæ terris superior est. Vbicumque humum solicitas, aqua, potui ut plurimum apta, obviam adest, & quasi ipsa se propinat. In eam Vosagus mons, qui Alsatiam à Lotharingia segregat, & Occidentem versus instar propugnaculi obvallat, nobiles fluvios emittit. Limites regionis à Iodoco Coccio disce. *Alsatiæ*, inquit, *ad Orientem Rhenus cum silva Martiana objacet. à Meridie monte Iurano & Helvetia clauditur. Ad Occasum Vogeso saltu. Ad Septentrionem olim Geldriæ ac Menapiorum Ducatibus, hodie Nemetum ditione ad Saletionem terminatur.*

Alsatia nulli provinciarum Germaniæ secunda tam clementia cœli, quam soli fœcunditate.

Vrbibus etiam frequens est, è quibus decem durant, variis privilegiis ab antiquis Imperatoribus nobilitatæ. Antecellit cæteris Argentina, quam sedem Episcopalem fuisse tradunt in Ecclesia primitiva, quippe sacris Christianis à Sancto Materno initiatam. Hujus tamen gloriæ brevi jacturam fecit, à barbaris in Italiam tendentibus diruta. Regnante Clodoveo etsi ad fidem Romanam reditum est, Antistes tamen sacer defuit, qui agrum illum, lolio infelici obsitum, perpurgaret: Arianismi labem, qua provincia tum contacta erat, improbo labore eraderet. Dagobertus igitur rebus ad pacem compositis, qui jura Ecclesiasticis daret, circumspexit. In animum sagacem S. *A*mandus incidit, gente Aquitanus, sanguine nobilis, Sereno patre, matre Amantia natus, à viris optimis juxtaque doctissimis excultus.

At cum Rex non ignoraret apud vulgus vanum esse sine viribus nomen, arces, civitates, oppida, pagos, lati fundia, Argentoratensi Ecclesiæ dono dedit. Tota autem ditio, quæ Argentoratensi Episcopo paret, DOS MARIAE vetustis monumentis nuncupatur: cui sanctissimæ Matri Dagobertus, Clodovei vestigia carpens, Cathedralem Ecclesiam voluit dedicari. Dotis argumentum est sigillum Episcopale; nimirum Virgo mitra prominens cum annulo porrecto, quo tanquam arrhabone pontificatum sibi desponsat Magna Genitrix. Nummos insuper aureos vulgavit monetæ officina Argentinensis cum inscriptione, SERVA VRBEM VIRGO TUAM. At impurus Lutherus nuper aliud carmen cives docuit cantillare. Si titulis certetur ab Episcopatibus Rhenanis, Spirensis religiosissimus: Basiliensis nobilissimus: Constantiensis amplissimus: Curiensis summus: Argentinensis nobilissimus dicendus est.

Dagobertus erigit Episcopatum Argentinensem, pridem collapsum.

Multa quoque Cœnobia Ordinis S. Benedicti numerat Alsatia, veluti Altorffium, Gengenbacum, Apri monasterium S. Greg. monasteriũ, mauri Monasteriũ fali genstadium; Schutern, Cellam S. Sigismundi (hodie præpositura est:) Neovillam, olim possessionis prædivitem, quod tamen Asceterium sub Alberto Bavaro, Argentoratensi præside, Alexandro VI. Papa indulgente, in Collegium Canonicorum, Monachis cucullum in suppara transmutantibus, vertit. Altius super cæ-

Iodoc. Coc.

tera eminent Murbachium & VVeissenburgum Abbatibus, in fastigium Imperii Principum elatis. Nunc ad Amandum redeundum est.

Pontifex Maximus potestatem ei fecerat baculum suum pastoralem per totam Franciam circumferendi, semenque Evangelicum jaciendi. Præter alias provincias Austrasia cultore indigebat. Dagobertus, cui tota spes in parvo Sigeberto, id agebat, ut sancto Præsuli filium in disciplinam traderet. Amandus non urbi solum, sed toti Diœcesi se impendens, Alsatiam identidem obibat, ut quicquid minus sincerum esset, ocyus amoveret. In Ecclesiam Cathedralem Monachos, ut Canonicorum officiis in ea fungerentur, tum etiam palantes animas in caulam Christi reducerent, accivit: qui Religiosus cœtus post multos demum annos ibidem agere desiit.

Monachi in Ecclesia Cathedrali Canonicorum leges exequuntur.

Sed Alsatia angustior erat, quam ut capax Sancti Amandi pectus explere posset, cujus desiderium studiumque juvandi miseros mortales, incredibile ac immensum erat. Ferunt eum VVormatiensi quoque Episcopatui præfuisse, cui Dagobertus Comitatum Laudenburgensem adjecerit. Tabulas adhuc in manibus esse: neque Sanctum Amandum per tantum temporis tractum urbi excidisse, sed etiamnũ ambulare per ora civium: stare denique templum in suburbio, ipsi sacrum. Quocirca demiramur Hugbaldum, vitæ Sancti Amandi auctorem hos duos Episcopatus (Argentinensem & VVormatiensem) præterire, ac solius Trajectensis facere mentionem. Forsan sileotio ansam præbuit, quod summus Pontifex ad omnes eum Franciæ provincias auctoraverit, quibus divinam lucem inferret.

Anton. Demochares. l. 2. c. 35.

Quamvis igitur Argentinæ & VVormatiæ visus sit, non ideo pro singulari harum Ecclesiarum Episcopo habitus est. Demochares atque Bruschius ipsum in catalogis utriusque Ecclesiæ ponunt. Erectis enim ad veram fidem ac bonos mores incolis, tum etiam animis nutantibus bene fultis sedem mutare consuevit. Obscuræ cellæ quam publicæ lucis amantior etiamnum juvenis, in Ogyam insulam, se condidit: nunc annis fessus, rebus ubique bene compositis, Elnonem secessit, postquam Argentinensis Ecclesiæ oous Arbogastus itidem Monachus, excepit, virtute atque litteris æque illustris. Baronius & Molanus Vttonem Argentoiensem Episcopum, qui sub annum nongentesimum septuagesimum quintum vixit, utriusque acta memoriæ prodidisse, asserunt, quorum copia nobis nondum est facta: quocirca collegimus, quæ de ipsis auctores alii sparserunt.

Brusch. de Episcopatib. Germ.

Iodoc. Coc.

Arbogastus Argentinensis Episcopus.

Anton. Democh. l. 2. VVion. l. 3. c. 37. Baron. & Molan. 21. Iulii.

Quidam putant Sanctum Arbogastum gente Aquitanum fuisse: alii Hiberoum, quod propius verum est. Nam id temporis Galba Monachis Hibernis frequens fuit: deinde socium ac comitem eum S. Florentio, Argentinensium quarto Præsuli, adjungunt, quem pro Hiberno omne sæculum habuit. In Alsatia hospes, vitam privatam in sylva degit, ubi hodie Hagenoam conspicias.

Eremum prius coluit.

Facile pares cum paribus congregantur. Ita Arbogastum multi convenerunt, bonique, qui jejunando contemplandoque dies noctesque exercuere. Non raro is tamen è deserto se eruens, signa cum vitiis ac dæmonibus consulit: Catholicam fidem in pectoribus callo stygio obductus, olepanxit. Mitra jam insignis quam liberaliter acceperit pauperes: quam efficaciter morum exemplis traxerit reluctantes: quam sedulo sacras ædes instauraverit, satis dici non potest. Ex ejus miraculis interest hæc duo saltem non omisisse.

Extra Argentinam qua Brusca Ellusque confluunt (eo nimirum loci, ubi postea Hezelo, egregius Antistes, Cœnobium jussu Nummis posuit, quodque lapsu temporis nomine Arbogastisenus periit) tugurium, quod etiam pro oratorio esset, rudi opere excitaverat. Huc nocte summa viam intendens, sacrum pensum persoluturus, cymbam abesse vidit. Ergo fluvium cruce, ceu ponte, stravit: ivitque redivitque viam, haud gravate ferentibus undis: quod Alsatiæ tabulis prolixe cantatur.

Amnem absque cymba trajicit.

Insuper fuit, ut Dagobertus cum Sigeberto venationi operam daret cis locum, qui vel à copia aprorum, vel à fatali lædentis apri dente nomen obtinuit.

Ereptam Sigeberto vitam reddit.

Huc illuc aguntur feræ: dilabuntur trepidæ: venatores cum canibus dissipantur: Sigebertus ab omnibus diversus dum prælstanti corpore aprum avidius insectatur, equo excutitur aduncis dentibus apri figitur: moritur: effertur: Rubeaquis deponitur. Solvuntur in lachrymas tam Rex, quam Regina. Lugubre spectaculum, Superi! Spes tamen aliqua in Arbogasto fuit. Ergo protinus accersitur, venit, adest. Mœstissimi parentes tanta sobole orbati, gestiunt humi fusi: orant virorum numero exceptum filium sibi reddat: per Numen obtestantur. Demum ad pedes omnis aula accidit supplex, ac palmas intendens, lucis usura suum Sigebertum donaret, usq; flagitat. Facilis in commiserationem flecti Præsul, Regem, Reginam, proceres palatinos,

verba,

verbo, ad unum omnes facessere jussit: ipse vero propter funus in genua provolutus, lachrymas & verba ciens, Numinis pacem poposcit: ut elapsam Sigeberti candidam animam cum juvenili corpore denuo componeret, summis viribus institit: ad extremum, negavit se loco discessurum, aut orare desiturum, nisi exorasset. In acta exerte relatum est, virum Beatissimæ Virginis Mariæ patrocinium plorasse, pondus absque dubio apud divinum filium habiturum. Nocte hunc in modum lachrymas inter ac preces exacta, primo mane conclamatus Sigebertus salvus ac validus rediit ad vivos.

Domnich. Vion. Monster. l.5. Cosm. Wolffg. Laz. hist. Vien. & de transmig. gent. l. 8.

De fide hujus miraculi nos parumper dubitasse, ingenue fatemur, eo quod Sigebertus Gemblacensis, auctor gravis & antiquus in historia quam de Sigeberto Rege condidit, nullam ejus fecerit mentionem: sed scriptores alii æque clari & diligentes, nos adduxerunt, ut crederemus. Permovere etiam debuit insigne Cœnobium à Dagoberto fundatum, cui nomen, *Apri monasterium* (vulgo *Ebersmünster*) ne tantæ rei memoria aboleretur: quod illius, fluviorum Alsatiæ regnator, eo loco ubi quondam Romanis rerum dominis, veterum Tribecorum superstitione infame Novientum seu Novientium steterat, ambitu suo complectitur.

Ruder. Cott.

Rhenum, ajunt, duodecim Asceteria habuisse à Dagoberto, è quibus Apri monasterium, multis describit Lazius. Collapsum Adelbertus Comes Alsatiæ iterum erexit, firmavitque singulari privilegio à Thoedorico Franciæ Rege impetrato, qui multa etiam ipse bona adjecit, cum Eberhardus Abbas rebus præesset. Fidem quoque facit in vitam revocati Sigeberti dos Matri Dei à Dagoberto collata; nimirum amœnissima regio cis citraque Rubeaquas, fœcundis Elli utrimq; ripis adusque fere Novientum porrecta, ipsumque Rubeacense oppidum cum arce Regia Isenburgo accurata finium topothesia hodie oppidorum pagorumque circiter triginta duum definitum, *Mūdati* appellatione indita. Diploma hujus Dagoberti expedire tibi non possumus, vel temporis, vel archivi invidia. Tabulas tamen Dagoberti secundi offerimus, in præclaro Argentinensis Diœcesis membraneo codice repertum.

Laz. de transmigratione gent. l. 8.

Ruder. Cott.

Mundatum, quasi munus datum.

Privilegium Regis Tageberti

Diploma Dagoberti II.

Super tribus curtis in Rubiaco, & in Bischovisheim, & in specie *Tagobertus* divina favente clementia nobilissimus Rex. Notum sit omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, natis & nascendis, qualiter ego Tagobertus exhæreditatus, Christo volente, propriis filiis, Sanctam Mariam mihi in hæreditariam hæredem acquisivi, dans in honorem Matris Domini ad Ecclesiæ Argentinensis Monasterium tres curtes meas optimas & electas, quas ita discernebam à cæteris, ut præessent cunctis, quorum una sita est in pago qui dicitur Bischoffsheim, & in Comitatu Chilcheim: altera in pago qui vocatur Rubiaca, & in Comitatu Ilchicha: tertia in pago qui nuncupatur Species, & in Comitatu Borgensi: scilicet has supradictas curtes ad supradictum Monasterium cum Servientibus, optimatibus, vel etiam equitibus, ad easdem curtes pertinentibus, eo jure traditi &c. Acta sunt hæc in Senburg. Et ut à nobis facta credantur, & à posteris nostris non infringantur, manu propria roboravimus, & sigillari jussimus.

SIGNUM DOMINI TAGEBERTI REGIS PII.

Ego Turandus Cancellarius Regis, ipso jubente rescripsi. Acta sunt hæc IV. Non. Apr. Luna VII. *Anno ab incarnatione Domini* DC.LXIII. *Indict.* V. *Regnante Tageberto Rege, Anno* XXXII. *regni sui.*

Tandem juvat spectare portum.

Patrato singulari hoc miraculo, Sanctus Arbogastus omnium animos & oculos in se convertit. Gratum quoque fuit, videre mendicorum mensas solenni precatiuncula lustrantem: cibos apponentem: lances tergentem, alios morbis, alios dæmone liberantem.

Ruder. Cott.

Postquam Episcopatus Argentinensis honores ac labores duodecim annos gessit (aliorum calculi XXXVII. ponunt) fato concessit cum annus Domini volveretur sexcentesimus quinquagesimus octavus. Alii sexcentesimum sexagesimum octavum numerant. Mausoleo suo eum delegit locum, quo rei extremo supplicio affici consueverunt, ut Coccius narrat in Dagoberto.

Guillimannus de Episcop. Argentin. alii.



An. Chriti 640. An. S. Benedicti 160.

Caput. I.

Germania, antequam Monachos accepit, inculta.

Germania latius hodie patet, quam olim.

Recto calamo veterem Germaniam depingere nos oportet, ut dicta & dicenda tanto rectius intelligas. Miraberis unum Ordinem in vastissimam nationem tantum boni conferre potuisse. Olim Germania Danubio, Vistula, Rheno, mari Balthico, & Alpibus circumscripta fuit. Limitibus postmodnm indignata suis, fines protulit, ac in Helvetiam, Bavariam, Austriam, Alsatiam, Coloniensem ac Trevirensem agrum, nec non plerasq; Belgii provincias progressa est, ut Rhenus & Danubius, qui quondam termini erant, nunc per mediam Germaniam ingenti sonitu ferantur. Tam veterem quam novam tibi, objicere, nobis animus est. Antequam igitur Sancti Benedicti Ordo eam aggressus est, barbara, agrestis, inculta, squallida, idolis plena, literis vacua fuit. Ripam Rheni etsi aliquot muniverint civitates, à barbaris tamen quos Septentrio effudit, solo æquatæ sunt. Eas Monachi postea in spem excitarunt longiorem. Ita cives Salisburgenses suam urbem Sancto Ruperto: Argentoratenses & VVormatienses Dagoberto & Sancto Amando in acceptis ferunt. Condendo enim iis in locis Monasteria, urbes simul è cineribus excitarunt. Quid? nobilissimæ per Germaniam civitates originem suam Ordini Sancti Benedicti debere, nemo nescit. Telam hanc prolixe Beatus Renanus texit. Nam ubi exitium Argentinæ, Spiræ, Moguntiæ & Neomago à Galliarum Regibus allatum exposuit, illico subnectit.

Æneas Syl. de antiquis Germania.

Quædam collapsæ civitates suam instaurationem Ord. S. Benedicti debent.

Beat. Renan. l. 2.

Iam ipsa templa Cœnobialia ansam præstitere reædificandis oppidis; verbi gratia; multis annis habitatum est in ruinis veteris Argentorati, & locus à palaciolo Regis, qui ibi nonnunquam agebat, jam erat vicus, aut à prædio Kunigesophem dictus. Verum Monasterinm ipsum nonnihil distante ædificatum loco, cui cupiebat optimus quisque ædes habere conjunctissimas, muniri cœpit, & muro claudi. Itaque ex oppido Cœnobiali (nam Cœnobium potior pars erat) contractis eo vicis proximis, tanta posteriori tempore est urbs constituta. Eadem ratione nunc propius Rhenum visitur Moguntiacum, quod olim plusculum distabat. Idem accidisse Spiræ conjicio. Hinc torrentem prosequitur, demum fessus sic claudit: Igitur occasione Cœnobiorum in Germaniæ provinciis ista oppida fieri cœpta. Germaniam hunc in modum per Monachos excultam vocare novam. In multas etiam nobiles urbes incidemus, quorum fundamenta à nostris Monachis videri queant jacta, dum Monasteria vacuis tunc locis imposuerunt.

Non tamen pro magno ducimus, quod nostra Religio trans Rhenum tantum potuerit, veterem faciem Germaniæ reddendo: sed id obstupescimus, eandem illi fortunam adfuisse in Suevia, Thuringia, Saxonia, Dania, Gothia, Nordvvegia, Suecia, Polonia, Russia, denique ubique gentium per Septentrionem. Nam animos tu mihi barbaros id temporis æstima; mecum obstupesces. Sine politia, sine humanitate, sine fronte, sine veris aris ac focis fuere, sæpe etiam sine casis: nostri tamen Monachi feritatem illis detraxerunt: ut vitam politicam & communem instituerent, civitatesque conderent, persuaserunt: ad ultimum id effecerunt, ut ubi ipsi Asceteria construerent, mox hi se se agglutinarent: ibidem loca sedibus caperent, donec densis nimium cuneis adglomerati, angustos pagos in amplissimas civitates aperuere.

A Monasteriis multæ per Germaniam civitates originem duxere.

Ne quis autem me fabulam de cruditate Germanorum, quos illa sæcula tulerunt, cecinisse putet, quam bene insuper ordo Sancti Benedicti de Ecclesia sit meritus, intelligat, testes huc agimus, plane idoneos. Primus prodeat Cornelius Tacitus: Nullus Germanorum populis urbes habitari satis notum est: neque pati quidem inter se junctas sedes. Colunt discreti ac diversi ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant non in nostrum morem connexis & cohærentibus ædificiis suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus ignem remedium, sive inscitia ædificandi: neque cæmentorum quidem apud illos, aut tegularum usus: materia utuntur ad omnia informi, & citra speciem aut delectationem. Adhæc, solent subterraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hyemi & receptaculum frugibus: quia rigorem frigorum ejusmodi locis molliunt, & si quando hostis advenit, aperta populatur, abdita autem & defossa aut ignorantur, aut eo ipso fallunt, quod quærenda sunt. Litterarum secreta viri pariter ac fæminæ ignorant.

Tacit. de moribus Germ. Germani olim diversi habitarunt.

Cum

Cum Tacitus auctoritate apud Germanos polleat, alium fortasse testem non exposcent, nos tamen etiam alios sistimus. Germani, inquit Seneca, errant incertis sedibus. Sunt apud eos perpetuæ byemes: solum infœcundum: nullæ ædes. Venationibus vivunt: ubicunque nox fessos laboribus deprehendit, cubant sub frondibus, aut in speluncis foveisve. Non habent domos, sed casas foliis & culmis contectas. Incolæ circumaguntur chorizantium more in congelato mari, carne ferina victitantes: gens nuda & pellibus solum ferarum vestita, & propterea vilis despectaque ab omnibus.

Strabo l. 7. Strabo se quoque admiscet, Suevorum natio, dictitans, partim intra, partem extra sylvam Herciniam habitat, Geterum contermina genti, Suevorum quidem gens amplissima: è Rheno siquidem usque ad Albim pervenit fluvium. Commune autem est omnibus qui hunc tractum incolunt, ut alio facile migrent, & propter victus tenuitatem, & propter ignaviam agrorum colendorum, & propter innpiam pecuniarum. Cumque in tuguriis habitent, in diem habent suppellectilem, plurimamque è pecoribus trabunt alimoniam, sicut & Nomades eorumque instar, domestica in carris tollunt instrumenta, quocunque sors tulit & opinio, suis cum armentis convertuntur.

Herodot. l. 4. Herodotus de toto Septentrione hanc fudit vocem: Nullæ sunt eis urbes, nulla mœnia: instrumenta domus secum ferunt singuli, equestresque sunt sagittarii, non pane victitantes, sed ex pecoribus, pro domibus plaustra habentes. Accinit Horatius:

Horat. l. 3. Carm. Ode xxiiii.

Campestres melius Scbytæ.
Quorum plaustra vagas rite trabunt domos,
Vivunt, & rigidi Getæ,
Immetata quibus jugera liberas.
Fruges, & Cererem ferunt.
Nec cultura placet longior annua.

Si amicas aures applicas post veteres auctores Æneas Sylvius, auctor novus, in eandem sententiam verba faciet. Martinus Mereus, jurisconsultus, detrita fronte in medium prodiit, plenus querelarum, acerbius justo premi & tributis à Papa exhauriri Germaniam. Hæc contra retulit Sylvius: Parum quidem ea tempestate à feritate brutorum majorum tuorum vita distabat. Erant enim plerumque pastores, sylvarum incolæ ac nemorum, cujusmodi vitam inertem ac pigerrimam esse, Aristoteles auctor est. Nec munitæ his urbes erant, nec oppida muro cincta: non arces altis innixæ montibus: non templa sectis structa lapidibus visebantur: aberant hortorum ac villarum deliciæ: nulla viridaria, nullæ consitiones, nulla tempe, nulla vineta colebantur. Præbebant largos flumina potus: lacus & stagna inserviebant lavacris, & si quas natura calentes produxerat aquas.

Æneas Sylu. de Germania.

Parum apud eos argentum, rarius aurum: margaritarum incognitus usus: nulla gemmarum pompa, nulla ex ostro vel serico vestimenta: nondum metallorum investigatæ mineræ: nondum miseros in viscera terræ truserat mortales auri sitis (laudanda hæc & nostris anteferenda moribus:) at in hoc vivendi ritu nulla fuit litterarum cognitio, nulla legum disciplina, nulla bonarum artium studia. Ipsa quoque religio barbara, inepta; & ut proprius utamur vocabulis, ferina ac brutalis.

Hem tibi antiquam Germanorum faciem! Incertæ sedis: nullius laris erant. Hinc illæ aliarum nationum lachrymæ, Cum enim Germanis aliisque popopulis Septentrionalibus res angusta domi esset, ut vix miseras animas traherent, populata & decocta una provincia, turmatim ruebant in aliam, atque aliam, iterumque in aliam, pulsis sæpe veteribus colonis. *Germani aliquandiu incerti laris.*

Insuper inopia subacti, fulminis instar in Galliam, Italiam, Hispaniam inciderunt, ut in opulentis istis regnis meterent ac molerent, cum in paupere Germania non liceret. Quot interea ediderint acerbas strages: quanta miscuerint incendia nil sacri, nil pensi habentes, modo Europam verterent, historici negant satis memorari posse. Etsi vero tot barbaræ nationes domi nudæ in ista regna penetrarint, ut alienis filis suas telas texerent, causas tamen quidam alias afferunt, matres videlicet sub cœlo frigido, cui subest Germania, fuisse fæcundissimas, præsertim mascula prole numerosas Hinc vastissimæ terræ nomen Alemanniæ inditum: quæ cum tantæ multitudini alimenta sufficere non valeret, migrandum alio fuisse. Nonnulli putant asperitate frigoris offensos, è patria se se ejecisse. Sed hæc frigide. *Germania cur Alemannia dicta.*

Num enim, sodes, minus hominum in Germania nasci hodie, quam olim, arbitraris? aut Boreale cœlum adeo ab ingenio declinasse; ut præter morem nunc calfaciat? Tuas igitur causas stimulos ego fuisse cre-

dam, ut quamplurimi alias quererent sedes: veram autem causam, duram egestatem. Si nec certas ædes, aut urbes, habuere, quas colerent, quarumque amore capti, tenerentur, sed omne solum, à quo alebantur, ipsis patria fuit, ignaris ubi quisque nati essent, facile memoriam Germaniæ exuerunt, & cum terris mitioribus commutarunt.

Europam igitur ac Asiam indomita gens hæc non amplius infestat, quod ad humanitatem traducta sit: quod pagos, oppida, urbes sapienti nostrorum consilio posuerit, hisque adamantinis vinculis innexa, domi suæ quam alienæ esse malit Bonus Poeta cecinit:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos.
Ducit, & immemores non sinit esse sui. (Ovid.)

Fatendum quidem est, cum luce Evangelica bona repente omnia in septentrionem infusa, quam Monachi Sancti Benedicti circumtulere: quod autem in Germania pedem fixerint Germani, primis omnino cultoribus suis, adeoque majoribus nostris debet, à quibus tanta felicitas in orbem universum profecta est. Condendo enim Monasteria ansam præbuere palantibus atque vagis, ut casas quoque suas adjungerent, è quibus progressu temporis nobilissimæ civitates natæ sunt. Multis quoque aliis per nemora & prata sparsis, ut unum in locum coirent, auctores fuere Monachi. Non aptius frænum instabili multitudini imponere potuissent, quo ab exterorum regnorum incursione cohiberentur.

(Albert. Cranz. in Metrop.) Rem ita se habere, paulo ante affirmavit Beatus Renanus, cui accedit Cranzius, qui tota sua Metropoli ostendit, erectis sedibus Episcopalibus (locus autem id temporis fere capiebatur in Monasteriis) paulatim quoque positas fuisse civitates, nonnunquam magnitudine præstantissimas, è quibus uni nomen Monasterii, vulgo, Munster, hucusque hæsit. In hanc insuper sententiam it, aliosque adducit Georgius Braun, è cujus Theatro civitatum hæc prompsimus: (Georg Braun. tom. I, tab. 32.) *Schaffhusium oppidum est ad dexterum Rheni latus elegantissimum, tertio Rheni ponte Helvetiorum terræ conjungitur: rebus omnibus necessariis, & limpidissimis abundat fontibus. Amplissimum Benedictinorum Cœnobium, anno Domini millesimo quinquagesimo secundo fundatum, hujus oppidi magnificentiæ occasionem dedisse dicitur: sicut & S. Galli oppidum & Lucerna, & multa alia oppida Germaniæ Cœnobiis suam originem acceptam referunt.* Testium istorum numero habendus quoque (Munster. l. 3 Geograph.) Munsterus est, qui Lucernæ urbis parentes producturus, *Civitas vero*, ait, *post Monasterium, & partim ratione Monasterii est condita, id quod in multis aliis quoque videre licet, quæ juxta Monasteria successu temporis succreverant, præsertim juxta Monasteria D. Benedicti, ut sunt VVisenburgum, Sekingen, Fulda, Amerbach, Sanctus Gallus Campidona, Blaubeuren, & multa alia.* Erat autem Lucernense Asceterium Murbachio subditum: immo urbs ipsa, quæ hodie caput unius Cantonum Helvetiorum est.

Bozius, vir laude dignus, non cogitemus, inquit, Abbates aliosq; Præsules Tuguria, ut olim Alemmanni, incoluisse. (Boz. l. 22 de signis Eccles. c. 3.) Etenim ubique per septentrionem videas amplissima Monasteria, à Catholicis Principib' erecta, ut qui relicto mundo in ea se se recepissent, absque sordibus sustentari, bonisque artibus ac moribus institui possent. In hisce Monasteriis floruere summa ingenia, locusque liberalibus disciplinis fuit, donec hæreses exortæ sunt. Hinc viri prodiere, omnis eruditionis genere clari, tantumque commodi Reip. Attulerunt; ut animum induxerint Germani, egregias urbes juxta construere, quod notavit Munsterus l. 3. quem de civitatibus Germaniæ conscripsit, addito etiam quo pacto annorum successu ædificari cœptæ ac perfectæ sint, quod nos c. VI. faciemus. In præsens sat indicasse sit, veteres Germanos caruisse urbibus, donec summi Pontificis legati in has regiones pedem imposuere, veluti Sanctus Bonifacius, qui ædificavit Monasterium Fuldense, Eistettense, multaque alia. Cap. 6. addit. *Illud autem non pigebit repetere, plerosque Septentrionis urbes juxta Monasteria conditas, quod à Monachis scilicet ad omne bonum, populi olim Boreales inculti & agrestes, instituerentur.* Beneficia idem ducenta in provincias Septentrionales ab Ecclesia profecta asserit, enumerare paratus, à turpi Luthero scilicet provocatus, qui Germaniam centum ab Ecclesia damnis affectam esse, forsan inter Scyphos evomuerat. (Quam plurima beneficia à Monastris in Germanos perfecta.) Si otium fallere hic liceret, pedetentim per bona irem, quæ Septentrio ab Ordine Divi Benedicti accepit. E ducentis unum jam tetigimus: nimirum dedisse urbes. Alterum ad manum est: publicas aperuisse scholas in plerisque Monasteriis: divinum bonum! ut merito gratias immortales feramus Numini, quod nostra opera ad id cum mortalibus communicandum uti voluerit.

Caput II.

Ordo S. Benedicti apertis scholis publicis formas Germanos.

Analphabetos, idiotas, rudes litterarum fuisse Germanos, sacris Christianis nondum initiatos, Cornelius Tacitus cum aliis paulo ante narravit. Cum igitur è profundo barbarismorū enatare non possent, laborantibus corticem subjecere Monachi, ingenuarum artium ac scientiarum gymnasiis passim institutis. A litteris enim exculti, expoliti, & quasi recocti sunt. Nec sibi postea defuerunt, sed omne eruditionis spacium sunt emensi. At malo hæc Orbi in os dici ab ipsismet Germanis Trithemium audi. Erat autem his temporibus in Monasteriis nostri Ordinis (*alterius in Europa Germaniæ & Galliæ nulla fuerunt*) hæc consuetudo celeberrima, ut scholæ Monachorum in singulis pene Cœnobiis haberentur, quibus non sæculares homines, sed Monachi moribus & eruditione præficiebantur nominatissimi, qui non solum in divinis scripturis docti essent, verum etiam in Mathematica, Astronomia, Arithmetica, Geometria, Musica, Rhetorica Pœsi, & in cæteris omnibus secularis litteraturæ scientiis eruditissimi haberentur. Ex his multi non solum in Romana lingua docti erant, sed etiam in Hebraica, Græca, & Arabica peritissimi, quod ex eorum opusculis facile dinoscitur: quanquam vitio scriptorum qui à primæva institutione præceptorum paulatim degenerare cœperunt, pauca exemplaria nostris temporibus emendata reperientur. Quoties autem idoneum ad hanc subeundam provinciam in suo Cœnobio Monachum Abbas minime habuisset de aliquo alio Monasterio ponere aptum, nō erat verecundandum. Maximū enim dedecus judicabant, dociles animos Monachorū negligere, quos ut moribus & litteris bene instituere possent, nullis laboribus, nullis parcebant impensis. Sic namque doctissimus ille Monachus Gemblacensis Sigebertus, multo tempore in Cœnobio S. Vincentii Metensi Monachorū præceptor, quāquā de alio Monasterio fuit. Ita Strabus Monachus Fuldensis in Hirsfeldia, Notgerus S. Galli in Stablaus, Albin' Monachus Anglicus in Fulda, Milo S. Amādi in Corbeia, atq; alii complures in aliis Monasteriis docendi ad tēpus tenuerunt officium, ubi conversionis primordia non sumpserunt. Hæc autem consuetudo Sanctissima primum in Anglia, cœpit, ubi venerabilis ille Monachus & presbyter Beda Monachorum institutor factus, multos post se doctissimos reliquit discipulos. Quantum vero hęc Monachorum institutio Ordini nostro profuerit, nemo ignorat, qui veterū historias studiosius revolvit. Multi enim ex Monachis propter scientiam litterarum incomparabilem ad Episcopatus honorem sublimati fuerunt, qui Ordinem nostrum vita & doctrina mirabiliter illustrarunt.

Barbariem Germanorum diluere Monachi,

Trith.; Chron. Hirsaug. in Hadereda.

Publice bonas litteras docuerunt.

In omnibus nostri Ordinis Cœnobis, in Germania & Gallia maxime, Monachorum scholastici ex Monachis habebantur, qui juniores quoq; & ingenio præstantes in primitivis litterarum scientiis erudirent, & postea qui habiles inventi fuissent, ad altiora transmitterent. In solis autem famosioribus Cœnobiis, quibus & abundantia rerū temporalium erat copiosior, & Monachorum numerus major, constituebantur ad officium docendi alios, Monachi omnium doctissimi, & non solum in divinis, sed etiam in sæcularibus litteris eruditi, ad quos ex inferioribus gradus Cœnobiis mittebantur Monachi altioribus disciplinis instituendi. Quicunque vero inter eos majoris eruditionis famam in Ordine acquisierat, etiam plures ad se missos discipulos ad erudiendum Monachos habebat.

Idem in Abbate v. Hirsaug.

Hæc Trithemius in Germania natus, eductus, veteris moris gnarus, usu peritus. Monasteriis copiosis magnum fuisse Monachorum numerū, liquido constat. Georgius VVicelius Fuldę quadringentos simul in litteras incūbuisse, refert: unde de aliis quoq; opulentis Monasteriis & Collegiis facias cōjecturam. Neque ante annum millesimum trecentesimum sæculares Magistri in publicis Germaniæ Vniversitatibus passim visi sunt, sed qui ad bonas artes vel scientias adspirabant, Ordinis nostri scholas frequentabant. Neq; vulgus tantum puerorum confluebat, sed etiā summo loco nati, parentib' id agentibus, ut pietatem simul imbiberēt. Recte igitur societas Iesu, cum à lividis premi se sentiret, quod juventutem instituendā sibi sumpsisset, exemplum ab Ordine S. Benedicti petitum, non secus quam scutum objecit. *Quod præclarum inventum*, inquit Ribadeneira, *imitatus est Beatus Benedictus, Monachorum & ipse in Occidente parens, qui pueros in Cœnobiis educabat informabatq; ad pietatem ad eum ferme modum, quo societas nostra in quibusdam Collegiis separatim nunc facit. Sic Placidum & Maurum puerulos à Benedicto receptos legimus, & omni genere virtutum excultos atque perfectos.* Ita Theologorum Rex

VVicel. apud Munsterum l. 3. Geograph.

Fuldæ 400. Monachi simul litteris operam dedere.

Ribaden. l. 3. vita S. Ignat. c. 24.

D. Tho-

D. Thomas in Monte Casino à puero institutus.

D. Thomas Aquinas in Monasterio Casinensi à puero institutus est. *Et Sanctus Gregorius multo ante adolescentulos Anglos magna diligentia conquiri jubebat; & in suis Ordinis Cœnobiis ali atque educari.* Ne autem errares, suspicando hujusmodi ephœbulos solam pietatem fuisse doctos, subjecit Ribadeneira: *Neque vero pueros fingebant Monachi Sancti Benedicti ad omnem tantummodo virtutis laudem, sed etiam disciplinis, & omni scientiarum genere instruebant. Nam & in Germania, & in Gallia, & in Anglia magna cum laude docuerunt, authore & principe hujus instituti venerabili Beda, qui ante annos octingentos in anglia docuit, & Scholæ præfuit. In cujus locum postea successit Albinus, Caroli Magni præceptor: & in locum Albini, Rabanus, Abbas Fuldensis, qui postea etiam Archiepiscopus fuit Moguntinus. Item: Monachi Sancti Benedicti Collegia, quem admodum nunc nos habemus, habuerunt, in quibus docebant scilicet, quæ nunc nos docemus. Atque ea de re tantopere floruit Ordo Sancti Benedicti, & Sanctissimis doctissimisque viris abundavit, quorum doctrina universam illustravit Ecclesiam.*

Monachi S. Benedicti non tantum animos adolescentum virtutibus sed etiã litteris excolebant.

Similia fert Hieronymus Platus: *Quod autem scholas etiam externis adolescentibus aperiendas putaris* (Beatus Ignatius) *ne hoc quidem à veteri instituto discrepat. Ita enim legimus in antiquis Conciliis cautum, ut presbyteri & Monachi Scholas habeant in Monasteriis & in Ecclesiis, quo fideles possint filios suos mittere.*

Hieron. Platus, l. 2. c. 24.

Alvarez de Paz. *Quintum opus est*, inquit, *adolescentium eruditio: quia eos tum virtute tum litteris ad sacram scientiam capessendam necessariis imbuimus. Quod opus, ut Religiosis dignissimum, Beatus Basilius primo, deinde Beatus Benedictus in Cœtibus suis Sanctissimis admiserunt, & postea Dominicana familia, ac tandem nostra societas, amplexa sunt.*

Paz. l. 1. de perfect. relig. l. 2. p. 5. c. 38.

Tradit etiam Ansegisus Abbas apud Baronium, Carolum Magnum in singulis Monasteriis & Episcopiis Grammaticæ, Musicæ, Arithmeticæ studia constituisse. Sed nos huic soli prope facem accendimus. Interesse tamen aliquid putavimus, penitius tibi inculcare, Monachos Ordinis Sancti Benedicti multis retro sæculis domi forisque (uti Parisiis, Ticini, Cantabrigiæ, Oxonii, Aureliis) litteras publice docuisse, quod hoc sæculum, si posset, Monachis vitio daret. Argumentum hoc singulari libello expendit P. Matthæus VVeiß, Monachus Andecensis, ac Rector Academiæ Salisburgensis, quam *Lyceum Benedictinum* inscripsit.

Baron. an. ?01.

Carolus M. in Monasteriis & Episcopiis litteras tradi jussit.

Lyceum Benedictinum.

Cæterum multæ illarum universitatum, quas enumeravit Trithemius evaserunt in civitates longe nobilissimas. Cum enim liberalium artium & litterarum emporia essent Monasteria, hæc autem undiq; confluentem juventutem tectis accipere non possent, circumquaque excitatæ ædes sunt, quas magistri, discipuli, famuliq; habitarent. Varia deinde occasione causaque mortales alii sedem ibi legerunt, hacque via ad justam urbium amplitudinem perventum est. Facile hoc creditu est, consideranti quid fiat in villa Garcia, Monasterio Patrum Societatis, in terra de Campos: itemq; in regio Monasterio Beatissimæ Virginis cui nomen Yrache, Ordinis S. Benedicti, in regno Navarræ sito, quo densa multitudo concedit discendi gratia, domosq; quam plurimas occupat. Dominis annexa famulorum turba est. Deinde nisi in Hispaniis Salmantica, Alcala, Vallisoletum, aliæq; universitates studiosos litterarum exciperent, pari passu absq; dubio ad Monasteria concederent, & quasi novas urbes locarent. Cum igitur multæ initiũ duxerint à Monasteriis, à scholis publicis ansam datam fuisse putem.

Non paucis quoque adjumento fuere Sanctorum corpora, publico cultui exposita. Dum enim cominus eminusque sacræ peregrinationes eo suscipiebantur, pluribus tectis opus fuit. Ita crevit Fulda, quod multi ad sacros D. Bonifacii reliquias devenerandum eo raperent pedem: & oppidum S. Galli ob eandem causam. Sic etiam civitas Sancti Dominici de Calzada fundus olim erat incultus; miraculorum postea accitu frequentari cœpit coliq;: demum cathedra Episcopalis ibidem posita fuit. Sed persequamur viam quam ingressi sumus.

Sæpe enim condendis urbibus ansam præbuere peregrinationes, ad sanctorum lipsana susceptæ.

Trithemius auctorem Gymnasiorum & Vniversitatum Ordinis nostri Bedam facit: & labitur, nisi Vniversitatis sæculares (quarum in numero Parisiensem & Papiẽsem ponas) opera discipulorum Bedæ excitatas asserat. Nam scholæ nostræ cum ipso Ordine sunt natæ. Superstite adhuc S. P. N. Benedicto, mons Casinus multos in eruditionis culmen evexit. Cassiodorus in Monasterio suo Vivariensi rector & doctor juvenum publicus fuit, collega usus Dionysio Exiguo, celebri viro. Idem Cassiodorus, nomine nondum sacro Ordini dato, scholas ad normam Alexandrinarum in Ægypto instituere connisus est. Quod nequivit in mundo, perfecit in Cœnobio. Præterea. Sanctus

Scholæ nostro cum ipso Ordine natæ.

Cassiod. de divinis lection. c. 23.

Ephes. 4.

etiam Rupertus tam Monachos suos quam Clericos erudiisse fertur, quo munere id temporis alii quoque Episcopi fungi solebant. Nam eos D. Paulus *pastores & doctores* simul esse jussit. SS. Columbanus & Eustasius, nec non horum posteri quam plurimi litteras publice propinarunt Luxovii. Quid? aliquot sæculis doctissimi per Galliam viri ex illo fonte biberunt. Nos profecto Hispani S. Martinũ Dumiensem in Gallicia, Iohannem Abbatem Viclariensem in Catalaunia litteras professos esse, pro certo habemus. Quocirca Venerabilis Beda scholarum nostrarum princeps atq; auctor haud fuit, nec domi quidẽ, seu in Anglia. Aliquot enim annis ante Theodorus Archiepiscopus Cantuariensis, nec non Adrianus Abbas ad S. Petri suis in suburbiis litteratum habuere gymnasia.

Beda l. 4. c. 2.

Quia litteris sacris simul & secularibus abundanter erant ambo instructi, inquit ipse Beda, *congregata discipulorum caterva, scientiæ salutaris quotidie flumina irrigandis eorum cordibus emanabant, ita ut etiam metricæ artis, astronomicæ & Arithmeticæ Ecclesiasticæ disciplinam in sacrorum apicum volumina suis auditoribus contraderent. Indicio est, quod usque hodie supersunt de eorum discipulis, qui latinam græcamque linguam æque ut propriam, in qua nati sunt, norunt.*

De Beda autem hoc verissime fertur, numerasse eum quamplurimos discipulos doctrina clarissimos, veluti Alcuinum, Iohannem Scotum, Claudium, Clementem.

P. Matth. Wers. Lyceo Bened. c. 5.

De Alcuino tamen dubitat Lycei Benedictini Author, nam *Alcuinus, inquit, Egberto viro sanctissimo doctissimoque, Eboracensi Archiepiscopo, ut Magistro gloriatur numquam Beda, quod sciam. Quod Eboraci educatus sit, ibique litteras cum virtute combiberit, manifestum est: sic enim ad suos Eboracenses scribit:* Vos fragiles infantiæ meæ annos materno fovistis affectu, & lascivum pueritiæ tempus pia sustinuistis patientia, & paternæ castigationis disciplinis ad perfectam viri edocuistis ætatem. *Publicum enim sacrarum litterarum gymnasium Egbertus Eboraci constituit, eamque Ecclesiam nobili valde bibliotheca auxit, ut ait Baronius ad annum 761. Qua de re Alcuinus ipse epistola prima ad Carolum:* Desunt mihi exquisitiores eruditionis scholasticæ libelli, quos habui in patria per bonam & devotissimam magistri mei industriam. Cæterum ut Bedam Alcuinus subinde magistrum appellet, nunquam tamen suum vocat. Hic enim titulus assidua litterarum tractatione ipsi partus est. Sed ut redeamus ad lineam, quos paulo ante nominavimus doctores, Parisiis & Papiæ rogatu Caroli Magni fundamenta publicis universitatibus jecerũt, quæ hactenus omne eruditionis tulere punctũ. Visum igitur Bono Deo est, Ordinem S. Benedicti non tantum scholis ornare domesticis, sed insuper Academiis nobilitare externis, quarum originem magistri olim discipulique sæculares perpetuo sacræ huic familiæ deberent. Fundationis Vniversitatis Cantabrigiensis meminimus supra: Oxoniensi, quæ S. Notgerum nostrum habuit auctorem, sub annum nongentesimum erit locus. Illis autem vniuersitatibus antiquitate nulla in Europa antecedit. Magna omnino laus, magna gloria, præsignes has cathedras à Monachis nostris excitatas, ac multos in annos non absque singulari orbis emolumento possessas fuisse.

Vero simile est, Alcuino auditum fuisse Egbertum potius, quam Bedam.

Vniversitates Parisiẽsis, Cantabrigiensis, Oxoniensis, quas Orbis celebrat, à nostris excitatæ.

Quantam vero Ecclesia Dei utilitatem ex hujusmodi Academiis domi forisque à nostris erectis ceperit: quanta agmina virorum doctorum inde prodierint: quanta Monachorum multitudo, omnibus ingenuis artibus & scientiis exhaustis, inde floruerit, incredibile dictu est, profecto. Nec si tu compendio velis, ego paucis libris absolvero. Quidam ad certos calculos vocant eos, qui scientia, alii eos qui Sanctimonia antecelluerunt nostro in Ordine. At cum fuerint innumeri, male tempus fallunt, numerum certum ineundo. Si enim viri gravissimi juxtaque rerum nostrarum peritissimi memoriæ prodiderunt, Ordini D. Benedicti quadragesies septies mille Abbatias: quatuordecim mille Prioratus liberos fuisse: & si quod affirmat Trithemius, in Monasteriis tenuioribus saltem liberales artes, in majoribus vero superiores quoque scientiæ tradebantur, inducisne tu animum, censum doctorum capitum in hoc Ordine à quoquam agi posse? Civitatis nostrorum industria extructas, tota manu indicare possumus: at viros præclaros quos habuimus, & tanto bono Ecclesiæ eduximus, frustra in digitos mitteremus: nimis vero stolide in unum hoc Caput contraheremus. Eos tamen qui magis in promptu sunt, in majora integrorum voluminum spatia digessimus. Nunc ostendisse sufficiat, Germaniam quondam sylvestrem, barbaram, incultam, inhospitalem, ac rus merum fuisse: ab Ordine Sancti Benedicti ad humanitatem cultumque traductum: ejusdem opera conditas passim celeberrimas civitates: pulsam ignaviam & ignorantiam: virorum doctorum copia nulli regno vel terræ quicquam concedere, sed omnes forsan post se

Tom. 1. c. ... 545. c. 3.

Qui omnes Monachos S. Benedicti doctrina præstantes antè numeraverit, operam luserit.

Prolixe de Germania meruit Ordo S. Benedicti. ...

relinquere

relinquere. Horum nominibus integrum Trithemius librum implevit. Æneas autem Sylvius postquam novam Germaniam à nostris excultam cum veteri incondita, fera, inscita, composuit, *Quod si vos (Germanos) inquit, amplius appellaverint barbaros, ipsi verius barbarissimi censendi fuerint, sive Græci, sive Latini.* Quod igitur Germanus tantum sit mutatus ab illo, qui quondam fuit, beneficium Ordinis S. Benedicti est, cujus historia his duobus crebro pedibus deinceps incedet; vita scilicet communi seu politica, ad quam colendam Germanos ferarum in modum palantes, nostri majores induxerunt: deinde doctrina, qua eosdem imbuerunt. Vix plane vestigium proferemus, quin Monasterium nobis occurrat, à quo civitas aliqua, oppidum, aut pagus initium duxerit, vel ubi liberales artes ac scientiæ in medium propositæ fuerint.

Trithem. de viris illust. Germaniæ.

Æneas Sylv. de Germania ad Meterum.

Qui Germanos hodie censent barbaros, barbarissimi sunt.

CAPUT III.

VVeissenburg, Monasterium Imperii, D. Petro dedicatum.

EO temeritatis provectus quondam Dagobertus fuit, ut etiam locis sacris afferret manus. Postquam vero à vitiis revocavit gradum, eum se præstitit, ut inter meliores Galliæ Reges ab omni memoria sit habitus, à multis quoque historicis Magni cognomentum tulerit, non à vanitate, sed magnis factis impositum. Plurima Monasteria per Austrasiam, Neushiam, & propter Rheni littora fundavit, è quibus ante alia describendum nobis est VVeissenburgum. Est in Vosagi faucibus, amœno ad Luteram, liquidum fluvium, situ Sebusium, Romanorum vetus colonia, & Iuliani Apostatæ irruptione nobile oppidum, quando is exercitu ad Vesontionem contracto, signa vertit in Alemannos, qui Argentoratum, Brocomagum, Tarbellos, Sebusianos, Nemetes, Vangiones, Moguntiacũ in potestatẽ redegerant. Longiuscule hinc fors evolvitur, qui medius civitatem secat, & pinetum molli flexu tendens, prolabitur, vicinaque emensus D. Germanum petit, indeque per Sebusium se agens, tandem ad Luteræ castrum Rheno se admiscet. Hîc Dagobertus Magnus dignum majestate sua Monasterium extruxit, loco omnium fertilissimo, cui circumfusi colles, & occultæ valles, & opacæ arbores incredibilem gratiam conciliant. Igitur situs amœnitate captus Rex, hîc loci potissimum sibi ærarium emungendum censuit: quid autem ipsum impulerit ad moliendum tam magnificum Cœnobium, ipse exponat.

Iodoc. Coc. in Dagob. c. 18. Iul. lib. l. 1. Comm. belli. Gall. Amian. Marcell. l. 16.

VVeissenburgum loco amœnissimo posuit Dagobertus.

Lutera Castrum vulgo Lauterburg.

Tabulæ fundationis.

Patre meo Lothario, felicis memoriæ, defuncto, patrii regni curam suscepi, sed vivendi ductus levitate, dominandique cupiditate distractus, regalis officii debitum neglexi, nihil exhibens cõmissæ sollicitudinis, vel diligentię, nihili faciens, vel judicans mãsuetudinis, aut Zelo justitiæ. Inter alios excess⁹ meos, Ecclesiarũ destructor & dissipator cess⁹ esse cœperã, quarũ defensor & sublimator esse debuerã, vel fuisse. Nec divinæ Majestatis oculos, nec miseram hominũ veritus acclamationem. Tandem Dei benignitas obstinatæ mentis superbiam conterens, virga correptionis iniquitates meas visitavit, & castigato mihi veniam non denegavit. Nam raptus in sublime, divinæque Majestati inter Choros angelorum in habitu judicantis sedenti præsentatus, austerissimis Ecclesiarum patronis, pro rebus Ecclesiasticis per rapinam distractis à me, & consumptis, graviter & constanter sum accusatus, & maxime à Sancta Dei genitrice Maria, & à susceptore animarum, S. Michaele Archangelo, atque à Beatissimis Petro & Paulo Apostolorum principibus. Cumque conscientia gravatus, non auderem delicta defendere, occurrit mihi tandem specialis meus patronus, Martyr Dionysius, qui precibus suis instantis pœnæ dilationem mihi & tempus obtinuit. Idem ipse quasi modum statuens pœnitentiæ, in hoc mihi spem plenæ posuit indulgentiæ, si ad honorem Dei, & Sanctorum prædictorum, quos magis offenderam, domum divinis aptam servitiis construerem. Qua promissione lætatus libens vovi, dimissusque à superis redii. Igitur sub certa spe remissionis & indulgentiæ peccatorum nostrorum, reddentes alacri studio votum quod fecimus, Ecclesiam in honorem Sanctæ Trinitatis, & Sanctæ Mariæ perpetuæ Virginis, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, in loco qui dicitur VVeissemburg construximus, quam sublimare, & regali munificentia ditare decrevimus.

Nolite tangere.

Hæc è tabulis fundationis excerpsimus, quarum fragmentum Baronius ad annum 664. exhibet: quod etiam Iohannes Magnus ad calcem sui Chronici fecit: Trithemius vero integras apposuit: quas nos in Appendice Lectori afferimus. Voti igitur solvendi causa villis, pagis, sylvis, agris, pratis, vineis, mancipiis, donis aliis super aliis congestis, Monasterium novum prolixe oneravit obruitque ut nullum in Alsatia inferiore opibus cum hoc certare valuisset.

Baron. an. 644. Iohann. Mag. in Append. Trithem. in Dagoberto. Append. Script. 7.

Dagobertus huic Monasterio ab Episcopis Nemetensibus cavit.

Præterea

Hieronym. Bucler. lib. de libertate Germania.

Prætereà ne aliquando vexari posset ab Episcopis Spirensibus, eorum jurisdictioni id exéptum voluit. Monachis liberam Abbatis legendi potestatem concessit: hujus arbitrio ministros ac subditos subjecit. Hieronymus Builerius, *Quod zelo (Dagobertus) inquit, divinum cultum prosequutus fuerit, Benedicti Ordinis diversa, & in Germaniis & Galliis magnifice structa Cœnobia, facile arguunt, quæ annuis censibus, nemoribus, pascuis, territibus, ac decimis in Deo illic famulantium sustentationem reddidit locupletissimam. Testimonio sunt VVisemburgense, Sarburgense, Haselacense, & Herfordiense Scotorum Cœnobium.*

Primo loco, ut par erat, VVeissenburgum collocauit.

VVeissenburgi apertæ scholæ publicæ.

Locus antea vacuus incolis fuit: postmodum posito illic tam nobili Monasterio, mox ædes aliæ atque aliæ surrexere, subditis singulari libertate, munere Dagoberti, gaudentibus. Accesserunt scholæ publicæ, quæ magnam discipulorum copiam trahentes, ansam dedere ut tecta densarentur, ac tandem in urbem explicarentur, quam Theodoricus mœnibus cinxit, ac turribus validis firmavit. Hodie Imperio subest. Multos hoc Asceterium viros doctos numeravit, si famæ standum est, è quibus Trithemius, Olfridum, Rhabani discipulum mire celebrat, veluti Poeseos, Rhetoricæ, Philosophiæ, scripturæ sacræ, liberalium artium omnium longe peritissimum, multorumque librorum auctorem: sola Spira quatuor hinc evocavit Episcopos.

Trithem. de scriptorib. Ecclesiast. in Olfrido.

Huic Cœnobio quatuor Episcopos Spira debet.

Templum ingenti mole spectatoribus magnitudinem Regis obiicit. Inter sacra lipsana, *antecunt memoriæ principatu SS. Sergius & Bacchus*, inquit Coccius, *nobilissimi sub Maximiliano tyranno Athletæ, quorum tumuli cælato auro argentoque affabre illustrati summam templi aram utrinque ambiunt. Extat veteris libri VVeissenburgensis operimento notata de hac sanctarum reliquiarum iterata repetitione, deque celeberrima panegyri scriptura, quam, ne omnino intereat, hic adscribimus: ita enim habet:*

Coct. in Dagob. c. 18.

SS. Sergii & Bacchi mausoleum.

Anno Dominicæ incarnationis 1252. in Nativitate Beatæ Mariæ Virginis, elevata sunt corpora SS. Sergii & Bacchi in Monasterio VVizenburgensi, quæ recondita fuerant retro altare S. Petri, præsentibus tribus Abbatibus, VVizenburgense, Salsense, Hornbacense, & Fratribus minoribus Numero circa centum, quorum tunc generale Capitulum fuit apud VVizenburgum: præsentibus etiam hominum turbis utriusque sexus circa Lx. millia & amplius, qui aderant ipso die feliciter, Amen.

In ara media Crux argenteis laminis septa, eminet, quam cum alia majore in Sacrario condita, Dagoberti munus esse, omnis vetustatis fides fuit. Intra aram B. Irminæ, Dagoberti filiæ, regium corpus exponitur hac inscriptione:

Item B. Irminæ virginis & S. Eugeniæ Martyris.

HIC RECONDITVM EST INTEGRVM CORPVS B. IRMINAE VIRGINIS, FILIAE DAGOBERTI REGIS FRANCORVM, FVNDATORIS HVIVS MONASTERII.

Hinc prope abest tumba altera, sic inscripta:

HIC RECONDITVM EST INTEGRVM CORPVS S. EVGENIAE VIRGINIS ET MARTYRIS, DE SODALITATE S. VRSVLAE.

Servantur hic etiam aliorum reliquiæ lipsana.

Horum tamen ossa alio quoque, ac nuper Philippo Christophori Ecclesiæ Spirensis Episcopi simulque VVeissenburgensis præpositi, nutu, in Parthenonem Dagobertini Horrei apud Treviroros, veterem D. Irminæ sedem (quam nimirum ipsa posuerat & rexerat) ablata sunt. Caput argento ac gemmis conspicuum, adhuc in manibus est.

Servantur hic etiam vel membra vel corpora SS. Querelæ de societate S. Vrsulæ, Christinæ Virginis & Martyris, Brigittæ Virginis, Gregorii Ducis Maurorum, Alexii, Eulaliæ, Anastasiæ &c. Pleraque à Dogoberto accepta, quæ majores nostri ingenti statis temporibus conventu salutare atque colere consueverant. Nec te præteriverim Henrice Mingere, innocentissime puer, magna gloriæ hujus Monasterii materia, quem septennem perfidi Iudæi exceptum, barbaro facinore interfecerunt anno post Servatorem natum M. CC. LXX.

Nunc media basilicâ mausoleum, cancellis ferreis præcinctum, implet, miraculis illustris. In promptu quoque est Zona Beatissimæ Virginis cum hac schibiosi geminis distincti epigraphe:

Ad manum quoque est zona B. Virginis.

ABITVR HIC ZONA, QVA VIRGO PVERPERA CINCTA.
EDIDIT HVNC NATVM, QVI CONDIDIT OMNE CREATVM.

Magna huic Zonæ etiam hodie religio est: nam fœminis partu laborantibus præsentem fert opem. Medio è templi tolo corona suspensa imminet, cujus limbus septuaginta duorum pedum est. Alteri cuipiam subrogatam fuisse, ex auro conconflatæ, atque à Dagoberto dono datæ,

constanti fama traditur, Samuel xxxi. Abbas, ne memorabile opus memoria excideret, fecit, orâ hisce versibus (ut illud sæculum erat, incompositis) inscriptâ.

Hic Deus in cœlis instruxit cor Samuelis,
Vt faceret notum cunctis laudabile votum,
Quod fore sincerum, probat efficacia rerum.
Namque sub octavo Sacrosancti Ordinis anno,
Artem per meram dedit hanc splendesfere sphæram,
Non tam præsumptus, quam toto pectore promptus.

Nimirum ferreo sæculo natus quispiam, coronam cudit ferream, auroque illevit.

Abbas Imperii Principes. Ingens, hercule, hoc quoq; decus est, inter quatuor Augustalia Imperii Monasteria; quorum Abbates in sublimem Principum gradum tolluntur à Carolo Magno (*Calvi Osboni Magno munus hoc in acceptis ferunt*) fuisse locatum. Nicolaus Mameranus dum publicam describit pompam, qua Carolus V. Mauritium Saxonem ad Septemviratum Imperii labente anno millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, authoravit, omnes Ordines ac status Augusti hujus concessus suas in classes digessit, à quo hæc accepimus, quibus nonnihil addidimus ex Atlante Minore.

Abbates Principes Imperij Primæ classis.

Abbas Fuldensis, Imperatricis Archicancellarius.
Abbas Campidonensis,
Abbas Murbacensis.
Abbas VVeissenburgensis.

Prælati & Abbates Principes secundæ classis.

Abbas Hirsfeldensis.
Abbas S. Galli.
Abbas Einsildensis.
Abbas Fabariensis.
Præpositus Berckstolsgadensis.
Præpositus Elvvacensis. (olim Elvvacum vulgi Elvvangen, Abbatia Ordinis S. P. N. Benedicti fuit.)
Abbas Stabulensis.
Abbas Corbeiensis.
Abbas Salveldensis in
Abbas VVerdensis in VVesphalia.

Prælati & Abbates Imperii, non tamen Principes.

Abbas Cæsariensis.
Abbas Rittershausensis.
Abbas Epternacensis.
Abbas Steinensis ad Rhenum.
Abbas Prumiensis.
Abbas Ad S. Ægidium Norimbergæ.
Abbas Elchingensis.
Abbas Nuenburchensis.
Abbas VVeingartensis.
Abbas Heveldshausensis.
Abbas Ochsenhusanus.
Abbas Giengenbacensis.
Abbas Marchtallensis.
Abbas Konigsbrunnensis.
Abbas Maulbrunensis.
Abbas Rothensis.
Abbas Schaffhusensis.
Abbas VValdarensis.
Abbas Vrsenensis.
Abbas Schutterensis.
Abbas Ysnensis.
Abbas Schussenriedensis.
Abbas Ruchershusensis.
Abbas Rokenburgensis.
Abbas Augiæ divitis.
Abbas S. Blasii.
Abbas S. Maximini Treveris.
Abbas S. Emerammi Ratisbonæ.
Abbas Augiæ Minoris.
Abbas Maurbacensis.
Abbas S. Cornelii prope Aquisgranum.
Abbas Salemitanus.
Præpositus Creuzlingensis.
Abbas S. Petri in Hercinia sylva.
Abbas VVerdensis
Abbas Blanckemburgensis.
Abbas Petershusanus.
Abbas VValdsacksenensis.
Abbas S. Cornelismunster.
Abbas Vallis S. Georgii, &c.

Quædam horum Monasteriorum alios postmodum accepere Advocatos.

Etiam aliquot sacræ Antistites inter Imperii principes habentur, veluti Abbatissa Gandersheymensis, Quindelburgensis &c.

Aliæ ad Imperium spectant, extra tamen Principum numerum sunt, veluti, Abbatissa Hecbacensis, Guttencellensis, Lindavensis, Bunnensis &c.

Hi syllabi lucem historiæ nostræ passim aspergent. Translato igitur in Germaniam Imperio, & occupatis tam vastis provinciis, Abbatum, Episcoporum, Archiepiscoporum, Baronum, Comitum, Marchionum, Ducum tituli & dignitates, omnia impleverunt. Munster. Geographia l. 3.

veruntur. Quamvis autem Imperii majestas & magnitudo per multos & diversos honorum gradus divisa sint, quatuor tamen semper antecedunt, veluti quatuor Duces Imperii, Brunschwvicensis, Bavariæ, Sueviæ, Lotharingiæ. Quatuor Marchiones, Misniæ, Moraviæ, Brandenburgensis, Badensis. Adhunc modum etiam quatuor Comites, totidem Barones, Metropoles, Abbatiæ, civitates, pagi, ac milites Imperii sunt. Facturus operæ pretium sum, Catalogum Abbatum VVeissenburgentium sibi subiiciam.

Abbates Imperialis Monasterii VVeissenburg.

Chronicon Alsatiæ.

1. **P**Rincipius. Vt Dagobertus omnia magni Fundatoris munia implere, Principium cum successoribus in eam libertatem evexit, qua soli Pontifici Max. parerent. Rebus aliquamdiu in Monasterio gestis Episcopus Spirensis lectus est.
2. *Theodonius.*
3. *Radefridus.* Hoc Abbate Badena præsignis urbs Monasterio accessit; hodie feudum, quod Marchiones Badenses beneficio Cœnobii possident.
4. *Hervvaldus*, seu Ebrvvaldus.
5. *Iustulphus*, quem Præsulum Moguntinensium numero haberi ajunt. Episcopali mitra redimitum fuisse, liquido constat: de sede historicis lis est. (Chronicon Alsatiæ.)
6. *Astrannus.*
7. *Gerbertus.*
8. *Ermbertibus*, ob singulares virtutes omnium voce celebris: VVormatiensem Episcopatum quasi muneri accepit.
9. *Dragebodus*, quibusdam Dragoldus, exutus Abbatia, & Episcopatui Spirensi præfectus est.
10. *Charialdus*, vulgo Charvvaldus.
11. *Bernhardus*, nonnullis VVernharius factus de Abbate Episcopus VVormatiensis.
12. *David*, Pipino Gallorum Rege adhuc superstite Episcopus spirensis jussus.
13. *VVielandus.*
14. *Odogerus* seu Odogarius, sub annum 826. Pontifex Maguntinensis creatus est. Haroldum Danorum Regem, Anno D.CCC.XXVI. præsente Ludovico pro sacro fonte lustravit.
15. *Grinoldus*, Thermas Badenses dominis aliis attinentibus eripuit: Monasterio restituit an. D. CCCL.XXI.XV. Cal. Junij. Ludovico sceptra tenente.
16. *Volcoldus.* Cathedræ Episcopali alicubi insedit, certatur de loco.
17. *Gerbardus.*
18. *Vulturnus* seu Vulturicus, postmodum Vangionum Episcopus.
19. *Minoldus.*
20. *Adelbardus.*
21. *Gerrichus.*
22. *Ercambaus.*

Quibus annis hi Abbates ad clavum sederint, non convenit inter veteres chartas, quod etiam Bruschius notavit.

23. *S. Adelbertus*, ex Monasterio S. Maximini Treveris evocatus. Cum enim Otho I. cognomento Magnus in Russiam eum misisset ad rem Christianam ibi gerendam, gens vero barbara culturam non admitteret, in Germaniam redux Asceterio VVeissenburgensi ab Imp. præfectus est. Idem Magnus Otho cum Archiepiscopatum Magdeburgensem in saxonia per id tempus erexisset, Adelbertum primum Archiepiscopum dixit, qui munus boni pastoris strenue obeundo, innumeros VVandalos ad fidem adduxit. Mortuus est anno post Christum natum nongentesimo octogesimo primo, XII. Cal. Iul. (S. Adelbertus ab Othone M. in Russiam missus, barbaram gentem ad fidem adducendi causa. Crantius hist. sax.)
24. *S. Veradus*, vel Sanderadus, à quodam Duce (Othoni nomen fuit) qui Monasterium invasit, diripuit, igneq; subdito combussit, in fugam actus est. Tanta injuria affectus non tamen animo cecidit: demum sacrum verticem infulæ Magdeburgensi submittere jussus est.
25. *Gisilarius*, ab Othone afflictis rebus præfectus humi procumbens, Monasterium è cineribus & ruderibus excitavit: auxit: & ad veterem splendorem revocavit, ut pro secundo Fundatore merito feratur. Post annum decimumquartum Abbatiam cum vita exuit æra Christiana C M. LXXXIX.
26. *Gerrichus*, post duodecennium Abbatia se abdicavit.
27. *Sigebodus*, lectus à religioso cœtu anno 1001. munus anno uno absolvit.
28. *Luitbardus*, XXX annis rebus præfuit: monti urbi proximo, qui à S. Stephano nomen habet, Ecclesiam Collegiatam imposuit, anno M. D. XXV. à rusticis arma in suos dominos & homines sacros vertentibus evastatam, Monasterium incendio haustum instauravit: unde conjecturam de reditibus facere licet. Diem obiit Cal. Nov. anno M. XXXII.

29. *Volmarus*, concessit an. M.XLIII.
30. *Arnoldus*, postquam XII. annis Abbatem egit, Episcopus Spirensis renunciatus est sub annum M.LI. excessit an. M.LV. Non. Octob.
31. *Samuel*, dignitatem cum modo, fortunas Monasterii cum cura habuit annis XLII. Arces erexit circum urbem, bello Sickingensi & rustico solo æquatas.
32. *Stephanus*.
33. *Meningandus*.
34. *Vdalricus*.
35. *VVernitherus*.
36. *Ernestus*.
37. *Benedictus*, tres annos Abbas.
38. *Eginschalcus*, aliis Engisalavus, XXIII. an. Abbas.
39. *Gundelacus*, vel Gundericus.
40. *Godefridus*.
41. *VValramus* seu VVolframus. Excessit an. M.CC.XXIV.
42. *Chuno*. Vivere desiit an. M.CC.XLVIII. sepultus est in ambitu, cui Monachi hoc epitaphium posuere:

Arca pudoris, gemma decoris, lampas honoris,
Compar cœlicolis, mendis & absque dolis.
Spes miserorum, cella nudorum, lux populorum,
Chuno fovens inopes, sumptibus auxit opes.
Tantum pastorem tegis hîc, lapis aride, florem,
Et quia dignus erat, præmia digna ferat.

43. *Conradus*, anno M. CC. LI. extinctus.
44. *Fridericus*, urbem mœnibus cingere incepit: mortuus an. M.CC.LXII.

45. *Edelinus* seu VVendelinus, circumducto Muro erectis turribus, jactis aggeribus operi à Friderico cœpto supremam manum imposuit, Etiam fabricas alias excitavit, quarum uni, quæ secundæ portæ à leva adhæret inscriptum: Anno Domini 1288. Edelinus 45. Abbas VVeissenburgensis hanc domum construxit, & alia plura ædificia. Epitaphium hoc meruit.

Rerum dictator Abbas, veterum renovator,
Litis sedator Edelinus, pacis amator,
Hîc pausat munus, tribuat sibi trinus & unus.
Vivat ut in cœlis cum justis ipse fidelis.
Hoc tu qui cernis carmen, nec cernere spernis,
Ora, propitia quo sit sibi Virgo Maria.

46. *VVilhelmus*, seu VVillernus, mortem oppetiit an. M.CCC.I.
47. *Ægidius*.
48. *Bartholomæus*.
49. *VVilhelmus*, cui hoc Epitaphium Poeta condidit:

Hoc sepelit Saxum gelida ossa Guvilelmi,
Ille domus sacræ duxque paterque fuit.
Tertius & dominus, Christi cum voluitur annus,
Quinque ter emensus secula phœbus erat:
Quinque ter impleral Februas cum luna Calendas,
Exolnit vitæ debita fata suæ.

50. *Iohannes* de Franckensheim quindecim annis in Abbatia exactis, ab insidiosa morte exceptus est anno M.CCC.XXXVII.
51. *Eberhardus* Comes de Sarbruck, annos XLIV. totam Monasterii molem tulit. Abivit ad plures anno post salutem partam M. CCC. LXXXI. Neq; hoc oblitterandum multos hoc in Monasterio nobiles, Barones, Comites sui virtutibus actos nomina dedisse, non ut attollerentur, quandoquidem anno millesimo trecentesimo nonagesimo nono Bemontius de Sirck, omisso alti sanguinis gradu œconomiam hic obivit, non par stirpi munus. Atqui Monachi non vitiamus sanguinem, S. Marthæ artes exercendo. Cæterum Eberhardus præcinctus ad manes abivit an. M.CCC.LXXXI. cui Poeta Fatis iratus hoc Epitaphium memoriæ prodidit:

Flagrans ut nardus Abbas jacet hic Eberbardus,
Princeps pacificus, omni virtute politus:
Qui nutu domini regnavit tres, quadraginta, &
Annos, Rex Deus illi velit dare poli jus.

52. *Hugo* de Nofelden, anno M.CCCCII. solum vertit, terræ mandatus, hisce laudibus à suis affectus.

Epita-

Epitaphium.

Splendor virtutis Abbas Hugo flosque salutis,
Et servus Christi, lapidi jam subditur isti,
Qui regnans annos complevit nempe vicenos,
Nunc vivit lætæ per sæcula nescia metæ.

53. *Joannes* Comes de Veldenz, Concilio Constantiensi adfuit an. M.CCCCXXXIV. quo rerum domino Conradus de Hohenfels Præposituram ad Quatuor turres, quæ Samuelem Antistitem authorem habuere, gessit, cujus hoc durat Epitaphium.

Prudens, magnificus Iohannes, pacis amicus,
De veldenz natus Abbas, jacet hic tumulatus,
Per triginta duos vivens regnaverat annos,
Pœnis ablatis Deus hunc conjunge beatis.

54. Philippus Schenck de Erpach, quo clavdum tenente ad Quatuor turres (Ecclesia est Collegialis à Samuele Abbate fundata) Præpositi officium VValtherus de Gerolzeck fecit. Libet recitare ejus Epithaphium.

Ingenium terræ protulerunt ecce Philippum,
Lætum de Erpach fultum diu, ibi sepultum.
Abbas in triginta cum medio tribus annis
Rexerat, in Christi regnum fer conditor illum.

55. Iacobus de Bruck, mortuus est cum annus à Christo nato verteretur M,CCC,LXXI. sub hoc Præpositurà ad Quatuor turres fungebatur Antonius Comes de Leiningen. Iacobo in ambitu, ut vocant, sepulto hoc Epitaphium exere:

Vir constans, humilis semper, pietatis amator,
Spes populorum, gemma Baronum, lux Clericorum,
De Bruck qui genitus, Iacobus nomine dictus:
Ecclesiam quatuor medio cum rexerat annos.

56. Henricus, nonnullis Erentricus, an. millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto cineres repetivit.

57. VVilhelmus quatuor annis in Abbatia consumptis, anno sacro, qui fuit M.D. vitam exhalavit.

58. Rudigerus Piscator, sanguine ac animo perinde ignobilis, cuculli & S. Regulę tædio anno M.D.XXVI. Monachos in Canonicos sæculares vertit, laudabilius moriturus si promissis stetisset: sed piscandum erat in aere: Casparus Bruschius hoc eum elogio accipit: Odio Monasticæ vitæ incensus, & liberioris desiderio flagrans, effecit ut Monasterium VVitenburgense, contra piorum Fundatorum voluntatem ac sententiam, in Præposituram commutaretur. Quam sinistre vero nobilissimo Cœnobio, contra quod prætexebat, consuluerit, vel hinc æstimas quod rejecto jam cucullo egregii Canonici vectigalia novæ Præpositurae, opima prædia, agros, pascua, prata, pagos, villas, possessiones, verbo, à piis Fundatoribus collata, & à religiosis Monachis parta bona, tueri nequiverint, tandemque Monasterii antiqua fama, & gloria extincta, immensis opibus non absque insigni dedecore exciderint. Nam Philippus de Flersheim, Episcopus Spirensis, occasione tam capillata usus, Paulo III. indulgente, Carolo quinto approbante, novos Canonicos nemine defendente, tam firmis fundamentis impositum Monasterium in suam potestatem ac ditionem anno millesimo quingentesimo quadragesimo sexto redegit, ut hodie in Diplomate Dagoberti Regis ac Fundatoris frustra legamus: *Illud etiam pari decrevimus authoritate, ut nullus Pontificum Nemetensis Civitatis, vel reliquorum Episcoporum, aliquam ibidem dominandi, vel quaslibet causas agendi, habeat facultatem.*

Ex malis Monachis non fiunt boni Canonici.

Idem Rudigerus genio sæculari jam imbutus, demortuo Abbate Bartholomæo Holrigel, Monasterium S. VValpurgæ, in saltu Hagenovensi situm, suæ Præposituræ vindicavit. Mortalitatem explevit anno. M.D.XLV. Lapidi sepulchrali incisum.

Anno Domini 1545. die septimo mensis Iulii, obiit Reverendus Pater Dominus Rudigerus, hujus ecclesiæ Præpositus, cujus anima in pace requiescat.

Inscriptum parieti: *Reverendi in Christo Patris ac Domini, Domini Rudigeri, hujus Ecclesiæ Abbatis ultimi, primique Præpositi Epitaphium:*

Sacras qui quondam vivens has rexerat ædes,

Conditur hic gelida nunc Rudigerus humo.
Huic Deus omnipotens miseratus vincla relaxet.
Mortis,& ad vitæ limina pandat iter.

Ordinem S. P. N. Benedicti adeo fuisse imminutum, non alia post hæreses verior causa est, quam Monasteria valido Congregationis nexu non fuisse conjuncta, videas etiamnum hodie unumquodque viribus tantum niti suis, nec ab uno, eoque oculato capite jus accipere, sed ad proprium arbitrium res administrare, è quibus aliqua Episcopis, aliqua summis Pontificibus subsunt. Ingentem quoque jacturam Ordo passus est, flagrante perniciosso schismate, quo Iohannes, Gregorius, & Benedictus, Orbem agitabant, singulis sedem Romanam ad se trahentibus. Quamvis enim aliæ quoque familiæ religiosæ tunc aliquid detrimenti ceperint, à nobis tamen clades major accepta est, quod opimæ divitiæ avaros sæcularium aliorumque animos accendissent & accuissent. Pontifices itaque intrusi oblata hac parandorum amicorum occasione, facile ludebant in alieno corio, liberales de non suo. Omnes provinciæ indignæ jacturæ graviter indoluere, & Monachi ut sero saltem saperent, eodem fere temporis spatio tres Congregationes instituerunt: Castellensem Melicensem, & Bursfeldensem, quorum legibus & viribus Monasteria Bavariæ, Sueviæ, Austriæ, & Saxoniæ firmius stetere. Has inter Cœnobiorum multitudine ac splendore princeps fuit Bursfeldensis; nam centum & viginti septem Abbates ad Capitulum convenerunt, quod Trithemius refert. Præterea Prioratus, qui Monasteriis opulentioribus annexi fuere. Plausum huic reformationi dedere Principes, quod ea non nudum esset nomen sed veterem austeritatem revocaret. Animus nobis non est, Sanctæ hujus Congregationis originem hic loci narrare, cum ei debeatur alius. Satis fuerit ostendisse, quam opem VVeissenburgo tulerit.

Ortoschismate in Ecclesia disciplina remitti cœpit.

Monasteriorum insidiatoribus obviam itum per Congregationes.

Trith. de Monast Span heim.

Reformationi Ordinis S. Benedicti & Bursfeldensi Vnioni fundamenta in Concilio Constantiensi posita sunt, ubi Patres omnem operam, studium, laborem sumpserunt ad tollendos abusus qui in Ecclesiam Dei irrepserant, schismate viam aperiente. Tum vero Monachi nostri acceptum ejusque damnorum memores & impendentia graviora providentes, à Concilio quoq; rebus suis consulere jussi, de Reformatione, de Monasteriorum conjunctione, de habentis conventibus seu Capitulis celebrandis cogitationem susceperunt. Ducto igitur à morum censura tenui initio, paulatim animi coiuere arctius, nataq; Congregatio est, quam Bursfeldensem dixere à Bursfeldia, obscuro id temporis Monasterio in Saxonia. Igitur in tertium quemque annum indicta Capitula sunt, Constantiensi Synodo sic sanciente. Circuli quoq; quatuor Præsides, qui Visitatores designarunt.

Hi Monasteria obire: officia divina in ordinem redigere fatiscentem disciplinam sarcire: omni cura abusus exigere, itaq; omnia comparare, ut ad justam congregationem desiderare nihil potuisses. Præclari operis præcipui authores fuere Iohannes de Rode, Abbas ad S. Matthiam Treviris: Iohannes Mindanus, primo ad S. Christophori in Reinrtuten Monachus: deinde Abbas factus Clusensis: denique Bursfeldensis. Item Iohannes Hagen, Iohanni Mindano post fata suffectus. Eorum felicibus ausis conatibusque favit Martinus V. Pontifex Max. & imprimis ter optimus Deus. Erant autem viri rerum monasticarum, peritissimi: prudentia religione, morum integritate spectatissimi.

Cæterum alia Monasteria Congregationi nomina dabant, futura deinceps (quoad certas leges) in ejus potestate. Alia ad meliorem disciplinam fingi se atque formari passa sunt quidem, salva tamen priore exemptione seu libertate. In prioribus sarta tecta mansit instaurata disciplina caventibus quod annis Præsidentibus & Visitatoribus, ne laberetur. In posterioribus eadem paulatim iterum vitiata fuit. Nam bonum semen inciderat in spinas, quas cum nemo domi evelleret, Visitatores autem nec evocarentur, nec facile admitterentur, suffocato fructu, itum fuit in antiquam sylvam.

Monasterium VVeissenburg aliaque per Alsatiam à Patribus Bursfeldensibus reformata quidem fuerunt, abdicare se tamen pristina libertate, aut se submittere Congregationi recusarunt Trithemius testis est. Visitatores, ut modo dicebamus, summis sæpe studiis à religiosissimo juxtaque necessario opere arcebant, Principibus sæcularibus animos addentibus, unde certamina & incommoda non pauca nata.

Trith anno 1469. & 1470. Chron. Spanheim.

Si malo adhibeas medicinam, ad postea negligas, neque supremam, quod ajunt, manum imponas, fit malum insuperabile medicinis. Hac via pessum ivit VVeissenburgum, ubi Regula Sancti Benedicti extincta: Ordo suppressus: Dagoberti Magni, pientissimi Regis, fundationis diploma

rescissum fuit: nec quicquam roboris habuit regium sigillum quin res alio, quam à Fundarore cogitatum fuit, S. Ordine gemente, verterentur. Vt Monachi vitam ad Divi Benedicti normam ibi dirigerent, psallerent, vigilarent, jejunarent, silerent, Numen Fundatori propitiarent, tanta bona, sibi ademit, Ordini donavit Dagobertus: sed cum postremis sæculis divitiis se se agglutinarent vitia, neque visitatoribus exclusis esset qui obviam iret ac obstaret, semel obiter & quasi raptim injectum, agere radices non potuit: disciplina iterum remissa est, donec Visitatorum rigori, q; metu jugū & cucullum exuerunt, incolæ à Monachis ad Canonicos sæculares gradu facto.

Qui juraverant obedientiam, sui arbitrii esse volverunt.

Hanc autem contra Monachos istos irregulares telam haud ego ex me, veluti araneus texui, sed Trithemius genre Germanus, rerum gnarus, mihi suppeditavit, quam levitatem etiam ab aliis admissam, crebro graviterque reprehendit. Bruschius itidem Rudigerum Abbatem ultimum, odio disciplinæ Monasticæ, ac insano libertis amore actum, hanc metamorphosim instituisse ait. Verbis & lachrymis justis indulgens Trithemius, ut altum dolorem in hujus farinæ Monachos conceptum egereret, talibus ineos invectus est

Trith. lib. Penthico de ruina Ord. c. 3.

Ecce rapiuntur de manibus Sancti Benedicti opulenta Cœnobia? ecce Claustra Monachorum, Clericorum fiunt habitacula.

Apostatæ maluerunt ululare cum lupis, quam psallere cum angelis.

Sed & vos fabricatores attendite: Apostatæ Ordinis auscultate: quæ vos dementia impellit, ut Cœnobia quæ non extruxistis Sancto Benedicto, destruatis? An putatis vos à damnatione liberos, si abjecto Monachio schemate, Clerici pecceris? Salvabitne vos in districto examine peccandi præsumpta licentia? Forsitan in alieno habitu dæmonibus eritis incogniti? Videbimus si Deus translationem vestram approbet, cum in illo tremendo judicio transgressionis vestræ rationem reddere fuerlris exacti. Timeo autem, ne modo sine ordine viventes, inter eos locum recipiatis, ubi nullus Ordo, sed perpetuus horror inhabitat. Malos Monachos in bonos convertere, laudabile & sanctum est: sed Canonicos facere, non est emendare Monachos, sed depravare. Nunquam erit bonus Canonicus, Monachus malus. Bonus autem non exuet Ordinem suum, sed diliget, colet, amabit. Si reus est criminis, qui testamentum hominis violat, qua pœna dignus est, qui fundationes Cœnobiorum, à sanctis Episcopis & principib' factas, in usus alienos iniq; cōmutat? Enimvero Reges, Principes, & Præsules cæteriq; fideles qui ad Dei honorem Cœnobia fundaverūt, hęc sūmopere voluisse cōprobantur, ut fundationes hujus instituti effectum inviolabilem, sortirentur. Si Canonicos habere voluissent, in Cœnobiis Monachos non posuissent. Sed cum finem illorum intueor, qui se jam ab Ordine dismembrarunt, considero hanc longanimitatem patientiæ Dei, districta latis animadversione vindicaram. Nam sicut ex eorum relatione accepimus, qui plures illorum noverunt, pauci ex eis, qui Monachum exuerunt, bona morte decesserunt: quin potius sine pœnitentiæ signis, sine Sacramentis Ecclesiasticis, ex hac vita subitanee vocati, manifestum suæ infelicitatis dedere indicium. *Item*: Vicarium Christi fraudulenter decepisti, quia & narratio mendax, & supplicatio (ne dicam extorsio) fuit importuna. Denique Bulla translationis tuæ diligenter & cautæ conscripta, te non absolvit ab Ordine, nec votum aufert, neque religionem tollit, nec Monasticum schema deponere consentit. Putas quod Summus Pontifex tuis peccatis conscientiam suam velit involuere? Legito Bullam attente: considera verba: intentionem dispensantis nota & quod etiam post dispensationem sis Monachus coram Deo, & Ecclesia, inveniris. Ego enim hujus translationis Bullam & vidi, & legi, in qua Papa consentit ut præbendas & beneficia Monachi habeant, & nihilominus præcipit ut Sancto Benedicto, quod voverunt, reddant. Habitum Canonicarus illis concedit, sed Monachicum schema minime tollit. Ecce quam securus es, qui limites Induiti transgrederis? qui pro veris falsa fingit? qui Vicario Christi mentiris? In his quæ sunt de jure positivo, dispensatio licitum facit, quod alioquin non licuit, si causa rationabilis id exposcat. Votum autem Deo factum in lege divina reddere juberis, à quo Papa sine necessitate te nunquam intendit absolvere. Sed oro dic mihi quæ est causa translationis tuæ?

Cap. 4.

Respondebis forsitan, quod omnes sic translati respondere solent: Causa multæ sunt paupertas Cœnobii: incursus vastantium: exactio Principum: malum regimen Abbatum. Hæ sunt causæ translationis nostræ. Vos autem Apostatæ pro veris falsa narratis, & sub figmento paupertatis Vicarium Christi, immo vosmetipsos decipitis. Vtinam paupertas vera esset, utinam de terrena substantia, ut mendaciter fingitis, minus haberetis! Quid paupertatem allegatis, qui divitias maximas possidetis? Quis nesciat statum Cœnobii Sancti Albani in temporali-

bus ante translationem fuisse abundantissimum? Quid dicam de Elvvangen, insigni quondam Cœnobio, cujus divitiæ Principi potuissent sufficere? Nunquid Monasterium Sancti Burchardi propter paupertatem transferri potuit, quod multis divitiis semper abundavit?

S. Albani Mogunt. Monast. abdicavit S. Regulam. Idem fecit Elvvangen in Suevia. S. Burchardi Herbipoli:

Nunquid propter paupertatem Cœnobium Cambergense ab Ordine dimembrari debuit, quod in hodiernum diem omnia Monasteria illius provinciæ divitiis excedit? Quid dicam de Selz, quid Clingenmunster, Cœnobiis quantum ad mediocritatem pertinet, abundantissimis? O prævaricatores Ordinis vestri, & voti transgressores? creditis mendacia verba posse latere?

Camberg in Franconia. Selz in Diœces. Argentinensi. Clingenmunster.

Si transferatur, inquiunt, Beatissime Pater, tale Cœnobium in Ecclesiam sæcularem, maxime cultus inde augeretur divinus: facies Principes Romanæ Ecclesiæ semper obnoxios: pacem in circuitu populis, & Christiani nominis maximum parabis honorem.

O lingua dolosa! ô labium mendax! ô concinnator doli! ô fraudis inventor! ô minister iniquitatis! quam falsa pro veris, quam mala pro bonis, quam sacrilega narras pro sanctis! Reges & Principes Monasteria ædificare consueverunt, non etiam destruere; quos mendaciter patronos tuæ perfidiæ non debueras allegare. Nam si laudem Dei quærunt, nunquam Cœnobia transferri ab Ordine consentiunt. Hæc Trithemius.

Coccius in Dagoberto.

Fuit, cum regium hoc Monasterium VVeissenburg nec suos Monachos, nec suas opes caperet. Igitur ad exhauriendam multitudinem quatuor Cœnobia extra mœnia construxit, ad totidem Orbis plagas, inque ea colonias deduxit. Ortum spectavit Asceterium Sancti Remigii: Occasum, Sancti Germani: Meridiem Sancti Mauritii: Septentrionem, Sancti Pauli. Leges & Antistites à Præsule VVeissenburgensi accipere consueverant. Thermas quoque Badenses munus Dagoberti Magni fuisse nonnemo somnium putat; cui, ne latret, offam in os objicere, consilium cepimus. Ecce tibi litteras donationis.

Extra VVeissenburgum extracta Monasteria S. Remigii. S. Germani. S. Mauritii. S. Pauli.

Diploma.

Dagobertus Rex Francorum Viris Illustribus Ducibus, Comitibus, Domesticis, vel omnibus gentibus tam præsentibus quam futuris. Illud ad stabilitatem regni, vel remedium animæ nostræ perdurare credimus, si petitiones Sacerdotum, quas auribus nostris patefecerint, ad effectum perducimus.

Ideo cognoscat magnitudo seu nobilitas vestra, quia nos ad suggestionem viri venerabilis Ratfridi Abbatis de monasterio VVeissenburgo balneas illas trans Rhenum, in pago Auciacensi sitas (quas Antoninus & Adrianus quondam Imperatores suo opere ædificarunt) ad Monasterium quod dicitur VVeissenburg, & est constructum in honorem Sancti Petri in pago Spirensi, visi fuimus concessisse cum omnibus, & cum ipsa Marcha ad ipsas balneas pertinente, quæ venit de duobus lateribus usque in fluvium Murga, & de una fronte ad partem Occidentalem rasta una: & de alia fronte ad partem Orientalem, leucas sex, quas homines loci istius dicunt rastas tres esse.

Dagobertus thermas Badenses VVeissenburgo donat.

Propterea hoc præceptum cessionis fieri jussimus, ut ab hac die memoratus Ratfredus Abbas, vel Patres ipsius Monasterii VVeissenburgensis, suique successores vel Monachi ibidem commorantes de suprascriptis balneis, quas dicunt aquas calidas, vel Marcha ad ipsas balneas pertinente, faciant quod maluerint, hoc est, habendi, tenendi, suisque successoribus relinquendi, firmissimam habeant in omnibus potestatem. Et ut hæc præsens auctoritas firmior sit, manu nostra vel annulo nostro subter eam decrevimus roborari. Data sub die xi. Augusti, anno secundo regni nostri, In Christi nomine.

Dagobertus Rex.

Ferunt Annales Argentinenses, & Acta VVeissenburgensia ad annum M.D.V. Rudigerum Abbatum ultimum, Præpositorum primum, causam contra Philippum Comitem Palatinum Rheni dicentem Hagenoæ, Maximiliano Imperatori hoc Diploma exhibuisse.

Thermæ autem postmodum ad Marchiones Badenses, huic Monasterio liberali clientela devinctos, feudi nomine devolutæ sunt. Cæterum quorundam admonendus es.

Pagi olim ἀπὸ τῆς πηγῆς seu Dorice ἀπὸ τᾶς παγᾶς, id est, à fonte, dicebantur, quod circum fontes rustici casas ponere solerent, vocatique pagani, qui eodem ex fonte bibebant.

In Diplomate, pagus pro ditione vel regione integra capitur, quod etiam ab Aimoino aliisque rerum Francicarum historicis factum. *Marcha*, idem quod limes, Germanice *Marck*, *Rasta*, milliare Germanicum, forte à vocabulo Germanico *Rasten* duxere veteres, quod confecto uno milliari libeat quietem capere. Quin etiam nos hic jubet Plato quiescere.

CAPUT IV.

DAGOBERTUS Surburgense, Clingense, Regiopontanum Monasteria, Alsatiæ contermina, molitur.

Annal. Spirens.

QVid non potest pietas, quid non facit liberalitas ubi regium pectus occuparunt! Dagobertus exemplo sit.

Atque utinam tabulis ipsisque Monasteriis quæ condidit, ad majorem Dei gloriam, æternare licuisset. Iuvat tamen meminisse, & ab oblivione aliquatenus vindicare.

Dagobertus fundat Monasterium Surburgense.

Igitur Suraburgi pago, cui rivus illabens nomen posuit, media sylva (quam majores sanctam dixere) ædem sacram excitavit: (ne mihi instes quo consule factum) gratam quondam sedem Sancto Arbogasto. Addidit circumfusos campos, agros, pascua, nemora.

Monachos Divi Benedicti introduxit: tutelæ Beatissimæ Virginis, nec non Divi Gregorii Turonensis commisit, quibus posteri Sanctum Arbogastum adjunxerunt, cujus consilio suasuque rem tantam Rex effecerat cum filio Sigeberto. Viri Sancti lipsana brevi arcula continentur auro illita: oram hi duo versus obtinent:

INCLITE SERVORUM PATER ARBOGASTE TUORUM.
MUNERA GEROLDI REPSICH, SERVI DEI.

Moribus antiquis diu res hujus Monasteriis stetit: sed novis, id est, malis, concidit. Monachis enim submotis, in ruinas successerunt Canonici.

Iam in Clingense Monasterium, *inquit Iodocus Coccius*, cujus item Dagobertum nostrum agnoscunt, parentem, eo diligentius visum fuit investigare, quo inter munifica Dagoberti opera, jam longius à sui corporis compage, divulsum hæresique deformatum, parietibus tectoque ita squallet, ut tristi facie sua commiserationem mereatur.

Clingensis pagus est habitatoribus vel maxime frequēs duobus milliaribus VVeissenburgo dissitus, agro frumenti utnique ferace, rivis amnibus, fontibusque, licet non maximis piscium tamen varietate, & luxuriosa fætura fœcundus. Nemus venatu ferarum faginaque juxta amœnum: prædia culta villæque circum secus objacent, testes priscæ amplitudinis, quæ non nisi Clingensem parœciam, seu matricem, agnoscunt, celsissimo montis jugo, tædisq; arborum frequentibus ab occasu circumdatur.

Montis apex arcem præfert quam vulgo Landseck nominant olim non Clingensium tantum, sed & accolarum, præsens munimen, in quo hodie omnibus ad ruinam præcipitatis nil habitabile videas, præter infame facinorosorum ergastulum.

At parte, qua Septentrionem spectat, Basilica eminet, Divo Nicolao sacra, indici vindicique justæ, at non illibatæ possessionis, quæ ad hanc diem Decano Majoris Ecclesiæ Spirensis obvenit. Medio Clingensium pago Monasterium visitur Dagoberti impensâ totum ab imo cxstructum, & firmissimo murorum quadri lapidis ambitu munitum, cui prædia vicina aliasque possessiones adjectas fuisse, ad annonam Religiosis è Divi Benedicti instituto alumnis suppetitandam, obsoleti indices loquuntur. Huic inædificatum est templum saxo plurimam partem campestri & quadrato, mole, fama, turrium fastigio, cæteroque intestino opere non absimile VVeissenburgensi; quod tamen hodie nulla prisci instituti vestigia retinet.

Nam vis, jus omne invertit, & hæresis mox superveniens religionem loco abstraxit.

Benignior aliquanto fortuna respexit Regiopontanum; Sacri hodie præmonstratensium Ordinis Parthenonem, sanctonemori (ab anachoretis hoc nomen accepit) adsitum, qui Dagobertum item parentem ac beneficum loci conditorem laudat. Cæterum fuerintne hæc religiosa domicilia posteris, an vero anterioribus annis, cum parum litteris priscorum extet comperti, nihil in utramque partem habeo, quod affirmem. Qua languente testium fide, haud longius enarrationem protraham, hoc uno contentus, ut ostenderē Dagoberti pietatem cultumq; religionis latius per Alsatiæ confinia diffusam fuisse; tum ne plantaria hæc Cœnobiorum, & stir- Regiopontanum.

pes o-

pes olim omnigenæ virtutis feraces, dum plane in obscuro latent, perirent funditus, atque exarescerent.

Non ab alio quam Iodoco Coccio hæc petenda erant, cui levis fama imponere non potuit, in monumenta diligentissime inquirenti; loca vero fuismet oculis perlustranti.

An. Christi 641. An. S. Benedicti 161.

Caput I.

S. Rictruda Numini se devovet.

S. Amandus ad sacra Christiana traducit Rictrudam.

Francia proscriptus Sanctus Amandus, non perdidit animum exilio, sed resecit, ut merito fortunam adversam virtutis cotem esse, ferant. Inter alia egregia opera quæ exul edidit non ultimo loco Rictruda ponenda est, ad Christiana sacra ab ipso traducta. Loco enim summo in Gasconia seu Vasconia nata, parentibus auctoribus falsos Deos coluit: at postquam ipsi tam bonus obtigit magister, brevi intellexit quam monstraret Sanctus Amandus viam, ducere ad cœlum, ideoque se dedidit rejectis fabulis à vanissimis deastrorum sacrificulis compositis. Ad virtutem deinceps maximo studio grassata, toti Franciæ tam exemplo, quam miraculo fuit.

Post aliquot annos Aritberto Vasconiæ Rege fatis extincto, Dagobertus frater Aquitaniæ regnum excepit, quo imperante omnes Galliæ coronæ in unam confluxere, patuitque in omnes provincias tuta via. Forte Adalbaldus Belga, opibus & potentia clarus, concesserat in Aquitaniam, cui Gereberta mater fuit, filia Sanctæ Gertrudæ, non illius quæ patrem habuit Pipinum Majorem-domus Franciæ, sed ejus quæ Monasterium Hamaticum fundavit jamque ætate provecta Parthenoni præfuit: pronepotes suos vidit: ultima senectute affecta diem sancte obiit. Adalbaldus igitur ut oculis libavit Rictrudam, suavibus moribus formaque præstantem, ejus amore captus est.

Adalbaldus ducit Rictrudam.

Petita nuptui atque data fuit, quod nobilitas atque prudentia etiam Adalbaldum commendarent. Virtutibus itaque fultum matrimonium, in concussum stetit.

Filium unum, filias vero tres susceperunt, felices profecto parentes, quod omnes relati in Cœlites sint. Nomen masculo Mauronto fuit, qui postea in leges Sancti Benedicti concessit: Clotsenda, Eusebia, Adalsenda, sorores, dedignatæ à mundo jugum accipere, Christo se pariter manciparunt, unde parentum quoque pietatem æstimare licet. Hugbald. apud Sur. 12. Maij.

Sed quinam à via salutis aberrare potuerint, sanctissimis ducibus Richario & Amando usæ? *Maurontus patrem spiritualem habuit*, inquit Hugbaldus Monachus Elnonensis, *venerabilem Deoque dignum sacerdotem Richarium, qui per sacrum baptisma eum Christo regeneravit. Clotsendem egregius Pontifex Amandus sacris manibus è fonte salutari suscepit, atque in omnibus Deo dignam reddidit. Eusebiam Mathildis Regina, Dagoberti conjunx, ex sacro fonte suscepit.*

Rebus sic è sententia succedentibus, iter in Vasconiam intendit Adalbaldus, ubi non parva laboravit invidia, quod hic hospes ac peregrinus alti sanguinis, elegantis formæ, divitis opum fœminam duxisset domum in Belgium. Euntem Rictruda ex more prosequuta est, donec bene valere remque domi curare jussa fuit. Avellere se propemodum nequivit, quod ipsi nescio quid mali præsagiret animus. Adalbaldum venientem lividis oculis excepere æmuli; inita deinde conspiratione, insontem mactarunt.

Hoc nuncio allato, Rictruda marito vidua: orbi patre amantissimo liberi, sublato ejulatu ingentem vim lachrymarum profunderunt. Marito satis defleto, Rictruda Sanctum Amandum consuluit, quid deinceps optimum factu videretur. Identidem rogatus sententiam dixit, verbis tamen non suis, sed Divi Pauli, nimirum: *Mulier alligata est legis quanto tempore vir ejus vivit. Quodsi dormierit vir ejus, cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium.* Subjecit etiam Servatoris nostri dictum: *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo? & veni, sequere me.* Adalbaldus ab invidis cæsus. 1. Cor. 7. Matth. 19.

Rictruda non modo benevolas Episcopo applicuit aures, sed insuper moras animose rumpens, ejus dicto audientem se fore, spopondit. Hinc ingenti propositum damnavit cacodæmon; nec minorem obicem viduæ objecit, ut ne Rictruda frustra ad nuptias al tera invitata.

tam presso vestigio sequi Christum posset. Nimirum Rex ipse miris blandimentis in vitatam, palatino cuidam suo collocare instituit. Cum illa nil moveretur, accensus ira terrorem incutere conatus est: iterumque vanus fuit: suasu tamen Sancti Amandi spem Regis non penitus incidit, in ejus potestate se futuram, dictitans, facturamque id quod optimum foret.

Posthæc in prædio suo (Bairelo nomen est) convivium instruxit, Rege digmum. Dagobertus invitatus cum proceribus adest.

Accumbitur, estur, potatur in orbem ambulantibus scyphis jactantur conditi sale joci: aura risu quatitur. Matrona ipsa toto vultu hilaritatem exporrexit. Sed cum ferveret opus maxime, ecce tibi, surgens illa Regi sese admovet: atque ridenti similis, num sibi domi suæ quicquid visum fuisset, liceret? palam rogat.

Pio astu Regem circumducit.

Quasi non ea potestas sit sua, excepit Rex cum volueris, debito ut te exolvas; ratus propinandi copiam à se peti. Tum illa velum à Sancto Amando consecratum suo è sinu raptim proferens, capitique imponens, ita me Deus amabit, inquit, ut hanc castitatis tesseram non amplius deponam. Dagobertus, ut qui ludibrio fœminæ opportunus fuisset, irarum plenus mensam indignandi manu removit: è cœnatione foras se proripuit. Stomachati quoque proceres, malis avibus epulum illud à se frequentatum, nec ultima primis respondisse, confertim ex ædibus se effuderunt. At Rictruda vix animi compos præ gaudio, palmas cœlo sustulit, immortales gratias agendo Numini, quod hoc facinore & proco & Regi spem nubendi ademisset. Hinc ad possessiones versa, ne quicquam fluxi aut vani ipsi adhæreret, tem omnem distribuit.

Cultum insuper ac mundum muliebrem penitus exuit, quod nullus jam Adalbaldus esset cujus oculos in se flecti vellet.

Martianensi Monasterio se addicit.

Imposuit autem capiti tetrum quendam amictum, inquit auctor vitæ ipsius, *ut mœroris hominis luctum & pœnitentiam designaret, possetque pro luctu brevi & mœrore momentaneo ea quandoque consolatione affici, de qua Dominus dicit in Evangelio*: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Ut dæmonis carnisque vexationes propulsaret, in preces ac jejunia propemodum immodica incubuit: corpus aspero cilicio involvit: unde Regis animus, agente etiam Sancto Amando, paulatim compositus est. Condiderat eximius Præsul Monasterium ad Scarbum fluvium, quod Martianas seu Marchianense nominavit. Præfecturam in eo Sanctus Ionatus Abbas gerebat, qui in Parthenonem id vertit. Huc igitur Sancta Rictruda cum pace Dagoberti, volente etiam Sancto Amando secessit: continentiæ votum nuncupavit. Mauronto filio operam in aula & militia fortiter navante, duas filias Adelsendam & Clorsendam in Monasterio Marchianensi, Eusebiam in alio, quod Hamaticum vocabat, Deo obtulit, Sanctæ Gertrudæ proaviæ juvenculam committens, annis admodum fessæ. Exonerata hunc in modum Rictruda, sibi ac Deo læta vacavit.

Nunc antequam porvolvamus saxum, Martianense & Hamaticense Monasterium inspiciamus. Utrumque Diœcesis Atrebatensis habet, propter Scarbum amnem sita, qui non procul Atrebato ortus, denique Scaldim subit. Hamaticum Sancta Gertruda, Adalbaldi avia, pro Monialibus construxit, Antistes prima, cui Eusebia suffecta est, Sanctæ Rictrudæ filia, Asceterio huic suo addictissima, quod etiam in hunc usque diem suis exuviis nobilitat. Posterioribus sæculis à viris nostri Ordinis habitari cœpit.

Martianense, quod Hamatico prope abest, Flandriæ Apostolus Sanctus Amandus primo pro Monachis Sancti Benedicti fundavit, imposito Abbate Ionato, discipulo suo, quem vitæ merita Superis miscuere, coliturque Kalendis Augusti. Sacra ipsius ossa vt. Idus Aprilis venerationi ibidem exposita sunt, unde Flandris ille dies festivus est. Loci amœnitate capta Sancta Rictruda, non alibi sedem figere maluit: huc suas, mariti, nec non filiarum suarum copias contulit: multas Moniales contraxit: primam Antistitem ipsa egit. Etiam Berniacum opulentum prædium, Dagoberti Regis, Eusebiam sacro fonti admoventis, munus, Asceterio adjecit, ut facile de ejus opulentia calculum ponas. Nec minus disciplina Monastica excelluit, cujus singularia exempla Sancta Rictruda edidit, eaque Clotsenda, Abbatissa altera, excepit: ad posteros sedulo transmisit, quam incolæ ob vitam sanctæ traductam inter Cœlites habent, ossaque magno studio venerantur.

Monasterium hoc trecentos triginta tres annos tenuere sacræ Virgines. Ab isto diversum Asceterium est Marcinia- cense, non procul Cluniaco dissitum, cujus sanctitatem tum alii, tum vero longissime Petrus Venerabilis celebravit.

Martianense Cœnobium à Marciniacensi ens diversum.

Qua fama commoti Reges Hispaniæ per tantum loci intervallum beneficiis locum affecerunt. Vt enim alia omittam, Monasterium S. Michaelis de Zamora (postea Sancta Maria de la Consolation, dictum) Marciniacensi tanquam Prioratus subditus fuit.

Hæc extremo digito attingere consilium fuit, ne nominum similitudo tibi imponeret. Nunc errandi periculum adire non potes, postquam alterum in Flandria, alterum in Burgundia collocatum: illud Monachorum, hoc Monialium esse didicisti. *A Marchianis*, inquit Aubertus Miræus, *nomen habet illustre ac magnificum istud Academiæ Duacenæ* Collegium Marchianense, *quod Arnoldus Gantoisius, Abbas Marchianensis, patrum memoria à fundamentis exstruendum curavit, obiit 1582.* Hinc Monasterii magnitudinem conjicias. Aperuerat Philippus II. Hispaniarum Rex Academiam Duaci cum annus Christi volveretur millesimus quingentesimus sexagesimus tertius, ob loci amœnitatem: paratu facilem annonam: vicinam denique Angliam, unde Catholici oppressi filios suos hic instituendos emittere possent. Marchianenses igitur tam publico quam Monasterii sui bono, ibidem Collegium ædificarunt. Majorem illa tamen molem extruxit Abbas Aquicinctinus, Iohannes Lentaillere, quippe quæ mille homines diversis musæis capiat: splendore autem ædificiorum ac sumptu priori concedit.

Academiæ Duacensis Collegium Marchianense Arnoldus Gantoisius Abbas posuit. *Aubertus Miræus in Origin. Bened.*

Collegium Aquicinctinum. *Georg. Braun. theatro urbium tab. 20.*

Ne denique te lateat, cur veterem Parthenonem hodie colant Monachi, causam ex Chronico Marchianensi MS. tibi promam. *Cum Marchianense Monasterium ut alia multa rabies Normannica, destruxisset, & Sanctimoniales pene ad nihilum possessiones redegissent, Balduino Comiti Flandriarum avo Balduini qui apud Hasnonium est sepultus, Deus bonum pro restaurandis Ecclesiis spiritum est largitus. Acivit igitur Comes Lietuinum S. Vedasti Abbatem, virum vere sanctum, & tunc temporis singularis sapientiæ & virtutis. Nec mora, præcepto Comitis Moniales abscedunt, & de suis aliquos, boni testimonii Monachos eligens Lietvinus, Marchianas transmittit. Tunc ibi Cœnobialis disciplinæ vigor renovatur, & de novo ipsius Monasterii fabrica instauratur. Donec intra novem annos, quibus Marchianensi Cœnobio Pater iste venerabilis præfuit, res Monasterii in bonum statum revocatæ sunt. Decursis igitur novem annis, Lietvinus missionem petiit, & uni de Monachis suis Alberico scilicet Monacho S. Vedasti hoc onus suscipere injunxit, qui annos quindecim præfuit.*

Monialibus in Monasterium Marchianense successerunt Monachi.

Hic tu mihi hoc quoque cogita, per quot sæcula Monasterium hoc evaserit! Faxit Bonus Deus, ut ferreo isto sæculo quo scribo, nil capiat detrimenti.

CAPVT II.

Rictruda cum liberis vitam Sancte traducit.

MVltum refert, à quo educaris. Suis moribus, id est, sanctis liberos suos imbuit Rictruda: nec alias Moniales instituit, quibus perpetuo incubuit, ut jejunio studerent: orationi large indulgerent, sine qua nil profecturæ essent: sæcularium colloquia vitarent: mentes ita componerent, ut non tantum corporibus, sed etiam cogitationibus domi essent: à solo Christo, suo sponso, penderent. Meminissent, ad quid venissent. Imperiorum vero suorum exemplum ipsa præibat.

S. Rictruda sancte instituit Moniales:

In culmine perfectionis cum sederet, telis humanarum miseriarum petita est. Nam mors Adelsindam, minorem natu filiam, extinxit: matri spem longam, quam inchoaverat, subito ademit. Excessit vero, quo die Orbis Liberator natus est. Pressit dolorem bona mater, ne lætissimum Christi natalem intempestivis lachrymis contaminaret. At luce quarta, mutavit scenam. Tempus erat ut curaret corpus, atque ipsa ad sorores, *Eat jam charitas vestra*, dixit, *& dona Dei percipiat cum gratiarum actione: me vero exemplo matrum, quarum hodie ploratus & ululatus auditus est, sinat innocentem filiolam meam, immatura morte præreptam, materna pietate lugere.*

Dat lachrymas Adelsindæ fato ereptæ.

Inde dolori laxavit habenas, in uberes lachrymas soluta.

Haud una via, duce Deo, itur ad astra. Quosdam nullus amor, nullum desiderium parentum, fratrum, sororum aut amicorum tenet. Vnde æquissimo animo ferunt, si quis illos icit casus. Crederes vel robore, vel ex se natos esse. In aliis hanc scintillam non restinguit Numen. Vt suos ament, ut suorum felicitate suaviter gaudeant, permittit: hoc tamen ipsum mel in fel vertit, dum adversa charorum fortuna eosdem affligi sinit. Nimirum, ita dispensat omnia Numen, ut laboribus & ærumnis caput subducere nemo queat, solatia tamen ad manum sinit. Ac operæ precium est, miserias perferre, cum inde præmia nostra in cœlo à Deo cõflari soleant. S. Rictrudæ cor tenerum erat. Adalbaldum suum unice amabat. Eo cæso, in lachrymas liquefacta est. Filiolas ad vir-

Non est mollis ad astra via.

tutem natas plane in siou ferebat. Adelfendam mors eripuit. Aliquandiu etiam Eusebia bonam matrem cruciavit. Cum enim in Monasterio Hamaticensi educaretur, Gertrudis sanctissima Antistes, ac Eusebiæ proavia, è vivis excessit.

Hugbald. apud Sur. 12. Maij c. 15.

Habenas matura manu regendas, capessivit juvencula, adhuc regenda, sive ita volente moritura Gertruda, sive sororibus suffragia ferentibus: vel denique, quod vero similius est, more in aliquibus Monasteriis id ferente, ut sanguine propinquior succederet. Vt ut sit, Rictruda duodennem Antistitem, tanquam muneri nondum idoneam, & totum cœtum in Martianensem Parthenonem ad se evocavit, res alias Cœnobii Hamatici è vicino curatura.

Sacræ Virgines Hamaticenses migrant Marchianum.

Eusebia cum suis, modis omnibus obluctata matri est, nec induci poterant ut pedem extra limen efferrent, donec Regis auctoritas illis ceu machina admota fuit. Veniunt ergo Martianum seu Marchianum, una trahentes corpus S. Gertrudæ, cujus translatio ad diem 17. Octobr. ibidem celebris est. Rictruda voti compos crebro inhortabatur filiam, ut jucundissimam Deo servitutem secum serviret, quo ipsa sponte ferebatur, Monasterii tamen Hamatici, ubi habitum sumpserat, impotentem amorem sibi eximi haud passa est. Exilio suo ingemiscere, lingultire, flere; hoc juvabat. Ausa etiam id est, quod pro ultima obstinatione accipi posset, nisi eventus approbasset. Videlicet persuluto domi sacro penso cum quieti se cōmittere crederetur, ipsa ut plurimum destituris ante lectulum sandaliis, cum fidis quibusdam sororibus, comitante quoque S. Amato, sanctissimo Episcopo & Monacho, è claustro se furtim auferens, Hamaticum petebat, ibiq; defuncta *vigiliis, & omnium Horarum officiis, inquit Hugbaldus, Martianas revertebatur fideli illo peracto furto, ne illis nocturnis precibus non interfuisse deprehenderetur.* Non tamen fefellit matrem, ita filiam esse facturam, ob ingēs Monasterii sui primi desiderium, quod semper præferebat. Avitam blande rogavit, ut morem gereret: nec etiam pœnas sibi defuturas, quas exigeret, ni dicto audiens foret. Videbatur anim non tam ratione, quam affectu quodam culpando duci. Postquam pia mater verba perdidit, consilium cum Mauronto filio cepit, qui verberibus castigandam censuit. Capiatur occasio simulq; Eusebia capiturà servo rapitur ad supplicium: virgas frater expedit: vibicibus multis miseram conscribit. Cinctus ense minister, ita graviter teneri corpusculi latus capulo afflixit, ut purulenta deinceps sputa perpetuo jactaverit. Sed Maurontus verberavit aërem. Nam memores Hamatici pedes, iterum iterumque, clam Rictruda, eo ivere. Ignara quo se verteret Eusebia, Episcopos & Abbates è proximo convocat: ut huic malo remedium adhibeant, obnixe orat. Fuit una res. Igitur victa sanctissimis præceptis instructam dimisit. Victoria parta gestiens Eusebia, Hamaticum Cœnobium repetit: ovans ingreditur: vitam pientissime instituit: vicesimo tertio anno nondum exacto moritur: matrem novo dolore conficit.

S. Eusebia nimiæ pietatis pœnas dat.

Virtutes Virginis, late nomen ejus extenderunt.

Negotia quandoque sæcularia tractanti, nec parvi quidem pulvisculi adhæserunt, tam alte cœlo immersa fuit. Ne sua bona opera quempiam adverterent, summo studio cavit. Vbi ex Numine intellexit sibi moriendum, quoquot sub signis habuit moniales accersivit: ut promissa suo sponso fidelissime præstarent, invicem amarent, de divina bonitate nunquam diffiderent, ardenter obtestata est. Hæc dum verba fecit, repentina luce cubiculum ægrotantis infusum est, simulque cum luce anima abscessit. Fasti Ecclesiæ ad 16. Martii ejus faciunt mentionem.

Ad Superos abit.

At litem nobis moves, matri eam non obtemperasse è animum nimium quantum obfirmasse. Vera memoras: aliquid tamen ætati dandum est: duodennis erat. Si tamen aliquid labis contractum, major natu abstersit lachrymis. Quid deinde si, cœlitus incitata in Hamaticum Cœnobium contendit, quod Deus ibi etiam coli voluerit? Daniel puer, senioribus populi Israël prudentissime sententiam tulit: quid si Numini decretum fuit cœtum sponsarum suarum per hanc quoque regere juvenculam? Quidam insuper nil rectum putant, nisi quod ipsi faciunt. Quapropter etiam Sanctam Rictrudam & Sanctum Mauronctum carpunt, quasi Eusebiam castigando modum excessissent.

Ejus factum defenditur, vel excusatur.

At culpa vacant, cum rectam rationem sequuti fuerint, id nimirum agendo, quod disciplinam cōmunem conservandam spectare visum est. Quemadmodum autem angelus angelo restitit apud Danielem, quod uterque diversa teneretur opinione, neque de errore notari poterant, donec voluntas Dei per Michaëlem constitit; ita S. Eusebia à Numine impulsa, ex Parthenone Marchianensi nocte intempesta elapsa, Hamaticum suum absque culpa visere potuit, nec tamen Maurontus & Rictruda ignari à

Dan. 10.

quo impelleretur, eam verberando culpam contraxisse.

Hugbaldus Monachus iturus in laudes Sanctæ Rictrudæ, Omni mentis studio, inquit, & toto corporis conatu bonis operibus dedita fuit: atq; ut perfectissimam se exhiberet illius imitatione qui dixit: Non veni facere voluntatem meam, alterius regimini se sponte subdidit, jussa ejus promptissima obedientia capessens, & famularum se famulam exhibens, semper ob oculos versans illa verba Salvatoris: Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Nec unquam extra septa Monasterii egressa est, cunctis se exemplum exhibuit in humilitate, in patientia, obedientia, castitate, jejuniis & vigiliis, in orationibus perpetuis, longanimitate, mansuetudine, modestia & benignitate. Tandem annis septuaginta quatuor oblita, IV. Idus Maij ad superos evasit, etiam Ecclesiæ calculo sancta, quam Belgæ summo cultu prosequuntur ob miracula, ad sacra ipsius ossa frequenter edita, quibus etiam maritus ejus Adalbaldus clarus est: cui si publica tessera Ecclesiæ deest, quod ignoramus, inter Beatos tamen habetur. Sanctus Maurontus & Sancta Eusebia in album Cœlicolarum relati sunt: de duabus sororibus nil æque comperti habemus, tamen omnium consensu in Beatorum censu ponuntur. Clotsenda post matrem clavo manum imposuit.

Iohan. 6.

S Rictruda infima ministeria ambivit.

Beata morte defungitur.

Molan. in Ind.

Maurontus frater, etsi multos annos post vivere desierit, hoc nihilominus tempore jam famam meruerat: neque à parentibus & sororibus recte sejungeretur. Maurontus, inquit Hugbaldus, Patrem spiritualem habuit venerabilem Deoq; dignum Sacerdotem Richarium, qui per sacrum Baptisma eum Christo regeneravit. Idem Alcuinus refert. Porro, fuit ut Richarius ad Rictrudam viseret. Sacro colloquio absoluto, in equum se suum extulit Antistes, properè domum properaturus. Pia mater sublatum in ulnas parvum filium Maurontum sedenti obtulit, rogans ut ei ducta cruce bene precaretur. Ille infantem obviis manibus excipit: pectori adpressat, vel bona verba dicturus, vel osculaturus. Sed ne cœpta persequeretur, equus stimulante dæmone arduum pectus attollere: pedibus anterioribus pugillari: nunc calces excutere, ac pone petere: modo omne corpus quatere: prorsum etiam ac rursum cursitare, tam sacerdotem quam infantem in discrimen adducere. Mater utrique metuens, & pæne exanimis periculo, avertit ora, ut ne videret pereuntes. Circumfusæ familiæ, nec non aliis quos clamor exciverat, ubertim cecidere lachrymæ. Tum Richarius arctius complectens puerum, cœloq; oculos intendit, pacem Numinis & opem exposcens: (miraculum!) puer è brachiorum nexu evolutus, molliter humi depositus est, equus ferocire desiit: incolumem filium læta mater in sinum recepit.

S. Maurontum ad virtutem finxit S. Richarius.

Alcuin. in Richario.

Dæmon Mauronto infanti fabam cudit.

Porro, Maurontus cum juventutem poneret in aula, paulatimque summos honores adiret, voluntate matris nuptias meditari cœpit, ne à capillata occasione præceps in vitia ageretur.

Sed Amandus hanc ei vocalem lyram è manibus excussit, dum vera ac æterna gaudia attonito occinuit. Mater ubi audivit nuptias ab eo detrectari, quid si captus est ubi minime vellem, dixit timide: faciam ut Amandus recusantem Inducat. Sed hic matrem induxit, ut consilium juvenis æqui bonique consuleret. Cumque postea rem divinam ageret, se vero propius admovisset Maurontus, per sedulam apem in tonsum astantis verticem circumvolitare conspexit. Accepit omen: ne ultra differret quod animo pridem destinasset, Mauronto persuasit: submittenti caput rescidit capillos, inque coronam rasit.

S. Maurontus ad Monasterium accingitur.

Dignum se semper fecit S. Amandus. Plurimos ad fidem Christianam adduxit: multos, de quorum salute jam actum erat, in viam revocavit: aliis ut mundo terga verterent, auctor fuit: Monasteria diversa ædificavit, inter quæ non immerito Broilense; Divo Petro dicatum, numeres, quod Clericis assignavit, Mauronto Antistite dicto, quem ne ab aula penitus avelleret, simul cavit. Vnde in ordinem Ecclesiasticum jam redactus, à Diplomatibus, privilegiis, & Edictis, Regi fuit.

Rebus à S. Amando præficitur.

Dagoberto ejusque filio Clodoveo demortuis, tyrannidem Theodoricus exercuit, qui infensus Sancto Amato Senonum Episcopo, solum eum vertere: in Monasterio Perona, Veromanduorum urbe sito, exulare jussit. Vlbano fatis defuncto, Broilum migrandum fuit, datumq; negotium Mauronto, hominem ut asservaret.

Hugbald. c. 14.

Sigebert. in Chron. an. 672.

Ille sanctimonia Amati perspecta, plane ut fratrem habuit: sibi ac suis imitandum proposuit. Ex itinere Marchianum & Hamaricum viam flexit præclarus Amati custos Maurontus, partim ut fessi ex itinere spiritum caperent; partim ut sanctus præsul Rictrudæ matri, nec non sororibus, bene diceret.

Interea subiit animum, indignum se Abbatiæ fastigio, præsente Antistite meliore;

Broilensem Abbatiam in S. Amatum rejicit.

liore; quem honorem dum in Sanctum Amatum inclinare nisus est, ille æque fortiter rejecit. Ad extremum Maurontus officio abivit, rebus hospiti commissis.

Alcuin. Flacc. in vita S. Richarii. Sur. 26. April.

Fertur autem ultimis annis habitum Sancti Benedicti in Martianensi Monasterio sumpsisse, ubi Ionatus clavum tenuit. Hoc (ut argumenta leviora prætereamus) affirmat auctor vitæ Sancti Richarii.

Puteus S. Mauronti.

Accedit Arnoldus VVion, qui tota civitate pro Monacho Martianensi eum celebrari, asserit, ubi aliquot annis conditus fuit salutari puteo ibidem scaturiente, cui Sancti Mauronti nomen indidere incolæ. IV. Non. Maij stat ipsi anniversarius cultus. Multis deinde circumactis annis Sancto Amato templum Duaci posuere, illato ipsius corpore. Non multo post socium ac urbis deinceps patronum ei adjunxere Sanctum Maurontum, specu Marchianensi tanto thesauro exhausta. Quantum malum à civibus propulsaverit, narrat Arnoldus VVion, cui apud nos fides esse debet, quippe nato Duaci eductoque.

Arnold. l. 3. 5. Ian. S. Maurontus defendit Duacum.

Vertebatur post partum Virginis annus millesimus quingentesimus quinquagesimus sextus, cum Gaspar Culineus, classis Franciæ summus præfectus, ingentem exercitum terra Duacum duxit, sexta Ianuarii luce impetum in urbem facturus. Spem ejus capiendæ sollennis mos fecit, quo gens illa regia convivia esto trium Regum festo die inire, cætera Diis relinquere convevit.

Igitur dum scalæ nec non instrumenta alia ad invadendum civitatem, vino, ut putabatur, somnoque sepultam, expediuntur, Sanctus Maurontus excubias agens, æditui Ecclesiæ Sancti Amati in utramque aurem dormienti sese objecit; ut ære campano Matutinis precibus signum daret ocyus, imperavit. Æædituus tergiversari: post etiam abnuere, se pulsaturum in tempore, dictitans, non ante tempus. Bis terque conventus, haud gessit morem.

Denique vim homini fecit Divuus, qui strato tandem excussus, funem indignationis plenus corripuit: more solito campanam traxit; at illa præter morem arma virumque cecinit, eo sono edito, quo muris imminente hoste, ad arma incolæ cieri solent. Pavidi cives è lectis se proripiunt foras: tela, quæ sors obtulit, ignari sui mali, rapiunt: per penetralia errant ac ululant matres: omnia tumultu non vano miscentur. Viri trepido passu petivere muros ubi Monachū cucullo aureis liliis obsito indutum, dextra vero sceptrum tenentem, atq; stationes militares obeuntem conspexere. Culineus ubi malis avibus ova se ad mœnia posuisse sensit, exercitum re infecta domum reduxit. Fas est Arnoldo VVioni credere, inquam, nam fidem totius urbis appellat: deinde patrem suum Amatum, urbis curatorem, cum primis in muros evasisse, & grata sæpe memoria, quid sibi visum esset narrasse. Testem quoq; adhibet Franciscum Richardotum, Episcopum Atrebatensem, qui id temporis Duaci agebat, factumq; retulit. Quid multa? Ne tempus insigne hoc beneficium oblitteraret, non raro à sacris præconibus in memoriam populo Duacenu revocari, ait sibique plus simplici vice auditum. Hac etiam de causa publicam supplicationem à majoribus fuisse decretam, qua trium Regum festo ossa S. Mauronti, aurea arca composita, per totam civitatem quotannis circumferētur: peracta pompa Collegiatæ Ecclesiæ S. Amati redderentur. Hinc palam fit, Maurontum Duaci tutorem non modo virum sanctum, sed insuper post abdicatum munus, quo apud Clericos fungebatur, in S. Benedicti verba jurasse. Momentum etiam habere debet, quod Alcuinus affert: Maurontum & Richarium in Tristiacensi Cœnobio Monachorum officium simul coluisse. Credam ergo hic tyrocinium posuisse: denique Marchiani mortuum esse.

Alcuin. in Richario.

Caput III.

S. Richarius.

ETsi S. Richarius annis posterioribus diem obierit, sed cum ejus gesta bonam partem paulo ante exposuerimus, quæ supersunt visum est hic exequi potius, quam differre. Vitam ejus rogatu Angilberti litteris prodidit vir longe clarissimus Alcuinus, Caroli M. moderator, cui opusculum inscripsit. Auctor exordium historiæ ducit à laudibus Dagobertini sæculi, quod innumeros sanctos tulerit: quam plurima Monasteria erexerit, eaque Monachis impleverit, quos inter primę profecto notæ S. Richarius fuit; vitę asperitate, doctrina concionum assiduitate nemini facile secundus. In Picardia humili quidem loco, sed tamen honestissimo natus est. Quin laudi ipsi verteris, quod magnis virtutibus nobilitaverit patriā suam, à qua nihil magni acceperat. Candidæ indolis varia specimina admodum adolescens, dedit. Forte sub id tempus Caidocus Monachus Hibernus cum socio venerat in provinciam, palantes ac errantes animas excepturus, priusquam tartareis lupis æternam cænam præberent. Sed verba perdiderunt. Immo injuriis crebro accipiebantur ab iniquis

Alcuin. apud Sur. 26. Apr. Vsuard. eodem die. Vincent. l. 24. c. 90. 97. Trith. de viris illustr. l. 3. c. 95. & 295.

Monachos Hibernos tecto recipit Richarius.

mentis auditoribus, & absque Richario fuisset, solum vertere debuissent. Laborantes enim inopia simulque odio, in tectum suum invitavit: qua licuit, adjuvit. Quicquid dixere, is avidissimis auribus hausit: nec multo post cogitationem de vita recte instituenda suscepit, in nullam rem æque, quam suam in salutem intentus. Ergo culpas superioribus annis contractas quovis modo expiare, sententia stetit. Ductum à confessione, à tenuis annis repetita, initium, cui multi singultis cum lachrymis interpositi. Bonus Deus ut pro duobus servis suis, quos ultima vexabat egestas, symbolum solveret, Richarium liberalissimum eorum hospitem, Monachum fecit: insuper in secretiorem amicitiam admisit. Etenim commercium, quod ipsi exiguum plane cum mundo intercesserat, breviter absolvisse: postmodum in Monasterio Centulæ (annis sequentibus S. Richarii dicto) Monachum induisse, fertur.

Fit Monachus.

Cæterum sive ipse hujus Monasterii mox relicto sæculo fuerit author, navante operam Caidoco cum socio, sive alius, certum est Richarium fundamenta tunc sanctioris vitæ posuisse, quam summo deinceps rigore prosequutus est.

Vitam dure instituit.

Iejunia, longe extrahere solebat, quibus solutis fame hordeaceo pane placabat: utque avidos dentes tanto fatigaret citius, cinerem admiscebat. Vigilias pariter extendere consuevit, nec unquam passus, corpori ut bene esset. Nimirum in se experimentum capere decreverat, quosnam fructus ferret pœnitentia, priusquam alios ad eam amplectendam induceret. Sacerdotio initiatus, verbi divini sementem insigni studio jecit, revocans ad Superos, qui plenis passibus tendebat ad inferos. Multis vel ideo saluti fuit, quod facta ipsius à dictis non discreparent.

De omnibus bene meretur.

Pecunias, ceu lapides habuit, quod omnes conjecit in admirationem. Si quid ei allatum fuit, pauperes contraxit; his dedit. Peregrinos amantissime accipere: viduas tueri: orphanorum causas agere: omnibus consulere: hoc opus, hic labor Richarii erat. Nosocomium dixisses ipsius domicilium, adeo factum erat ægrotis, quibus ipse non modo quadras & medicata pocula ministrabat, sed purulenta ulcera dextra lævaque tractabat. Paulo majora dicam: aliquoties leprosis è balneo egressis, ipse succedens eadem usus est aqua. Vix credere possis, quanto deinde studio sic lotos, vivo flumine verbi divini lustrarit, ut non modo à vertice usque ad talos imos, sed etiam ab anima pulchri essent. Provinciales ut tam sanandi quam concionandi vim insolitam ipsi inesse viderunt, certatim se dediderunt, quos ipse tanta prudentia moderabatur, ut non tantum animos, sed etiam fortunas clientum in potestate habere videretur, unde stipem pro mendicis, & lytra pro captivis conficere licebat.

Vna provincia cum ejus ingens pectus ægre impleret, in Britanniam se tulit, ut aliis innocentiam, quam perdiderant, redderet: aliis veram fidem instillaret. Sed postquam cognovit operam suam desiderari domi, vertit alienum solum: Redux autem jejunandi, vigilandi, orandi eam rationem instituit, ut si nihil horum ante id egisset. Præter vitæ asperitatem etiam miracula ei nomen per Galliam pepererunt.

Tendit in Britanniam.

Dagobertum ferunt ita Reipubl. consulendi studiosum fuisse, ut raro uno loco diu hæserit, sed amplissimum regnum suum pervaserit, explorando num subditi à Comitibus vel Iudicibus opprimerentur. Delatus Pontibum, mira de Sancto Richario accepit, quocirca præsto virum esse ad mensam jussit. Diurno colloquio nocturnum fuit junctum, nec tamen satias audiendi divina Regem cepit.

Dagobertum instituit.

Postquam hoc sensit Sanctus Richarius, monuit benevolum auditorem, ne ob potentiam efferret supercilium: nec opibus aut caducis rebus niteretur: nec vanis laudibus se duci pateretur: soli Deo se crederet: memoria frequenter repeteret majores majoribus tormentis subjici: multum ab eo repetitum iri, cui multum fuisset commissum: ægre quemque pro una anima sua rationem redditurum: quid igitur illo futurum, à quo animarum milliones pependissent? Præstare esse subditum quam superiorem. His dictis convivium suavissime condivit: Regis gratiam sibi conciliavit, qui epulo soluto Richarium, pace ante petita, muneribus Ecclesiæ aptis affectum dimisit.

Nolunt notari digitis aut laudari, servi Dei. Ideo oculos hic & ora fugitans (nam omnium oculis ac ore ferebatur) locum arcanum circumspiciebat. Negotia etiam publica ponere cupiebat, contemplando reliquum vitæ extracturus.

In Eremum se abdit.

Igitur Monachis Centulanis Ocialdo religiosissimo viro, commissis, Tristiacensem sylvam subivit, ubi tugurium Gislemari arte ac manu excitatum, occupavit. Comitem sibi adjunxerat unum Sigobardum: Sed postea plures ibi fecere stipendium, astra expugnaturi, religiosi mili-

Quin S.Maurontum, ajunt, hic loci sumpsisse habitum Monasticum.

Bellum sto-macho movet acriter jejunando.

Supellex miseræ cellæ simillima fuit. Continuis jejuniis ac vigiliis adeo confecit corpus, ut jam vix ossibus hæreret, tremulus vero gradus scipione firmandus esset. Hisce scalis in summum perfectionis culmen evasit, tanto propinquior cœlo, quanto remotior à terra.

Cum etiam in hoc latibulo repertus esset (vulgante fama) turmatim iterum adiri cœpit, præsertim ab infirmis, quibus oratione, velut communi medicina salutem impertivit.

Diem obit.

Quo die corporis vinculis solvendus esset, cœlitus cognovit. Accito igitur Sigobardo negotium homini dedit, sibi ut foderet sepulchrum. Inde febricula magis atque magis ardere: virum sanctum coquere: ille ab oratione nihil prorsus levandi morbi causa remittere, donec sumpto sacro ferculo beatam animam VI. Kalend. Maji edidit.

Sigobardus dum curavit funus subito sibi excidens, locum luce solis majore collustratum, inque eo Sanctum Richarium diversantem conspicere sibi visus est, & hæc ore nitido ferentem: En, Sigobarde, vile tugurium meum in quale palatium à Deo versum sit! cellæ meæ tenebras quam luculenta lux exceperit! quantum gaudium, quanta quies labores meos, breviter peractos, compenset!

Inter hæc ad se rediit pius vespillo: immortales gratias Numini habuit, quod servo suo tam liberaliter mercedem persolverit: inde funebri officio defunctus est. Vt primum Centulam nunciatum est, Richarium excessisse, sine mora Ocialdus Abbas cum mœstissimis Monachis sacra ejus ossa ex Eremitorio in Monasterium transtulerunt, ubi tot tantaque miracula patravit, ut Alcuinus crediderit, post Apostolos neminem sanctorum ipsum anteivisse. Quocirca ad ejus sepulchrum perpetuæ peregrinationes susceptæ, votaque nuncupata & soluta sunt. Quin ipse Carolus Magnus eo se tulit, prosequente Alcuino, cui imperavit, ut res Divi memoriæ proderet.

Miraculis solis Aposto-lis inferior.

Centula. Mon. provehitur.

Præterea disciplinæ integritas: cultorum Sancti Richarii frequentia: miraculorum multitudo: Dagoberti, aliorumque Regum effusa liberalitas: insignia raraque privilegia, tam alte Monasterium Centulæ evexerunt, ut cæteris per provinciam merito anteponeretur. Episcoporum Iurisdictioni exemplum fuit; designatum tamen à religioso cœtu Abbatem capessere clavum, fas non erat, nisi Rex (quod pluribus aliis Regiis Abbatiis evenit) cum summo Pontifice, calculos quoque suos adjecisset.

Pro Bulla, quatuor millia aureorum Romano ærario pendenda erant; unde hujus Monasterii divitias æstimes.

Cum enim Ambianensis Episcopatus, in quo situm est, tantidem pendat hujus opes æquasse, simillimum vero est.

Deinde summis viris claret viros magni nominis & regii sanguinis habuit, veluti Angilbertum & Hugbertum. Prior olim duxerat Bertham, Caroli Magni filiam: sed cum uterque omnia flocci putaret præ Numinis servitio, hæc Monialibus, ille Monachis in S. Richarii Cœnobio se adjunxerunt.

Factus est postea Abbas Imperatore non tantum approbante, sed etiam applaudente, cui in negotiis non paucis operam navavit, præsertim legatione ad Leonem Pontificem Maximum obita, quam Aimonus narrat. Insuper Carolus Magnus conditurus testamentum, Angilbertum accersivit, ut cum Episcopis & Comitibus nomen suum subjiceret. Decessit parta sanctitatis opinione, quod Nithardus ejus filius refert, additque: *Centulo opus mirificum in honorem Omnipotentis Dei, Sanctiq; Richarii construxit.*

Aimon. l. 4.

Nithard. hist. l. 4.

Hugbertus autem filius Caroli Calvi fuit, Trithemio teste: quem egregiæ virtutes etiam fecere Abbatem. Numeravit hoc Monasterium non paucos Prioratus: Monachos autem quamplurimos.

Trithem. chron. Hirsaug. de Gesungo Abbate.

Hodie est Abbatia Claustralis, ut vocamus nos Hispani, cum nulla congregatione, quod sciam, conjuncta; ideoque præsidio nuda, injuriis obvia, multis partibus imminuta est, Commendatariis Abbatibus bovem devorantibus, cauda Monachis relicta.

Emungitur à Commendatariis Abbatib.

Quapropter sæculo superiore fidem Regii tribunalis implorarunt, efficeret ne Deus Optimus debito cultu, piissimi Fundatores autem tam rebus suis, quam Monachorum precibus piacularibus destituerentur, Anno supra millesimum quingentesimo primo, Deus hominesq; supplices Monachos audivere: egregius Abbas Commendatarius causa cecidit. Asceterium decem sæculorum spatio (tantam ætatem fert) variam sortem subivit, quam Areolphus ejus loci Monachus in acta retulit, quæ licet in lucem emissa non fiot, sibi tamen visa esse, Chopinus affirmat.

Chopin. l. 2. Polit.

Brevl. l. 4. Schol. in Aimoin.

Adhunc etiam accedit Iacob. de Breul. Sed cum Ariolphi quatuor libri (tot enim lucubravit) nobis ad manum haud sint multa sine dubio a nobis prætermita existima Pro mantissa hoc addimus.

In fugam acti à Nordmannis Monachi, S. Richarium secum auferunt.

Sub annum octingentesimum & nongentesimum Nordmanni late vastarunt Galliam, versis maxime opulentis Monasteriis. Cœnobitæ Sancti Richarii cum feroces barbaros littus legisse: ferro igneque grassari: Picardiæ, Ambiano, sibi imminere inaudissent, collectis ocyus Patroni sui ossibus, & si quid aliud pro thesauro erat, ad Sanctum Audomarum, (vulgo Sant Omer) Belgii munitam urbem, trepidi confugerunt, charo pignore suo in illustri templo, Sancto Bertino quondam dedicato, bona fide deposito; quos tamen S. VValaricus popularis, ibidem olim detentus, facere cautos debuisset.

Paulo post ingens fama per Belgium de utroq; sancto increbuit, quam frequentia miracula majorem in modum intenderunt. Reddita Galliæ pace, Monachi patriam respicere, & convasare cœperunt. Arnulphus Flandriæ Comes, S. Audomari dominus, arctius se Sanctum Richarium complecti, dixit, quam ut eum sibi ullus mortalium eripere posset. Intempestivam hanc pietatem vibrantibus oculis aspiciens Gallia, suum postulavit. Hugo Capetus Comes Parisiorum, faces ac ferrum intentavit provinciæ, ni utrumque Divum redderent. Arnulphus armis inferior ne malum sibi ferret, in singulas arcas argenteas reverenter suos hospites collocavit, domum remisit.

Gaguin. in Hugone Capeto.

Bene vertit Hugoni Capeto hęc opera. Nã duo hi sancti Abbates in somnum delapso regnum Galliæ promiserunt, quo Hugo postmodum potitus est, & jam supra sexcentesimum annum jura Gallis summa gloria dat. Sed hæc alibi habes.

An. 617.

AN. CHRISTI 642. AN. S. BENEDICTI 162.

Tria Monasteria apud Treviros erecta.

Dagobertus condit Monasterium S. Mariæ vulgo Horreū. & Palatiolum.

SVB hoc tempus insigne Cœnobium DAGOBERTUS Rex in Trevirorum urbe condidit, cui nomen S. Mariæ item q; de Horreo impositum. Alterum medio milliari non longius locavit, cui Palatiolo nomen fuit: scilicet pro filiabus suis SANCTA IRMINA, & SANCTA ATTELA. Fabricam curare jussit SANCTUM MODOALDUM Archiepiscopum, virtutibus & stemmate juxta clarum, cujus sorores, cognati, & quotquot hinc genus duxere, vitæ innocentia excelluere. Insuper ad Sanctum Arnulphum plerosque Europæ Reges genus suum referre, alibi ostendimus; Sancti MODOALDI cognatos regio huic Gallorum sanguini fuisse mixtos, pactisque matrimoniis stirpi Sancti Arnulphi insertos post apparebit, unde præcipua hujus regni nobilitas gloriæ sibi ducit, se duos sanctos Episcopos cognatione contingere. Sancto Modoaldo duæ sorores fuere; Sancta Severa Antistes Parthenonis in suburbio Trevirorum siti: & Sancta Itta, Pipini Senioris, Majoris domus Franciæ uxor. Duas hæc filias peperit, vehementer deditas pietati: nimirum Sanctam Beggam, quæ nupsit Ansigiso, filio Sancti Arnulphi: & Sanctam Gertrudem quæ tum genus suum, tum Ordinem quoq; S. Benedicti, mirum in modum nobilitavit. Hæ autem fœminæ ad unam omnes (etiam connubio junctæ) tandem se Deo & Divo Benedicto dedicarunt.

Prima omnium sacro velo caput submisit S. Severa, cui urbis Antistes ac germanus in Trevirorum suburbio Asceterium constituit, & Sancto Symphoriano consecravit. Sub idem tempus Monasterium aliud pro SANCTA IRMINA, & aliud pro Sancta Attela, uti dicebamus, construxerat, arctaque disciplina firmaverat. Major his duobus majestas inerat, quod non modo regias filias, sed quandoque Regem ipsum Dagobertum acceptura essent. Tertium, casas habuit quotidianas, in quibus tamen summum in fastigium educta virtus est. Id igitur gubernavit S. Severa, quæ divitias, decus, gloriam, voluptates, famam, caduca bona plane pro nihilo duxit, non ignara quæ non tanto studio attollimus, omnia tandem in cineres fatiscere.

Stephan. Abbas. Leod. apud Sur. 12. May. S. Severa æternitate omnia metitur.

Severitatem grata Comitate temperabat. *Lætitia illius tristis*, inquit gestorum ejus auctor, *tristitia suavis. Inculta vestis, oculi demissi, caput inclinatum, incessus gravis, cibus tenuis, ita sane, ut cum omnia Deo digna faceret, nihil tamen dignum se fecisse crederet comitesque suas plus exemplis doceret, quam verbis. Nec deerat ei venerandi fratris sui assidua consolatio, oleum camino addentis. Benedictum & Scholasticam crederes: idem desiderium, non impar studium, eandem erga Dei cultum devotionem in istis videres.*

Greg. 2. l. Dial. c. 33.

Deinde quemadmodum Sanctus Benedictus & S. Scholastica uno loco post mortem condi voluere, ac soror prior excessit fratre, ita S. Modoaldus & S. Severa

in eo-

Martyrolog. 20. Iunii.

in eodem Sancti Symphoriani Martyris templo sepulti sunt, & hæc prior ad superos abiit, nimirum XII. Kalend. Augusti, fratre post IV. Id. Maij sequente, qui magnam rerum copiam historicis præbuit, nos tamen plura calamo non subiicimus quod de Ordine nostro non fuerit. Omnino tamen prætereundus haud erat eó, quod Monasterium Sancti Symphoriani familiæ nostræ extruxerit: quod ibidem tumulum occupando, locum illustrarit: denique anno M. C. VII. in Saxoniam translatus, Cœnobium Helinvvardeshuysen venerabile reddiderit.

Moniales ad S. Symphoriani imminentibus Nordmannis ad Superos confugiunt.

Multa de S. Symphoriani Asceterio afferre non licet, cum non diu duraverit. Nordmanni fluvio Mosella superato, Treviros invaserunt, fœda cæde, ædium vastatione, sacrorum violatione, fœminarum contumeliis, supra humanum morem grassati sunt: nec alia in loca magis, quam Deo dicata, sævitum est. Incolis in sola morte spes elabendi atque præsidium erat. Incumbente Sanctimonialibus terrifica hac procella, ad suum S. Modoaldum confluxerunt, & circa sepulchrum fusæ, Numen Opt. per merita Sancti Modoaldi, manantibus per ora lachrymis anxie rogarunt, ne vitium à barbaris offerri sibi pateretur. Non vitæ sese, verum pudicitiæ timere. Quid fit? Triginta dierum spatio, omnes in lectulis suis acquiescentes, nullas penitus injurias expertæ, concesserunt. Mortuas, templum Sancti Symphoriani excepit, quod etiam Sanctum Modoaldum habebat: *ubi florent orationes earum*, inquit Stephanus Abbas, & *exuberant Dei beneficia*. Monasterium pariter cum incolis extinctum est.

Steph. l. 3. c. 4.

Palatiolum Monialium, fit Canonicorum.

Palatiolum, quod ad lævam Mosellæ Dagobertus posuerat, ipsa majestate fabricæ nomen suum prodebat. Regebatur ab Attela (quam etiam Adelam vocant) Dagoberti ex Nanthilde filia, moderatore S. Modoaldo anno millesimo centesimo tricesimo secundo, cum nescio qua causa Sanctimoniales non amplius colerent locum, Archiepiscopus Trevirensis introduxit Canonicos.

Monasterium S. Mariæ de Horreo.

Asceterio Sanctæ Mariæ de Horreo meliore fortuna uti licuit, quippe ad nostram usque ætatem per mille annos provecto. Fundatum enim intra mœnia, militum injurias facilius evasit. Hodie leges à Sancti Matthiæ Monasterio accipit, insigni eo, ac unito Congregationi Bursfeldensi. Sanctus Modoaldus operis auctor, magnæ Matri Dei id dedicatum ivit: cui proxima Dagoberti Regis horrea cognomen addiderunt, ut S. Mariæ Horreum appellaretur. Sed hanc historiam opportune nobis Trithemius offert, quam ab ipso capesis.

Trith. l. 3. c. 118. de viris illust.

Ejus prima Antistes S. Irmina Dagoberti Regis filia.

Irmina, prima Abbatissa Monasterii, quod ipsa in civitate Treverensi fundaverat, quod Horreum dicitur, vulgariter Oeren, filia inclyti Regis Dagoberti; virgo Sanctissima, multis & in vita & post mortem fertur claruisse miraculis. Nos igitur cum Sanctissimum caput ejus habeamus incorruptum, sub ejusque patrocinio non mediocriter gaudere debeamus, libet de conversatione ipsius modicum altius sermonem contexere, & cujus meriti fuerit virgo, pro posse demonstrare. Hanc, cum adhuc esset iuvencula, Hermannus quidam Comes Gallicanus permagnificus, magna sibi dote assignata in Tyrasio & aliis locis desponsaverat, sed antequam dies Nuptiarum advenisset, morte sublatus virginem tristem reliquit. Dagobertus autem pater filiæ Rex inclytus eam consolans, ajebat, quid filia tristaris de occubitu sponsi, quem non ignorabas mortalem.

Num lachrymis putas revocandum ab inferis? Tu quandoque sequeris, nunquam ille revertetur. Quiesce igitur, oro, ab inutilibus lachrymis, ac ego tibi ditiorem potentioremque maritum pollicеor.

At virgo jam Christi desponsata castis amplexibus, patri tale fertur dedisse responsum: Ego, genitor amande, nedum ditiorem potentioremque Hermanno sponsum elegi, sed etiam omnibus dominantem potentissimum Regem Christum, æterni patris filium, cui me devovi, cujus me servitio mancipabo. Itaque Rex pietate & religione mirificus, cum audisset natæ dulcissimæ (quanquam eam alicui terreno Principi copulare disposuisset) votum, ejus sanctæ voluntati consensit, eique ad vota concurrens, pro ædificandis Cœnobiis magnificentia sua multa prædia & donationes conferebat. Sancta igitur virgo voti sui compos effecta, Dominum laudabat, seque totam in ejus amorem transferens, nihil amabat terrenum, nihil dilexit caducum. Proficiens igitur & succrescens in virtute Dei, ne aliorum quoque salutem videretur negligere, Monasterium in honore Beatæ Mariæ semper Virginis fundavit in Horreo Dagoberti patris sui in urbe Treverica, sicut jam diximus, ubi multas in famulatu Christi sorores congregans, mater earum & Abbatissa, omnium consensu constituta est.

Brusch. v. Horreum Treverense

Numeravit centum sorores.

Qualem vero se in officio suo præbuerit, nec hujus temporis est dicere, nec nostræ facultatis. In cujus pectore Christi fervebat amor, quo succensa magna & stupenda in Dei laudem faciebat. Ab ejus mente nunquam oratio defuit, quæ etiam in precibus sæpe pernoctavit. Carnem suam sedulo domabat jejuniis, dum animam oratione & meditatione scripturarum enutriret.

S. Irmina S. VVillibrordum insigni beneficio prosequitur.

Hanc Beatus VVillebrordus singulari amore in Christo diligebat, cui sanctissima Virgo medietatem fisci Epternacensis cum omnibus suis appendiciis, pro construendo Monasterio fratrum contulerat, quem de suo patrimonio hactenus possidebat. Quodam tempore Beatus Præsul VVillebrordus de Trajecto veniens sanctam virginem Irminam Treviris visitavit, cum ecce pestis lethifera Sanctimoniales de Horreo invaserat, ita ut subito infirmatæ caderent, & usque ad animam mors videretur pertingere.

Antistes lustralis aquæ aspergine, pestilentiam per Monasterium serpentem pellit.

Advocatus Sanctus VVillebrordus post castigationis exhortamenta, post consolationis medicamina pro salute eorum salutarem victimam obtulit, & benedicens aquam omnia habitacula Cœnobij aspersit, & exterminatoris angeli gladium mox ab eis propulsavit. Hic etiam Beatissimus Pontifex partochialem Ecclesiam Sancti Pauli juxta Horreum, à Sancta Irmina cum duodecim præbentatis fratribus institutam, eodem tempore dedicavit. Sancta autem virgo ut se dignam Christo sponsam redderet, totis viribus insistebat regulari observantiæ, quam suo tempore in eodem Monasterio multis virtutibus roboravit. Tandem post multos labores à Domino Iesu ad thalamum æternæ felicitatis vocata, non sine manifestis indiciis sanctitatis, beata illa anima carne exuta, transuolavit ad cœlos IX. Kalend. Ianuarii, illucescente jam die ipsa Christi nativitatis.

Moritur nascente Christo.

Ejus autem festum propter natalem Domini diem, ad x. Kalend. Ianuarii celebrandum prævenitur. Hujus corpus post multos annos de sepulchro levatum, integrum & sine corruptione inventum est. Sicut etiam capitis ejus sacratissimi decor demonstrat, quod nos in nostro habere Cœnobio Spanheimensi, jam diximus. Reliqua autem pars corporis in Monasterio SS. Petri & Pauli in VVissenburg recondita dicitur. Nam in Monasterio suo Trevirensi parum de ejus reliquiis novimus haberi. Claruit anno Domini D. C C. X. Hæc Trithemius.

Boni consules, quod tempus anteverterimus, narrando Sanctæ Irminæ mortem ac mausoleum. Malui ipsam simul & integram in theatrum dare, quam in temporis frusta carpere.

Quo anno daruerit, pugnant historici.

Cæterum in annorum calculis ingens nobis scrupulus est. Solum pro certo habemus Sanctam hanc virginem ad pietatem institutam à Sancto Modoaldo, qui anno D.CXXVS. Pontifex Trevirensis creatus est, ac anno D.CLVI. diem obiit. Quandonam Dagobertus duxerit Nanthildem, certatur sententiis. Sunt qui putent anno DC.XXXVSI. factum. At nolumus te annorum momentis hic fatigare, cum ad rem nostram in præsentia parum faciant, qui solum ostendere voluimus, qua via Sancta Irmina in Monasterium ducta sit. Variare enim scriptores imperia Dagoberto ejusque filiis assignando, nemo historicorum nescit. Alii enim anno D.CII. natum, sibique Nanthildem DCXXXI. infami vinculo junxisse, asserunt. Proinde citius conveniet inter horologia, quam hic inter historicos.

Iodoc. Coccius in Dagob.

Franciscus Rosiers, historiæ Lotharingicæ conditor, innumeris privilegiis, è diversis Monasteriis & Ecclesiis collectis onustus, in medium procedit, Dagobertum affirmans, anno sexcentesimo vicesimo secundo tenuisse sceptra, quod à communi calculo plane alienum est. Plerique enim historicorum aliquanto posterius eum regnasse affirmant. Sed alii, qui hoc sibi sumpserunt, anxie tempus metiantur, nos Divorum nostrorum acta persequamur.

Corpus S. Irminæ nulla corruptionis labe à sepulchro notatum.

S. Irmina contumulata iam aliquamdiu, labe omni caruit, ut integerrimam virginem fuisse, nemo dubitare potuerit. Caput ejus Monasterium Spanheimense habet: reliquam corpus VVeissenburgum, præter parva quædam lipsana, quæ Parthenoni, S. Mariæ de Horreo cesserunt. Porro, sicuti olim Canonici regulares in Ordine Benedicti fuere, ita etiam Canonissæ Regulares, quarum domicilia *Collegia Dominarum Canonissarum* vocabant. Vt enim alia testimonia omittam, multa Cœnobia Monialibus S. Benedicti certissimo fundata, postea *Collegii Dominarum Canonissarum* titulo notata reperi, quæ Hispani *Colegios de Duennas* appellant. Et ne longius abeamus, Monasterium Sanct. Mariæ de Horreo exemplo sit, quod à Monialibus ad Canonissas venit: ab his ad Moniales revertit, cujus Antistites, cum luce dignissimæ sint, earum Syllabum è Bruschio subiiciam.

Adl. Tom. 1. an. 397. c. 2.

Catalogus Abbatissarum S. Mariæ de Horreo.

Trithem. l. 3. de viris illust. c. 143.

1. *S. Irmina seu Hermina, filia Dagoberti Regis.*
2. *S. Modesta, soror S. VVilibrordi, ex Monte S. Romarici adducta, cui VIII. Octobris dies sacer est.*
3. *S. Iulia.*
4. *S. Helia.*
5. *S. Anastasia.*
6. *S. Basilia.*
7. *S. Lucia.*
8. *S. Rotbilda.*
9. *S. Severa.*
10. *Deda.*
11. *Hidda.*
12. *Beda. II.*
13. *Maria.*
14. *Imissa.*
15. *Helovvisa.*
16. *Hadevvida.*
17. *Imissa II.*
18. *Hedevvida.*
19. *Helvvigis.*
20. *Gertruda.*
21. *Adelvvigis.*
22. *VValderada.*
23. *VValtrada.*
24. *Margarita.*
25. *Hadeleida.*
26. *Pia.*
27. *Geisa.*
28. *Hedvviga.*
29. *Leucubinda.*
30. *Hermentruda.*
31. *Euphemia.*
32. *Diderada.*
33. *Luitgarda.*
34. *Hadeleida II.*
35. *Hermentruda.*
36. *Margarita II.*
37. *Seva.*
38. *Ricarda.*
39. *Sofia.*
40. *Adeida.*
41. *Randolfa.*
42. *Ynes.*
43. *Sofia II.*
44. *Adelheida.*
45. *Elisabetha.*
46. *Hirmengarda I.*
47. *Hirmengarda II.*
48. *Hirmengarda. III.*
49. *Catharina Comes.*
50. *Iohanna.*
51. *Anna.*
52. *Francisca.*

Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo rebus præfuit.

An. Chrsti 643. — An. S. Benedicti 163.

Capvt I.

Origo, progressus, status, aliorum Monasteriorum, Trevirensium, Ordinis S. Benedicti.

HAc ætate multa Monasteria ex imis fundamentis surrexerunt; tum etiam ad Regulam S. Benedicti accesserunt multa, jam pridem extructa. Copiam profecto nobis offert Trevirensis ditio eorum quæ nostro Patre nondum nato, à sui Magistri seu antistitis ore tantum pendebant, secundum arbitrium illius vitam instituentibus Monachis: postea fama Benedicti, est S. Regulæ ipsius temperamento invitati, nomina Divo dedere. Non est autem nobis animus totam modo Archidiœcesin lustrare, sed urbem atque suburbia obire. Occurrit imprimis Monasterium S. Mariæ ad Martyres, cujus nomen fortissimi Thebanæ legionis milites, ibidem bonam partem sepulti, attollunt. In Regulam Sancti Benedicti anno sexcentesimo nonagesimo quarto juravit. Alterum à S. Martino: tertium à S. Maximino: quartum à S. Matthia nomen habet. Primam, in suos annos differamus. Sancti Martini Monasterium ipsis mœnibus adhæret, à dextra Mosellæ situm, anno quadringentesimo sexto à Tetradio, viro consulari, fundatum, Arcadio & Honorio Imperantibus, Etenim servum habebat malo genio infessum. Quocirca S. Martinum miraculis celebrem, & tunc Treviris agentem adivit: ut cacodæmonem in fugam everteret, majorem in modum oravit. Petitionis compos factus, ædes suos sanctissimo Antistiti dono dedit, qui Cruci Christi eas illico dedicavit.

Familia S. Benedicti magnum capit incrementum.

Monasteriũ S. Mariæ ad Martyres.

Monast. S. Martini Tetradius consularis ædificavit.

Caspar Bruschius.

Forte pro re certa non habes, Monasterium anno quadringentesimo sexto conditum, à D. Martino memoriæ S. Crucis consecrurum fuisse, quem anno quadringentesimo secundo Superos adivisse Baronius, annos 352. 376. & 402. evoluens, asserit. Etsi vero vix quisquam omnium historicorum Ecclesiasticorum sit, de quo melius ego existimem, par tamen est hîc Severo Sulpitio, Santissimi Antistitis discipulo, credere, qui Epistola ad Bassulam data, *A Passione ergo Domine*, inquit, *usque ad transitum S. Martini anni quadringenti duodecim computantur*. Quæ verba Sulpitii occupans Cæsar, mendum inesse, ait, quod ipse litura tollit, & firmandæ suæ sententiæ sic emendat: *A Natali ergo Domini usque ad transitum S. Martani, anni quadringen-*

si duo computantur. Vin' tu, ut ego quoq; in spongiam incumbam! Non faciam.

Porro Trevirorum res frequenter accisæ, sæpe funditus eversæ sunt. Cum enim urbs Mosellæ incumbat, inter veterem Alemannium & Franciam posita, barbari commodum in Galliam transitũ studiose explorantes, illac potissimum iter (vastationibus fœdũ) capiebant. Igitur cadente urbe, haud perstitit S. Crucis Ecclesia, quã tamen postratam Magnericus Archiepiscopus erexit: Monachos introduxit: S. Martino, primo auctori, dedicavit, vetere S. Crucis nomine expuncto. Bruschius in grandẽ errorem se induit, Monachos, dictitans, Ordinis nostri ad annum quingentesimum vicesimum sextum hic sedem fixisse. Nondum certe id temporis tã late se sparserat Ordo: neq; S. Patriarcha noster ultimam manũ sacræ Regulæ dederat. Igitur inter antiquissima nostra Monasteria censendum quidem est, ante natum tamen S. Benedictum Monachos alios acceperat. Quo vero tempore in nostrum Ordinẽ concesserit, certo affirmare non ausim; etsi facile adduci me patiar ut factum credam, cum primum D. Benedicti leges per Galliã Belgicã promulgatæ fuere. Visum est tamen hoc loco id potissimum ponere, cum ut res Trevirenses simul oculis subiicerem tum ut beneficia à Dagoberto Rege apud nostra Cœnobia collocata, per hos annos referrẽ.

Magnericus Archiep. æquatam solo ecclesiam erexit.

Magnericus, qui rem restituit, in Sanctorum numero habetur. Ejus ossa etiamnum hodie post Divæ Virginis aram recondita sunt. Antistitem Asceterio imposuerat Isingerum, intimum Numinis amicum: sed irrumpentes Nordmanni, qui omnem Galliã afflixerant, solo id æquarunt. Cum spes fortunæ meliores se promeret, non ferens ruinas Rathbodo Archiepiscopus, è cineribus Monasterium, sub annum octingentesimũ octogesimum octavum excitans, Reginonẽ Abbatem renunciavit. Nordmannis successerunt Hunni, hodie Hungari (bellicosa quondam gens, ideoq; terror Europæ) qui capta urbe pari immanitate Monasterium vastarunt. Theodericus Archiepiscopus, ne supinum diutius jaceret, circiter annũ nongentesimum sexagesimum funditus denuo extruxit, ac anno insequenti Egilbertum ei præfecit, post quẽ Eberuuinus habenas excepit, vir litteratus, qui acta S. Magnerici, nec non S. Simeonis Monachi Trevirensis claris miraculis, memoriæ prodidit.

Magnericus fastis Sanctorum adscriptus.

Iterum versum, iterum extructum est.

Casparum Bruchus.

Cæterum anno millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo Congregationi se dedidit, partim ne disciplina caperet detrimentum: partim ut temporum hominumve injurias tanto facilius arce posset. Viribus itaque non modo suis, sed in super alienis potens, ac valens (uti etiam reliqua tria quorum à principio fecimus mentionẽ) etiamnum hodie stat incolume. Fidem facit Iohannes Bertelius Lovaniensis, Abbas S. Mariæ Luxenburgi. Dabimus vero operam, ut semper Lectori significemus, an Monasteria de quibus agimus, etiamnum supersint. Cum enim Epicuri de grege porcus Lutherus vaferq; Calvinus implicitos Cœnobiis, tanquam escis, hamos jam pridem Germaniæ totiq; septentrioni objecerint, magnamque partẽ hæretici devorârint admiratione dignum est, tot inter pestes, tot adhuc sarta tecta perdurare Monasteria. Numini profecto in acceptis ferendum, Cœnobium S. Martini millesimum centesimum: S. Maximini millesimum trecentesimum: S. Matthiæ millesimum quingentesimum annum superasse.

Concedit in Congregat. Bursfeldensem.

Iohan. Bertel. Dialog. 18. in Reg.

Caput. II.

Monasterium S. Maximini Treveris.

Monasterium S. Maximini in suburbio Treverensi prope portam Nigram seu Martiam se se exporrigit. Originem ab anno nati Servatoris trecentesimo trigesimo tertio ducit, fundatoribus Cõstantino Magno, & S. Helena matre. Cum enim Imp. S. Agritium Patriarcham Antiochenum Treviros secum traheret, Monachi Græci se comites adjunxerunt, quos ille rogatu matris in novuum Monasterium introduxit. Iohanne quodam Anteocheno iisdem præfecto. Dedicatum imprimis S. Iohanni Evangelistæ fuit, multisq; privilegiis à fundatoribus suis munitum. Ferunt à principio, soli Pontifici Max. Et Imperatori paruisse quod litteræ à Dagoberto præsenti anno datæ, confirmare videntur. Quamvis autem Constantinus multa bona Monasterio adscripserit, ea tamen Dagobertus plurimum auxit, addito decreto, ut centum, non minus, Monachi perpetuo ibi alerentur, nisi forte bellis, ut fit, ad incitas redactum, tot servis Dei victum & amictum præbere non posset.

Monasteriũ S. Maximini à Constantino M. & S. Helena fundatum.

Scripe. S. appendicis.

Quamvis autem hoc Monasterium D. Iohanni Evangelistæ fuerit sacrum, diuq; hoc nominis hæserit, nihilominus regnante Dagoberto S. Maximinus potior fuit. Hic Aquitanus domo, è parentibus nobilibus ortus, Treviros se tulit, virtutes ex ipso fonte, id est, Agritio, una cum litteris hausturus, quorum cura forte ante id popularibus exempta erat. Vtrobiq; punctam præ condiscipulis Maximinus tulit, ideoque dictus Treverẽsis Archiepiscopus est. Vbi rẽ ad se redisse vidit, nõ solũ domi summa prudẽtia cun-

Nomen S. Iohannis Evang quondam impositum, antiquatur.

Legitur Archiepiscopus Trevirensis.

cta administravit, sed etiam foris aheneum pectus Constantio Imperatori opposuit. Aversus enim hic a Catholicis, ut assurgerent Ariani, omnem lapidem, quod a junt, movit: Maximinus contrarius fuit, premendo & opprimendo hæreticos qua potuit. Hoc animi robur ubique referente fama, Catholici non secus quam ad sacram anchoram, se se ad Sanctum Maximinum recipiebant, quos inter eminuit Sanctus Athanasius, Archiepiscopus Alexandrinus, bellis contra *Arianos* gestis clarissimus, cujus gratia Imperatores *Ariani* omnes evoluerunt angulos, ut deprensum virum eruerent; atque è medio tollerent. Immo qui favebant profugo, aut vita, aut bonis periclitabantur.

S. Athanasium extorrem humanissime excipit.

Atqui Sanctus Maximinus postpositis Imperatorum minis, advolantem passis brachiis accepit; bene habuit: conditum in Monasterio inimicorum manibus subduxit. Ne vero etiam in Cœnobio palam conspectus, tantæ offerretur tempestati, Monachi in obscuram specum (quæ tamen ab ipso lumen habuit) eum demiserunt, quam prope etennium habitavit, & etiamnum hodie infra summum templum digito monstratur. Ferunt symbolum *Quicunque vult salvus esse*, ab ipso, in hoc barathrum m erso, scriptum.

S. Hieron. in Chron.

Quod non sit nihili fama, Sanctus Hieronymus tibi persuadeat: *Maximinus Trevirorum Episcopus clarus habebatur, à quo Athanasius Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, cum à Constantio quæreretur ad pœnam, honorifice susceptus.* Ingens profecto hujus *Asceterii* decus est, tecto accepisse, habuisse, fovisse Sanctum *Athanasium*, non tantum monastices amicum, sed alicubi etiam *Monasteriorum* conditorem, quæ optimis legibus firmavit. Quocirca mirum non est, Monachos ad Sancti Maximini multis aliis præstitisse, cum magistro Sancto *Athanasio* fere octennium sint usi, rectissimi exempli viro.

Ne Ariana hæresis vires capiat, obsistit.

Venenum quod *Ariani* magno studio per Christianum spargebant orbem, Sanctus Maximinus summa contentione coercuit diversaque Concilia impigre obivit. Romam quoque profectus est, aliaque itinera pro Ecclesia Dei suscepit, semel Sanctum Martinum Turonensem comitem ducens.

Ultimo *Aquitaniam*, patriam suam, visens, morbo correptus beatam animam efflavit, ingenti desiderio sui relicto. Præter cives etiam pauperes complodebant palmas, communem patrem deflentes. Demortuo Maximino Sanctus Paulinus suffectus est, qui rupta mora sacrum funus Treviros perducere cum aliis constituit, etsi adversi spirarent venti: Variam deinde sortem experti, non absque miraculis eximiam invenerunt: Treviros tulerunt: in hocce Monasterio sepeliverunt. Innumeris etiam post fata salutem tulit, ut Lupus auctor gravis, sæpe fateatur, ob miraculorum ipsius copiam in summam se conjici admirationem. Præsertim corpora, ait, dæmoni in servitutem addicta, ab eo frequenter in libertatem asserta fuisse; ideoque die ipsi sacro energumenos undique eo raptos: aliquando tredecim, alia vice viginti duos impuro hospite liberatos: iterumque alia triginta sex. Hisce addit: *Ex eodem numero fœminam illam fuisse accepimus, quæ ferebatur quadraginta septem annis polluto subjecta spiritui, ac tandem tam diutina exclusus possessione, ipse vero cruciandus igne, simulatum oculis adstantium objecit incendium, ita ut putaretur tota domus conflagrare, ac digno se odore, hoc est, sulphureo, templum respersit.* Hæc aliaque admiranda, quorum longam seriem suppeditat auctor, id effecere, ut sepulchrum viri tam à remotis quam vicinis agminatim frequentaretur ad nuncupanda vel solvenda vota; Sancti Iohannis vero nomine à fama paulatim extincto, Sancti Maximini substitueretur, quod è Dagoberti Regis privilegio, tum aliis quæ Franciscus Rosiers profert, discere licet. Nunc cætera tibi sacra lipsana expediam, quæ hic loci asservantur: videlicet corpus Sancti Agritii, Patriarchæ Antiocheni, dein Archiepiscopi Trevirensis. Sancti Nicetii Abbatis, postmodum *Archiepiscopi* Trevirensis. Sancti Basini, Ducis Lotharingiæ, qui ad Superos nitens, cucullum hic induit: postea Abbas, ac tandem Archiepiscopus factus. Multos quoque Thebanæ legionæ Martyres (Bruschius trecentos numerat) Cœnobium istud condit, quibus vitam in Gallia Belgica impius ensis abstulit. Cæsos enim ad Agaunum, supra retulimus. Hic etiam peplum Beatissimæ Virginis, quatuor palmas longum in promptu est, quo Iohannes Bertelius, Abbas Luxenburgensis, illam obvelatam fuisse ait, cum ab Angelo salvere jussa est.

Treveris sepelitur, & multis salutem fert in tumulo.
Lupus apud Sur. 29 Maii floruit an. 839

Francis. Ros. à princip. hist. Lotharing.
S. Maximini Monasterium plenum sacris lipsanis.

Ioh. Bertel. Dial. 18.

In manibus quoq; ejusdem Magnæ Matris pecten est, & culter quo Servator noster in ultima cœna usus est. Item bene larga pars albæ vestis, eidem per ludibrium injectæ, cui aspersæ sanguinis gut-

tulæ prorsus recentes apparent. Reliquias alias, etsi sacras, sed cum sint notæ inferioris præterimus.

A Gregorio II. mitra Pontificia ornatur.

Abbati rem divinam facienti, fas est Pontificiis uti ornamentis, quod Balino imprimis a Gregorio II. concessum fuit. Non tamen à nobis tanquam aliquid peregrini in Ordine S. Benedicti affertur, sed ut tu intelligas, decus hoc Abbatibus nostris à multis retro actis sæculis fuisse usurpatum, id Basinus sub Annum Domini septingentesimum decimumquintum sit consequutus: nimirum Sanctus à Sancto; ut miremur esse hodie, qui cum Abbates vident tiara insignes, invideant. Vtinam lividis non modo à longis sæculis repetita consuetudo, sed insuper innumeri Sancti venirent in mentem, qui ea in sacris sunt usi. Quid? sunt etiam qui ad se attinere putant, ut nomina eorum Abbatum Ordinis nostri lacerent, quos Ecclesiæ Cathedrales Archidiaconi titulo cohonestant, cujusmodi sunt Abbates Cellæ novæ in Hispania: de Samos: de Monforte. Demirentur hi potius, ac si placet, rumpantur, quod gradu multo sublimiori stet Monasterii S. Maximini Præsul.

Abbates ad S. Maximinum Archisacellani Augustæ.

Abbas vero hujus loci, inquit Bruschius, *ita privilegiis & dignitatibus ac singularibus prærogativis insignitus est, ut Decanus plerumque septem præcipuarum Ecclesiarum Trevirensium, & Imperatricis Augustæ Archisacellanus esse debat.* Tanti Ordo S. Benedicti Episcopis, Archiepiscopis, Imperatoribus ac Imperatricibus quondam fuit, ut ejus Abbates tam beneficiis quam honoribus summis afficerent. Ita Montis Casini Antistites olim Cancellarii Regni Neapolitani salutabantur.

Nihil tamen æque Monasteria nobilitat, quam virtus & eruditio. Virorum autem utroque genere eximiorum longum hîc catalogum texere liceret. Itaq; ut Sanctis moribus pondus adderent litteræ, Academiam aperuit hoc Monasterium, quam Trithemius inter præcipuas Ordinis nostri ponit. Incolas cæteris anteponendos duos habuit, S. Nicelium, & S. Basinum, quorum unum Ecclesia Non. Decemb. alterum IV. Non. Mart. colit. His accedunt Fibicius II. & VViomadus, in Archiepiscopalem sedem evecti. Duodecim Præsules enumerat quidem Paulus Longius, Archiepiscopali mitra decoratos, at de quatuor solum liquido constat, Monachos eos ad S. Maximini fuisse è reliqui exciderunt longævo archivo. Monasterium autem disciplina excelluisse oportet, quandoquidem Otho I. Imp. res magnas in Ecclesiæ emolumentum moli-

Trith. Chronic. Hirsaug. in Dietmaro.

Ad Monasteris dignitatem multum contulere S. Basinus Austrasiæ Dux & Nicelius, Archiepiscopi.

Paul. Lang. hist.

turus, opera Monachorum S. Maximini uti consuevit.

Idem ut Ordinem S. Benedicti venustaret, in animum induxit, augustius aliis Magdeburgi Monasterium condere, cui Annonem, è S. Maximini Cœnobio accersitum, præfecit. Aucta opibus paulatim civitate, non modo sacram sedem ibi Pontificibus posuit, sed cæteris per Germaniam Archiepiscopis ante posuit, adeoque Primatem dixit. S. Adelbertus primus omnium novam cathedram insedit, tam urbis quam Ordinis nostri decus.

Sub hæc Magnum Othonem Russiæ misertum est, quam recta in Orcum tenere iter, Evangelii expertem, inaudiverat. Vt Adelbertus, (quod paulo ante memoravimus) Monachis S. Maximini stipatus, se inferret, effecit. Bonum factum, ô Cœlites! Sed ne tu fronte pulsata indigneris, in paucorum nos ire laudes, Catalogum accipe integrum.

Catalogus Abbatum ad S. Maximinum,

NVmeros addidimus, non quod nullus nos post tantum temporis intervallum fugerit, sed ne careret ordine.

1. *Iohannes* Antiochenus, S. Agritii discipulus, à Constantino M. ad annum CCC.XXXIII. Monasterio impositus.
2. *Felicius*, vulgo Fibicius.
3. *Odilardus*, magno vir animo, Constantio Imperatori Ariano se se obiicere & S. Athanasium fovere ausus.
4. *Tranquillus*, quo rebus incumbente S. Maximini ossa Treviros allata sunt.
5. *Emerentianus*.
6. *Maurelianus*, alias Maurilius.
7. *Honestus*.
8. *Remigius*.
9. *Fibicius* II. Pontifex Trivirensis.
10. *Volmer*, seu VVolmerus.
11. *Rudingus*.
12. *Gundilandus*.
13. *Memilianus*.


Dagobertus Rex, fundationis Monasterii S. Maximini incertus, à Memiliano hisce litteris certior fieri petivit:

In nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti.

Omnium Christianorum noverit industria, qualiter ego Dagobertus Rex potentissimus, convenienti consilio Episcoporum meorum Comitumque legatos, de mea parte ad Abbatem Memilianum direxi, man-

dans

dans ut diligenter inquireret, mihique per seipsum indicaret, quibus authoribus illud Monasterium S. Maximini constructum, vel cujus imperio à pristinis temporibus esset subjectum. Hanc legationem Abbas cum Fratribus solicite percipiens, perlectisque in eodem loco quibusdam vetustissimis chartulis, invetum est, ipsum Monasterium Constantini Imperatoris, fuisse regale templum, atque jussu ejus dedicatum fore in honore S. Iohannis Evangelistæ à S. Agritio venerabili Archiepiscopo. In quo videlicet templo, ut idem Pater Monasterii nostræ regalitati certa relatione patefacit, Helena sacra famula petente & favente, supradictas Imperator pauperes Christi congregavit, eisque virum Dei Iohannem præposuit, ut in servitio Dei semper vacaret, & pro se orationibus insisterent. Et insuper illius loci habitationem alteri personæ noluit subdere, nisi suæ, successorumque Imperatorum potestati. His rebus ita esse, firmiter intellectis, regio more constituo atque firmissima jussione præcipio, ut nullus unquam proterve illud Monasterium, in quo Abbas supradictus præesse videtur, audeat inire, vel ullam inhumanitatem illi violenter inferre. Igitur ut assidua recordatio mei meorumque parentum maneret in prædicto Monasterio, ipsorum S. Maximini præbendariorũ victualia sub præmemorato Imperatore constituta, additis meâ ex parte prædiis, augere curavi, quorum nomina hæc sunt: Kannis, Cressiacum, Lunevvich, Regiodola vallis, Polich, Budeliacum, Tulevant, Loavia. Hæc loca ad regiam curtem, quę dicitur decima, pertinent. Quam curtem cum omnibus rebus ad eam pertinentibus: hoc est quidquid prædivisum eam habere à fluvio qui nuncupatur Rubera usque ad sylvam quæ dicitur Ieden, Sancto Maximino præsuli in perpetuam hæreditatem contraditur. Insuper etiam cum consilio & rogatu meorum Principum catervis inibi Deo deservientibus hanc legem firmiter ac perpetualiter in posterum habendam decrevi, scilicet ut centenorum ibidem summa Monachorum semper integra maneat & inconvulsa, excepto si Imperatorum Principumve per secula succedentium benevolentia prædiis augmentetur, vel thesauris: & si propter paganorum vel infidelium Christianorum devastationem ejusdem Christi servitoribus penuria ultra modum ingrueriт, ut per thesauri effusionem expelli nequiverit, Dei Omnipotentis & mei meorumque successorum habeant licentiam allodium cum familia à fidelibus contraditum dandi & vendendi antequam Dei destruantur servitia: & ut istius chartulæ confirmatio firma in ævum permaneat, describi eam præcepi, & nostro sigillo eam inde firmavi. Actum pridie nonas Aprilis, anno regni nostri duodecimo Moguntiæ feliciter, Amen. Signum Regis Dagoberti.



Henricus Cancellarius ad vicem Ricolvi Archicapellani recognovi. *Antiquissimum hoc diploma etiamnunc in manibus est.*

14. *Gervvardus.*
15. *Herravvinus.*
16. *Gebehardus.*

Hi duo num Abbates hic loci fuerint, in dubium vocantur. Ponuntur tamen in antiquissimis Catalogis, præsertim Lacensi ante quingentos annos scripto. Trith. l. 4.

17. *S. Basinus*, Archiepiscopus Trevirensis. vixit anno quarto Childeberti Regis. vir. 17. illust. c.76.
18. *S. VVeomadus*, Archiepiscopus Trevirensis. Diem supremum obiit anno D.CC.XCI. VI. Id. Novemb. Trith. l. 4. vir. illust. c. 77.
19. *Votilradus*, Vixit anno decimo quarto regni Pipini.
20. *VVernolphus*, fama sub Carolo M. celebratus.
21. *Helizachar*. Fuit etiam Abbas Centulensis & Gemeticensis, crebro obvius in hist. Francorum. Mortuus est anno D.CCC.XXXVI.
22. *Folcardus*, Superest vas ære fusum cum ipsius Imagine.
23. *Hartaboldus.*
24. *VValdo*. Rebus præfuit sub annum D.CCC.LXVIII.
25. *VVilliberius*, Fuit etiam Commendatarius ad S. Salvatoris, hodie S. Bartholomæi, Francofurti. Vixit sub annum D.CCC.LXXX. quo demortuo laici (indignum memoratu) Abbatiam invaserunt, vique tenuerunt, donec D.CCC.LXXXV. jus ferendi suffragia pro Antistite Monachis redditum est.
26. *Herckenbertus*, quo fatis extincto res iterum rediit ad seculares, limis semper oculis Monasteriorum fortunas aspicientes, iuvat tamen nomina eorum memoriæ prodere.

Megingaudus. Excessit an. D.CCC.XCII.

cineribus restituere cœpit. Sed Epitaphium tibi promo, quod ei positum, fuisse Bartholomæus Latomus affirmat

Conditur hic Abbas Vincentius, invida postquam
Cessarunt Summo lædere fata die.
Incensam banc Divum sedem, clarosque penates
Vidit, & hostili tecta furore capi.
Cætera sat felix, nisi reddere lapsa pa-rantem.
Pressisset dura Parca citata manu.
Nunc meliora tenet cælesti sede potitus,
Et quem speramus contigit ante locum.

63. Huic successit Iohannes de Cellis, Abbas Commendatarius, qui afflictam incendio fabricam refecit, alibi cœptam à Vincentio in summum fastigium eduxit. Coadjutorem sibi an. M.D.XLVIII. adscivit Iohannem Isenburgum, præclaro stemmate ortum, qui postmodum Archiepiscopus Trevirensis, & S. Rom. Imperii septemvir factus. Quamvis autem tantos titulos paresque opes in hominem contulisset Numen, is tamen adduci nunquam potuit ut S. Maximini Cœnobium sub jugum post tot merita missum, manu benevolà mitteret.

Quando antiquissimam hanc servorum Dei Monachorum, ac Cœlitum quoque sedem, huc illuc à Commendatariis Abbatibus (non honori Magni Numinis, sed divitiis S. Maximini incubantibus) raptari toties conspexi, summus profecto me metus incessit brevi fore ut fama ac nomine Monachorum Fundatoribus invitis, ibidem extinctis, Archiepiscopi falcem in hanc messem non suam mitterent, fortunas sacri Ordinis nostri sibi vindicando, cujus rei non pauci alii Præsules exemplum prodiderunt. Terrebant me vestigia VVeissenburgensis Monasterii quod ad Canonicos sæculares, & Episcopum Spirensem transivit. Memor insuper Routberti Archiepiscopi frequenter eram, qui cupidos oculos ad S. Maximinum identidem adiiciens, anno nongentesimo quinquagesimo summa vi locū adortus est; at Divis prohibentibus nequivit redigere in potestatem. Reginonem audi. *Routbertus Archiepiscopus pro acquirenda Abbatia S. Maximini multum laboravit: sed Deo propitio non prævaluit.* Cum igitur Archiepiscopus Isenburgius non Abbatis sed nomine externo Monasterium teneret, solus jam hærebat in faucibus, facile postmodum hauriendus. Interea dum cruciabar animi, quidnā antiquissimo domicilio esset factum, D. Berthelius Abbas Luxemburgensis vir gnavus, metu non vano me exso-luit, veteres colonos scribens, anno millesimo quingentesimo octogesimo secundo nondum migrasse ut Isenburgium è vivorum numero ante submotum credamus, quam voto potitus sit.

Regin. an. 959.

D. Berthel. Annal. 7. & 8.

64. *Petrus* Rockius, electus an. M.D.LV.

65. *Matthias* à Sara castro assidere clavo jussus an. M.D.LXVIII.

66. *Reinerus* Biever, ictus fatali telo anno M.DC.XIII.

67. *Nicolaus* Hoxthomius vitæ momenta absoluit an. M.D.CXXI.

68. *Petrus* Freidenburg, antecessores sequutus est an. M.D.C.XXIII.

69. Agritius adversis quam prosperis magis memorandus.

Philippus Christophorus Archiep. sibi vindicavit S. Maximini Monasterium.

Etenim Philippus Christophorus de Sethren, Archiepiscopus Trevirensis, Abbatem se ferens, Abbatiam invasit: quampluribus annis indignis eam modis vexavit. Libertate quoque donatus (nam in Hispanorum ac Imperatoris potestatem venerat: causam ex authore Compendii Belli Germanici cognosce: *Trevirensis suorum timore, Hispanicæ tutela fastidio ac suapte ingenio libertatis quamdiu non serviret haudquaquam patiente, Gallicæ clientela sese dedidit. Hermensteinio munitissimæ arci Gallico imposito præsidio:*) dimissus, inquam, non modo hunc Antistitem Abbatia exuit, sed insuper Monasterio cum toto Monachorum cœtu expulit. Ferendum ast, dum Deus fert.

Author Compend. Belli German. ad an. 1632.

Archiu. S. Maximini.

Numen supremum tangi curâ hujus Cœnobii, vel hinc disce. Giselbertus (ita tabulæ vetustæ ad S. Maximini perhibent) ex Francorum Regum stemmate Dux in Lothariensi regno & Belgis potens, Carolo Simplice Rege dissimulante Abbatiam S. Maximini usurpavit circa an. D.CCCC.XXVIII. juvenis animo magnus, varius & inconstans, adhæc opum prodigus, in militem quævis erogabat, atque inter illa Monasterii quoque prædia eousque, ut portionem Religiosorum alimentis assignatam non modice decurtaret. Tantis malis & oppressionibus Religionis cœtus remedium aliud non reperiebat, quam consuetum in quibusuis adversis perfugium, & S. Maximini patrocinium. Ad istum Sanctum vota, preces, gemitus, corporis pœnas direxerunt, & mox auxilium admirandum adfuit.

Nocte concubia altum dormienti Giselberto adstitit S. Maximinus irato vultu, minacibus oculis, manu flagello armata. Hominem deinde affari, exponere quis sit, & cujus gratia venerit: tum acribus verbis increpare, præteritam vitam exprobrare, præsertim impietatem, tyrannidem, & oppres-

tionem sacræ familiæ suæ, ac denique extento brachio suo graviter flagello cædere, densasque toto corpore plagas infligere, & ingeminare.

Experrectus & excitatus flagelli ictibus Giselbertus altum clamat, ac sub cædentis manum ejulat, famulis ad vociferationem ejus concurrentibus, liventes scapulis à tergo impressas plagas ostendit: mox ad S. Maximini tumulum supplex accurrit: veniam à Sancto & Religiosis petit: Monasterium in integrum restituit: damna illata compensat: alia magna dona illi largitur, & quod caput est, electionem novi Abbatis Ogonis, quam antehac sua usurpatione impediverat, procurat: Ogoni Abbati deinde quid à S. Maximino, & quam ob causam passus sit, exponit, eaq; correctione ita profecit, ut emendatis omnino pravis moribus nō modo S. Maximino, ut dictum est, aliisq; Ecclesiis ac Monasteriis amplissima donaria elargitus sit, verum etiam votū Deo fecerit, & statuerit si conjugi (quam non ita pridem duxerat, Gerbergam nomine, Henrici primi Regis Germanici filiam) superstes esset, contemptis rerum humanarum ludibriis intra Monasterii alicujus claustra se abdere, & Deo soli vivere. Hæc è monumentis ad S. Maximini prompta memoriæ prodenda censuimus, ne quis impune se laturum sibi persuaderet, si cupidas manus hujus Divi rebus injiceret. Nescio vero cur ulli mortalium odio esse possit hocce Asceterium: est enim vel solius antiquitatis nomine venerabile, quippe à Constantino Magno conditum, quod Bullæ Pontificum Max. veluti Innocentii IV. Pij II. ac aliorum certum faciunt; sed imprimis litteræ Dagoberti Regis: Augusta Diplomata Othonis Magni, S. Henrici, Conradi Salici, Henrici Nigri, Henrici senioris, Maximiliani I. Caroli V. Ferdinandi I. Ferdinandi II. Ac nisi videor abeuntem te revocare ac retinere, pauca verba ab Richardo Trevirensi Suffraganeo accipe. Hoc Monasterium, inquit part 3. cap. 6. Medullæ gestorum Trevirensium: Hoc Monasterium est Ordinis S. Benedicti, & reformatum, habetq; Abbatem Principē, & nuncupatur Monasterium S. Maximini propter hunc ipsum Sanctum: alioquin templum consecratum est in honorem S. Iohannis Evangelistæ, & situm est extra civitatem Trevirensem in Campo Martis, fuitque Regium Domicilium Constantini M. Imperatoris, filii S. Imperatricis Helenæ, quod ad petitionem jam memoratæ Imperatricis per S. Antiochenum Patriarcham Agritiū, à S. Sylvestro Archiepiscopum Trevirensem creatum fecit consecrari in honorem S. Iohannis Evangelistæ &c. Insuper hîc educati, alii in Monachorum numerum recepti Fibitius, Nicetius, Aredius, Basinus, Clodulphus, Hildulphus, Spinula, Benignus, Iohan. VVeomadus, Poppo, Bernhardus, Adelbertus, VVolfhelmus, Sandradus, Romualdus Simeon, aliique viri sanctitate & miraculis clarissimi, quibus omnibus manus afferre ut marsupium tuum extendas magnum negotium est. Prætereo quamplurimos hinc ad Abbatias, itemq; Archiepiscopatus & Episcopatus, Trevirensem, Magdeburgensem, Ratisbonensem, Russensem, Hildesheimensem, Leodiensem, Paderbornensem, Metensem, Tullensem evectos, optime rei Christianæ consuluisse, ut eorum seri nepotes & germani Fratres non acerbe persequendi, sed amore prosequendi maximo viderentur, semper tamen ego quidem antiquissimo huic, juxtaque sanctissimo Monasterio timebo, donec in religiosissimam Congregationem Bursfeldensem sese intulerit. Hac autem anchora fixum, stabit incolume, indignantibus æmulis ex insidiis elapsum esse. Atq; utinam alieno periculo condiscerent loci hujus Cœnobitæ, quid sibi faciendum. Annon pleraq; sæcula cupiditatis humanæ exempla ediderunt, quæ multa Monasteriorum millia invasit: cepit, decoxit, alios in usus vertit? Quam pauca hodie supersunt, si compares! Ex triginta millib' Abbatiis Ord. S. Benedicti, inquit P. Roman. Hay, quæ tempore Concilii Constant fuerunt, hodie putantur in Europa vix superesse tria millia. Plerumque tamen avulsa ea sunt, quæ privatis viribus nitebantur, præsidio Congregationum nuda. Sapuit, qui dixit: *væ soli! quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Patres in ultima vitæ linea stantes extrema documenta liberis edere solent, quod hæc altius in animos descendant. Quidam accitis filiis virgarum fasciculum obtulit atque diffringere jussit. Postquam omnea perdiderunt operam, correpto is iterum fasciculo, vinculum soluit: tum singulis singulas virgas porrexit, dato denuo negotio ut frangerent. Dictum, factum. Ibi in hanc sententiam locutum ajunt. Erunt charissimi filii, qui mea post fata injuriis vos appetant, fortunisque exuere conentur. Si concordia vos junxerit, superiores inimicis existetis: parta tuebimini. Quod si discordia vos disjunxerit, succumbetis. Ita Monasteria cum aliqua Congregatione conjuncta, etsi non magni census sint: immo etsi pauperes tantum Prioratus sint, vim tamen facile repellunt. Cætera, auxilio destituta, periclitantur, quoties amor sceleratus habēdi, potentiorem quem-

Apperuntur Monasteria non psallendi, sed plaudendi grana.

P. Roman. Hay Horto crusiano.

Eccles. 4.

Concordia res parvæ crescunt.

piam

piam transversum egit. Heu, quam raro evadunt! Qua igitur spe aut quo consilio Congregationibus se subducunt?

Minuti pisciculi sunt mari, quos sardinas vocant. Aliquando tanta copia confluunt, seq; alii aliis intertexunt, ut vasti montis speciem præbeant: & tum quidem balænæ lacessere eos non ausæ, prætervehuntur. Simul vero soluto nexu invicem divertunt, vaganturq; singuli, à piscibus etiam non magnis occupantur & hauriuntur.

Ita cordati quoq; petitores, potentia vel sua vel aliena timendi, manus ac vim ijs à Monasteriis abstinent, quæ intra Congregationum mœnia stare conspiciunt. Quæ vero sibi non ita prospexerunt, omnium injuriis obvia, & opportuna sunt. Accusantur, differuntur, vexantur, proteruntur, culpantur, nec finis ante malorum est, quam avarus insidiator palmam & Monasterium: miseri Monachi viribus longe impares, manes sarcinas habeant, ac abeant. Ob eam rem non latum unguem distare videntur à Behemot, qui immanem rictum objecit Iordani, copiosum fluvii una cum piscibus hausturus. (Iob. c. 40.) Ita enim hi (bona si sua norint, satis divites) avaritia capti, tã Monasteria, quã Monasteriorũ opes Quæ nocent docent, hiatu nimiũ quantum explicato absorbent. Ad hanc calamitatem auertendam tam Monachi quam Canonici Regulares Congregationes ac Uniones passim instituerunt, quibus qui nomina dederunt, in portu navigant: læta pace fruuntur. Illi, quibus hæc sibi persuaderi non sunt passi, stultitiæ pœnas sæpe dederunt, ac deinceps dabunt. Hæc ut calidius solito scriberemus, Trithemius rerum Germanicarum scientissimus, nos subegit, conquerendo Monasterium S. Maximini, sua fretum magnitudine, adduci nunquam potuisse, ut Congregationi Bursfeldensi se dederet. Nec vanus vates eorum periculorum fuit in quæ paulo post conjectum est, quibusque etiamnum hodie (videlicet anno M.DC.XLIX.) jactatur. (Trith. hist. Spanheim.)

Caput III.

Monasterium S. Matthiæ, olim S. Eucharii Cella.

Nunc ad S. Matthiam visamus. Hoc Asceterium in suburbio locum cepit ante portam, quam vocant Mediam. Aut me omnia fallunt, vel antiquius Monasterium non possidemus, quippe plus quadringentis annis ante natum Patriarcham nostrum erectum. Ipsa quoq; urbs Trevirensis aliis per Galliam Belgicam sitis ætate ante cedit, quam Salvianus *Excellentissimam, & Transalpinarum urbium maximam* appellat. (Aubert. Miræus Chronic. Bened.) (Monasteriũ S. Matthiæ Ordinis S. Bened. antiquius.) Eam Romani rerum domini titulo Augustę dignati sunt; qua de causa Ptolomæus, Plinius, Mela nec non alii Geographi, Augustam Trevirorũ nominant, atq; Semiramidis ævo, id est, multo ante Romam fuisse conditam affirmant. Sedulam operam dedere Sancti Apostoli, ut è majoribus & celebrioribus civitatibus idola quamprimum expellerent, tum vero delapsum cœlo Evangelium iisdem explicarent, non ignari circumjectos pagos, arces, agros, hinc lucem petituros. Ideoque D. Petrus nihil cunctatus, S. Eucharium, quem è septuaginta duobus discipulis fuisse ferunt, Treviros expeditionem suscipere jussit, cui ad Episcopatum auctorato, Maternum & Valerium comites addidit, sanctimonia clarissimos, quibus fidem Christianam debet provincia.

Porro S. Eucharius expeditionis caput pleno gradu suos in urbem inducens, quasi ad nutum patravit miracula. (S. Eucharius suum movet idola Treviris concionibus & miraculis.) Iuvat unius memioisse. Cujusdam nobilis matronæ filius præmaturo fato occupatus, vitam exuerat: Illa fœmineo ululatu domum complere: ioanes questus ciere: repetitis sæpe vocibus frustra gnatum à profundis manib' revocare. Vbi S. Eucharius venit, ac numini preces nuncupavit, juvenis qui decesserat, mox se suamq; matrẽ revertit: quæ ut tanto beneficio aliquid reponeret, suas ædes gnati sui sospitatori dono dedit: hic Deo Opt. Max. eas consecravit, nec aliud ante id Christianorum templum videre Treviri. (Primum templum dedicat.) Ferri proinde non potest quorundam error, ædes illas S. Iohanni Evãgelistæ dedicatas fuisse, contendentium, cum id temporis adhuc sanctissimus Apostolus vixerit. Nam anno post Virginis partum sexagesimo ædes istæ cultui Numinis addictæ sunt. Ab hac origine etiam ætatem suam computat Monasterium, numeratque dum hæc scribimus, supra mille quingentos quadraginta septem, annos fuisse asylum discipulorũ Christi pates. (Actor. 4.) Hic S. Eucharius cum sociis colebat: hic novos Christianos lustrabat: quid multa! hic ea vivendi ratio inita, quam Apostoli Ierosolymis instituere, ubi multis cor erat unum, ac anima una. Immensis laboribus perfunctus vir divinus, tandem oppetens mortem ossa isto loco deposuit, quam ob rem Trevirenses Monasterio Eucharii nomen indiderunt, quod tamen sæcula posteriora eidem detraxerunt. (Et in eodem sepelitur.) Varia hic viri Apostolici reperias monumenta. In Trevirensium Episcoporum syllabo primum locum obtinet, Valerius secundum, Maternus tertium. (Fuit primus Trevirorum Episcopus.) Conditorium in templo est, quod S. Eucharii vocant, cui primi Antistites illati sunt.

Signum insuper (seu Dianę seu Veneris) è pariete prominet à sancto dejectũ. Poëta pares monstro versus addidit, de quibus aliqui exoleverunt:

Me Pridem Treveris profanis coluit aris
Sacrilegi Numinis, nunc truncum sternet inanis.
Postrata sternet piscator dum legat error.
Tollitur, Eucharium, Maternum, Valerium tunc.

Venena in piscatorem Petrum, ac Trevirorum magistros vomit Dea, à quibus loco cultuq; exuta fuit: olim Numen, nunc ficulnus truncus.

Anno trecentesimo tricesimo S. Agritius Patriarcha Antiochenus cũ Cõstantino Magno, & S. Matthia è Græcia Treviros venit. Quamvis enim S. Apostolus in Iudęa sepultus fuerit, pace tamen Imperatoris, matrisq; S. Helenæ; pretiosissimũ thesaurũ Patriarchæ effodere auferreq; licuit. Intelligis credo, cur Monasterium à S. Matthia nomen acceperit, atque id mille admodum trecentis annis ferat. Porro, multi anni, multi cani, casusque adversi. Quàm enim longæva Monasteria ac urbes varia exercuit fortuna obsecro! non absq; gemitu gravissimarum tempestatum meminit S. Matthiæ Cœnobium. Ante S. Agritii adventum conflagravit. Ab Ægritio è favillis educum, Attila, flagellum Dei, solo æquavit. Vt iterum staret, Cyrillus trigesimus septimus, Pontifex Trevirensis, effecit. Post Attilam Nordmanni & Hungari Cœnobio manus attulerunt, diripuerunt, atque adeo ad incitas redegerunt, ut Theodoricus Cœnobii afflicti Monachus, libello quem de invento S. Celso lucubravit, ejus egestatem vehementer deploret, Egbertumq; sub annũ nongentesimum septuagesimum octavum extremã egestatem levantem, multis laudibus in cœlum tollat.

Ecclesia S. Eucharii tam ossa quam nomen S. Matthiæ accepit.

Theodoric. apud Mosandrum 23. Februarii.

Ruentibus igitur Trevirensem in agrum barbaris, cum Monachi scutum nullum haberent, in quo spem collocarent, nisi fugam, compositis in reducto recessu Apostoli ossibus, variaque materia, quæ locum in suspicionem adducere non posset, perfusis, quasi jam operam soluti, quo quemq; spes salutis vocabat, avolabant. Labuntur anni, cum annis dilabuntur exules: ubi tandem S. Mathias lateret, late custoditus, nemo jam sciebat. An. millesimo centesimo vicesimo sexto, Eberhardo I. Abbate, & Brunone Archiepiscopo, Numinis indicio deprehẽsus est.

S. Matthias amissus reperitur.

Merito Numini gratias meminimus, quod per tot sæculorũ spatia Monasteriũ hoc sartum tectumq; cõservârit. Vt vero sitũ, fabricam, fontes prætereamus, *Fuisse in eo, inquit Bruselius, multos eximie doctos, ac admodum diligentes Monachos, testatur hodie adhuc incomparabilis hujus Monasterii Bibliotheca. Mox Galliæ Regũ & Episcoporũ Trevirensium accessit liberalitas ac Munificentia, qua ditatum & egregie illustratũ est Gymnasium S. Matthiæ.* Idem postea in laudes it Antonii Levenii Abbatis, qui magno sumptu novã bibliothecã ędificavit, ne quid detrimenti annosi libri caperent. Tantus autem infinitorum voluminum apparatus nõ modo in ornamentum, sed etiam in docentium & discentiũ usus quęsitus est. Nam publice hic ingenuę artes ac scientiæ tradebantur, quem laborem sibi etiam D. Maximini Cœnobium sumpserat. Præ aliis incolis fama duos posteritati commendavit: Theodoricum & Theodorũ, de quib' hæc narrat Trithemius: His temporibus claruit apud Treviros nostros, Theodoricus, Monachus Cœnobii S. Matthiæ Apostoli, Ordinis nostri qui cum esset vir studiosus atq; doctissimus scripsit de inventione. S. Celsi librũ unum, quæ per Egbertum Archiepiscopũ VII. Kal. Martii in præfato Monasterio facta est, & quædem de quibus alibi mentionem fecimus. Floruit etiam his temporibus Theodorus Monachus S. Matthiæ Trevirensis, contemporaneus Theodorici Monachi supradicti, & condiscipulus: vir moribus & scientia illustris, qui scholæ publicæ multis annis in eodem Cœnobio præfuit, & varia scribendo ingenium posteris notum facere curavit, è quibus extant in Apocalypsin Iohannis non abiiciendę lectionis Synthemata. De musica, & Astronomia, varia composuit. Hic post multos in Sancta Religione labores ad Dominum remunerandus felix migravit, cui hoc Epitaphium discipuli posuerunt:

In S. Matthiæ Monast. insignis bibliotheca, scholaque publica.

Trithem. Chron. Hirsfberg. in Conrado.

Theodori Monachi pausant hic membra sepulti
Qui pietate vigens, simplicitate cluens.
Presbyter officio quod complens ordine certo,
Fervebat summis laudibus in Domini.
Prudens, & doctus, nulli pietate secundus,
Totum quod didicit, mox aliis retulit.
Vt sibi commissum bene collaudando talentum
Centuplicet justus, atque pius Dominus.
Transiit in Nonis felici fine Decembris,
Pro quo posce Deum, qui legis hunc titulum.

Itaq; non sola virtus, sed etiam litteræ apertis publicis scholis hic hauriebantur. Trithemius à singulari eruditione celebrat Engelbertum, Lambertum, Degolsberũ, quos alibi ad calamum revocabimus. Bruschius plerosque Abbates, qui post Reformationem, ut vocant, Bursfeldensem, rebus præfuerunt, laude prosequitur, quod ipsis inter primas curas etiam litteræ fuerint.

Præsertim vero una cum Trithemio Iohannem de Rode sublime tollit, restitutæ in hoc Monasterium veteris disciplinæ auctorẽ, cui etiã Cõgregationis Bursfeld. erectionẽ magna ex parte debemus. Scripsit librũ de Reformatione Monachorum: alium de officio Abbatum: itemq; alium, quo Gene-

Iohannes de Rode veterem huc revocavit disciplina.

ſin exponit. Sed cum pulcherrimum hoc facinus, quo magnæ molis Congregationem Burſfeld. excitare eſt auſus (nam fundaméta ab ipſo jacta, quis neget?) in honorem haud pœnitendã Cœnobiũ S. Matthiæ cedat, rem ab orco repetamus.

Parva Congregationis Burſfeldenſ. origo.

Poſt lõga ſæcula humani aliquid Ordo S. Benedicti in Germania paſſus eſt. A Regula, proh dolor, longiuſcule paſſim diſceſſerat. Veri Patres Cõcilii Conſtantienſ. ne res abiret longius, ſanxerũt ut Monaſteria coirẽt in Congregationem: in certas leges ac ritus Monaſticos cõvenirent: Viſitatores ſeu Cẽſores morũ deſignarent. Spopõderunt Abbates dicto ſe audientes futuros. Aderat forte Io. Mindan' ingentis animi vir, cui accidere optatius nil potuiſſet. Quamvis autem Abbas tunc non eſſet, vices tamen Præſulis Rheinhuſ. agebat. Poſtquam domũ revertit, negotio ſe imparem, privatum ac ſine virib' eſſe, vidit; Ingemuit ergo in omne partem ſe verſans, ac vota Numini aſſidue nuncupans, ut promoveret, quod ipſe Conſtantiæ moviſſet lapidẽ, quid fit? Dux Brunſvvicenſis, pientiſſima fœmina, audito in id eum incũbere, ut diſciplina Monaſteriis reſtitueretur, fecit ut Cluſenſi Monaſterio imponeretur. Hic Ioh. ante omnia noxiæ libertati frænũ imponere: ad Regul. S. Benedicti ſuos refingere. Dum hæc domi gerit, Burſfeldia tenue Cœnobiũ, mentem ſubiens vellicat, trahitq; virum. Itaq; captus eſt ſolitudine loci, quod ꝓlixius ibi contẽplationi, nemine interpellante, liceret indulgere. Non mora, cũ paucis ſociis eo concedit. Sanctior erat, quam doctior: quocirca ad Ioh. de Rode, Abbatem S. Matthiæ ſe applicuit, ejus eruditione in rem præſentem uſurus Inſuper, Ioh. jam duxerat integrioris diſciplinæ lineamenta, unde exerrare ſubditis nefas erat. Atqui Congregatiõẽ ne ſomniaverat is quidem ſed ſuo tantum Monaſterio ſic conſultũ iverat. Vti enim Congregationibus nondum inventis in quibuſdã Monaſteriis infelix lolium dominabatur, ita in aliis adeo premebantur vitia, errores, licentia, ut nec umbra quidem horum haberet locum, ſed incorrupta regnaret diſciplina. Fecit enim Dei ter Opt. favor, ut hic Ordo quovis ſæculo egregia, ſanctimoniæ ac doctrinæ ſpecimina ederet, nec unquam ſenio ita deformaretur, ut non amplius agnoſceres. Præterea, uti ſæculis ſuperioribus multi novarum Religionum conditores extiterunt, & quiſq; ſuam ad ſummum quo tendebant, rigoris gradum adduxerunt, ita in non paucos ſanctiſsimos Ordinis noſtri viros incidas, qui vel nova Monaſteria excitarunt reſtituendæ diſciplinæ: vel in antiquis ſcabioſos mores limãrunt. Deinde, novarum Religionum auctores ſemper ſanciunt aſperitates novas; atqui multis annorum centuriis cum ſola D. Benedicti Regula in oculis & manibus eſſet illâq; ſanctiſsime ſtaretur, nec quiſquam latum unguem ab ea diſcedere auderet, nullus novus ſurrexit Ordo, ſed vel nova fundabãtur Monaſteria Ordini noſtro, in quibus primi incolæ ſummo fervore S. Regulam amplectebantur: vel vetera, quibus lõga ætas adſperſerat nævos, novis legibus & auſteritatibus coërcebantur. Multa dein. eps argumenta tibi ſubjiciam, quibus inductus fatebere diſciplinam monaſticam undecim ſæculis nunquã penitus fuiſſe intermortuam, aut ubiq; locorum gentiumq; ſic lapſam, quin alicubi incõcuſſa perduraret. Demus igitur, quod debemus, aliquibus in Monaſteriis umbram fuiſſe diſciplinæ, inficias tamen non ibis, malus meridianam lucem æquaſſe.

Diſciplina Reg. e Mon. S Matthiæ Burſfeldiam traducitur

Exemplo ſit, quo de agimus, S. Matthiæ Aſceteriũ, è quo Ioh. Mindanus in ſuũ Cœnobium Burſfeld. derivare ſtuduit diſciplinam, poſtmodum eandem per Saxoniam diffuſurus. Vnde viri amore incenſus Ioh. de Rode, ad S. Matthiæ Antiſtes, exorari ſe paſſus eſt, ut aliquot ſuo è cœtu religioſiſsimos Patres mitteret Burſfeldiã, qui firma huic moli ponerent fundamenta. Pios conatus fortunavit clementiſsimus Deus, adeo ut brevi nõ Saxoniã modo, ſed Belgium quoque Franconiam, Alſatiam, & Sueviam non levis invaſerit admiratio, exiguum hoc Monaſterium aſperitate vitæ & Regulæ obſervatione magna anteire. Excitati mox Epiſcopi cum principibus, ſtimulos aliis admoverunt Monaſteriis, ut Burſfeldenſibus ſe conjungerent. Invitavit, inſtitit, ipſe quoq; Ioh. Mindanus vano conatu: nam multa pertraxit, etiam opibus præpollentia.

Ioh. Mindanus Ordinis S. Ben. per Germaniam reſtituit rem Monaſticã.

Quamob cauſam primus reformator Monaſteriorum Germaniæ habitus eſt. Poſtquam ad bonum numerũ ventum eſt, comitia egere Abbates multa ſtatuerunt: Cõgregationi vero Vnionis novem indiderunt, cui Cœnobium S. Matthiæ ſe quoq; agglutinavit. Sequuta alia ſunt, quæ intellexerunt ſe non modo rem Ordinis, ſed ſuam quoq; agere. Laudi pridẽ vertimus S. Matthiæ domicilio, quod antiquitate nulli ſecundum eſſet in Gallia Belgica: quod primos præcones ſacros emiſiſſet, qui pium idolis bellum per eas provincias indixere: nũc etiam gloriæ damus, quod ampliſsimæ Congregationi Burſfeld. præbuerit anſam. Ex hoc .n. fonte, ſi verum fateri velimus hauſta eſt.

Cæterum, diverſi ſcriptores alios atq; alios laudatiſsimi operis authores celebrant. Quocirca tu ut rẽ videas, Reformationẽ, Vnionẽ, Congregationem, differre puta. Cũ Patres Cõcilii Cõſtantienſ. rei Cathol. plurimũ intereſſe crederent, ut Ordo S. Benedicti multis per tot ſæcula hominum temporumq; injuriis jactatus, ſua quoque culpa paſsim labefactatus, in veterem rigorem & ſplendorem, in Eccleſiam Dei redundaturũ, data ſerio opera reſtitueretur, Martinus V. Pontif. Max. Iohanni de Rode ad Sanctã Matthiam Treviris Abbati ne-

gotium dedit, ut Germ. Monasteria adiret: morum licētiam ejiceret: disciplinæ religiosæ nodum adduceret. Quamvis autē à Papa Visitator Generalis dictus esset, nondū tamē ea legum antiquatarum revocatio Bursfeldensis Congregatio poterat appellari, quippe cum in ea nullas tū partes habuerit Bursfeldia. Postmodum Io. Mindanus, è Monacho S. Christophori in Rheinhusen, Clusensis, deinde Bursfeldensis Abbas factus, toto pectore dolens rem eo rediisse, ut delirantibus à recta linea passim moribus, Monasteriis nō paucis periculū ab interitu esset, quos potuit Abbates, sibi adscivit: ut animos bonos de suo sumerent: ut delecta præsenti nō ita bonæ notæ disciplinâ, in meliorē unâ secū conspirarent, etiā atq; etiam oravit, quib⁹ consentientibus illa sententiarū atq; mentiū conjunctio Unio vocari cœpit Bursfeld. nomine petito à Bursfeldia, ubi Mindanus clavum tenebat. Dum hic, quam maturato opus erat, naviter negotiū expediebat, & Io. de Rude, homo religiosissimus, Reformationis leges summo ardore suggerebat, paulatim plures ad facinus egregium se accinxe. xerunt: statis tēporibus locisq; cōventus habuerunt: quid factu videretur, in medium consultarunt: dictis deniq; sententiis ad justorum Capitulorum modū leges rogarūt, quibus tamen Pontificia authoritas aberat.

Hisce negotiis importuna mors sese interponens, Io. Mindanum haud invitum facessere jussit ad manes, cujus in locum suffectus Ioan. Hagen, non modo tantæ moli humeros, quibus ea sustētaretur, alacris subjecit, sed insuper fœderatis Abbatib⁹ comitia seu Capitula indicendi potestatem sibi fieri à Concilio Basiliensi petivit, obtinuitq;. Tum demum jus fasq; fuit junctos fœdere Abbates convocare: laborātibus Monasteriis recte consulere: condere leges, & sacram eam societatem Congregationem Bursfeldensem nominare, in qua Præsidis officium primus idem Ioannes Hagen fecit.

His ita compositis, vir iste etsi in Reformatione secundus provinciam ceperit, provectæ tamen, & jam legitimæ Cōgregationis primus Præses fuit. Sed nunc ad telam nos reciplamus: satis exerratum; satis Congregationi Bursfeldensi datum est.

Postquam igitur Trevirenses Archiepiscopi animadverterūt, Monachos ad S. Matthiam secundum Regulam instituere vitam, & nihil integra disciplina habere antiquius, his potius, quod sciam, quā S. Maximini Cœnobitis, dicatas Deo Virgines dirigēdas cōmiserunt, degentes in Monasteriis S. Mariæ, vulgo In Horreo; S. Germani, ubi Gerasina Siciliæ Regina sepulta: S. Medardi: deniq; S. Mariæ, quod monti Bodobrigio non procul Rheno impositum est. Antiquissimū esse, tabulæ à Greg. VIII. Pont. Max. Henrico IV. & Friderico II. Imperatoribus acceptæ fidem faciunt. Sacros Antistites in catalogum digessit Bruschius, in quo non raro Baronū, Comitum, ac Principum filiæ occurrunt. Nos hanc operam sumamus seriem Abbatū Asceterii S. Matthiæ disponendo, etsi primi desint, à quibus filum ducendum esset. Enimvero à S. Euchario usq; ad Gotherum nullum reperias loci hujus Præsulem. Magnum omnino intervallum! Ab hoc proinde Catalogum ordiamur.

Series Abbatum Monast. S. Matthiæ ab an. 977. ducta.

1. *Gotherius*, ex Monasterio seu Blandinensi, seu Gandensi anno 977. avitus. Rebus præfuit annos 13.

2. *Richardus*, an. 991. electus, anno 33. clavum tenuit.

3. *Bertolphus*, anno 1024. Abbas renunciatus: præfuit an. 26.

4. *Reginardus* an. 1050. elect. præf. 12.

5. *Robertus* an. 1062. præf. rebus an. 12.

6. *Bernhardus* an. 1074. elect. præfuit 23.

7. *Erubinus* an. 1097. elect. præfuit 13.

8. *Eberhardus I.* 1110. elect. præf. 19. Hoc Abbate sacra D. Matth. lipsana reperta sūt.

9. *Bertulphus II.* an. 1129. elect. præf. 26. Templum, quod passim laborabat, refecit: operibus ab Eberhardo inceptis, ultimam manum imposuit: Eugeniū III. an. 1148. D. Matthiæ ædem dedicantem, tecto accepit.

10. *Siboldus* an. 1155. electus: præfuit 32.

11. *Ludovicus* 1189. elect. præf. 20. Proxime Monasterium pauperibus hospitium excitavit: quod etiam alibi sæpe factum, ut Monachis officia charitatis obire promptum esset.

12. *Godefridus* an. 1207. elect. præf an. 4

13. *Iacobus* an. 1211. elect. præf. 46.

14. *Theodoricus* an. 1257. elect. præf. 30. Hunc Abbatem Henricus Archiepis. cum toto Religioso cœtu expulit, quodam VVilhelmo ad S. Maximini Monacho imposito. Facinus summus Pontifex improbavit: honores ac Monasteria Theodorico restituit.

15. *Alexander* an. 1282. elect. præf. 19.

16. *Fridericus I.* an. 1306. præfuit 12.

17. *Eberhardus* an. 1318. elect. præf. 15.

18. *Fridericus II.* an. 1333. elect. præf. 11.

19. *Henricus* an. 1344. elect. præfuit 7.

20. *VValtherus* an. 1351. præfuit. 6.

21. *Iohannes* an. 1357. elect. præfuit 9.

22. *Iofridus*, Comes de Leiningen, anno 1366. præfuit 40.

23. *Eberhardus* præfuit 6.

24. *Harbrandus* præfuit. 3.

25. *Iohannes de Rode* an. 1419. electus: sed clavum demum an. 1421. capessivit: vir

ſingulari prudentia & religione præditus: ob inſtitutam Cõgregationem Bursfeldenſem æterna laude ferendus. Munus hoc an. 20. ex ſententia geſſit.

26. Iohannes II. an. 1439. faſces accepit.

27. Henricus II. præfuit an. 8.

28. Iohannes III. Ex Monaſterio Himelrode Ciſtercienſium, ad S. Matthiam trãſiverat, ubi cum multos annos ſancte traduxiſſet, Abbas juſſus eſt; præfuit 33. Parthenonis S. Germani curam primus ſuſcepit.

29. Antonius Levenus an. 1484. electus Magnificum templũ erexit, quod hodie in conſpectu eſt. Inſuper bibliothecam multo ampliſſimam conſtruxit, gratam litteratis ſedẽ: dignus qui 35. an. honoribus frueretur.

30. Eberhardus an. 1515. elect. Integerrimis moribus ſummaq; eruditione Antiſtes. Libros non paucos lucubravit præfuit an. 7.

31. Petrus Olivia an. 1526. electus, poſt ſeptennium conceſſit.

32. Iohannes IV. an. 1533. electus: doctrina vir conſpicuus præfuit an. 4.

33. Lambertus, an. 1537. elect. A litteris & œconomia laudem meruit, præfuit, 5. an.

34. Henricus II. an 1542. elect. Hic Caſparo Bruſchio Catalogum Abbatum anno 1550. ſuggeſſit.

35. Petrus VVeiß, Ob. an. 1573.

36. Iohannes Ob. an. 1599.

37. Iohannes Keil, Ob. 1612.

38. Gangolphus, Ob. 1630.

39. Nicolaus, Ob. 1649.

40. Martinus Feiden.

Congregatio Bursfeldenſis Abbatiæ munus non, uti aliæ, certis circumſcribit annis, gravibus adducta cauſis.

Multis in provinciis, præſertim in Hiſpania, Abbates Congregationibus ſubjecti, triennio exacto, munere & dignitate abeunt. At Bursfeldenſ. hic honor durat, dum boni mores durant, nec eſt ut ideo Congregationem aliqua ex parte laborare putes. Nihil ſine cauſa. Vnã, vel etiam plures accipe, quæ pondus apud te habere debent. Rite illa ac ordine ſe facturum exiſtimavit, ſi legiſlatoris ſui normã ſequeretur. Etſi enim S. P. N. Benedictus de Abbatię annis verbis exertis nihil ſtatuerit, apparet tamen tota Regula, gubernaculum ipſos ante mortem non poſuiſſe, quod poſtea Canones decrevere. Si exemplum antiquum cupias ab ipſo S. Patriarcha noſtro à S. Mauro: à S. Placido, eorumq; diſcipulis capias licet: neq; ſæcula inſequentia mutarunt morem. Accedit, quam plurima Germanię Monaſteria eſſe Pont. Max. ſubjecta. Imp. Ro. mẽbra: in provinciarũ Comitiis ſentẽtiam dicere. Si proinde tertio quoque anno alius atq; alius ſufficeretur, arcana provinciarum quaſi vulgarẽtur: magni ſumptus in feudorum receptionem, & cõfirmationem Antiſtitem faciendi forent. Hæc cũ ita religioni ſibi duxere Bursfeld. Vnionis Patres, mentẽ D. Benedicti, ad noſtrã uſq; ętatem deductam conſuetudinem; ſacros Canones, novæ alicui legi. à ſe rogatæ, poſtponere. Certe S. Baſili⁹ in Aſia: S. Auguſt. in Africa: S. Benedictus in Europa, atq; ut paucis multos cõplectar, primi Religioſarũ familiarum conditores, nuſquam ſtatuerunt, ut e. lapſis certis annis Antiſtites ſe ſuo munere abdicarent. De errore igitur abs injuria poſtulari ſe non poſſe exiſtimat, ſi majorũ ſuorũ veſtigia premat. Quod ſi tu in mediũ afferas, ſeu onus ſeu munus hoc conjicere in certos, eosq; paucos annos, ſpectare ad ſtrictiorem Regulæ obſervãtiam, capita Bursfeldenſes quaſſant, non opus eſſe diſpenſatione, dictitantes, ut quis perpetuam gerat Abbatiam: illa vero eſſe opus, ut poſt triennium vel ſexennium liceat deponere. Quocirca tales verbo inveniſſe aliquid melius: re ab inſtituto moreq; S. Benedicti ac Ordinis alienum. Etiam lippis notum eſſe, diſpenſationes rigorem regularum remittere, non vero intendere.

Si deinde, inquiunt, ars artium eſt, regere animos, quod D. Greg. affirmat, recti⁹ profecto ſuos inſtituet Abbas perpetuus tractabitque Quam tribus annis circumſcriptus. Nam ſeris venit uſus ab annis. Hominum deinde animi adeo ſunt involuti, ut ſpatio ad penetrandũ opus ſit. Iſte cui triennis Abbatia definita eſt, vix à vultu ſuos moverit. Multa ſuperioribus longo uſu & experientia diſcẽda ſunt, quæ cum ita brevi tempore comparari nequeant, fieri profecto nõ poteſt, quin triennii Abbates morbos animorum curando, ſubinde morbos faciant, quo medici primulũ è ſcholis provolantes ſolent. De œconomia idem puta. Plus igitur opis & utilitatis in veteranis, expertis, perpetuis Abbatibus eſt. An non Theolog⁹, Iuriſc. Medicus, qui plurimos annos in ſchola condidit, de pulpito prę tyrone aliquo nos erudiverit? Chriſtus deinde omnium rerum optimus Magiſter, claves Petro tradidit, nunquã repetendos. Neq; cæteros diſcipulos creavit triennales Epiſc., ſed perpetuos. Imo fac hodiernos quoq; Epiſc. redigi ad triennium, quid tu Eccleſiis ac ſubditis futurũ putas? Quod ſi igitur *Chriſti actio, eſt noſtra inſtructio*, optare non debemus, ut Patres noſtri ſeu Abbates vivere cito deſinant; ſed ut unus ſi res in manu noſtra ſit perpetuo ſe nobis impẽdat. Abbatem enim latine patrem eſſe, non ignoras. At quiſq; unum duntaxat patrem habemus, qui nos genuit, non plures. Cur ergo poſt triennium Patrem ſpiritualem à nobis ſegregemus; obvium alium, iterumq; paulo poſt alium ſalutemus.

S. Greg. l. 1. Paſtor. c. 1.

Præterea, si qua fides experientiæ est, inquiunt, præstat Abbates esse perpetuos. Nam infinitam talium seriem producere licet, qui sanctimonia & eruditione conspicui, in Cœlitum tabulas publicas relati sunt. De Abbatibus trium annorum actum fere silentium est. Medici curaturi morbos, in communem regulam animum intendunt, quam vocant *A juvantibus & nocentibus*. Nimirum id quod experientia lôga docti, pellendo morbo sciunt conducere, adhibent: quod vicissim obesse experti sunt, removent. An non etiam hoc pacto animi juvâdi sint? Infinitos numeram⁹ Monachos, qui perpetuis Abbatibus ceu Magistris usi, ad Superos evaserunt: at pauci, qui triênalium Abbatum arbitrio se permisere, feruntur sequuti. Quocirca tot seculorum consuetudo, quę D. Benedictum auctorem habet, violanda nobis haud videtur. Nec forte tam scopum tangunt, quam à scopo aberrant ii, qui triennium Patri Monasterii statuunt.

Navar. c. nullam potestatem q. 15. Si munus Abbatum in tres annos, seu aliud breve temporis spatium cogatur, multa mala sese insinuant Monasteriis.

Doctor Navarrus, ingenio acutissimus, in luce ac negotiis multum versatus, exponendo Caput, *Nullam potestatem*, farraginê malorum profert, quę Monasteria subeunt, nisi Abbates sint perpetui. Passis, foribus lites turbæq; admittuntur, inquit, quiete pulsa. Quam multos enim excitat mitræ adipiscendę spes improba? Ambitione capti, quot lapides movebunt, ut voti compotes fiant? Hic mille artibus suffragia captabit: homines idoneos, qui viam muniant, subornabit: quo nihil in Rep. perniciosius. Alius pretiû offeret, quicquid de Simone actum sit. Erunt qui conspirent: erunt vicissim qui in confœderatos motum cieant: detractionib⁹ murmure, inimicitiis, disputationibus plena erunt omnia. Item, disciplina pessumibit, dum subditi parû pensi habebunt Superiores, cras imperio abituros. Hi quoq; effundent habenas, ob breve tempus se nolle graves esse suis, secum mussantes: quodq; altius deplorâdum est, amicis quorum opera evecti fuerint, omnia indulgebunt, ut gratias referant, eorumq; favorem pro alio triennio sibi parent. Competitores vero suos, honoris ejusdem Candidatos, quantumvis bonos viros, vexabunt: è Cœnobio submovebunt. Sed omnis res palam est.

Quamvis autem fortunas, opes, possessiones, æraria Monasteriorum in postremis ponere oporteat, ratio tamê aliqua eorum ducenda est. Occiduntur autem, quoties Abbas novus ad clavum admovetur. Etenim rerum domus ignarus est: quid quisq; ferat ager, villa, pagus, prædiû, nescit, scilicet ubi, que hospes. Servi, subditi, non magis ipsi noti sunt, quam peregrini, antequam rationum atq; redditum libros, tabulas archivi perlegerit, jam se circumegit triennium: nec ita tenere Monasteria, suæ fidei ad breve tempus commissa, amant, ut Abbates perpetui. Hinc indiligentia, incuria, ignavia nascuntur: quippe cum re aliena sibi negotium esse existimant. Vltimo præsertim anno nihil sibi agêdum putant, nisi præsentibus frui cujuscunq; tandem opera partis. Nam multo sudore arare, occare, serere, cp alius messurus sit, multis puerile videtur. Paucis habe: non Christi, non Monasterii, nô Monachorum rem agunt, sed suam. Præterea quotusquisq; vineam suam cuipiam locat ad triennium? Patri imprimis utendam tradunt, qui sapiunt, eoq; extincto à liberis, postea à nepotibus & pronepotibus excipiendam. Hoc pacto namq; vinea inter res proprias à vinitore numerabitur, diligentissime coletur. Alius oculis limis tâquam alienum quid aspiciet, non fodiet, non stercorabit, non statumina figet, non putabit. Vltimo præsertim anno curam omnem exuet, modo ipse fructum aliquem capiat. Quod si vineam non magni rem momenti ad triennium haud locamus, quod futurum sciamus ut pessumdetur, cur Monasteria integra ad totidem, non amplius, annos quæstoribus verius quâ Abbatibus cômittamus, quos nullus amor, nulla cura vel servandi vel augendi tenebit? Miscentur frequentes querelæ alieno ære laborare Cœnobia: nimirum quod triennales Abbates facile id contrahant, nec dissolvant, cp domini, hoc est Abbates perpetui tanquâ veri patres facturi essent, quib⁹ ęgre est, quoties de bonis aliquid decedit. Nimis cornea fibra Monachi sunt, nisi intelligant, subinde aliquos de triennalibus *non intrare per ostium, sed aliunde ascendere*: sua quærere, non quæ sunt Iesu Christi: sibi côsulere, non disciplinæ vel ærario Monasteriorum. Adde Abbatem perpetuum, si avarus & habendi cupidus sit, minori damno afficere Monasterium, quam triennalem. Facilius enim avidum unum expleas, quam multos. Rogatus Tiberius cur præfectos provinciarum ita raro mutaret? Muscas, respondit, longo fuctu plenas, minus molestas ulceribus esse: quas si abigas, succedere famelicas ac sitibundas, illis molestiores. Hoc dicto Abbates exiguo tempore magistratum gerentes oblimi, & quasi pede premi existimâ. *Sueton. in Tiberio.*

Ad hanc igitur prudentiæ regulam potius Abbates perpetui sint: res enim Monasterii tanquam suas curabunt: facta nomina liberabunt: ad rationes reddendas tota vita soliciti ac intenti. Quod si mali fuerint, saltê non tam altas plagas imponent sacris domi-

cilus,

ctilus,nec ad guttam epotabunt.Hæc scilicet Oceano ferunt, qui contra Abbates trium aonorum tendunt.

At vero qui pro his pugnát,Abbates perpetui,jactitant, etsi suum officium ,pbe sciant, haud tamen faciunt. Etenim non raro insolescunt; superbia efferuntur: certiq; in communem cœtum se amplius non redigendos,Monachos suos flocci pédunt.Hinc isti animos dejiciunt: quasi deserti labuotur in mœrorem, turbas concitant.

Nego hercle vero, hæc inde mala oriri, dixerit Vnio Bursfeldensis:alias enim Episcopis quoq;,Arcbiep. Pontificibus summis, Regibus gubernandi tempus circumscribédum foret,quod nemo affirmaverit,nisi cui impluit.Quam multi enim horum è voto& sententia res administrant, etsi provinciis integris vita tota dominentur ac jus dicant! Non eadé virtus,non eadem industria,dexteritas, in Abbate perpetuo locum habere queat.

Libere proloquor, hæc mala metuenda fuisse, antequam Monasteria coaluerant in Congregationem; dum nimirú Abbates ab alieno arbitrio nõ pendebant, sed ex suo omnia gerebant liberi, exemti,vacui cura cui suas probarent rationes. Tum enimvero licabat magnifice caput tollere,subditos premere,pro dictatore se ferre. At postquam se Cõgregationi inseruerunt,certis legib' vinciri se sponte passi sunt.Si è via exerrent,potinus Visitator advolat,qui ad rectam revocet.Si nec duci,nec trahi volent,gradu moventur: in aliorum censu deinceps habétur. Quo pacto cum Abbas perpetuus amittere plus pôssit,quam triennalis,majorem operá dabit,ut malum à se averruncet.Hęc autem mihi non invitus dabis, Abbatias perpetuas severioribus legibus muniendas esse: & si Abbates vel nimio luxu fluant: vel animas sibi creditas perire sinant: nec deniq; bono usui sint ulli: haud ferédos,haud parcendú.

Nec quisquam mihi hic Remp.Platonicá objiciat,quam animo concipere, deinde instituere, non æque facile est. Integerrimus Carthusianorum Ordo Generali patet perpetuò. Ejusdé Ord. Priores semel commissum munus tota vita ubiq; locorú obeunt. Creditum certe est familiam istam id assequutam, ut tantis nominibus ab Orbe toto celebretur,quod novas leges & constitutiones non admiserit,rata,crebras mutationes, præsertim Superiorú, laxare potius disciplinam,quam adstringere,efficereq; utReligio quæ prius fervebat,incipiat intepescere,tandem frigere. Legibus interea utitur severis, ad quas Visitatores rationes suas dirigunt. Si quem Priorem deprehédant,qui lapis sit, non homo:insolens, durus aut asper in suos decoctor:sine spiritu: ad nihil attentus absq; ambagibus exauctoratum submovent. Ceteri cautius mercari docti,in suam aliorumque salutem, nec nó in Monasteriorú incrementum quam diligentissime incumbunt. Hæc cum ita, multi saoe sibi persuadent, in hoc præter alia cardinem rigidæ disciplinæ Carthusianorú, sibiq; semper similis, verti, quod crebras hujusmodi missiones Superiorum,novas electiones,subrogationes excluserint, quas agmina malorú comitantur. Itaq; superbiæ,insolentiæ,negligentiæ,Abbatum perpetuorú, quos objiciebas, obviam ire licet,inquiunt FratresCongregationis Bursfeldensis.Ad summam, si unus non triennio, sed vita regimen absolvat,norma Monastica sibi constabit immobilis: superbis cogitationibus nemo applicabit aures: nullus alterum ad obblandiendum suffragia prensabit: omnes dicto erunt audientiores: viri graves,rerú usu periti, Monasteria provehent lapsa restituét:deniq; S.P.N. Regulæ mos geretur:sacro Canoni obtemperabitur. Cui nos nondú satisfecimus adeas Navarrú Cap,*Nullam potestatem,q.18.& tit de statu Monach. Consil.*10. Item Emmanuelem Rodriquez, quæstionibus Regularibus. *Eman. tom. 1. q. 16. art. 1.*

Atque his gravissimis momentis adducti Patres Sanctiss. Congregationis Bursfeldensis, majores suos imitari maluerunt, perpetuos Abbates Monasteriis permittendo,quá cum feris nepotibus triennales creando. Ego rem in medio relinquo (cur enim mihi tantum arrogem,ut sententiam feram?)partes tantum patroni mihi sumpsi,exponendo causas, ob quas amplissima Congregatio Bursfeldensis aotiquum morem obtinendum putavit. Alibi verso folio, chordam movebimus aliam, ostendendo, multa nos tempus docuisse; nec omnia hodie exerceri posse, quæ antiquissimi legumlatores olim statuerunt. Id nuper omnes fere Ordines intellexerunt.

Caput IV.

Monasterium Mediolacense,alias Metheloch.

Anequam à Trevirensibus abeamus, Mediolacense Monasterium describendum est, cujus fundatio in hæc tempora incidit. Offerent se nobis nonnulli S. Monachi, sanguine S. Arnulphum, Episcopum Metensem contingentes. Crediderim ejusdem Arnulphi filium S. Clodulphum cui Cœnobium hoc,alia quamplurima beneficia io acceptis fert, à fundamentis id erexisse. Fidem mihi faciunt donationis tabulæ,anno sexcentesimo quadragesimo,sexto, *Mediolacensis Monasterii, ut apparet, Fundator S. Clodulphus fuit.*

huic

Francisc. Rosiers histor. Lothoring. Privil. 4.

huic Cœnobio ab ipso concessæ quas Franciscus Rosiers producit, ubi Princeps iste *Dux Austrasiæ Mosellanæ vocatur*, quod in neminem alium, quam hanc filium Arnulphi inclinaveris. Oppidum se dare, inquit, Monasterio Mediolanensi, in honorem Beatissimæ Virginis, deinde SS. Apostolorum Petri & Pauli, & S. Dionysii fundato juxta Saram fluvium. Trithemius quidem & VVion conditorem hujus Cœnobii S. LutvVinum faciunt, S. Clodulphi nepotem, adduntq; primum fuisse Abbatem. At si litteras donationis ac annos rite expendas, eos falli credes. Nam anno sexcentesimo quadragesimo sexto avus ipsius Clodulphus oppidum Oblana se Benoldo Abbati conferre, ait. Facile tamen adduci me patior S. Ludvvinum instaurasse Monasterium, magnisq; beneficiis cumulasse, inde fundatoris nomen adeptum, quod multis alis accidit.

Trithem. vir. ill. l. 3. c. 158. VVion. 27. Septembr.

Cum sic animi penderem, cupide & libenter Iohannem Bertels, Historiæ Luxemburgensis conditorem, legi: ejus verba hic tibi expediam: forsan verum attigit. Defuncto, inquit, Anselberto Senatore Romano, nec non Marchione, eodemq; agri Mosellani Domino, possessionum ejus hæres universalis effectus est Arnoldus sive Anchises, quem supra ipsius primogenitum fuisse ostendimus, procreavitque ex conthorali sua Oda, Sueviæ Ducis filia, filios tres, & quatuor filias, videlicet Arnulphum Principis Successorem: Modoaldum Archiepiscopum Trevirensem: VVandalinum Sanctissimum Monachum; Afram Sanctam: Severam Sanctam, Abbatissam Trevirensem: Odam & Guiram Gervini Ducis Lotharingiæ uxorem. Iste Gervinus Fundator extitit amplissimi Monasterii Mediolanensis supra Saram Fluvium. Ita Bertelinus. Sed hic gradus nobis aliquamdiu defigendus est.

S. Clodulphus se Monachis adscribit S. Maximini.

Clodulphus itaque Arnulpho Duce ortus, captantem se mundum pulchra fuga deserens, inter Monachos nomen suum professus est: Sedi postea Metensi impositus. Amalberta seu Maria, ipsi prius connubio juncta, in Trevirense Monasterium se recepit. Ille patri simillimus fuerat, subditos olim suos benigne habendo: de omnibus bene merendo: gratiam Clotarii, Dagoberti, Sigeberti II. Galliæ Regum, recte factis sibi conciliando. Arma ipsi intulerant Saxones & Suevi, utrosq; fudit. Postmodum patrem imitatus, Monachum induit ad S. Maximini, vel quod propius vero est, in monte Vogeso, ut etiam hac parte patris vestigia premeret.

Vel certe montem Vogesum colentibus.

Vitam duxit asperam, sic ulturus delicias quibus fruebatur in sæculo.

Theodoric. vita S. Trud. c. 8.

Trudo principum sanguine cretus, ut est apud Theodoricum, vitæ ipsius auctorem, arctam in cœlum viam indagans, in S. Remaclum, Tungrensium Episcopum, incidit, ævi illius decus: cui cum se in disciplinam dare vellet, ad S. Clodulphum missus est, quasi majores apud eum progressus facturus. In viam igitur se extemplo dedit, moræ impatiens: tandem Metensi urbe potitus, S. Clodulphum adit; qua causa venisset, exposuit.

Probavit juvenis consilium Episcopus: elementa vitæ sanctioris prompto discipulo præscripsit. At is magistrum antevertens, omnes fortunas suas, quæ profecto amplissimæ erant, Ecclesiæ Metensi transcripsit: quæ tanta accessione vehementer locupletata fuit. Nemo gratis unquam dedit Deo. Initiis enim rationibus Trudo, tantum virtutis ac eruditionis se cœlitus accepisse paulo post sensit, ut victum se ultro fateretur.

VVion S. Inter Append. f. 875 ubi alios citat.

Quidam litteris consignarunt, perlata Treviros fama, quantus vir S. Clodulpus esset, accersitum eo esse ad Sedem Archiepiscopalem capessendam: ne vero intercedere possis, multos ab ipso annos in sæculo, non paucos in Monasterio, plurimos in cathedra Metensis Ecclesiæ consumptos: novæ idcirco mitræ ætatem haud suffecturam fuisse, centenarium senem faciunt: Carolum Martellum, Caroli Magni avum, assequutum, ajunt.

Addunt Martellum rebus Ecclesiasticis se miscentem à Sancto reprehensum: ideoq; post undecim annos in Trevirensi Ecclesia exactos, à principe accenso proscriptum: revertisse autem ad veterem Sedem Metensem. Hæc an vera sint, vel secus, non expedio. Demum VI. Idus Iunii excessit, Cœlitum fastis ab Ecclesia illatus.

Martyrolog. 8. Iun.

Clodulphus Sanctorum fastis adscriptus.

Sepulchrum ei in S. Arnulphi Monasterio extra muros Metenses, juxta patrem, obrigit. Cum vero annus nongentesimus sexagesimus nonus se circumageret, VIII. Id. Septembr. in quandam Laudanensis urbis Ecclesiam translatus est magno populi applausu.

Clodulphus porro ex Amalberta Carlomanni Ducis Brabantiæ filia, multos liberos susceperat, quorum maximus natu Martinus fuit, ad quem posteriores Galliæ Reges, nimirum Hugonem Capetum ejusque filios referunt.

Basinus S. Clodulphi filius in Monasterium S. Max. à sua virtute citatus, honoratur.

Proximus à Martino Basinus fuit. Abjecta ingenti hæreditate, consertam auro vestem exuens, cucullum Treviris ad Sancti Maximini induit. Ex bono Monacho

factus Abbas est optimus, quem postea etiam Treviri rapuerunt ad mitram Archiepiscopalem capiendam. Rebus ubiq; preclare gestis, IV. Non. Martii ad Beatorum sedes evocatus, decessit, Monasterii Mediolacensis summus benafactor à Francisco Rosiers appellatus.

artyrolog. .Maj.

rancisc. Ros. .9.bist.Lobar.

Filiam quoq; S. Clodulphus sustulerat, (Guntæ nomen erat) quam Gervino Ducis Luthrochii filio collocaverat. Felici hæc partu Sanctum Lutvvinum edidit, multorum Cœnobiorum conditorem. Dives opum sua, scqua Mediolacensibus dedit. E privata cella in Abbatis primo, deinde in Archiepiscopi Trevirensis gradum, denique III. Kalend. Octobris, in cœlos sublatus est. Mediolaci sepeliri voluit, inter cognatos Iudicem suum præstolaturus.

Trith. l.4. vir. illustr. .72. Martyrol. 29. Septemb. S. Lutvvin. Superis additus.

Lambertus Lotharingiæ Dux, S. Clodulphi nepos, Martini filius militia nobilis, Caroli Martelli tribunus, in Saracenos & Longobardos, rogatu Pontificis movit. Mariam Comitis Boloniæ filiam matrimonio sibi adsciverat, liberis fœcundam, qui post ipsum Lotharingiæ Ducatum excepere. Tam sago igitur quam toga magnus, sanctos avos suos ac majores imitatus, Mediolacensi Monasterio, clavum tenente Orico Vderam oppidum dono dedit. Ætate gravis, Ducatu deposito, quem annis sexaginta tribus tulerat, ad annum DCC. LIX. in Mediolacense Monasterium se removit, in cucullo mortem obiit, ibidem sepultus. Cætera loco suo edemus. Interea, si differri non vis, privilegia ex hujus Cœnobii archivo à Francisco Rosiers prompta lege. Videbis imprimis Duces Austrasiæ Mosellanæ, postea Duces Lotharingiæ dictos, fundasse, auxisse, defendisse Mediolacum: intrasse quoque, & vitæ sanctimonia illustrasse.

Lambertus S. Clodulphi nepos, extrema ætate factus Monachus. Francisc. Ros. ...

Tot principibus gloriari poterat Monasterium, ac aliis se anteferre, atqui verum decus in sanctimonia, deinde in eruditione est, quas plerumque summi honores comitantur. Duodecim Archiepiscopos numerat cathedra Trevirensis, à S. Benedicto petitos. Sex Mediolacum dedit. quos satis fuerit hic breviter tantum notasse.

Lutvvinus Richbodus VVazzo, Hetti, Bertulphus, Radbodus, Monachi Mediolacenses, creati Archiepisc. Trevirenses. Trith. vir. ill. l.4. c.72. 73. 80. VVion. l.2. c.32.

Primum locum S. Lutvvinus obtinet. Sub annum septingentesimum octogesimum sextum Richbodus, prius Abbas, cathedram insedit: cui VVazzo seu VVasus, etiam prius Abbas, successit. Anno octingentesimo quinquagesimo primo, (secundum Christophorum Brovverum octingentesimo tricesimo secundo) Hetti adjunctus est: quibus temporis progressu additi Bertulph', & Radbodus. De his aliqua in promptu habent Trithemius & Arnoldus VVion.

Tot archimandritas ex uno Monasterio prodiisse non ultima causa Academia est, quæ ibi aperta floruit. Multa super scholis Cœnobiorum publicis alibi narravimus, ut facile animadverteris tam immensam Episcoporum Ordinis S. Benedicti copiam in ejusdem Academiis natam. In nostram sententiam it Paulus Langius, Trithemii discipulus, qui admiratione suspensus, Monachos nostros ubiq; adeo insedisse cathedras pontificias, ut sola Trevirensis duodecim, Moguntinensis tredecim possit producere. Cum Carolus M. ac Othones imperarent, Ecclesiam mirifice illustrarunt. Causam vero quasi Monasteriis ad Pontificias tiaras fuerint evocati, idem Langius in scholas, in quibus Monachi summo studio desudabant, rectissime refert, quarum per Germaniam & Galliam bene longum catalogum contexit. Illa ætate, subjicit, viguit sapientia in Cœnobiis, quam ob rem Reges, Principes, nobiles liberos suos iisdem crediderunt, ubi tam pietati quam litteris incumberent. Horum aliqui in verba S.P Benedicti jurabant: alii ad Remp. admovebantur, eamque prudentissime gerebant. Ita Sanctus Adelbertus primus Archiepiscopus Magdeburgensis, bonis artibus in Monasterio institutus, in virum innocentẽ, mansuetum moderatũ eximium evasisse fertur, cui proinde adolescentes Regũ & Principum sanguine orti commissi fuerunt, in magistri sui vestigia ituri. Ad summam, è scholis Monasteriorum viri præclari prodierunt, qui Ecclesiæ lumina fuere sive sanctitatem, sive eruditionem spectes; His tantam librorum copiam debemus. Si exempla edenda sint, SS. Maurum, Placidum, Faustum, Theodorum, Sancti Benedicti discipulos: præterea Remigium, Alcuinum, Bedam, Rabanum, Anselmum, Rupertum Tuitiensem, infinitos alios, damus, ab optimis parentibus Monachos in disciplinam traditos, quam diligentissime avideque imbiberunt. Cum igitur multa millia in doctrinæ atque virtutis fastigium evaderent, Reges atque Principes bono publico consulturi, sedes Episcopales passim per eos fixerunt, quantumvis obluctantes, quod cellæ obscuritatem tantæ luci anteferrent.

Paul. Lang. an. 962.

Trevirensem mitram duodecim Monachi Ord. Bened. Moguntin. tredecim tulere.

Intelligis opinor, unde S. P. N. Benedicti Ordo tam Galliæ quam Germaniæ egregios Episcopos magno Ecclesiæ Dei commodo dividere potuerit? Nimirum litteras domi sitas habebant: domi colebant, ut Monasteria non pietatis modo

domicilia, sed etiam publica doctrinæ diversoria essent. Fama igitur tam eruditionis quam virtutis perculsi Principes, Reges, Imperatores, vigiles inde ovium pastores petebant.

Remigius Abbas Mediolacensis. Trith. chron. Hirsaug.

Inter præcipuas ac primas Ordinis per Galliam Vniversitates, Mediolacensis habita semper fuit. Recitare juvat quæ Trithemius de Remigio Mediolacensi Abbate memorat: Hac tempestate Remigius Mediolacensis nostri Ordinis in Treverensi Diœcesi floruit, divinarum litterarum humanarumque studiosissimus, juxtaque peritissimus, qui scholis domi apertis & suos & aliorum Cœnobiorum alumnos ad scientiam sapientiamque formavit: quode alibi largiorem faciemus mentionem.

Lib 2. Illustr. vir.

An. Christi 644. — An. S. Benedicti 164.

Dagobertus Rex bene Ordini Sancti Benedicti facit.

TAM attestata Dagoberti Regis in Familiam Sancti Benedicti beneficia sunt, ut ne fama quidem ea obscurare possit. Citius pene mortuus est, quam dare desiverit. Cum ex more Franciam Occidentalem lustraret (veteres Neustriam dixere) Episcoporum & Procerum regni conventum egit, adductis etiam parvis suis filiis Sigeberto, Ragintruda & Clodoveo ex Nanthilda susceptis; ut patris erga Divum Benedictum amorem cultumque à teneris imbiberent. Aimoinus in actis horum Comitiorum recensendis multus est: nos ex ipso rem damus.

Aimon. l. 4. cap. 30.

Dagobertus principes Ecclesias Galliæ novis possessionibus ornat.

Imprimis Numini gratias submisse meminit, quod in eum usque diem se servârit: singulari cura, misericordia, favore se prosequutus sit. In animo deinde sibi esse dixit, principes Galliæ ædes sacras novis muneribus ornare, nomen suum apud Superos qualitercunque liberaturus, nunquam par relaturus.

Igitur Monasterio Sancti Germani (ubi humari voluit (Tumbam: templo SS. Apostolorum Petri & Pauli Parisiis, alias Sancti Genovefæ dedicato, Avernam: Monasterio S. Columbæ apud Senones Grandem Campum: Basilicæ S. Dionysii Branantem, possessiones magnas assignavit. Postea ne vel tempus, vel avaritia olim in has donationes aliquid possent, Diplomata quatuor confieri jussit, quorum unum in archivum Lugdunense; alterum in Parisiense: tertium in Metense: quartum in regium archivum conderetur. Vnde apparet, pios Fundatores quanta cura, quanta solicitudine suis donationibus prospexerint, ut æternarent.

Filiis regnum dividit.

℞ Calculo sic cum Deo ac Divis subducto, regnum inter filios eodem die partitus est. SIGEBERTUM Austrasiam cum omnibus Alemanniæ & Galliæ Belgicæ provinciis, illi annexis, habere jussit. In Clodoveum totum id, quod hodie appellamus Franciam, Burgundiam, Aquitaniam, Nordmanniam, aliasque provincias contulit.

Sigeb. & Clodoveus multa condiderunt Cœnobia.

Imbuti tam verbis quam exemplo Dagoberti genitoris Sigebertus & Coldoveus, bene multa Monasteria condidere. Porro ut ad quatuor Ecclesias à DAGOBERTO auctas redeamus, prima à Sancto Vincentio imprimis, deinde à S Germano accepit nomen, quam nos alibi prolixe descripsimus. Altera SS. Apostolis Petro & Paulo sacra, Sanctæ Genovefæ, conditorium Clericorum esse fertur, quos subinde authores Regulares nominant. Reliquas duas Sanctæ Columbæ & Sancti Dionysii, vel sola antiquitate venerandas, cum ad nos spectent, præterire nefas est.

Anno 556.

Monaster. S Columbæ apud Senones.

Dum instârem huic operi, diligenter indagavi, num esset qui nobilem S. Columbæ Abbatiam data opera in litteras misisset. Nemo comparuit. Igitur fragmenta, apud diversos historicos collecta hæc damus. Saxonensis urbs in agro Lugdunensi sita, plura Ordinis nostri habebat Monasteria: hoc unum tamen S. Petro vivo, ac S. Columbæ dicatum, haud leviter eminuere. Hæc autem Sancta Columba diversa est à Cordubensi illa Virgine, Martyre & Moniali nostra, quæ anno octingentesimo quinquagesimo tertio à Mauris cæsa, cum sanguine vitam pro Numine fudit.

Pont. Euther. cap. 7.

Ista enim Imperatore Aureliano passa XXXI. Decembris colitur, ut me non parum moveat Pontus Eutherus, qui originem Comitum Habspurgensium referens, templum hoc Sancto Columbano Abbati dedicatum fuisse ait. Structum enim S. Columbæ multo ante fuit, quam S. Columbanus vitales subiret auras.

Sur. 1. Sept.

Sanctus Lupus (Calend. Septembris spiritum posuit, cœlo receptus) Senonensis Episcopus, S. Columbam, cui perquam devotus erat, extra fores Ecclesiæ contumulari curavit, quo stillæ de tecto caderent.

Templum S. Columbæ mutavit nomen cum S. Lupo.

Putasses Divæ hujus nomen perpetuo sacræ isti ædi adhæsurum, sed bona spes destituit, subrogato, S. Lupi nomine post opera

stupen-

ſtupenda ab ipſo patrata. Ita Aimoinus quoque appellat: nec aliis Divum Campus grandis muneri à Dagoberto datus eſt, qui Princeps dum inter quatuor præcipua Galliæ templa hoc quoque recenſuit, facile exiſtimare licet, quanto intervallo aliis anteiverit. Idem hinc quoque conjicias, quod Rudolphus Burgundiæ Rex, Senonenſis urbis dominus, Gallia Italiaque potens, hoc templo condi voluerit. Sceptra vero templis & Monaſteriis obſcuris imponi haud conſueverunt, nam merita nimis facile excidiſſent.

Petr. Vener. l. 5. ep. 7.

Petrus Venerabilis quendam hujus Monaſterii Abbatem plurimum laudat, eique Monachos aliquot Cluniacenſes (id temporis Sanctæ Regulæ tenaciſſimos) mittit atque commendat, diſciplinæ ibidem duces futuros.

Sed non ideo putem Monaſterium Congregationi Cluniacenſi ſubditum fuiſſe. Nã ſi exempla mecum volutas, celeberrima Hiſpaniæ Cœnobia Sancti Benedicti de Sahagun, & Sancti Salvatoris de Omna, ſimiles viros Cluniaco evocarunt, qui cæremonias Monaſticas & diſciplinam apud ſe conſtituerent, ſoli nihilominus Pontifici Romano ſubjecta fuere. Idem de Senonenſi Abbatia cenſendum arbitror. Librum mihi M.S. in promptu eſſe, qui omnia Monaſteria, quæ Max. Sacrorum Antiſtiti ſoli parerent, complecteretur, jam diu eſt, quod dixerim. Addita etiam pecuniarum ſumma eſt, unicuique pro Bulla exolvenda. De præſenti Abbatia hæc poſita ſunt: *Columbæ prope Senonas Ordinis S. Benedicti, florenos mille.* Vnde conjecturam facias, Epiſcoporum Iuriſdictioni exemptam, tum vero divitem fuiſſe. Innocentius III. & Gregorius X. graves res gerendas Abbatibus hujus loci credidere.

Abbates S. Lupi Senonenſ. bonam operam Pótificibus navarunt. Cap. Ex parte de decimis. Cap. Dilectis filiis de officio Archipresb. Chopin. l. 2. polit. tit. 3. n. 37

Renatus Chopinus id Congregationi Caſalenſi olim nomen dediſſe refert. Quod cum legiſſem, effuſus in gaudium gratias Deo egi, quod mille ac centum annorum Monaſterium hucuſque rigoris cardinem ſervaſſet.

CAPUT III.

Monaſterium S. Dionyſii prope Pariſios, Regum Galliæ Conditorium.

NOs equidem non fugit ante ſexcenteſimum quadrageſimum quartum Orbis reſtituti annũ, jacta regio huic Monaſterio fundamenta eſſe, tempus tamen certum nos ignorare, ingenue fatemur. Conſilium autem fuit hoc ipſo producere, quo à Dagoberto nova acceſſione auctum fuit, qui cum ad S. Vincentii humari voluerit, ſacra Domus D. Dionyſii ultimam manum accepiſſe nondum potuit, ubi poſtmodum condi ſe juſſit, quem plerique Regum ſequuti ſunt.

Monaſteriũ S. Dionyſii Regum Galliæ mauſoleum eſt.

Atqui originem inſignis Monaſterii SS. Dionyſio, Ruſtico, & Eleutherio, quos Domitiani impietas è medio ſuſtulit, repetamus. Hi Martyres multo clariſſimi, Catuliaci, loco ignobili, ſepulti erant. Colebantur à vicinia: juramenta quoque ad ipſorum oſſa publice concipiebantur, loco tamen honoratiore collocari debebant primi Galliæ Apoſtoli, à Chriſti vicario illuc miſſi. Dagobertus igitur lucem attulit, ampliſſimum Monaſterium SS. Martyrum tumulis inædificando, unde Catuliaci nomen fatiſcere cœpit: paulo poſt omnino evanuit, S. Dionyſii appellatione ſuccedente. Vulgo S. Donis vocant. Amœniſſimus ſitus multo plures habitatores alliceret, niſi proxima Pariſiorum urbs ad ſe omnes invitaret.

Aimoin. l. 4. c. 30.

Dagobertus tumulis S. Dionyſ. & ſociorum, magnificum templum impoſuit.

Quid Dagobertum impulerit, ut tantam honori D. Dionyſii moliretur machinam, Aimoinus memorat, ex quo fonte hauſere poſtmodum alii. Nimirum Sanctus Arnulphus Archiepiſcopus mores finxerat iuvenis, ad pietatem eum & coronam educendo. Afficiebatur autem mire venandi ſtudio, ex more ſcilicet Principum & Regum Galliæ. Huic cum aliquando operam daret, ecce tibi, cervus ſtatione ſua excuſſus, effuſiſſima fuga, prementibus venatoribus, Catuliacum petijt: SS. Dionyſii Ruſtici & Eleutherii humile ſacellum, quod forte patebat, ſubjit.

Aimoin. l. 4. c. 9. Paul. Æmil. in Dagoberto. Rober. Gagu. in Dagob.

Albos moloſſi ſtringebant dentes: vanos edebant latratus: identidem prurientes tollebant pedes, ſed nil promovebant. Interea fugitivus cervus hoc vallo ſe tenẽs, acquievit. Subſequutus Dagobertus, obſtupuit, canes latera flagellare caudis: latrare impatientiſſime geſtire pro foribus, nec tamen irruere. Ad ultimum intellexit, arceri eos à SS. Martyribus.

Canes venatici non poſſunt irrumpere in ſacellum S. Dionyſii,

Inſuper Clotario miniſter fuerat in paucis charus cui Sadregeſilo nomen, in quem omnia magni momenti negotia inclinare conſueverat, quemque Ducem Aquitaniæ fecerat. Is in tantum Regiæ amicitiæ gradum evectus, auſus eſt Dagobertum vilipendere. Non tulit contemptum ſui regius filius: ſed multa animo verſans, excogitavit quí hominem in ordinem redigeret.

Forte Clotarius ſe longius Pariſiis ejece-

rat, intentus venationi. Dagobertus occasione utendum ratus, avitum miserum ducem flagris inscribi, deinde resecta barba dehonestari jussit, qua injuria vix id téporis accipere potuisset majorem. Post hæc metus ingens irati patris incessit juvenem, quocirca è medio se eripiens, sacello Sancti Dionysii ac Sociorum se clanculo intulit. Reducem Regem Sadregesilus occupat: quid interea secum sit actum, edocet, informe os ostendit: qua potest, Clotarium in iram concitat. Hic igneus & furoris impotens, Dagobertum investigari, abstrahi, adduci jubet, meritas contumeliæ pœoas daturum.

Dagobertus offenso patre ad aram S. Dionysii confugit.

Dagobertus etsi non raro culpam in se admiserit, Numen tamen iterum placare studuit. Cum igitur animadverteret, res sibi in arcto esse, Deum Opt. veniam, SS. Martyres auxiliom supplex postulavit. Cœlum excepit preces. Nam S. Dionysius somno solicito detentum visens, opem promisit: se scilicet patris, ira intumescentis fluctus compositurum: addidit, eum sibi locum in tutela esse cupere ut ipse periculo exemptus suscipiat illustrandum. Sub hæc citatis passibus ad sacellum feruntur emissi à Clotario famuli (neque eos fallebat, ubi Dagobertus lateret) sed procul sacro latibulo præcipitantes ac anhelantes subito defixi sunt. Se aliquandiu incitant, urgent, pedes moliuntur: sed frustra. Ergo ad Clotarium vestigia relegunt: limphatis similes rem prodigiosam attoöito exponunt.

A qua ministri è fuga cùm refractarii divina vi arcentur.

Rex gnarus ingeniorum servilium, dolos mihi suitis, dixit. Ante ora, inter manus suit, vos re infecta revertitis? Nimirum, plus apud vos potuit metus vindictæ, quam meum imperium.

Atque mora submilit alios, sed fuit idem. Rex totum pro ludibrio accepit. ora signavit rubor, frontem furor turbavit.

Idem evenit Clotario patri.

Cum aliquandiu huc illuc intentos volvisset oculos subito se ipse in viam conjecit, fabulæ, ut videbatur, capturus experimentum. Sed ubi eo perventum est, nec ipse quidem plns ultra potuit proferre pedem. Dum sic in vestigio hæsit, accipio omen, dixit. Venia donatus à Superis filius est. Neque ego ulterius pœnas exigam. Inde regiam repetivit. Metu solutus Dagobertus, ex asylo se proripuit. Ictus deinceps adverso casu, ad nota semper auxilia hæc confugit, nec quicquam potius post mortem patris habuit, quam magnificum templum Monasteriumque ad SS. Martyrum istorum tumulos opere sumptuoso moliri, ut hodie Europa miretur eum tantum potuisse. Vbi templum ultimam manum accepit, in Divorum sepulchra quæri jussit, exploraturus quod quisque incoleret.

Singula nomina singulis sanctis imposita, certum reddidere. Ne igitur veoientibus anois memoria exciderent si ossa jungerentur, aurea arca gemmis distincta unumquemque condidit: excitis totius regni proceribus operi admirando admovit, tam architectura quam pretio, fidem ejus ætatis superantibus: nec aliam Dagobertus Magnus ad regiam majestatem ostendendam, quæ in Divorum cultum cederet, debuit inire ratiooem. Ad diversa marmora ac opera tessellata nec non mosaica flectens Aimoinus, prorsus in spectaculis hæret. At ab per auras propemodum difflaodum puto id quod Robertus Gaguinus canit, tectum argento conflatum ac suspensom fuisse. Subit suspicari, tribus Divorum tumbis hujusmodi tegmen immiouisse. Facem nobis Aimoinus præfert, qui Gallia anoonæ penuria vehementissime laborante, Clodoveum Dagoberti filium Abbati in mandatis dedisse, ait, ut argentum illud tectorium protinus sublatum, pauperibus insinuaret. Idem Dagobertus templum tapetibus auro rigentibus undique vestivit: sacranda vasa (utcunque ouncuparentur) saltem argentea ot essent, effecit: ut nihil intra suam, nihil infra templi majestatem esset, apprime curavit. Eteoim quicquid alia per Galliam templa ostentabaot, quicquid insuper in Monasteriis suspiciebatur, inde ablatum, in S. Dionysium congessit, nec tamen desiderium exornandi hujus sancti exhausit, ratus omnia illi deberi. Quid? etiam portas ære fusas à templo S. Hilarii Pictaviensis revellere ausus est; sed cum navibus ferrentur Parisios, eæ sobsidentes nobile oous flumini propinarunt. Scilicet invito Numine quod Divorum unum cultu suo Rex spoliaverat, ut decus adderet alteri.

Aimoin. l. 4. c. 33.

Gaguin, Dagoberto.

Aimoin. l. 4. c. 41.

Aimon.

Verti hoc laudi Dagoberto non potest, nec aliis quidem Principibus, qui ad Basilicas suas eximie ornandas, sumunt ex parato, ut ærario suo parcant. Sunt tamen qui Regem purgent: diu bella ipsum cum Pictaviensibus gessisse: parta victoria, omnium rerum dominum factum. Non ferimus sententiam: sed argumenta damus, unde conjicias omni modo honori ipsum atque gloriæ Sancti Dionysii coosuluisse. Referunt Vaseus, Paulus Æmilius, Morales, Mariana, Dagobertum Sisnando Gothorum Regi contra Suintilam auxilia misisse; parta victoria, prædam in templo Sancti Dionysii emoliendo consumpsisse.

Vaseus an. 631. Paul. Aemil. in Dagoberto. Moral. l. 12. c. 17. Marian. l. 6.

Post-

Vinc. Belu. l. 24. c. 16. & 37. Spec. hist. Robert. Gaguin.

AEdes S. Dionyſii à Chriſto ſacrata.

Poſtquam operi regio ſupremam Impoſuit manum, evocatis quam plurimis Epiſcopis viceſimum quartum Februarii diem dedicationi dixit: atqui pridie leproſus ſub noctem ingreſſus, ejus aliquam partem ducturus fundendo preces: (an excubias feſellerit, vel ſponte ſit admiſſus, ignoramus.) plenus tamen fide, obtenturum ſe à Divo cutem nitidiorem. Summa nocte templom ſubito illuxit, ac ſi mille facibus, & tædis mille arderet. Non de nihilo tam luculenter ſplendere ædem ſentiens, ſe incitavit, huc illuc caput convertendo, quid ageretur, ſuiſmet oculis viſurus. Tum vero Dominus noſter Iesos Christos magno ſpatio cum SS. Apoſtolis Petro & Paulo, nec non Divis tutelaribus Dionyſii, Ruſtico Eleutherio, longaq; cœlitum caterva ſe inſerens, cultu ſacro, eiq; nive intacta candidiore mirifice conſpicuus, novam Baſilicam conſecravit. Munere hoc rite perfunctus, leproſum accedens, agedum dixit, nuntia Epiſcopis, nil opus eſſe altera dedicatione, quippe me ipſum hocce officium perſolviſſe. At quis mihi, ſubjecit metu diſcuſſo, æger, quis mihi ex ultima generis humani fæce habebit fidem? Itaque Servator noſter propius ſe admovens, ſumma manu leviter contingens, vetere pelle hominis caput excluſit. Contactum enim manus illa unà cum capillis ſequuta eſt. Exuvias poſtmodum maculoſas ſupra ſaxum deponens Servator, verſipellem ad Dagobertum & Epiſcopos abire juſſit, ac viſa ſibi auditaque ordine enarrare. Quod ſi animis penderent, antiqua ora puſtulis notata impuriſque nævis, ipſis oſtenderet. Nec plura loquutus cum Cœlicolarum agmine exceſſit, qua venerat.

Leproſo detracta cutis à Servatore qua oſtenſa fidem faceret ædem D. Dionyſii ab ipſo dedicatam.

Impatiens nocturnæ moræ internuntius hic, ſub primum diluculum contēdit ad Regem: res noctu geſtas bona fide exponit. Dagobertus cum Aula fertur in templum: avidis oculis parietes & parietibus inſcriptas cruces obit: omnia luſtrat: nec prius credidit narranti quam is leproſam larvam lapidi incumbentem extremis digitis ſuſpendens monſtraſſet. Extemplo enim ab omnibus, *hæc ora ferebat*, conclamatum eſt. Confluxerant etiam Epiſcopi, qui deprehenſis conſecrationis ſignis, vix cum Dagoberto erant apud ſe præ gaudio.

Somnia narrare videbimur hæreticis: pollicem tollent, tam lepidis fabulis Catholicos duci. Sed quid adeo intereſt, etiam hæreticis, Chriſtiani orbis portentis, divinorũ prodigiorum nulla fides ſit? Sat eſt credidiſſe Dagobertum Magnum: ſupraq; eſt idem: Epiſcopos ſummos infimoſque regni Franciæ crediddiſſe: nec poſteros inficias iviſſe, quin potius longa pompa quot annis ad VI. Kalend. Martii templum hoc frequentaſſe cum votorum concipiendorum, tum exuta leproſi ora ſpectandi cauſa, hac die produci ſolita. Gaguinus una annorum centuria non major ſuæ, ætati adhuc oſtenſa, aſſerit. Hodie inter ſacra lipſana condi, & peregrinis promi ferunt.

Primam templi hujus formam à nobis ne exigas; neque enim dare poſſumus: vero tamen quam ſimillimum, ab hodierna haud diverſam fuiſſe. Quis enim non putaſſet dignam imitatione, ob admirandam dedicationem? Sugerius inſignis Abbas, primo id reſtituit, impenſo triennio, ac tribus menſibus. Etiam Divus Ludovicus manum admovit ædi Sancti Dionyſii; putaturque eadem eſſe, quam hodie terimus. Nam uſque in hanc lucem digito feneſtram notant, qua Chriſtus ſummus Pontifex cum obſequioſo comitatu ſe infudit, ut primum templum nunquam totum procubuiſſe, exiſtimem.

Leo in Papir. Maſo. l. 3. & in Tol. in D. Ludov. Suger. in Carol. Craſ.

Philippus II. Hiſpaniarum Rex, Don Petrum Mamique, Sanctæ Eccleſiæ Toletanæ Canonicum, Pariſios miſerat legatum. Antonius Ribera ejuſdem Eccleſiæ ſacellanus, Notarius Apoſtolicus additus fuit, ut omnia litteris conſignaret, quæ viſum eſſet. Hic unguem ſolum de hoc leone nobis oſtendit. Agebatur vero tunc de S. Eugenii tranſlatione Toletum.

Phil. II Hiſpan. Rex S. Eugenium è Monaſt. D. Dionyſii in Toletanum transferre cogitat.

Ergo anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, ait, quibuſdam de Parlamento negotium dedit ejuſdem Præſes, Sancti Dionyſii Monaſterium, leucam unam fere cum dimidia diſſitum adirent: nomine Regis Chriſtianiſſimi ſacra oſſa Divi Eugenii à Magno Priore ac Conventu peterent, in Hiſpaniam tranſmittenda, ut votis Catholici Regis Philippi II. aliquando ſatisfieret.

Magnus Prior tam majeſtate ſui Regis, quam Oratorum auctoritate ictus, regii Diplomatis copiam ſibi fieri popoſcit, cum ſuo cœtu id communicaturus. Illi abſque cunctatione porrexerunt: itum mox in Capitulum eſt, uti vocamus. Convenere Fratr. Iohannes Nambellan, Magnus Prior & Vicarius: Fratr. Iohannes de Morciſon, Subprior. Fratr. Petrus Piconati, Cantor & Commendator: Fratr. Franciſcus Balton, tertius Prior: Fratr. Diego Goſu, quartus Prior, & annonæ præfectus: Fratr. Iohannes de Verdum, quintus Prior: Fratr. Claudius Pallar: Fratr. Petrus Luxet; Fratr. Nicolaus Charriter: Fratr. Die-

gozarii præfectus & Thesaurarius: Philibertus de Ales: Fr. Herman de Clebes: Fr. Rul Buebin, tricliniarius: Frat. Petrus Burges, Sacristanus, & juventutis Chori moderator: Frat. Claudius Mason, Præpositus S. Gervasii: F. Nicolaus de Movian eleemosynarius: Fr. Iohannes Lebioner: F. Amatus de Bellu, Præpositus de Cormelæ. F. Antonius Xamblit: Fr. Carolus de Verge: Fr. Ludovicus Teson, Thesaurarii vicarius.

F. Menoth de Hildrecan, Præpositus de Tremblai: F. Nicolaus de Perdon: Fr. Nicolaus Picardus: Frat. Iulianus de Anesac: Fr. Valentinus de Glass: Fr. Diego de Beamonte: Fr. Michaël de Basurl: Fratr. Antonius Buxar: Fratr. Georgius de Fontana, valetudinarii præfectus infirmarius. Hi omnes Ordinem Divi Benedicti hoc in Monasterio professi sunt. Latis è nutu Regis suffragiis, Magnus Prior nomine omnium, rem salvam esse respondit, nisi quod calculus Cardinalis de Lotharingia, Abbatis sui, adjiciendus foret. Absque hujus voluntate sibi haud integrum esse, sacra lipsana imminuere. Cortiorem proinde faciendum, in Lotharingia id temporis agentem, quod cum ad hanc rem attinera videretur, missæ litteræ sunt.

Descriptio templi S. Dionysii.

Hins nos tulimus ad sacra lipsana, ubi insuper omnem Ecclesiæ apparatum, qui in precio erat, curiosis oculis legimus. Spectando saturi ad templi capellam, ut vocant, majorem perreximus, quæ Chorus est, non humi depositus, sed sublime suspensus, nimirum in quem tribus scalis evadendum.

Ingredienti altare objicitur, Chori medium occupans, æquali spatio undique remotum. Ara divitem arcam sustinet, seu aurum, seu gemmas æstimes. Intus vir divinus Dionysius Areopagita latet.

Latera Sanctus Rusticus & Sanctus Eleutherius stipant, pretiosis etiam armis conditi. Iam si à dextræ sinistrorsum viam capias, se offeret imprimis S. Romani Monachi sacellum: sequentur Sancti Hilarii Confessoris: Sancti Eugenii Martyris, Archiepiscopi Toletani: S. Cucufati Martyris: Sancti Patrocli: Sancti Peregrini: SS. Innocentium: S. Osmanæ Virginis: S. Firmini Martyris: S. Eustachii: Singula horum Sanctorum corpora suis sacellis ac aris, pulchre se invicem respicientibus, imposita sunt, mausoleolis seu arcis rudi opere facta, quibus etiam latera sepiuntur. Columbæ sacella intercipiunt. Pavimentum quoque sacelli maximi arte tessellatum lumina rapit. Infra S. Dionysii altare templum medium tenet ora maxima, ad quã summo sacro operari quotidie solent Monachi. Hæc Sancti Ludovici Regis arcam habet, laminis aureis vestitam. Altare in Monachorum Choro excitatum, Sancti Dionysii Corinthii ossa fert. Hippolitus Martyr etiam sacellum singulare insidet à templi latere.

Sacellum porro Sancti Eugenii (non lac lacti similius est, quam huic sacella cætera) sexdecim longum, octodecim latum est, pavimento lapide candido scite strato. Fenestræ annosissimæ Martyrium ejusdem Præsulis exhibent. A cancellis pendens tabella, hæc verba complectebatur.

Sacellum S. Eugenii Toletani Apostoli.

Gaudet exultans plebs Toletana, cui Dionysius Areopagita pastorem egregium destinavit Eugenium: socios quoque strenuos aliis urbibus: Toleto autem fortissimum athletam destinavit. Vers. Gloria & honore coronasti eum Domine, &c. Oratio: *Beati Eugenii Martyris tui atque Pontificis, Domine, nos tuere præsidiis, ut cujus commemorationem pia devotione recolimus, ejus intercessionibus ab omnibus adversitatibus eruamur.*

Suspensa ibi etiam alia tabella erat, preces recitans pro demortuis, itemque Orationem ad S. Crucem, merro concepta Gallico. Totum altare nigro marmore compactum est, nisi quod marmor parium à fronte Martyrium S. Eugenii explicet, quem à tergo aræ videas ad populum verba facientem, & ægrotis salutem ferentem. Inde tabernaculum ligneum, quatuor columellis conspicuum, surgebat. Arcam intus continebat, cupreis laminis auro illitis compositam, ulnam unam (ac amplius) longam: dimidiam vero latam, atque tres ulnæ partes altam, quatuor leunculis impositam, cujus latera imagines Dei parentis, S. Dionysii, S. Eugenii, & unius cœlestis genii exponebant, & argento deaurato conflatas. Adhæc, argentea crux decus addebat arcæ, in qua tres extremi anguli argento facti auroque obducti S. Eugenium exprimebant, ferrum excipientem: in undas sparsum: curruí bobus juncto impositum. Arte ac pretiosis lapillis supersedeo, ne longum faciam.

Ejusdem ara, qua composita fuit

Post hæc duo Monachi jussu Præsidis è loco eminentiore sublatam arcam supra aram deposuerunt. Intus condita erat quædam alia, è ligno concinnata, duosque palmos longa arcula uno alta: paulo minus lata. Magnus Prior multa inde exemit ossa serico involuta, nec non membranam litteris Gothicis hic inscriptam.

Anno

Anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo, sexagesimo, in die Sanctæ Paschæ, qui dies fuit pridie Non. Aprilis, extractum fuit corpus Beatissimi Martyris Eugenii, Toletanæ urbis Archiepiscopi de quadam capsa veteri eburnea per manus venerabilis Patris Matthæi Vindocino, tunc temporis istius Ecclesiæ Abbatis, & de novo repositum in hanc capsam, administrationis suæ anno tertio; & per manus Reverendi Patris Geronii, Dei gratia Episcopi Magditensis. Cæterum sexaginta tria ossa magna, mediocria, parva, de S. Eugenio reperta sunt. Longior fui quam expectabas, sed nonnihil Riberæ indulgendum putavimus, quod formæ templi & SS. Reliquiarum testis oculatus fuisset, quamvis has non pensiculate describat, nec nobis cimelia describat, à Regibus ibi sepultis sacrario illata, quibus nil æquari posse, fama est. Silentium igitur istud nobis resarciendum ex aliis auctoribus videtur.

In ea 63. ossa reperta.

Præter XVII. Divorum corpora, quorum mentio facta est, infinita prope lipsana sacra conspicias, argento ac auro inclusa, scite distincta. Palmam fert corona spinis horrida, Servatori nostro ab impiis militibus alte impressa.

Ad S. Dionysium coronæ spineæ copia est.

Illam Ludovicus Sanctus Rex Galliæ munus à Balduino Imperator acceperat: atque comitantibus Alberto, Alphonso, Carolo, fratribus, ad Sanctum Dionysium insigni pompa detulerat, summæque etiam hodie venerationi est.

Hîc mihi cogita sis, si unica spina sacri hujus diadematis in quavis Ecclesia thesaurum facit, quid erit diadema ipsum, pretiosissimo Christi sanguine imbutum. Accedit clavus, quo Liberator noster Cruci affixus est: itemque pars haud exigua felicis hujus arboris, aliaque Christi passi signa, Philippo Regi ab oriente missa, quæ ipse Henrico Abbati consignavit, Monachis nudis pedibus non sine maximo pietatis sensu obviam procedentibus.

Et clavi, quo servator noster fixus fuit.

Magnum etiam thesaurum æquet liber Dionysii Areopagitæ De Divinis nominibus autographus, quem Michaël Imperator Constantinopolitanus Ludovico Pio Regi Galliæ, dono miserat. Iohannes Scotus, quem sua ætas multis laudibus tulit, latine vertit. Aliquod etiam momentum leprosi capitis exuviæ habent, à nobis paulo ante in medium prolatæ.

Nec non liber Areopagitæ de divinis nominibus autographus.

Adde jam tres coronas auro factas, gemmis dense oblitas, Philippi Regis, cognomine Pulchri, opera; Regibus deinceps regnum Galliæ capessentibus imponendas. Matthæus Abbas suo cum cœtu Monachorum à Ludovico Utino in fidem accepit. Immo hîc loci Reges Galliæ ad sceptrum auctorantur: sed non ita vacui sumus, ut singula decora, Regumque dona in medium afferamus. satis est scire, quotquot hîc sepulcrum sibi cepere, magnum aliquid, ad posteros duraturum contulisse. Sacrorum lipsanorum conditorio etiam carbunculus adnumerandus, Ludovico Regi in Hispaniam adventanti ab Alphonso VII. dono datus.

Itemq; tres coronæ.

Robert. Gaguin. in Ludovico.

Don Rodrigo. l. 7. c. 9.

Longum thesaurorum ordinem breviter permensi sumus, hîc tamen, etiamnum aliquandiu hærendum, & nonnulli scriptores errore expediendi. Huic Monasterio signum militare seu vexillum est quod Gallorum alii Flammulam, alii Auriflamen, rursumque alii vexillum Sancti Dionysii appellant. Quoties gravi malo premitur regnum, Rex comitante aula ad Sanctum Dionysium se ferre: Abbatem & Monachos, ut Numinis pacem poscant, hortari solet: adhæc imperare, ut SS. Dionysii, Rustici, & Eleutherii corpora cultui exponant. Quodsi moles belli incumbat, Flammula quoque promitur, quam è palatinis aliquis honoris gradu conspicuus capit, se redditurum promittens, si vita supersit.

Ac Auriflamen, militare signum.

Manus hoc olim ad Comites Velocasios pertinebat: verum postquam Comitatus Monasterio Sancti Dionysii cessit, signiferum Rex legit qui alios natalibus & virtute antecellit. Anno partæ salutis millesimo centesimo vicesimo, extincta Comitum Velocasinorum familia, Sugerius Abbas Comitatum Ludovico Crasso, Galliæ Regi, in feudum dedit. Ludovicus ut qui non solas in possessiones, sed etiam honores Comitum Velocasinorum successisset, suis manibus vexillum hoc à Sugerio Abbate porrigente accepit. Bello è sententia confecto, eidem non absque pompa restituit.

Renat. Chopin. l. 2. de Domanio Franciæ tit. 4. n. 6.

Quando ac unde id signum originem ducat, non convenit historicis. Quidam ad Clodoveum usque referunt; nimirum cœlo delapsum esse, cum is sacro latice tingeretur. Neque vexillum, sed scutum floribus sparsum fuisse. Fabulæ. Ita Romani quondam ancilia cœlo excidisse nugabantur: & Romam fore rerum Dominam quamdiu superessent. At sæcula nostra hoc Auriflamen non scutum, sed vexillum rubrum esse, deprehenderunt, Sancto Dionysio Areopagitæ dedicatum. Flammulam vero appellari, quod colore ignem imi-

ſetur, & à filis ſericis aureiſque vocari Auriflamen.

Meier. l. 12. hiſt. an. 1346.

Polybius, apud Mejerum lucem nobis accendit. Nam Inſubres, inquit antiquum Galliæ populum, templis Minervæ vexilla ſuſpendere ſolitos, eaque immobilia dixiſſe, quod nunquam eximerentur, niſi inſignis aliqua calamitas neceſſitatem impoſuiſſet. Morem hunc & ritum Gallos imitatos, credit Mejerus. Addit Chopinus, quemadmodum Imperatores Rom. ferre labarum conſueſſent (veluti Conſtantinus Magnus) cruce ac nomine Chriſti inſignitum, ita Reges Galliæ pro regio vexillo Auriflamen uſurpaſſe.

Chopin. ſup.

Cœlo cecidiſſe putantur.

Cæterum incolæ regni illud non tam pro ſigno ſeu vexillo, quam pro ſacro pignore habent, à fama dudum imbuti, cœlo cecidiſſe. Nec vinci ſe poſſe arbitrantur, ſi belli inter cætera ſigna volitet. Vnde partis præſente eo aliquot victoriis, à Sancto Dionyſio, cui id dedicatum eſt, latum ſibi auxilium credidere. Libri Gallorum obvii ſunt, qui narrant. Mejerus quoque grave bellum Gallos inter ac Belgas exarſiſſe memorat. Itaque Ludovicum Regem, antequam ventum eſſet ad manus, ictu ſolito Flammulam ab Antiſtite ad Sancti Dionyſii petiiſſe: caſtris intuliſſe: hoſtem profligaſſe. Conflictum iſte Roſebecanum vocat. Videlicet, vexillo etiamnum convoluto, cœlum omne ſpiſſæ nubes abſtulerant: at cum explicaretur, & à ſignifero circumageretur, ſubito factum ut liqueret æther: fugientia nubila promerent ſolem: omnia Gallis æqua eſſent. Hinc animis novis avitis, fortunam eos certamine ultimo cum hoſte experiri ſtatuiſſe. Mota illico ſigna: conſertas manus: viginti millia ex acie adverſa cecidiſſe. Papirus Maſſonus adhuc privilegia ex Domini Dionyſii archivo oculis ſubiici affirmat, à Ludovico Craſſo & Roberto, Regibus Galliæ, Monaſterio conceſſa, ob victorias ab ipſis partas, ſignifero Auriflamen ſublime tendente. Non tamen tempus notat, quo coli & adhiberi cœperit. Nos rem hanc, quæ Gallos ipſos fugit, expedire non poſſumus. Forte à primis Gallis Chriſtianis poſteriores excepere. Iuvat verſus adſcribere, quos Maſſonus neſcio cujus ore canit:

Mejer. l. 13. anno. 1382.

Papir. Maſſon. l. 3. in Philipp. Aug.

At Regi ſatis eſt, tenues criſpare per auras,
Vexillum ſimplex, cendato ſimplice tectum.
Splendoris rubri, quali celebri litania.
Vtitur incertis Eccleſia Sancta diebus.
Flamma cui cum ſit, Francis vulgo aurea nomen.
Omnibus in bellis habet, omnia ſigna præire.
Quod Regi præſtare ſolet Dionyſius Abbas.
In bellum ſumptis quoties proficiſcitur armis.
Idque gerit tollens equitum præfectus in altum.
Vectus equo, cunctas ſuetus præcedere turmas.

De S. Dionyſii Monaſterio meruerunt quam plurimi Reges, oſſa ſua dando.

Si regia numeres ſepulchra, nulla Eccleſiarum alia Baſilicam Sancti Dionyſii æquabit multitudine. In nullo enim regno conditos reperias loco uno tot Reges Patrem alibi ſequuti ſunt filii, nepotes, pronepotes: cæteri deinceps mutarunt. Reges Navarræ templis diverſis illati ſunt: videlicet S. Iohannis de la Penna, S. Salvatoris de leyre, S. Mariæ de Nayara, templo ſummo Pomperiopoli. Reges Aragoniæ mauſolea ceperunt ad Sanctam Victoriam, ad S. Iohannis de la Penna, in Monte Aragon, in Poblete. Regum Caſtellæ quidam humati ſunt Omnæ, alii Legione, Sahaguni, Toleti in templo maximo.

Hodie in Eſcuriali tumulantur. Quoſdam perpulit privatus quidam in certum locum amor. Alii inſignia Monaſteria condiderant, proinde tutum ipſis viſum, Monachis in conſpectu eſſe pſalmodia ex precibus eorum coram frui, ſubinde ſceptra obtigerunt alio ſanguine ortis, qui prioribus Regibus ſe admiſcere noluerunt. Reges vero Galliæ, præſertim à Capeto profecti, etſi templa & Monaſteria ampliſſima fundarint, à Dionyſio tamen avelli ſe paſſi haud ſunt. Galliæ regnum tres familiæ tenuere. Factum me operæ pretium ſpero, ſi nomina eorum ſubiiciam, qui ad S. Dionyſii terræ mandati ſunt.

Reges Galliæ de Merovingiorum ſtirpe.
In Monaſterio S. Dionyſii ſepulti.

Dagobertus I. ad S. Dionyſium ſepultus.

1. *Dagobertus* I. Fundator Aſceterii D. Dionyſii prope Pariſios, Clotarii II. filius, cujus mauſoleum ad unguem factum, non longe ab alio ſtat, quod S. Ludovicum tegit.
2. *Nanthilda*, à Dagoberto aliquando ſiniſtris avibus ducta.
3. *Clodoveus* II. Dagoberti & Nanthildæ filius, qui Sancta Batilda conjuge demortua, Sancto Benedicto ſe tranſcripſit.

4. *Theodoricus* II. Chelis vocatus, quod in Monasterio Chelensi editus esset, quem apud Carolus Martellus Majorem Domus egit.

Carolingiorum genus.

Beda episco. 5. *Carolus* Martellus, bellator fortissimus, quem Beda Francorum Regem appellat. Ejus quoque Mausoleo inscriptum: *Carolus Martellus Rex.* Etsi vero regio titulo abstinuerit, regia tamen facta habuit. patravit accedit, in regium fastigium evadere potuisse quod Pipinus filius fecit, at Regibus quam regno imperare maluisse.

6. *Pipinus*, Caroli Martelli filius, Caroli Magni genitor, suæ stirpis Rex primus: bello paceque admirandus.

7. *Bertha*, Imperatoris Constantinopolitani filia; Pipini Regis uxor: Caroli Magni mater.

8. *Carolus* Calvus, de Rege Galliæ factus Imperator, Ludovici pij Imp. filius, Caroli Magni nepos. Cum ex Italia viam relegeret, fato concessit. Sepultus primo Vercellis fuit, postea in Galliam ad Sanctum Dionysium translatus. Formam habitumque Imperatoris è metallo attollens artifex, mausoleo imposuit. Corona hoc Epitaphium exhibet:

Imperio Carolus Calvus, regnoque potitus,
Gallorum, jacet hac sub brevitate situs.

9. *Carolomannus.*

10. *Ludovicus*, cui cognomen Inutilis. Regno dejectum, Monachum ad Sancti Dionysii induisse, ibique sepultum ferunt.

Capetorum genus.

11. *Otho*, Dux Aurelianensis, Comes Parisiorum, Abbas ad Sancti Germani. Cur Abbatis titulo fuerit insignis anno 556. Tom. 1. expofuimus. Caroli Simplicis tutelam gessit: postmodum à proceribus regni Rex salutatus est. Anno octingentesimo nonagesimo nono vita defunctus, capto ad Divum Dionysium sepulchro, suis exemplum præivit.

12. *Robertus*, Othonis frater. Postquam ad regnum inunctus & auctoratus fuit, bello à Carolo Simplici lacessitus, & victus, mortem oppetiit anno 922.

13. *Hugo* Magnus Comes Parisiorum, Abbas Sancti Germani, Roberti filius, pater Hugonis Capeti, Othonis primi Imperatoris filiam sibi matrimonio collocaverat. Decessit sub anno 945. Hugo Magnus pater Hugonis Capeti.

14. *Hugo* Capetus, Parisiorum Comes, Abbas Sancti Germani à proceribus solio impositus, sceptrum in sexcentos jam annos exporrexit.

15. *Robertus* Hugonis Capeti filius, misericors, eruditus. Iuxta patrem suum ante SS. Trinitatis aram sepultus est. Ejus signo adscriptum, *Robertus Rex.*

16. *Henricus* I. Anno 1030. Roberto patri successit. Ad plures abiit anno 1064.

17. *Ludovicus* VI. Crassus, Philippi filius, anno 1106. in solium sublatus. Celebre Monasterium Sancti Victoris fundavit, multis regni publicis operibus anteferendum. Sepeliri tamen suos inter majores ad S. Dionysium voluit.

18. *Philippus* Ludovici Crassi filius, à patre superstite Rex renuntiatus, anno 1129. à Reinoldo Archiepiscopo coronatus est. Paulo post ex equo in cursum effuso defluens, animam edidit.

19. *Philippus* II. Ludovici VII. filius, cui præclara facta Augusti cognomen pepererе. Anno 1223. vitam cum morte commutavit.

20. *Ludovicus* VIII. Philippi Augusti filius. Ei Alphonsus Nobilis, Rex Castellæ, Blancam filiam nuptui dedit.

21. *Domina* Blancha Castellæ infans, Ludovici VIII. Conjunx, Sancti Ludovici mater, loco à marito distincto humata: nimirum sacello singulari, quod Sancto Hippolyto sacrum est. Veneranda ossa alabastrides excepit.

22. *Sanctus Ludovicus*, Rex undique magnus, cujus sepulchrum supra depinximus.

23. *Philippus* III. Sancti Ludovici filius. Denatus anno 1285. cujus filius Ludovicus fato immaturo extinctus, ibidem sepultus est.

24. *Philippus* quartus Pulcher dictus

Conju-

Conjugem sibi Johannam, Henrici Regis Navarræ filiam, regnique hæredem, adsciverat: qua demortua, regni sceptrum capessivit. Magno animo præditus belloque clarus fuit.

25. *Ludovicus* x. Vtinus, Philippi IV. & Iohannæ, Navarræ Reginæ filius: utriusque regni corona onustus an. 1316. occubuit.

26. *Philippus*. Cognomento longus demortuo fratre Ludovico regnum adivit, anno 1321. ad manes concessit.

27. *Carolus* IV. Pulcher, diem obiit 1328.

28. *Iohanna* Ludovici Ducis Eboracensis filia, Philippi IV. uxor cum marito sepulta.

29. *Iohanna* Navarræ Regina, Ludovici, cui Vtino cognomen erat, filia Philippi Comitis Eboracensis & Navarræ Regis conjunx, cor suum Templo D. Dominici Parisiis condidit: ossa vero Monasterio S. Dionysii.

30. *Philippus* VI. Valesius, propinqua cognatione Carolum Pulchrum contingens, deficiente in palatio sobole masculo, anno. 1328. Rex creatus est. Id Anglus, cum demortui Gallorum Regis filiam uxorem haberet, in suam injuriam vertit: Valesium bello appetivit. Sed per Legem Salicam fæminis adire regnum non licebat, ut ajunt. Nonnulli nimis emunctæ naris, qui scilicet nivem putant esse nigram, Valesios ajunt ad lineam vocandos diversam. At frustra nobilem hunc ramum ab illustrissima Capetorum stirpe avellunt.

31. *Iohanna* Regina Galliæ, Roberti Ducis Burgundiæ filia, Philippi VI. conjunx.

32. *Iohannes* Dux Nordmanniæ, Philippi VI. filius, an 1350. Rex Galliæ renuntiatus. In Anglia captus obiit mortuus ad S. Dionysium rediit.

33. *Carolus* V. Valesius, cognomento Sapiens, belli peritus. Excessit anno 1380.

34. *Iohanna* Ducis Borbonii filia, Caroli V. uxor. Huic filiam ejusdem nominis fuisse ferunt, ad S. Dionysii pariter sepultam.

35. *Carolus* VI. Caroli V. Filius, anno 1422. mortem valesius objit.

36. *Elisabetha*, Stephani Ducis Bavariæ filia, Caroli VI. uxor.

37. *Carolus* VII. Valesius Caroli VI. filius armis tam felix, quam promptus, cujus ætate illa Poncella de Francia, bellicosissima fœmina, dux, terrorque virorum, signa circumtulit, plerumque victricia. Mortuus est anno 1460.

38. *Maria*, Caroli VII. Regis uxor.

39. *Carolus* VIII. Ludovici XI. Regis filius, cui magnam nominis famam peperit in potestatem redacta Neapolis. Vltimis tamen annis à venis secundis destitutus est. Postquam tredecim annorum & septem mensium imperium tenuit, apoplexia extinctus est. Funebrem pompam, qua ad Sancti Dionysii Monasterium ductus est, Robertus Ganguinus prodidit.

40. *Ludovicus* Valesius XII. ex Duce Aurelianensi factus Rex, quod Carolus VIII. absque liberis decessisset. Suis charus fuit: hostibus terribilis.

41. *Anna* Dux Britanniæ. Nupserat imprimis Carolo VIII. deinde Ludovico XII. cujus tumulo, suum adjunxit. Papirus Massonus longum recitat Epitaphium, cujus nos initium damus.

Iacet sub isto Franciæ Rex marmore.
Ludovicus, Anna cum Britanna conjuge.
Hunc nempe, qui res pensitant consultius,
Patriæ patrem, populique verum Principem,
Ratione neutiquam indecenti, nuncupant.

42. *Franciscus* I. Valesius, Ludovico XII. successit cum annus Christi volueretur 1514. armis adversus Carolum V. Imp. captis notus. Vivere desiit anno 1547.

43. *Henricus* II. Francisci I. filius, longa vita dignus Princeps. Sed cum agerentur sororis Margaritæ nuptiæ, is cum Comite Moncomereo, hastiludio periit. Fracta enim insolenti impetu adversa lancea, improba festuca galeam Henricus II. hastiludio interiit.

pariterque cerebrum subivit: ludo & vitæ Henrici finem imposuit.

44. *Carolus* IX. Henrici II. filius. Francisco II. fratri successit, quo regnante atrocia bella inter Catholicos atque hæreticos gesta sunt. Viginti quatuor annos natus, vitam posuit.

45. *Henricus* III. Caroli IX. germanus, Henrici II. filius. In Poloniam ad capessendum regnum evocatus, audito fratris præproperosato, se domum retulit. ossa, si famæ fides est, Sanctus Dionysius habet.

Hæc mihi regia corpora, ad Divi Dionysii terræ mandata, historici fide digni suggesserunt. Facile tamen adduci me patior ut credam, numerum me non attigisse, sed Reginas plerasque suis maritis adjunctas fuisse. Infantes syllabo complecti, vel cæteros alti sanguinis Principes, regni proceres, palatinos, diversa per sacella & claustri ambitum sparsos, in digitos mittere, longum foret nisi quod Bertrandus Glasquin Comes stabuli major, qui via in Castellæ regnum annis patefacta Henricum II. Solio imposuit, prætereundus nobis haud sit. Nam locum inter Reges meruit, Regum victor.

Ganguinus in Carolo VIII.

Funus Henrici VIII. insigni pompa ductum.

Ganguinus multis persequitur funebrem pompam, quæ Carolus VIII. Ambrosia Parisios, hinc ad Sanctum Dionysium delatus est, seriem variorum Ordinum Mendicantium, Doctorum ac Professorum Universitatis, Consiliariorum, urbis Parisiensis curatorum, palatinorum, equitum peditumque submissa signa per terram trahentium, infinitorum pauperum daduchorum, faces manu præferentium, scrupulose digerendo. Memoria nos dignum hoc censuimus: cum prima pompa jam ad Monasterium pervenisset, (milliari integro fere cum dimidio Parisiis abest) extremam nondum se urbe effudisse. Deinde cum Carolus Rex jam jam tumulo inferendus esset, confestim feciales scuta, Iudices virgas, ministros ac famulos insignia hujus ante sepulchrum deposuisse. Postea eum, qui regium ferebat ensem, sublata voce, *Vivat Rex!* clamasse: tum sina mora, qualibet iterum sustulisse quod deposuerant. Nec solum primores aulæ, regii cadaveris feretrum subjectis humeris excepisse, sed insuper cives imaginem, quæ suum Regem ad unguem exprimebat, protulisse, cultu plane regio indutam, ac capite coronam sustinentem, dexteram sceptrum sublime tendentem, sinistrâ vero manu tenentem quam Galli *Iustitiam* vocant indice medioque digito erectis.

Viam, quæ Parisiis ad Sanctum Dionysium ducit, defixa Crux distinguit. Hucusque à Monachis obviam processum est, quibus regni proceres ac palatini tam Regis corpus, quam imaginem, contradiderunt. Inde facta, quæ ex more solent.

Renat. Chop. lib. 2. de sacr. polit. tit. 2. n. 25

Narrat Chopinus summum stabuli Magistrum signum seu imaginem Regis, pallium, habitumque reliquum una cum feretro eburneo sibi trahere voluisse, quasi hæc spolia ipsius officio, quod obibat, deberentur. Monachos contra tetendisse, ex more ac instituto majorum, Monasterio consignanda esse, atque Parlamentum secundum hos sententiam pronuntiasse.

Ipse quoque Chopinus, vir consultissimus Iuris, gravissimis argumentis ea Monachis adjudicat, suum calculum ultimo in hæc verba componens: *Donaria autem Divis posita, oblataque aræ munera, nomine defuncti, ad Sacrificos spectant, non ad illius familiares ac ministros.*

CAPUT III.

Opibus, Privilegiis, Sanctis, litteris præpollens Monasterium S. Dionysii.

Monast. S. Dionysii dives opum.

OPes hujus Cœnobii sat fuerit per transennam inspicere. Non enim vero simile est, tot Reges & Reginas nuda ossa dedisse absque auctuario, cum etiam mediocris fortunæ homines bene iis Ecclesiis facere consueverint, in quibus sepulchra sibi legunt. Omnes potius peracta vita aliquam sui memoriam ibi restare cupientes, plenis manibus dona ferebant.

Aimoin. l. 4. c. 33.

Dagobertum affirmat Aimoinus innumerabiles possessiones Religiosis contulisse, Deo ibi servientibus, ut multi tantam Regis pietatem fuerint admirati. Quod si igitur Dagobertus solus ac omnium primus tam magnas opes in locum hunc infudit, ut Aimoinus innumerabiles appellet, quantis acces-

sionibus tu id auctum fuisse putas, dum Reges sequentes nihil detraxerunt, sed continuo adjecerunt? Instat calamus nondum exhaustus ad describendum, sed modus tenendus est, cum divitiæ à nobis plane in ultimis habendæ sint. Virtutem ac eruditionem seu capita rerum, malumus obiicere Lectori. Tria tamen privilegia è multis conieci in appendicē, unde præter amplissimas facultates etiam exemptiones, quas nominant, educent.

Script. Append. 11. 12. 13.

Primum ab Aimoino petitum, Clodoveum II. refert Episcopis & proceribus Regni comitia indixisse, quibus collata Monasterio bona communi assensu firmata fuerint. Adfuisse quoque Parisiensem Episcopum (Landerico nomen erat) & Asceterium sibi subjectum in libertatem asseruisse. Alterum à Carolo Caluo acceptum Iurisdictioni Episcoporum Parisiensium, variisque tributis & vectigalibus Monasteriū eximit. Tertium Bulla Innocentii III. est, Ecclesias, Prioratus, fortunasque hujus Monasterii subiicit oculis. Quam prolixe de eodem Zacharias, Stephanus, Leo, Alexander, Paschalis, Callistus, Innocentius, Eugenius & Lucius Pontifices Max. sint meriti, memorat. Comitatus insuper Velocasini meminit, à Ludovico Grasso in feudum accepti.

Aimoin. l. 4. c. 41. Gaudet multis privilegiis.

Vt chorus choro perpetuo succedens, divinas laudes absque intervallo instauraret, Dagobertus constituit nam singulare hoc Numinis colendi studium jam aliquot Galliæ Monasteria pervaserat. Aimoinus attentus auctor, eadem divina peragendi norma SS. Mauritii Agaunense, S. Martini Turonense, S. Vincentii, & S. Dionysii Parisiensia Cœnobia usa esse, testatur. Æstate, singulis sex antiphonis Nocturnorum additos sex Psalmos. Mense Septembri singulis septem Antiphonis, quatuordecim Psalmos adjunctos. Mense Octobri post singulas octo Antiphonas, tres Psalmos: Novembri post singulas novem Antiphonas, tres Psalmos Decembri, post singulas decē Antiphonas, tres Psalmos persolutos. Ianuar. ac Febr. tot recitatos vel cantatos, quot per tempus licuisset. Item sextam horam sex Psalmis: Duodecimam vero, Psalmis totidem fuisse peractam. Hoc opus hic labor Monachorum istorum erat, cui ferendo pauci plane impares fuissent. Nam Chorus etiam robustos fatigat.

Chorum choro continuat. Aimoin. l. 3. c. 81.

Porro, hic foribus passis etiam universitas stabat, tam sæculares quam Religiosos admittens. Trithemius eam clarissimis nostri Ordinis accenset. A vicinis etiam Parisiis potuit accendi. Cum Carolus Magnus Imp. inaudiisset Baldonum Augiæ majoris Monachum Doctos inter viros ordines ducere, accisum cathedræ ad S. Dionysium imposuit, ut est apud Aventinum. Hæc antiquissimam universitatem Parisiensem videtur annis antecessisse.

Iuventutem instituit. Trithem. Chron. Hirsaug. in Dari, maro. Avent. l. 4.

Igitur perpetua psalmodia ac litterarum studium adeo provexerunt hoc Monasterium, ut virtus ac eruditio opimis opibus nil cesserint. Nam illis Monachi, quam istis, antecellere malebant. Contemplationem Ordinis S. Benedicti propriam esse, neminem fugit. Quocirca sæpe firmiores ex Monasterio in Eremum secedebant. Vbi hanc per loci situm colere non licebat, domi se è cœtu, & publico, in cellam arcanam removebant, dicti Reclusi. Ingeniosus Numinis verus amor est. Locum frequentissimū in Thebaidis vel Ægypti deserta vertit. Hujusmodi igitur Anachoretis Monasterium hoc quoque floruit. Quanti Carolus Martellus Sigebertum Reclusum fecerit, Aimoinus narrat. Quam plurimos autē hac ætate Cœnobitas in singulares hujusmodi cellas secessisse, ex Concilio VII. Toletano coniicio, quod modum statuit: præsertim vero rudes litterarum arcet, viros duntaxat compertæ sanctimoniæ & doctrinæ includi permittens, quique prius in vita communi firmi pectoris sui specimina dedissent.

Habet Reclusos.

Aimoin. l. 4. c. 57. Concil. Tol. 7. c. 5.

Monachos ad D. Dionysii cedro dignos, suis annis producemus. Iuvat nunc obiter tantum eorum meminisse. Primus se promit S. Gerardus, postea Abbas Broclensis, qui disciplinam in Belgio vacillantem restituit. Sequitur Hincmarus, Rhemorum Archiepiscopus, sub Carolo Caluo notus. Hilduinus Abbas, Sacellanus major Regis Galliæ. Elfredus Abbas, & Sebulus quem Trithemius ad annū octingentesimum nonagesimum secundum collaudat. Goslinus, Episcopus Parisiensis. Annalibus proditum est, magna eum vi Nordmannos propulsasse, ideoque eximiam gratiam ab incolis cum annus Domini octingentesimus octuagesimus quintus, præter propter ageretur, iniisse. Iohannes Godefridus, Abbas & Cardinalis, Iohannes Doceus Prior, inde Episcopus Laudunensis. Sugerius Abbas, & Matthæus Vindocinus, quorum is Ludovico Crasso hic S. Ludovico, absentibus, regni clavum rexere, quod ut intelligas, sine me aliquid ex more antiquo repetere.

Viris præstantibus excellit.

Trithem. in Hirsaug. anno 890.

Præterquam quod Abbates ad S. Dionysii à solo sacrorum summo Antistite jura acciperent, in regio etiā consilio locum habebant, Episcopis hac parte non inferiores, qui publicis in conventibus sententias dicebant, id quod etiam Episcopis Hispaniæ sub Gothis licuit. Exempla in promptu sunt.

Abbates regni Comitia frequentant.

Neq; vanus aut inanis titulus Cōsiliarii regii erat, sed legatos vel alios audienti Regi aderant: quod vel facto opus, vel secus videbatur, suadebant vel dissuadebant. Itaque supremo in consilio sedem capiebat S. Dionysii Antistes, quod Chopinus testatur, simulque Diploma Ludovici VII. in medium affert, quo is gravissimarum rerum (cujusmodi est crimen violatæ majestatis) judex constituitur.

Renat. Chop. l. 2. sac. Polit. t. 2. n. 13. & n. 18.

Adhæc, coronas novo Regi dum inauguratur, imponēdas, in Monasterio S. Dionysii asservari, supra monuim', Addit Massonus ibidem quoq; librum esse, qui coronationis ritus præscribat, secundum quos Abbati istius Cœnobii serenda sceptrum, diadema, filiis sparsim paludamentum. Quamvis autem Rhemis inungi consueverint, reperi tamen ad Sanctum Dionysium subinde coronatos fuisse. Certum hoc habeo, cum ab inauguratione Parisios revertunt, ultimam manum in hoc Monasterio imponi: inde vero triumphantibus similes spectaculo suspensam urbem ingredi. Fidem mihi Paulus Æmilius facit, Philippi Valesii solemnem pompam describens.

Regum coronationi operam navant.

Mass. l. 3. in Phil. Aug.

Paul. Æmil. Philip. Aug.

Præterea Abbates Sancti Dionysii bis Proreges fuisse renuntiatos, historici Galli litteris mandârunt. Nimirum Ludovico Crasso regnante. Hic enim in Sugerium, prudentia, dexteritate ac litteris clarissimum Præsulem, regni onus inclinavit.

Altera vice proreges fuere.

Ludovicus quoq; sanctus, cum signa illaturus Saracenis esset, regni fasces Matthæo Vindocinensi, ad Sanctum Dionysium Abbati, nec non alteri cuipiam è magnatibus commisit, ne quid detrimenti interea Resp. caperet.

Tanti honoris miraculo excitatus, quæsivi diligentius, ratus ejusmodi dignitatem Monasterio non debitam majorum instituto sed in certos quosdā Abbates, quod pares regno sustinēdo humeros haberent, collatā, donec Otho Frisingensis errore me absolvit. Animadverterat Sugerius in hæreticum, à Concilio Rhemensi stigmate notatum, quod Frisingensis in hæc verba narrat: *Hac pro contumaci fatuitate, vel fatua contumacia sua, puniendus Sugerio Abbati S. Dionysii, qui regni negotia ob absentiam Regis in Occidentali Francia, juxta illius Cœnobii prærogativam, administrabat, commissus, ab eoq; arctæ custodiæ mancipatus, vitam in brevi finivit.* Iisdem verbis hæc ad annum 1145. refert Genebrardus, adducto pro teste Othone Frisingensi.

Otho Frising. l. 1. c. 55.

Genebrard. Chron. an. 1145.

An aliquid temporis lapsu, ut sunt humana, mutatum sit, nobis non constat. Quæ pridem vulgarunt scriptores, luci reddidi. Iam vero paulo majora canamus, fide tamen auctoris.

Vincentius Beluacensis res à Carolo Magno gestas memorans, *Posthæc*, inquit, *congregatum est Concilium apud Sanctum Dionysium, ut ibi ageret Carolus gratias Deo, & Sancto Dionysio, de subjugata gente pagana, & omnem Franciam dedit eidem Ecclesiæ in præsidio, sicut antea Beatus Apostolus Paulus & Clemens Papa ei dederat: & præcepit, ut omnes Reges Franciæ, & Episcopi præsentes & futuri, pastori illius Ecclesiæ subjecti essent, & obedientes in Christo: nec Reges sine ejus consilio coronati, neque Episcopi ordinati, neque apud Romam recepti essent, aut damnati & post plurima dona præcepit, ut eidem Ecclesiæ unusquisque possessor uniuscujusque domus totius Galliæ, quatuor nummos annuatim ad ædificandam Ecclesiam: omnes servos qui libenter hos nummos darent, manumisis.* Nugæ mihi sunt istę, è libro, qui Turpino cuidam Archiepiscopo non absque injuria tribuitur, emunctæ.

Vinc. Belu. l. 2. c. 22.

Ex Turpino c. 31.

Beluacensis lucubrationes finge sinuosum marsupium esse obolis, teruntiis, Philippeis, nummisque aureis fartum, in quod si manum immergas, aliquando fulvum metallum, aliquando cupri quisquilias trahes. Inopia librorum vir diligens laboravit: auctores in quos forte fortuna incidit, suam in sarcinam conjecit: quæ visum est excerpsit: amplissimæ historiæ suæ insinuavit.

Moneta Beluacensis non semper bonæ notæ.

Nactus bonæ notæ auctorem, è manibus exire non passus, suæ telæ intexuit. Fuit idem si quando alius se obtulit, quem nullo numero habere debebat.

Crediderim eum omnes historicos, quorum copia erat, imprimis perlustrare: quæ ad rem præsentem erant conscribere: ac tum demum ad incudem revocare, certa incertis, vera falsis secernere instituisse: at spe frustratum esse. Hinc sæpe videas uno Capite, diversa virum profundere.

Suspicor id quoque, alium quempiam ipsius adversaria, limam nondum experta, in publicum rapuisse, quæ rerum ignari bibliothecam quantivis pretii esse ducunt.

Quocirca si calculo apud te meo pondus est, Beluacensem lectu dignum censeo, si tu seligere scias. Somnia quæ paulo ante narravit, ex Turpino hausit, in quem Itali, cum fabulas ejus ferunt, jactare solent, *dice il vero.*

Saltem inde apparet Monasterium Divi Dionysii maximi olim factum fuisse, etsi omnes Episcopos à Carolo Magno ei subjectos esse, aliæque nugæ, toto quas sacco hic Beluacensis profundit, à vero absint.

Belforest. l. 1. c. 32. Annal.

Quin ipse Belforestius, probus auctor, cum in Sancti Dionysii Monasterium incidit, ea fert, quæ dum legis propemodum aurem scalpas. *Præterea, inquit, immensos sumptus quos Dagobertus in ædificanda hac Ecclesia fecit: divitias quas contulit: fundationes ac donationes quas concessit, ad tot Ecclesiasticos & pauperes alendos quos oculis usurpas. Privilegia insuper, immunitates, jurisdictionesque, quibus Cœnobii hujus Abbates fruuntur omitto: his enim describendis in Cosmographia nostra sat prolixe indulsi. Solum addo, Asceterium illud adeo Dagoberto in deliciis fuisse, ut Reges sibi successores ei subjecerit, statuendo ut pro subditis se gerentes tributa penderent, quod postmodum Carolus Magnus ratum habuit, Sacramentum sumpta corona cumprimis Numini, deinde Sanctis Martyribus Galliæ tutelaribus dicendo, quod me ipsius tabulæ, quarum mihi potestas facta, docuere, unde nonnulla occupans grandi nostro operi imposui.* Hæc Belforestius, qui cum auctoritate polleat, insuper tabulas ad confirmandum sua dicta, quæ alias fidem superare non nemini videri possint, producat, plane facit ut etiam in re præsenti aliquid Beluacensi credamus.

Reges Monasterio S. Dionisii tributum pendunt.

Ingenti etiamnum animi sensu Gallia in Sanctum Dionysium fertur, nec minore eum cultu prosequitur, quam Hispania Sanctum Iacobum, cujus gratia non parva me tenet admiratio, esse qui negent Areopagitam ibi conditum, sed Dionysium quempiam alium; hocque firmius insistunt, quod Martyrologium Romanum septendecim vel octodecim Dionysios numeret, quorum pars Martyres, pars Confessores fuere. Alemanni non inficias quidem eunt, ipsissimum Dionysium Areopagitam ibi quondam contumulatum, sed à Comite nescio quo clam sublatum, inde Arnulpho Imperator oblatum, ab hoc Monasterio Sancti Emmerani Ratisbonæ creditum fuisse, nec postea unquam submotum. Hildumi Abbatis ad Sancti Dionysii, Matthæi Galeni, Cardinalis Baronii singularis industria & Sagacitas omne dubium sustulisse mihi videntur.

Hilduin. oper. Areopag. apud Sur. 9. Octob. Matth. Galen. Baron. t. 1. Annal an. 58. Martyrol. 9. octobr.

Germani S. Dionysium sibi vindicant: humeros jactitant Galli: negant: per negant.

Qui secundam sententiam ad vivum resecaret, neminem vidi. Scilicet apud se esse Dionysium, affirmant Germani, tum etiam Æneas Sylvius; qui tamen in Germanorum numero haberi queat, etsi gente Italus, quod aulæ Friderici Cæsaris adhæserit, ubi propinantibus Germanis hanc opinionem imbibit. Ita litem quoq; Gallis movent super S. Martino Turonensi, plumas alienas, corniculæ instar, occupantes Alemanni. Sed non fortius huic certamini se eripiant Galli, aut citius victoriam pariant, integro historicorum agmine in acie adversa stante, quam non dubitando. Velim duę mulieres sibi in mentem veniant, infantem coram Salomone, ceu funem contentiosum, ad se alternis trahentes. Quæ pro matre se falso ferebat, facile assensa regi est, ut dissecaretur: vera mater præ dolore sibi ferme excidens, vehementer obstitit. Alemanni S. Dionysium, quem nunquam habuerunt, sibi vindicant, civem esse suum Ratisbonensem, dictitantes donatum civitate Ratisbonensi: saltem in contrarias sententias scissos historicos, ideoq; palmam incertam. Galli vetere possessione, Bullis Pontificiis privilegiisque, tum sæculorum omnium memoria, fulti & contenti, surq; patroni securi, nullum telum promunt sed iacent.

3. Reg. 3.

Ego tantisper ad Gallos accedam: pugnam vero attentius arbitrabor ubi Monasterium S. Emmerani ad calamum vocavero. Catalogum Abbatum Belsorestius in sua Cosmographia exhibet, dignum lectu. Nuper etiam Petrus Bonsons Parisiensem historiam vulgavit typis, Regum & Reginarum sepulchris ad D. Dionisii ære perquam scitè expressis, unde aliquid libare; vel si quis scriptioni nostræ irreplit error, litura eum inducere licuisset, si in tempore ad me pervenisset. Privilegia tamen ac veteris historiæ fragmenta inde prompta, Appendix dabit.

Script. 11. 23. 26. Insuper 9. 12. 14. 15.

CATALOGVS.

Abbatum ad S. Dionysii,
A Claudio Roberti digestus,
Et à calamo pluribus intento, ideoq; cohibito,
In hoc compendium redactus.

1. *Aygulphus*, Dagoberto Rege Abbas.
2. *Chanaldus*, cujus meminit Diploma Dagoberti.
3. *Dodo*, rem gessit sub Clodoveo II.
4. *Leobarius*.
5. *Aygulphus II.* adi Aimoinum l. 4. cap. 41.
6. *Aygulphus III.* Childerico II. Rege Abbas.
7. *Godobaldus*. Rebus præfuit sub Theodorico.
8. *Cayno*, sub Theodor. & Clodoveo III.

9. *Chilardus*, Childeberto II. Rege Abbas.

10. *Cardericus.*

11. *Cadedulphus*, munere functus sub Dagoberto II.

12. *Turnaldus*, Episcopus Parisiensis creatus Principe Carolo Martello.

13. *Delphinus.*

14. *Sigebertus*, Childerici III. Regis orator ad Gregorium III. missus.

Baron. an. 745. Sur. 14. octob. 15. *Fulradus vel Folradus*, de quo hæc Baronius: *Qui ejusdem Burchardi res gestas est prosequutus Egilwardus duplicem ponit Burchardi Romam adventum: priorem una cum Bonifacio, posteriorem una cum Folrado, misso à Pipino pro regno Francorum summo Pontifice impetrando.*

Baron. an. 753. Stephano III. in Galliam tendenti, à Pipino, cuiâ consiliis intimis fuit obviam missus est. Vrbes ab Aistulpho Longobardorum Rege, Romanæ Ecclesiæ ademptas, Pipini authoritate recepit. Convenias etiam licet Gratianum, qui hæc tibi narrabit: *Quia vero Carolus* (Martellus) *Princeps Pipini Pater, qui primus inter omnes Francorum Reges ac Principes res Ecclesiarum ab eis separavit ac divisit, pro hoc solo maxime est æternaliter perditus. Nam Sanctus Eucherius Aurelian. Episcopus, qui in Monasterio Sancti Trudonis requiescit, in oratione positus, ad alterum sæculum raptus, & inter cætera quæ sibi Domino ostendente conspexit, vidit illum in inferno inferiori torqueri.*

Gratian. 16. q. 1. post c. 53. ex Concil. Rothomag.

Sur. 4. Ian. & 20. Febr.

Cui interroganti ab Angelo ejus ductore responsum est: quia Sanctorum judicatione, qui in futuro judicio cum Domino judicabunt, quorumque res abstulit ac divisit, ante illud judicium anima & corpore sempiternis pœnis est deputatus, & recepit simul cum peccatis suis pœnas propter peccata omnium, qui res suas & facultates in honore & amore Domini ad Sanctorum loca luminaribus divini cultus, & alimoniis Servorum Christi, ac pauperum, pro animarum redemptione tradiderunt.

Qui (Ludovicus Rex) *in se reversus, Sanctum Bonifacium & Fuldradum Abbatem Monasterii Sancti Dionysii, & summum Capellanum Regis Pipini, ad se vocavit, eisque talia dicens signum dedit, ut ad sepulchrum illius irent, & si corpus ipsius ibidem non reperissent, ea quæ dicebat, vera esse concrederent. Ipsi autem pergentes ad prædictum Monasterium ubi corpus ipsius Caroli humatum fuerat, sepulchrumque ipsius aperientes, visus est subito exisse draco, & totum illud sepulchrum interius inventum est denigratum ac si fuisset exustum. Nos autem illos vidimus qui ad nostram usque ætatem duraverunt, & huic rei interfuerunt, & nobis viva voce veraciter sunt testati quæ audierunt atque viderunt.*

Baron. 741. Hæc accipe, inquit Baronius, ex scriptis capitulis (ut præfert titulus) ab Episcopis provinciarum Rhemensis & Rothomagensis, ad Ludovicum Regem missis, apud Gratianum vero descripta ubi agit de bonis Ecclesiæ non auferendis. Voluimus autem nos longam hanc tibi lineam ducere, ut tanto promptius existimare posses quantus in aula Pipini Fulradus fuerit, qui à Rege ad gravissima juxtaque amplissima negotia gerenda adhibitus sit.

16. *Constrannus*: nonnunquam Constraninus dictus.

17. *Magnarius, vel Maginarius*, sub Carolo Magno Ab.

18. *Fredulphus.*

19. *Hilduinus*, Ludovico Pio Imperatoris, Antistites sacri palatii. Anno DCCC. XXXVIII. cum Rabano Abbate Fuldensi Hirsaugiâ profectus, dedicationi Monasterii interfuit. Idem ad Sancti Germani Parisiensis, & Sancti Medardi Suessionensis Abbatem egit, quod usu rerum & dexteritate viros tres exæquaret. Rabanus fovendæ amicitiæ causa Commentarios in libros Regum eidem inscripsit. Ipse vero vitam Sancti Dionysii Areopagitæ composuit, quod munus illi Ludovico Pio dignum visum est.

Lupus Ferrariensis virum Communem Ecclesiarum magistrum appellavit, à VValafrido Magnus Aaron dictus est. *Canis. Tom. 6. Antiquar. Lect.* Adi Sigebert. Trith. Bellar. Possevin. Apparatu. l 4. c. 14. Flodoard. l. 3. c. 1. & 21. Lupum Ferrar. ep. 110.

20. *Ludovicus*, Caroli Calvi affinis & Cancellarius. Flodoard. l. 3. c. 24.

22. *Hermannus.*

23. *VValtberius*, Ludovico Balbo & Carolo Crasso Regibus.

24. *Goslinus*, Episcopus creatus Parisiensis, XLVIII.

25. *Robertus*, Roberti Fortis filius, Pictaviensis & Parisiensis Comes, Franciæ, Dux Odonis Regis frater, vi Abbatiam invasit homo profanus. An. CM. XXIII. belli occisus.

26. *Hugo Magnus*, Roberti filius, Parisiorum Comes, Dux Franciæ, Carolo Simplici & Rodulpho Burgundo rebus præfuit eodem jure quo pater.

27. *Hugo Capetus*, Hugonis Magni filius, an. CM. LXXXVII. Rex creatus, ex more

sæculi corrupti pariter Abbas Commendatarius.

28 *Odilo*, more ac ritu majorum à Monachis electus, an. M.LXXXVIII.

29. *Vrvcanus*.

30. *Robertus*(aliis Albertus)an.M.XXX. Henrico Rege Abbas renuntiatus.

31. *Hugo III. Mediolanensis*, quo ad clavum sedente, reliquiæ corporis S. Dionysii Areopagitæ vestigatæ, summaq; diligentia inspectæ & recognitæ fuerunt, an. M.L.

32. *Raynericus*.

33. *Iuo*, ad quem Gregorius VII. Pontif. Max. epistolam LXIV. l. 2. dedit.

Andreas de Chesne in Geneal. gentis Mommerenc.

34. *Adam*. Huic cum Burchardo Mommerentio magna lis de finibus regundis intercessit. Paschalem II. tecto accepit. Diem obiit an. M.C.XXIII. *Suger. in vita Crassi*.

35. *Sugerius*. Ejus opus hodiernum templum est, trecentos nonaginta pedes longum: centum latum: à pavimento ad fornicem usque octoginta altum: sexaginta columnis suspensum: plumbo intectum: choro vario marmore strato splendidum: multorum Regum Procerumque Mausoleum. Ipse quoque Sugerius non minor septuagenario post sumptum religiosum habitum sexagesimo anno in eadem sacra æde conditus est, cui præter Monachos etiam Ludovicus Iunior cum sex Episcopis æra Christi M.C.LII. justa persolvit. Res Ludovici Crassi in litteras misit, Rector Franciæ Ludovico Iuniore absente. Epistolas ad eũ dedit D. Bernhard. LXXVIII. & CXXII. CC. LXVIII. Extant etiam aliæ M.S. in codice Thuano, qui tam Sugerii quam aliorum ad ipsum missas epistolas complectitur. Libet corripere calamum, ac saltem unam describere.

Dilecto & merito diligendo Patri & Domino Sugerio, DEI gratia Abbati Sancti Dionysii, regni Francorum Rectori, Ioscelus eadem gratia Sarabensis Episcopus sub pennis Cherubim manus hominis. Opinionis vestræ odor, qui circumquaque diffunditur nos de transmarinis partibus in amorem vestri currere fecit. Venimus ergo de finibus terræ, vestram scilicet nostri temporis Salomonis audire sapientiam. Sapientiam audivimus: templum quod ædificatis aspeximus: ornamenta quæ à vobis oblata sunt, & offeruntur, vidimus: ordinem ministrorum & ministeriorum attendimus, & merito in illius Australis Reginæ voces erupimus, quia media pars non fuerit nobis nunciata, & quoniam major est sapientia & opera, quam rumor fuerit in terra nostra. Quis. n. non miretur hominem unum tot & tanta sustinere negotia, ut & Ecclesiarum pacem cõservet: statum reformet: & regnum Francorum armis tueatur: moribus ornet: legib' emẽdet. Merito itaq; mare intrare debuimus, & vitam nostram vento & velis committere, & longi itineris innumeras experiri difficultates, ut ad vestrã pervenire possemus notitiã. Sed parcat nobis vestra serenitas qđ in discessu nostro è Gallia faciem vestram, sicut voluimus, videre non valuimus. Traxit nos inevitabilis necessitas, injuncta obedientia. Cũ enim in Normanniam transissemus pro negotiis Ecclesiæ nostræ, quæ vobis ex parte aperueramus, vocavit nos Dn. Cantuariensis, Metropol. noster, ad matris nostræ Cantuariensis Ecclesiæ negotia, & nec indulto nobis respirandi spatio in Angliam direxit. Excuset nos ergo apud se vestra benignitas, quos tam manifesta excusat necessitas. De cætero mittimus vobis Archidiaconum nostrum qui nos plenius excuset, & nobis amoris quem erga vos habemus, fructũ ex parte reportet. Reliquias scilicet egregii Martyris Dionysii, per quas non solũ in nobis, sed & in Ecclesia Sarabensi perpetua nominis vestri memoria vivat. Cætera quæ à vobis postulamus, vivæ voci præsentium latoris committimus. Valeat excellentia vestra, charissime Pater.

Sunt etiam in medio positæ Sugerii & Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis litteræ, ultro citroque missæ. Adhæc Sugerius libro miraculorum à S. Mauro editorum vocatur Venerabilis: suo in Ordine nemini prudentia & sagacitate secundus. Eundem quoque celebrat Baronius ad annum post natum Servatorem, M.C.XXXVI.

36. *Odo de Dyogillo*: *de Dueil*. Vicus est in agro Parisiensi, ubi S. Eugenius, Divi Dionysii discipulus, primus Toletanus Archiepiscopus, pro fide mortem oppetiit. Ad Odonem Divus Bernhardus epistolam ducentesimam octogesimam quartam dedit.

37. *Iuo*, Ludovico VII. regnante.

38. *Gulielmus*, sub Philippo Augusto.

39. *Hugo*.

40. *Odo de Taberniaco*, summo animorum consensu electus, anno millesimo centesimo nonagesimo nono. Innocentius III. Pontifex Maximus, gratus viro est non tam quod honoribus sit auctus, quam omnino neminem electioni intercessisse: simulque laudibus prosequitur disciplinam, ad S. Dionysii florentem. Innocent. 3. l. 1. ep.

41. *Henricus*: ab Innocentio III. corpus S. Dionysii Corinthiorum Episcopi) non

modicum

modicum munus) ferente Aymerico Priore accepit, anno. M. CC. XV.

42. *Petrus de Autolio* (d'Autevil) Ludovicus VIII. rem curavit.

Vide L2. c. 9. 43. *Odo Clementis* (de Clement) anno M. CC. XXVIII. electus: Archiepiscopus Rothomagensis quinquagesimus sextus, Patrinus Ludovici, filii Sancti Ludovici Regis, qui cum vita periclitaretur, SS. Martyrum corpora, præsentibus Carolo Noviomensi, & Petro Meldensi Episcopis, producta sunt, ut ægroto salutem afferrent, ut est apud Nangium.

44. *Guilelmus de Macourie.* Ob. anno M. CC. LIII.

45. *Henricus de Malleto.*

46. *Matthæus Vindocinensis.* Extruxit hospitale Sancti Dionysii Parisiis, anno M. CC. LXIII. Regni habenas moderatus est absente Sancto Ludovico anno M. CC. LXX. Adjectum sibi Archiepiscopatum Turonensem rejecit, quod Epitaphium ejus memorat. Sanctorum sepulchra in eum ordinem quo hodie perdurant, redegit. Iohannes Serranus, stigmate notatus author, Matthæum Vindocinensem contemptim nominat, honoribus quos gessit, silentio præteritis. Scilicet ululare voluit cum lupis, Ecclesiasticos contra morem majorum à Regum aulis arcendus dictitantibus.

47. *Reginaldus*: sub Philippo IV. Abbas, Ob. an. millesimo ducentesimo quarto.

48. *Guido*: Vitas Sanctorum libris bene magnis composuit. Per id tempus historiam condidit Guilelmus Nangius, firmus author. Ille concessit fato, an. M. CCC. V.

49. *Ægidius de Pontesia.* Ob. anno M. CCC. XXIV.

50. *Gualtherus de Portesia*, Philippo VI. Valesio Abbas.

51. *Ægidius Rigaudus de Rossiaco*, ex Priore Essonensi Abbas factus: deinde creatus Cardinalis. Mortuus an. M. CCC. L. Ejus in Monasterium beneficia lamina ærea, tumulo addita, prodit.

52. *Petrus de Foresta*, Episcopus Parisiensis octogesimus septimus: Cardinalis insuper, & Franciæ Cancellarius, nec non Rothomagensis Archiepiscopus sexagesimus septimus. Extinctus peste Avenione, an. M. CCC. LXI.

53. *Robertus de Fonteneto*, sub Carolo V. Ob. an. M. CCC. LXIII.

54. *Iohannes de Grangia*, Episc. Ambianensis quinquagesimus tertius, nec non Abbas Fiscanensis.

55. *Guido de Moncellis.*

56. *Philippus de Veletta* Scripsit de authoritate Conciliorum. Extat M. S. in Bibliotheca Collegii Navarræi Parisiis Familiariter eo usus est Iohannes Gerson, ad quem proinde litteras dedit.

57. *Iohannes Borbonius.*

58. *Guilelmus Farrechal*: Abbas etiam Monasterii S. VVādregisili in Nordmānia.

59. *Philippus de Gamaches*, quo jus dicente Iohannes Quadrigarius, frater Guilelmi Parisiensis Episcopi, & Alani Carolo VII. à secretis, ad S. Dionysii Monachus, Historiam Franciæ condidit, tribus libris digestam, quam vulgo Dionysiana Magna dicunt. Humanis exemptus Philippus est, an. M. CCCC. LXV.

60. *Iohannes Goffredi*, Monachus Cluniacensis, SS. Theologiæ ac Iuris Canonici Doctor, Referendarius Apostolicus, Cardinalis, Episcopus Abbiensis & Atrebatensis, Abbas denique Luxoviensis, vita defunctus Romæ, an. M. CCCC. LXXI.

61. *Iohannes la Graulais*, postea Episcopus Lombatiēsis, Abbas S. Quintini Bellovacensis, an. millesimo quadringentesimo nongentesimo Orator Regius Romam missus, tum Cardinalis tit. S. Sabinæ creatus. Honorum & negotiorum turbinem evasit an. millesimo quadringentesimo nonagesimo nono.

62. *Antonius de la Haye*, Abbas etiam Fiscanensis, quem cognatum & Consiliarium suum vocabat Ludovicus XII. Ob. an. M. CCCC. IV.

63. *Petrus Gouffier*, frater Magni Magistri Franciæ Mortuus an. M. D. XVI.

64. *Aymardus Gouffier*, Episcopus Abbiensis, Abbas Cluniacensis XLV. & S. Iovini apud Pictones, ultimus Abbatum Regularium: lapide quadrato munivit ripam Flavii Abbatiam alluentis. Mortuus anno M. D. XXVIII.

65. *Ludovicus* propatruus Henrici Magni, Cardinalis Borbonius, Archiepiscopus Senonensis, Episcopus Laudunensis, itemque Abbas Compendii. Excessit, an. M. D. LVI.

66. *Carolus à Lotharingia*, Archiepiscopus Rhemensis, Abbas Fiscanensis & Cluniacensis. Ob. an. M. D. LXXIV.

67. *Ludovicus à Lotharingia.*

68. *Carolus II.*

69. *Ludovicus à Lotharingia.*

70. *Henricus à Lotharingia.*

Itaque beneficia quæ Dagobertus aliique Reges Galliæ apud hoc Monasterium pie olim collocarunt, & in Ordine S. Benedicti æterna esse jusserant, magno hodie spiritu ut plurimum absorbent non veri Abbates.

An. Christi 645. An. S. Benedicti 165.

Caput I.

Iudicail Rex Britanniæ minoris, & S. Iodocus ejusdem frater.

Aimoin. l. 4. c. 30. Iudicail II. Rex minoris Britanniæ.

QVo loco Aimoinus prolixe beneficia in tres Ecclesias à Dagoberto congesta prosequutus est, etiam Iudicailis, minoris Britanniæ Regis mentionem injecit. Potitus pace, SS. Eligio & Audœno quos viros id temporis percelebrabat Gallia, familiarissime usus est, adeo ut posito sceptro paulo post habitum religiosum in S. Maini Monasterio sumpserit. Patre ortus erat Iudicaile I. quem nô modo satietas sceptri, verumetiam tantum tædium ceperat, ut affecta jam ætate, imperium abjecerit: regnum & paludamentum cum S. Maini Cœnobio & cucullo commutaverit. Sexdecim filios, quatuor filias susceperat, quibus eam curam adhibuit, nequa à Numinis lege descifcerent, ut omnes in Cœlitum numerum venisse, VVion affirmet.

Thes. l. anno 561.

Oculos in cucullum injecit.

VVion in Append. l. vitæ.

Tanti refert, liberos à teneris unguiculis recte instituere. Omnium nomina non æque nobis comperta sunt. Ecclesia tres in Divorum tabulas publicè retulit, è quibus uni VVinoco nomen, qui in Monasterio S. Bertini Sacramentum Dei dixit, sed hoc tempore admodum puerum, alios in annos differimus, nunc res à Iudicaile & Iodoco, germanis ipsius gestas expositurі.

Major natu Iudicail erat, unde patri, postquam è mundo sese abstulerat, successit. Sed age, rem huic ævo nostro difficilem creditu, narravero. Iudicailis I. sancta domus ita comparata erat, ut voluptates, deliciæ, vitia, & horum umbræ, inde longe facesserent. Liberi omnes viam ad Superos contentione maxima affectabant: ideoque ad Cœnobia pariter adspirabant: sceptra inter leves calamos habebant, quæ alias Regum filii ingenti studio ad se quisque rapiunt: horum causa subditos in arma movent: ferrum in mutuis visceribus condunt, vacillaturam semper coronam metuentes, nisi è medio competitorem tollant: quasi regnum non caperet duos. Hospes in historia est, quem hoc genus tragœdiarum fugit. At hujusmodi hamos, escis lethalibus indutos, Iudicail & Iodocus, regii juvenes, prudentissime declinarunt. Ille aliquando fratrem suum natu minorem in arcanum conclave seducens, Iodoce, dixit, Iodoce, in sinu te amo. Sed obsecro parere à te impetrari, ut tu meo loco oneri paterno, id est, regno succedas, meque his vinculis, quæ me attinent ne supra humana avolem exsolvas. Iodocus jam dudum apud animum suum constituerat, rebus relictis in Eremum se abdere; itaque visurum se, respondit, ne si verbis exertis negaret, frater instaret, urgeret, ad ultimum vim faceret. Cæterum, rectissime se facturum, si in re ita gravi consilium ipso cum Deo in quopiam Monasterio caperet addidit. Ergo pace Iudicailis in Monasterium se removit; putem ego S. Maini, ubi litteris puer operam dederat.

Iudicailis I. sancta domus.

Duo filii amoliuntur à se regnum.

Commodum accidit, ut lectissima piorum manus illac viam caperet, Romam petens, SS. Apostolorû sepulchra veneratura. Iodocus occasionem elabendi, divinitus sibi ostentatam, amittere nolens, cultu pregrini majestatem tegens, itineri se quoq; commisit, venitq; Parisios, ad quem nos, post aliquot intervallum redibimus, Iudicaile scilicet expedito. Hic ubi sanctum fratris dolum intellexit, æquo animo regnum ferre instituit, quod sapientissime administravit: fortiter defendit: vicinis metum incussit.

Iudicail onus subit.

Egregia ejus facinora militię patrata Bertrandus Argentre litteris prodidit, quæ tamen ego prætereo. Etenim arma, virumq; canere, non est meum. Porro, statum ante id rerum pretium multum remisit, magno regni bono. Nam è proximo (quin etiam è locis remotis) undiq; accurrebant mercatores, ad res comparandas in Britannia minore, Galli ubi animadverterunt se deteri: marsupia sibi contrahi: tendi Britannis, inimicitias cum his suscepere, invidia (ut solet) animos stimulante. Tandem itum in arma est. Populationibus ac prædis indulgere solet miles, etiamsi rumpatur bonus dux, & furcam crepet. Itaque Dagobertus Galliæ Rex S. Eligium legatum ad Iudicailem. Britanniæ minoris Regem, res repetitum misit. Hic non tantum animum induxit, ut illi satisfaceret, sed etiam ut viseret.

Bertrandus Argentr. hist. Britan. min. l. 2. c. 1. 2. 3. 4.

(Nulla salus bello.)

Aimon. l. 3. c. 29.

Nam ea rationum momenta attulerat orator Eligius, Reges Christianos concurrere armis nefas esse, quod subditi cum militibus, sacra cum profanis in exitium traherentur, ut vox ipsius non hominem, sed Deum sonare Iudicaili visa sit.

Quocirca stato die Clipiaci conveniunt (cui loco postea S. Dionysius nomen indidit) dexteras jungunt: pacem æternam sanciunt. Apparet Iudicailem concessisse Dagoberto, etsi Bertrandus frontem corruget, ac neget. Rebus sic compositis,

Cum Dagoberto amicitiam jungit.

Aimon.

Iudicail regia mensa posthabita, ad Datonem Cancellarium, quem annis posterioribus S. Audoenum dixere, se contulit, & cum eo pransus est, quod pro viro pientissimo ferretur: pares autem cum paribus facile congregantur. Quis vero religionem hanc in Rege non suscipiat, qui in privata domo, quam palatio: cum famulo quam cum domino cibum capere maluit? Nimirum epuli condimentum è cœlo petitum iri, rectissime sibi persuaserat.

Ejus duo filii sequuntur signa D. Benedicti, patre exemplum præeunte.

Secundo uxorem duxit. Liberos quos susceperat, amore ac timore Numinis à teneris imbuit. Horum uni VVinoco, alteri Athanaco nomina erant: ambo vero D. Benedicto Sacramentum dixere in S. Maini, ut opinamur, Monasterio patrem suum & avum sequuti. Tam alto sanguine orti, sese ad miraculum submisse gerebant, omnesq; bonorum Monachorum numeros implebant, unde in sanctorum censu quemadmodum genitor, avus, & cognati ipsorum habiti sint. Iudicail à SS. Eligio & Dadone (postea Audœno) accensus, revertitur domum: absque inutili mora se regno abdicavit: ad S. Maini, Monasterium contendit: occupato cucullo se Deo devovit: assidua oratione, continuatis jejuniis & vigiliis, asperrimam vitam duxit, ideoque Cœlitibus ab Ecclesia additus est.

Iodocus solitudinem affectat.

Iodocum Italiam petentem, & jam Parisiis hærentem, ex itinere retraxit Numen, qui domum in Picardiam reversus, ac solitudinem colere certus, tugurio inter montes excitato, ædiculam in qua sacrum pensum persolveret, propter Altejam fluvium ædificavit.

Florent. apud Sur. 13. Decembr.

Narrat Florentius Haymonem provinciæ Ducem animadverso quid moliretur juvenis, ei persuasisse, ut animum prius ad litteras appelleret, quam peteret Eremum. Morem S. Iodocus gessit: septennium litteris operam dedit: intereaqua sacris initiatus est, quod profecto in magnum patriæ bonum vertit. Hoc etiam tempore Urfinum Haymonis filium sacro fonti admovit. Putasses animum illi præsagiisse id, quod postea Concilium Toletanum VII. sanxit, ne scilicet quisquam Eremo se temere ac sine litteris committeret.

Litteris non obiter tinctus, in eremum rapit pedem.

Igitur instructus jam undiq; S. Iodocus, pace Haymonis Ducis in desertum (Brahichio nomen erat) contendit: Eremitorio inter vagos rivulos limpidasque scaturigines locum cepit: cum socio irrepsit: orando, flendo, jejunando tempus exegit. Paulatim se quidam in disciplinam tradidere, quos suis artibus imbuit. Multis hic ægris opem rogantibus, tulit opem. In mendicos liberali animo ac manu fuit: unde singularem à patre pauperum inivit gratiam, quam non possum non in lucem afferre.

Christus mendici persona sumpta ejus penum exhaurit.

Persona hominis egeni sumpta Christus, stipem eum rogavit. Panis unicus in penu erat, quem secans Iodocus, quartam partem mendico porrexit. Post parvum intervallum, idem centone alio intextus inquietat januam, panem rogitans: absque mora fit compos petitionis. Sed hem: mutata semper scena, tertium & quartum adest; Iodocus nec in fundo quidem parcus, ultimum segmentum etiam tribuit oranti. Stabat annonæ socius VVulmarus, unguem mordens, nihil sibi reliqui esse. Dum indignatur, ecce tibi, quatuor naves onustæ commeatu, secundo flumine delabuntur: petunt ripam: veniunt in deditioné: consumptam annonam instaurant. Auctus tanta annona S. Iodocus, ac sentiens beneficii auctorem, non suam tantum, verumetiam vicinorum levavit egestatem. Inde viri Dei Cella frequentari cœpit, quod illa me animis quam corporibus consuleret, ac multa supra naturæ vires patraret.

Iodocus ut vanam gloriam defugiat, altius in sylvam penetrat.

Hinc sibi applaudi iniquissime tulit, quippe qui vanissima mundi aura inflatas vesicas jam pridem displosisset: inanes honores triumphasset. Post octennium (tot namque fluxere anni quod sedem ibi posuerat) convasans, altius in sylvam se removit, Numini cum quieta operaturus. Sedem cepit (loco Rimaco nomen est) juxta amnem, ubi Monasterium ædificavit, & S. Martino dedicavit. Paulatim excrevit in divitem Abbatiam: tandem Canonicis Præmonstratensibus cessit. Hic quatuordecim annos corpus mire affligendo duxit Sanctus. Horridum infrendens cacodæmon ausus est se illi in conspectum dare: in arenam aperte provocare: exuvias serpentis indutus morsu lacessere, rebus suis quasi attritis consulturus.

Quid vis? tertio ceculas composuit Iodocus: Haymonis veteris amici nutu Cœnobio in umbrosa quadam valle constructo, ubi ominosa hæc verba fudit: *Hic requies mea in seculum seculi.* Sacro loco, quem etiamnum Ordo S. Benedicti possidet, vicinoque populo, postmodum S. Iodoci nomen adhæsit. Magnum narrabimus. Ventum in locum aridum est. Haymonem tanta vexabat sitis, quantam ferre jam amplius haud poterat. S. Iodocus scipione, quo firmabat gradum, terram solicitans, limpidissimas aquas elicuit, perenni fonte etiamnum hodie liquorem suum viatoribus propinante.

Icta verbere à S. Iodoco rupes aquã profundit.

Statuerat secum juvenis iter suscipere

Romam. Seni olim eadem incessit cogitatio. Ergo itur Romam: salutantur Apostolorum principes: Martinus I. bonorum amans, ac aditu facilis, onustum sacris pignoribus dimisit: Haymon Dux una cum vicinia singulari applausu redeuntem excepit, prensantes manu communem patrem, & Divos quos secum adducebat, cultu ducenti prosequentes. Tunc juvencula nobili sanguine orta, cassa lumina à quopiam peregrino sibi restitui vidit. Experrecta S. Iodocum Divorum reliquiis divitem advenisse audivit. Accurrit, in genua subsidit: ut cæcitati se eriperet, orat. Ille affusâ sacris officibus undâ tinxit imbutos tristissima nocte oculos, absterſit cæcitatem: templum vero S. Martini tam præsentibus Divis auxit.

Cæca fœmina ipsius beneficio lucem capit.

Fuit ut rem divinam faceret, inquit Florentius Abbas, & hem, sublatis oculis vidit populus manum in aere libratam, ipsi benedictionem impertientem, additis hisce verbis: *Quandoquidem regium tu fastigium reliquisti, inter Angelorum choros parata tibi à me corona est, hunc, locum protegam, quo tu animam es editurus.*

Martyrol. 13. Decembr.

Tam bono nuncio affectus Sanctus Iodocus, vitæ reliquum pientissime, ac lætissime exegit, Idibusque Decembr. anno sexcentesimo quinquagesimo tertio, cœlestem lucē haurire cœpit, quo die anniversariam ejus memoriam instaurare solet Ecclesia Romana. Neque fine pompa ad Superos evasit, sed expirantem luculentus fulgor involuit: lux etiam alia cœlo excidens euntem comitata est. Sexaginta annorum spatio non vitalem formam, non aliud quidpiam mors illi vel tumulus detrahere potuerunt. Multis secundam valetudinem, quibusdam vitam reddidit. Sed miraculorum ejus multitudo etiam Florentium Abbatem fatigavit. Quæ retuli, inquit ex libro de vita & factis S. Iodoci compendio carpsi, visumque mihi fuit fluctus me, Lybici maris in littus actos numeraturum, si res supra naturæ facultatem ab ipso editas, in digitos mittere vellem.

Beata viri anima splendidissime luci implicita, cœlum petit.

Certe memoria, verba, vires, me ante destituerent, quam voti fierē compos. Ut tamen prætermittam vel aquis haustos, vel aliis casibus vita exutos, ætateq; nostra iterum vita à Deo donatos, nefas tamen sit non meminisse Iohannis, qui præceps in undas actus, post duos dies primum emersit, hodie non modo luce fruitur S. Iodoci beneficio, sed etiam hoc in Cœnobio Monachum agit. Rudolphus agricola viri miracula carmine canit, eique extinctam qua laborabat febrim in acceptis fert. Telam sic orditur:

Quidam Iohannes undis haustus, post biduū incolumis emersit, vitamq; Deo & S. Iodoco in acceptis tulit.

Regia progenies, veterum stirps clara Britannum,
Ecce micat rutula Iodocus luce per orbem.
Post intervallum gratias agit:
Maxime Confessor, tibi nos debere fatemur
Quodcunq; hoc vitæ est, quas cœli carpimus auras,
Tu varios inter jactatum frigora, & æstus,
Febribus & lacerum præstas revalescere corpus.
Salve, iterum salve, & votivas optime laudes
Accipias placidus, majoraque ferre volentes:
Pauperis ingenii tenues ne despice rivos.

Caput II.

S. Eligius, Episcopus Noviomensis, extruit Monasteria.

Multum huic Divo debet Ordo, quem is Monasteriis auxit: Regum & Principum donis provexit. Orationi & corporis afflictationi vehementer deditus fuit, unde vi Numinis multa admiranda patravit. At qui cum eum in censu nostrorum haud habeam, pleraque intacta abire sino. VVion Abbatem Solemniacensem nominat, verum S. Audoëno Antistiti Rothomagensi potius habenda fides, qui non modo sæcularis, sed etiam postmodum Archiepiscop^{9}, ipsi fuit amicitia conjunctissimus, nec non ejusdem vitam in duos libros digestam litteris prodidit, cujus calamo summa apud omnes auctoritas est.

Arnol. VVion. l. 3.

S. Audoen. l. 1. c. 15. l. 2. c. 2.

Hic autem affirmat exertis verbis magno eum desiderio captum fuisse monastice colendi in suo Solemniacensi Cœnobio, tamen voto haud potitum esse, quod Deus aliam illi stationem destinasset, quam prodit, dum Episcopum factum scribit: ægre vero passum in coronam sibi fingi capillum, & causatum inter aurifabrum & Episcopum nimis magnum interesse intervallum, nec prius gradum ita altum ascendisse, quam Clericorum munia diligentissime obivisset. Inter eos qui sæculum hoc sanctimonia & miraculis insigne fecerunt, merito numerandus est: nos tamen uti thesauros alienos nobis non vindicamus; ita iis deprædicandis indulgere non solemus. Hæc attulimus nostris hominibus, ne ignorarent magna apud Ordinem beneficia ab eo collocata fuisse. Nam multa Cœnobia condidisse fertur, è quibus Solemniacum celebra-

S. Eligius caput mitræ subducere studet.

Solemniacense Monasterium condidit, & S. Martialis, aliaque.

tur, in agro Limogensi positum : & S. Martialis, quod is ea civitate vel instauravit, vel funditus ædificavit : nec non Monialium Asceterium Parisiis extructum, cui S. Auream præfecit : ac aliud Novioduni erectũ, Sede sua Episcopali. Hominum temporumque injuriæ in hæc domicilia ab origine maxima tantum potuerunt, ut vel penitus deleta sint : vel tenue vestigium reliquerint.

Solemniacum quatuor milliaribus à Limogensibus dissitum, ripam Vincenæ fluminibus occuparat. Novos incolas S. Eligius Luxovius evocavit, uti narrat Ionas Monachus. Sed non aliter prolixius tam Cœnobium hoc quam Cœnobitas describit, quam S. Audoënus, qui S. Eligium apud Dagobertum Regem tãtum gratia potuisse asserit ut nihil prorsus negarit petẽti. Aliquãdo sibi in animo esse dixit Solẽniaci erigere scalã, cujus gradib' Rex ad Superos evadere posset, si modo is locũ concederet. Hunc autẽ affectabat locũ quod Limogibus vicinus esset, unde oriundus ipse fuerat. Facile intellexit Dagobertus, Principes negotiorum mole depressos Monachorum orationibus ad cœlos subvehi : annuit roganti. Opus sine mora erexit Divus, quod centum quinquaginta Monachis accipiendis par esset : opibus, templi apparatu, libris (qui id temporis præcipua suppellex Monachorum erant) mirifice locupletavit. Bilem ea S. Eligii industria lividis movit, quam tamen ejus mansuetudo exhausit.

Ionas vita S. Eustasii apud Sur. 24. Mart. S. Audoen. l. 1. c. 13. & 16.

Solemniacum 150. Monachos aluit.

Porro Solemniacum sex milliaribus distare Limogibus, auctor est idem S. Audoënus (quod spatium quatuor, non amplius, definivit Ionas :) ambitum stadia decem æquare dictitãs. Muro non cingi, sed hortum fossa circumquaque ducta, & insuper vallo muniri. Præterlabi quoque amnem, seque uni lateri ad defendeodum insinuare. In proximo viridem procubuisse montem : undiq; densam felicium arborum surgere sylvam, de quibus differentes carpas fructus : verbo, locum singulari amœnitate propemodum ad paradisum accedere. Interiora Monasterii, id est Monachi, longe majori spectaculo Cœlitibus erant, quos si tu quoque cum domicilio spectasses, in mentem tibi Balaam venisset, unaque prorupisses in has voces : *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel! ut valles nemorosæ : ut horti juxta fluvios irrigui : ut tabernacula quæ fixit Dominus : quasi cedri prope aquas.* Rem à S. Audoëno accipe : *Ad locum etiam ipse accessi, & tantam illic sacræ Regulæ observantiam vidi, ut pæne sit vita singularis eisdem Monachis præ ceteris Galliæ Monasteriis. Est autem Congregatio etiamnunc magna, diversis gratiarum floribus ornata. Habentur ibi & artifices plurimi diversarum artium periti, qui in timore Christi perfecti semper ad obedientiam sunt parati. Nullus ibi quicquam proprium sibi vindicat, sed ut in Actibus legitur Apostolorum, sunt omnino omnibus omnia communia. Ambitur vero Cœnobium muro non quidem lapideo sed fossa sæpe munita, decem fere stadiorum habente spatium in circuitu.*

Num. 24.

S. Audoen. apud Sur. 1. Decemb. c. 16.

Act. 4.

Hinc in laudes Luxoviensis Monasterii concedit Audoënus, pedemq; Solemniacum referens. In partibus Occidentalibus, inquit, Religionis caput est hoc Monasterium, unde nimirum multa duxere suam originem, ac imbiberunt disciplinam. Nam multa, quæ Dei benignitas est, per Franciam totam hodie & Galliam sunt Cœnobia Regularibus normæ studiosissima. Quis vero verbis assequatur S. Eligii submissionem animi & ardorem, quo flagrabat, quoties ad hoc Monasteriũ visebat Oculis dejectis, cervice flexa, toto corpore composito, subire portam : ante vestigia singulorũ Cœnobitarum se prosternere, ac bona verba petere consueverat. Pro larga eleemosyna, qua nunquam ipsos destituebat, panem petebat, unde diebus esurialibus modicum diffringens, tam reverenter sumebat, quam si sacrum ferculum, vel, quem vocamus panem benedictum sumeret. Situm Asceterii, religionem, divitias, S. Eligii de incolis existimationem habes : reliqua expediemus alibi.

S. Eligius quanto major erat, tanto submissius se gerebat.

Cœnobium S Martialis si non è fundamentis eduxit, saltem templum reparavit, ubi Divus hic conditus erat, unus è LXXII. discipulis à SS. Petro & Paulo ad agrum hũc colendum missus, quem proinde Gallia cultu singulari prosequitur. Monachi an Canonici primo huc introducti sint, ignoramus; pro certo tamen habemus imperante Carolo Calvo. Locum tenuisse Canonicos sæculares; altius vero ituros, in Regulam S. Benedicti jurasse. Duos tibi testes sistit ipsa patria : Robertum Ganguinum, historiæ Franciæ conditorem, & Antonium Demochorem, qui Catalogo Episcoporum Limogensium Canonicos sub Episcopo XXXVII. habitum Monasticũ sumpsisse ait. Disciplinæ integritatem Petrus Venerabilis hujusmodi verbis in litteras misit : *A Cluniaco nostro usq; ad Pyrenæos illos qui Gallos ab Iberis dividunt, nullum Cluniacensis vel cujuslibet antiqui Ordinis Monasterium novi, ubi tam firmiter, tam constanter tam inconcusse traditus à Patribus Ordo hucusque viguerit, & inter frementes Lemovi-*

Cœnobium S. Martialis ab eo vel conditum, vel auctum.

Gaugu. Carolo Calvo. Anton. Democh. l. 2. c. 14. Pet. Venerab. l. 6. ep. 13.

In quo incredibilẽ operam dabãt Monachi, ne à majorum suorum vestigiis aberrarent.

cini territorii bestias, earumque feroces rictus indefesse instituta servaveris. Ea de causa de bono nomine vestro magis quam de quorundam aliorum gaudeo. Vt enim Doctor ille quem nostris Ecclesiæ dicit: Magnum est esse bonum inter bonos, sed longe majus est, esse bonum inter malos. *Præter hæc, ut nobis sæpe referunt, qui hoc experiuntur, monstratis non verbis tantum sed rebus, non affectibus solum sed effectibus, non esse vos oblitos Cluniacensis lactis, quo in Dei timore & servitio educati estis, quando fratres nostros ac vestros ad vos pæne assidue venientes, tam devote suscipitis, quando eis tam affectuose servitis.* Epistolæ hujus exordium compendio rem dicit, videlicet: *Exultavit cor meum in Domino non quidem nunc videns, sed audiens conversationem vestram & famam Ordinis Deo & hominibus charam. Audivi hoc non modo tantum, sed & frequenter ab his quibus non credi nefas esset, quia veraces sunt, & quos vestri actus sive boni sive mali latere non possunt, quia proximi sunt.*

Affert insuper rationes, ob quas ipsos maximi faciat, hortaturque ne desciscant. Nunc mihi hominum inconstantissimos animos cognosce.

Trithem. l. 2. de Vol. tit 6. c. 13. Facilis descensus ad laxiora.

Venerabilis Petrus Regulam eos *inconcusse firmiter, & constanter* servare dixerat. Sub annum millesimum quingentesimum quadragesimum è durissima rupe mollis cera facti, in Canonicos sæculares deflexerunt, postquam septingentos annos tales fuerunt, quales Petrus Venerabilis depinxit. Vt Monachis veteres leges rumpere liceret, Franciscus Rex à Paulo III. Pontifice Max. impetravit. Quid causarum hi & hoc genus alii ad hujusmodi metamorphosin ineundam habuerint, non assequor. Bonæ in speciem causæ prætexi poterant, illisque falli obiter aspicientes; vel etiam aliunde momentum accipiendo, fieri bonæ quiverunt. Nihilominùs hoc examine omisso, insignis profecto levitatis est, renodare sacra vincula, in quæ te ipse induisti: rejicere Regulam, quam Deo & Divis teſbbus professus es: cucullum excutere quo temet sponte inclusisti: è Monasterio in sæculum te referre. Cum Trithemius crudas istas animas concoquere haud posset, moio stomacho, *nunquam malus Monachus*, dixit, *fiet bonus Canonicus: neque is qui semel vitam perfectam professus est ac respicit retro, aptus est regno cælorum.* Sed huic dolori sat large indulsimus, ubi injuriam quam S. Ordo à Monachis VVeissenburgensibus accepit, questi sumus.

Porro S. Eligius Parthenone quoque Noviodum extruxit, cui adeo prolixe prospexit, ut quamplurimis Monialibus alendis esset. Etsi enim S. Audoënus numerum non exprimat, vel hinc tamen conjicere licet, quod S. Eligius tunc temporis fuerit ejus urbis Episcopus, dives opum, atque etiamnum privatus & sæcularis religiosum hujusmodi domicilium Parisiis ædificare secum statuerit, à trecentis Monialibus incolendum, quod S. Audoënus narrat. Auctum vero virum non tantum honoribus, verumetiam divitiis, minus aliquid meditatum fuisse, aut molitum esse, haud par est credere.

S. Audoen. l. 2. c. 5. S Eligius virginum domicilium ponit in Noviomensi oppido.

S. Audoen. l. 1. c. 17.

De hoc Parthenone pauca in promptu habemus. At cum optimus Antistes alterum moliretur Parisiis, Dagobertus se continere non potuit qu in fundum, prædia, privilegia daret. Nunc ut ex S. Eligii ingenio etiam Sanctos alios existimare possis, quam illis minima quæq; religioni fuerint, quæ nos dissimiles nepotes hodie ridemus, jucundam historiolam narravero. Locum, quem is ceperat, animadvertit angustiorem quam cui Cœnobium trecentarum Monialium, cum officinis imponi posset. Iuxta jacebat non ampla area, ædificio tamen vehementer opportuna. Regem adiit; quot pedes longe lata ve esset, edocuit. Ita enim se ab architectis didicisse referens.

Itemque alterum Parisiis.

Rex haud gravate etiam hoc soli adjecit. Lætus Eligius revertit, ad metiendam aream se componit: spatium scrupulose explorat: excedere pede uno, quam ipse Dagoberto affirmasset, deprehendit. Animi anxius confestim gradum corripuit in palatium, grandem se culpam admisisse, queritans, aream minorem esse, Regi suggerendo ac prius pronuntiando quam ad unguem exegisset. Teneri se haud exiguo mendacio. Suspensus admiratione Dagobertus, candorem, simplicitatem, bonam fidem hominis non absq; delectamento secum expendit: luculentioribus deinceps eleemosynis ipsum præfecit, tuto multa ei posse committi ratus, qui in pauca fuisset fidelis.

Dagobertū veniam rogat, nulla admissa culpa.

Cum jam nihil deesset Parthenoni præter Antistitem, quæ tam densum Virginum sacrarum Chorum ducere posset, S. Eligius capto secum consilio S. Auream legit Abbatissam. Ejus vitam dabimus, sed prius tibi scrupulus eximendus est, ab Hieronymo Romano, Ordinis S. Augustini Chronographo, forte injectus, qui eam suæ familiæ inserit. *Vbi vel quibus parentibus S. Aurea Virgo sit nata, non invenimus*, inquit: *etsi nobis ex Gallia oriundam fuisse, constet. Partem ejus vitæ tradidit Audoenus, tra-*

ad clavum Parthenonis Parisiensis à S. Auream admovet. *Hieron. Rom. l. 3.*

ctant

ctans de S. Eligio, Episcopo Noviomagensi: (an Novionensi planissime!) At bone vir, hic tibi excidisti.

Sanctus Eligius hospitium, quo pauperes reciperentur, Parisiis extruere secum statuerat. Cum jam bona pars suppleret materiæ, mutato consilio Monasterium Virginum extruxit, *Quibus & beatissimam, dignam Deo puellam, nomine Auream* (S. Audoënum hæc verba ferere puta) *filiam scilicet Maurini & Quiriæ, constituit*, Credo patieris testem oculatum. Nolo tamen te hic tactum, alibi à me laudatum; sed id tantum ago, ut ostendam Lectori, labi te, potuisse vitæ ducem Virgini assignando Divum Augustinû, cum veros ejus parentes ignoraveris, ab Audoëno nominatim expressos, quem tu ipse, velut auctorem rerum S. Aureæ adducis.

Cæterum S. Auream ad D. Benedicti familiam pertinere, Trithemii aut Arnoldi VVionis fidem appellare possem; sed omitto, ne quis occlamet, eos aliquid sui Ordinis gloriæ dare voluisse. Hieronymo tamen Romano idem respondere licet, qui Baptistam Alovisianum Ordinis S. Augustini historiam edidisse, & in catalogo S. Auream posuisse, ait. Sat magna cura, diligentia, & labore, cum annum sexcentesimum decimum quintum volveremus, testatum fecimus, omnes S. Columbani discipulos Ordinis fuisse D. Benedicti: quamvis omnia Galliæ archiva cum bibliothecis vertas, atque verses, nullas tamen bonæ fidei tabulas, nullum historicum auctoritate pollentem inveneris, cui nomen Regulæ D. Augustini hac ætate in mentem venerit exciderítque, aut qui levem saltem ejus fecerit mentionē. Quocirca sæpissime mirabar mecum quid esset, quod Regulæ S. Basilii, S. Benedicti, Cassiani, ac aliorum Patrum, antiquos libros volventi toties se offerrent, Regula vero D. Augustini nusquam ante millesimum fere annum compareret: nemo capto calamo ante hoc tempus memoriæ prodidisset, hoc Ecclesiæ lumen Regulam Monachis condidisse. Non ivero inficias, leges ab ipso latas viguisse à principio in Africa; deinde post annum millesimum insignes passim fructus edidisse, à vero tamen multum abest, hoc tempore, quod agitamus, è Gallia Sanctos Monachos produci posse, qui D. Augustini nomen dedissent. Sub signis eos S. Benedicti meruisse, quod etsi jam pridem ostenderim, allatis tamen momentis novis, è Conciliis haustis, orbitam hanc repetemus, cum in Ludovici Pii sæculum inciderimus. Hic recentes auctores, Catalogis suis Sanctos alienos inserentes, libuit per transennam notare, ne quo Lector errore caperetur.

Trith. l. 3. ill. viror. c. 85. VVion. l. 3. Off. 4. Martyrolog.

Ante annum fere M. de Regula D. Aug. altum ubiq; silentium.

Cæterum S. Aurea Maurino & Quiria parentibus, inter suos claris, orta, indolis ingenuæ, nec non futuræ sanctimoniæ specimina à teneris dedit. Hinc annis non admodum provecta. S. Eligio idonea visa est, quæ trecentis Monialibus cum imperio præesset. Animi submissioni, corporis afflictationi mirifice addictam ferunt. Injuria neminem affecisse, nec sibi illatam vindicasse. Cum Psalterium examussim calleret, reddito orationis ac contemplationis penso, psallere suo sponso consueverat. Si ejus mensæ me vis apponere, non modo à carnibus, secundum D. Benedicti leges, verum etiam à vino, & cocto, vel expresso undecunq; alio potu abstinuit: cibos potionemque insperso cinere condivit, an corrupit? Qui otia agunt, qui molliter cuticulam suam habent, hujusmodi corporis vexationes inter fabulas ponunt, nimirum expertes cœlestium deliciarum, quæ tantum iis contingunt, qui carnem suam Numini, ceu hostias, mactant.

S. Aurea siti ac fame corpus cōfecit, lexus infirmitate frustra causam perorante.

Quædam Monialium inducere in animum haud potuit ut crederet, S. Auream tot pœnis exercere corpus, aut tam dira sibi expendere supplicia, quicquid aliæ mussarent sorores. Igitur captura experimentum, vasculum Antistiti prandenti apponendû subduxit: libavit curiosa exploratrix: sed vix primoribus labris attigit cum amarissimam potionem fronte contracta damnavit, suam vero temeritatem detestata est, quæ ipsi male vertit.

Ora enim subita paralysis solvit ac sparsit, Numine exemplum in levem, curiosam, ac maledicam statuente. S. Auream ejus miserta esse, ideoque Deum oravit, ut pendentia labra rite componeret ingemiscenti.

Facta alia prodigiis adnumeranda Vincentius Beluacensis narrat: videlicet succenso furno se intulisse, nec vestibus nec capillis ab igne violatis: elapsam à vinculis Monialis animam è fuga retractam, corporique redditam, quæ nos præterimus.

Vincent. Beluac. l. 24. c. 69. Subiit furnū accensum, reditq; incolumis.

Forte pestilentia pervaserat Parisios (quod S. Audoënus memorat) ac hem in quiete S. Eligius Antistiti sacræ visus est, monens ut ipsa cum suis se pararet satis moriendum esse. Hic omnes in lachrymas & pœnitentiam incumbere: orare, jejunare: divinum ferculum sumere. S. Aurea concedit prima: sexaginta supra centum sequuntur. Magna strages in uno Monasterio edita! Inde paulatim tam res quam numerus decrevit: ad ultimum Monialibus prorsus extinctis, Monachi ejusdem Ordinis S. Be-

Chopin. l. 1. mon. 7.

Extinctis pestilentia monialibus, Monachi successerunt.

nedicti successerunt, Monasterio Fossatensi, corpore S. P. N. Mauri nobili, subjecti. *Si in symbolizantibus facilior est transitus*, quod *A*ristotelis oraculum est, recta tecum reputabis via si credes, locum ab origine *D.* Benedicto dicatum fuisse, quem post Moniales *M*onachi Benedictini ante alios cepere, qui tam facile in *M*onasterium *A*ugustinianum introducti haud fuissent. Neque enim sine ambagibus ab uno Ordine ad alium fit discessio: & hoc Asceterium Fossatensi annexum fuit, quod utrique eadem esset Regula S. Benedicti.

AN. CHRISTI 646. AN. S. BENEDICTI 166.

CAPUT I.

Status Ordinis S. P. N. Benedicti in Hispania.

Hispaniæ Monasteria religiosiora, quam opulentiora.

RES magnæ fuere, quæ me tenuerunt in Gallia: nunc lubens refero gradum in Hispaniam. Etsi vero regni hujus *M*onasteria Gallicis vel externis aliis opum magnitudine haud certaverint, rigore tamen irremisso, nec non integritate disciplinæ, virorum clarissimorum copia, aliis nihil concedunt, multis antecedunt. His enimvero viros litteris ac virtute insignes quamplurimos debes, quos inter per hæc tempora eminuere Eugenius II. Archiepiscopus Toletanus: Eugenius III. ab illo proxim⁹: S. Ildephonsus, S. Valerius, S. Fructuosus ejusque discipuli, qui insignem toti Hispaniæ gloriam pepererunt: religiosa domicilia passim erexerunt; magna omniũ virtutum ubiq; spectacula præbuerunt, quæ ut clarius perspicias, offusas nebulas abstersero.

Gothorum Reges qui fuere frugi, brevi annos ac vitam composuere. Chintilla quatuor duntaxat annos vixit: duos Tulga qui regnum excepit, magnæ spei vivens, liberalitate ac prudentia omnibus charus: Chindesuindus (aliis Cindesuindus) Catholicus, & Pius, ab anno sexcentesimo quadragesimo ad quinquagesimum circiter annũ supra sexcentesimum imperavit, sub quo viri sancti, quos in medium adduximus floruere. Ejus favore multum nitebantur Monasteria S. Iusti Compluti: S. Petri Montibus: S. Romani Orsnisgæ.

Hoc anno Concilium VII. Toleti habitum fuit, quadraginta Episcopis confluentibus, qui præter alia Reclusorum Monachorum multitudini modum statuerunt, & ne sine discrimine admitterentur. Idem in Eremitas sanxerunt.

Reclusi angustas in cellulas cõpacti, propemodum luce carebant.

Apud Ordinem nostrum in more positum fuisse, ut Monachi per viam arctiorem in cœlum ituri, in Eremos sese abderent: quod si deserta in vicino haud essent, in cellas se non amplius patefaciendas submoverent, jam antehac exposuimus.

Petrus Vener. l. 6. ep. 20.

Petrus Venerabilis data ad Giselbertum Reclusum. *M*onasterii Sylvanectensis Monachum, epistola, tales destinatas cellas subjisse indicat, janua non pessulo, sed lapidibus & calce occlusa, parva tantum fenestella relicta, qua annonam acciperent. Hic hærebant soli Deo intenti, tam sua quam aliena peccata expiantes. Non parvo isti intervallo Eremitas post se reliquerunt: nam isti adeuntes admittebant: ex tuguriis quandoque emergebant: montes, valles, fontes, frequentabant: solatiis aliis fruebantur: Reclusis propemodum lux quoque adempta erat.

Porro quidam ad statum tempus hoc pacto se removebant, uti *M*arianus Scotus, Hibernus, ad decennium in *M*onasterio Fuldensi: alii ad mortem usque *M*artyrium hoc extendebant, veluti S. Hospitius, & S. Calupus: quidam columnis insistebant, quod S. VVolphius fecit, ventorum, pluviarum, frigoris, ludibrium & incus, quibus cœli injuriis Syriæ & Græciæ stylitæ non ita obnoxii fuere. Hæc secedendi ratio cum ipso Ordine nostro est nata. Tomo 1. exemplum è Dialogis Divi Gregorii petivimus.

Tom. 1. an. 600.

D. Greg. l. 1. Dial. c. 18.

Movit admirationem vita tam aspera; præterea propemodum supra mortales evecti Reclusi ac stylitæ, per fenestras & de columnis, veluti oracula, dabant consulentibus responsa, efficacissimi concionatores. Sed quemadmodum tinea pannos optimos pessime infestat, cedrumque exedunt vermiculi, ita hoc vitæ institutum, obstupescendum facilius quam imitandum, domestico malo non caruit. Idcirco Petrus Venerabilis Gilsebertum impendentium periculorum admonens, memorem esse jubet, solum in acie stare, cumque hostibus potentissimis bellum gerere: caveret proinde inermis conserre pedem: pro armis vero orationem, meditationem, deniq; opera externa capienda. Etenim Eremitæ aut Recluso nihil æque vitandum ac otium. Hoc quippe toti mundo expedire aditum in arcanam cellam: eveniet, dictitans, ut otiosus modo sibi caput multorum *M*onachorum videatur: modo tiaram vertici suo imponat: animo demisso superbia insidias struet: per speciem juvandi alios aperiet fene-

Otium, m[...] tum totu[...] in religios[...] Cellas adsciscit.

stras,

stras: inibit colloquia dum silere præstaret: verba aliquamdiu pressa, toto sacco effundet: deceptus imagine charitatis, negotiis alienis operam dabit. Erunt quoq; divites qui nummos Recluso suggerant, ad aliorum egestatem levandam Cella in domum negationis versa. Quoties sedet tugurii incola, & Remp. moderatur? dat jura? munit urbes? flumina sternit pontibus? obarmat exercitus? ciet in hostes, ac miser qui silentii, contemplationis, quietis studio hujusmodi fecerat secessionem, mundo profundius involvitur: perit, dum alios servare se putat.

Epistolam integram subjecissem, nisi me prolixitas cohibuisset, adeo suis coloribus auctor graphice depingit fructus, quos fert vita solitaria semper operosa: nec non damna quæ talem vitam agenti infert otium ac desidia.

Tota epistola explicatio videri possit Capitis 5. Concilii Toletani VII. quo Patres statuerunt paucis aditum ad hujusmodi Cellas patefaciendum, eo quod multi ad illas aspirarent celebri aliorum nomine impulsi, eandem famam consequuturi. Hoc autem vanitatis jacto fundamento, tempus longe aliter quam fas erat collocabant: sibi indulgebant: nec adeuntes solari, aut rite ad virtutem erigere poterant, cum litterarum essent expertes. Itaque sibi inutiles: publico noxii, maculam non unam statui tam sancto imponebant, ut Concilium non injuria multitudinem reprimendam judicarit, atque ex Regula Sancti Benedicti tyrones summoveri sanciverit in hæc verba *Deinceps autem quicunque ad sanctum hoc propositum venire disposuerit, non aliud id dabitur assequi, nec hoc antea poterunt adipisci, nisi prius in Monasteriis constituti, & secundum sanctas Monasteriorum Regulas plenius eruditi, & dignitatem honestæ vitæ, & notitiam potuerint sanctæ promereri doctrinæ.*

Intelligis quem obicem Concilium posuerit idiotis, atque ad hoc vitæ genus degendum ineptis?

Præterea tabulas hoc anno ex archivo Ecclesiæ Astorgensis proferunt historici, à Rege Chindasuindo S. Iusti Monasterio, quod S. Fructuosus condiderat Compluti, impertitas, quibus cum aliqua lux è rebus S. Fructuosus gestis aspergi debeat, ponemus quæ Valerius Abbas S. Petri de Montibus, Paulus Diaconus de Merida, aliaque monumenta nobis suppeditant.

S. Fructuosus à regibus genus duxit.

S. Fructuosus è parva provincia oriundus erat, Legionem inter & Galliciam sita. veteres Vergidum dixere, Vierzo hodie nomen est. Magnam partem pater ipsius possederat, unde quorundam Episcopatuum Breviaria Vergidi Ducem eum vocant. Quo dignitatis gradu steterit, nil comperti habemus: pro certo tamen tenemus, filium sanguinem suum ad Reges retulisse. In manibus tabulæ Chindesuindi sunt, quæ fidem faciant. Adolescentulum minime tenebant ludicra. Quando patrem sorte agros prataque obeuntem, greges armentorum & oviũ visentem per deserta comitabatur, clam se auferre consueverat, solitudinem, valles, rupes exploraturus, & locum notaturus quem potissimum pro vita privatim exigenda insideret: deinde quo commodissime Monasterium collocaret. Etsi vero Numini se devovere in Monasterio secum à puero statuerit, tamen distulit, Atqui parentibus fato defunctis, opes, honores, delicias, rem, spem, verbo, omnia bene valere jussit: jugum Christi cervice flexa excepit.

Ex amplissimis fortunis in cucullum se contraxit.

Tulerat illa ætas longe felicissima S. Conancium, Palentiæ Episcopum, vitam cum aliis communem agentem, ex more scilicet Antistitum antiquorum: ad quem cũ S. Fructuosus se applicuisset, ab eodem habitu Religioso indutus, litteris ac virtutibus imbutus fuit.

Quo tempore sese huic Magistro in disciplinam dederit, non facile expediam; constat vero solitudinis incolendæ desiderio ab eodem missionem petiisse, quod montium Vierzensium, vallium, specuum, imagines, mentem identidem subirent, & ad se solicitarent.

Delatus in sylvas, oculos circumtulit multa movens animo, quo Monasterium poneret. Locus occurrit ac invitavit percõmodus, nec mora tracta, sed extemplo itum in fundamentum est: nomen Ascetario à S. Iusto & Pastore petitum. Compluticam veteres appellarunt, hodie Complutum, audi-

SS. Iusto & Pastori Monasterium posuit.

ti an quia SS. Iustus & Pastor ex Alcala de Henares oriundi erant, quam priscis temporibus Complutum vocabant? Prope aberat à Molina Seca, quam rivus mediocris prætervehitur, qui idem Molinæ nomen fert. S. Fructuosus egregiorum facinorum fama impleverat Hispaniam, unde magno numero illuc ruebant Religiosæ vitæ candidati. Opes etiam in promptu erant,

In idem fortunas suas intulit, quas affinis spe devoraverat.

quod S. Fructuosus quicquid ea in provincia possidebat, in SS. Martyrum Cœnobium infudisset. Rugis aravit frontem affinis, qui sororem ipsius duxerat, res tantas soceri sui, & socrus ad Monachos aversas sibi aptas, Balistam igitur adversus in palatio intendere constituit, inducto Rege ut sibi tam opima prædia cedi juberet, bonam se operam ex ejus arbitrio Reipublic.

vel Regi ipsi præstiturum. S. Fructuosus qua via vim exeat, solicitus, quod præpolleret affinis, forsan etiam veritus ne amorem conjugii solveret (etenim sororem invidus adversarius duxerat) Monachos periculum, quod imminebat, edocuit. Tolluntur in cœlum oculi cum supplicibus palmis emittuntur preces: funduntur lachrymæ, jejunatur: cilicia imponuntur: vita exuitur hostis; Monasterium discrimine liberatur. Gravis ira Numinis est! Inhiavit miser bonis alienis: suis cum vita excidit, nulla sobole relicta quæ hæreditatem potuisset adire. Securus suarum fortunarum Fructuosus, latius fores pandit advolantibus tyronibus: Chindasuindus Rex datis hoc anno tabulis non modo tutelam addixit Monasterio, sed etiam circumjectos montes, valles agros, certis limitibus & nominibus notatos eidem assignavit. Illas in Appendicem reposui, cum ut Regis hujus pietatem cognosceres, tum quod in Archivis Hispaniæ non privilegium antiquius alterum esset, à Regibus Gothis profectum. Templo quoq; prospexit: *en ipsius verba, Offerimus vasa altaris calicem argenteum & patenam. Crucem argenteam similiter deauratam: vestiměta altaris omnia ad plenum, sive frontalia, sive principalia, signum fuisse aneum bona modulationis demulcens auditum, Item in thesauro Ecclesiæ offerimus libros Ecclesiasticos, id est, Psalterium, & Dialogorum, & Passionum.* Nomina subscripsere Chindasuindus Rex: Reciberga Regina: Eugenius Archiepiscopus Toletanus: Condidatus Episcopus Astorgensis, cujus in Diœcesi Monasterium est situm: Vasconius Episcopus Lucensis: aliquot Comites, quos sequuntur Fugitivus Abbas: (quantum divinando assequi licet, Hispanis postmodũ Archiepiscopus est factus, obvius in Conciliis:) Anathollius Abbas: Eusicius Abbas: Ildephõsus Abbas, regnante Recisuindo, Cindasuyndi filio, Archiep. Toletanus, tota Hispania percelebratus. Vulgus Alonsum vel Alphosũ appellat.

Affinis vindice Deo mortuus datus.

Script. 17.

Chindasvyndi donã.

Post opem à Rege latam, ne quis tangere vel carpere auderet bona Cœnobii, & famam innocentissimæ vitæ quam Monachi ducerent, quoquoversum diffusam, ecce tibi non jam vulgus mortalium, sed palatini, summo loco nati alii, huc contendebant, ut jam veteranis & tyronibus plane fartum esset, qua patebat domicilium. Frequentiam & densum cœtũ pertæsus S. Fructuosus, rebus prius compositis sarcinulam constrinxit, tum altius in montes penetrans, secretissimo antro se abscondit, lætus quod longo voto aliquando potitus, cum solo Deo solus agere posset. Huc principia religiosissimi Asceterii S. Petri de Montibus referenda sunt, quod alibi describemus.

S. Fructuosus multitudinis fastidio in eremũ conjicit.

Virtutes servi Dei etsi exequi liceret, magnitudine tamen obruimur. Valerius auctor est, multa Hispaniæ Monasteria eum tanquam ductorem sequuta esse. Solitudinis, silentii, orationis & contemplationis amantissimus erat. Corpus inedia, vigiliis, aliisque cruciatibus acerbe vexavit. Pedes sæpe nudus, asperrimis viis incessit. Vix enim id loci unum palmum mollis soli offendas. Melotem, vilissimam vestem, sibi circumduxit, S. P. N. Benedictum imitatus.

Atrox bellum corpori indicit.

Aliquando iter fecit, Monachis comitantibus, quos subito dimitteos, præire jussit. Nam cum magno orandi desiderio semper teneretur, tum vero densior lucus & occultior exacuit ardorem. E via igitur secedens, conditus arboribus, humique fusus aliquanto intentius incubuit in preces. Forte viam illac habebat rusticus, qui capite sublato jacentem conspiciens & considerans, servum credebat, suo domino fuga elapsum. Videlicet abjecta vestis id persuadebat, & sine calceis vestigia. Ergo, ehodum exclamat: quid adeo tibi hic est negotii? an non tu alicubi servivisti servitutem, postea clam in fugam te conjecisti? ain' mancipium. Aliis deinde super aliis calumniis insontem oneravit. Non pugnavit cum homine agresti & maledico S. Fructuosus: solummodo, nunquam servivi amice, respondit. Impotens iræ rusticus, correpto stipite verberibus misere excepit Sanctum, qui adeo ictum nullum vel parva corporis declinatione vitavit, ut immobilem incudem esse, putasses: at scelus non tulit verbera. A dæmone enim in potestatem redactus, vi tanta solo afflictus est, ut actum de eo esse existimaret Fructuosus. Dum huc illuc raptatur humi, immemor Sanctus injuriæ, Numen propitiavit oppresso à diabolo: nec non obsidione eundem liberavit.

S. Fructuosus ictum intentatum fusbe, nec leviter quidem vitat.

Aliquando capras sylvestres per illos montes premebant venatores. Vna sursum & deorsum à canibus acta, cum porro nesciret quo se verteret, pernici cursu S. Fructuosi casam petivit: humique fusa ejus fidem imploravit. Causam clientis apud venatores egit patronus, & obtinuit. Sensit beneficium fera, nec deinceps à tugurio discessit, hoc obsequio gratias relatura. Abeuntem quandoque servatorem suum tristi questu gestuque, lugenti similis, prose-

Fera humanitati S. Fructuosi salutem se debere agnoscit.

quuta est; redeunti vicissim & capite & pedibus applaudere solita. Ultimo ad ejus se pedes componens, acquiescebat. Cepit tam officiosus cultor S. Fructuosum, quicum longius semel abesset, usus occasione quidam improbus juvenis, capræ struxit insidias: dū sine arbitro se esse vidēs eā, mactavit. Pede non claudo laniooem sequuta pœna est; nam Deus levissimas etiam injurias servis suis factas ultum it. Febri enim ardere cœpit, quæ ipsum videbatur ad mortem actura. De feræ & de insolentis juvenis casu fit certior S. Fructuosus: rogatur ut laboranti opem ferat. Haud gravate adivit: fusis precibus, manuque imposita, anhelo salutem reddidit.

Dat pœnas juvenis, qui capram ejus sylvestrem, exceperat, & mactaverat.

Cum varias provincias Hispaniæ ad Monasteria condenda obiret, ventum in Galliciam ad mare est. Trajicit cum sociis in destinatam insulam, quam dum curiose lustrat, navis in mentem venit. Conversi in littus, corpora intendunt: oculis omnia perlegunt; suam cymbam in alto vagari conspiciunt; sive ad palum religata non fuerit: sive pulsatam fluctibus phaselus missam fecerit: sive denique diabolus absolverit.

Stant exanimati, quid se futurum esset volventes, si nullo commeatu instructis ex insula evadere non liceret. Antistes bona spe plenus compellat Numen: ne in ultimo discrimine positos destituat, obtestatur. Mari postmodum se commisit: fluitantem navim repetivit. Discipulis non tantum vox non hæsit metu perituri magistri, sed ingentes sustulere clamores eundem revocantes, cumq; ex oculis ob ingens spatium excessisset, animos pariter despondērunt. Papæ! dum lachrymis & lamentis optimo patri parentant, ecce tibi, suæ is carinæ insidens, fronte exporrecta in littus invehitur. Magnum documentum, de ope divina nonquam desperandum.

Vir Dei cursim per mare defertur.

Multa alia vim naturæ superantia facinora edidit, quibus Lectorem nolumus fatigare, cui satis est exhibuisse unguem. Hujusmodi autem portentosis factis erecta Hispania, difficile dictu est quanto numero ad eum confluxerit: quocirca cum necessitatem sibi imponi cerneret plura domicilia ædificandi, in diversis provinciis loca idonea cepie. Sed ut appareat, quam certatim nomina ipsi uterq; sexus dederit, quacunque se ferebat prorex, ubi is Andaluciam attigit, Regi manticam vellicavit, coërceret incolas, ut ne Fructuoso nomen darent: viro etiam concionibus interdiceret: alias nec milites ipsum, nec mercatores aliquando habiturum.

Ægre ad certum calculum Cœnobia & Eremitoria, quæ is posuit, vocavero: aliqua tamen delineabimus, unde de reliquis possis facere conjecturam: Hispania vero agnoscat, quam multum debeat huic nostro Fructuoso. Sanctus Valerius in rem nostram venit, dum luminibus duobus Hispaniam fuisse instructam asserit. Sancto Isidoro videlicet, qui doctrina sua incolas late imbuit: & Sancto Fructuoso, qui mentes virtutum flexerit dicendo.

Multum potuit dicendo.

Præter Asceteria Sancti Iusti de Compluto: Sancti Petri de Montibus, quod etiam Rufianense seu Rupianense appellant, ac alia intra montana ædificata cum Eremitoriis, quorum nomina quoque tempus delevit, petita Gallia fundavit Monasterium Visumense, quod hodie prope Villam Francam stetisse autumant, cujus Ecclesia Collegiata olim Monasterium Cluniacn subjectum creditur. De locis dependentibus cum nihil litteris proditum sit, nihil pro certo affirmamus. Gallicia potitus Sanctus Fructuosus Monasterium Feonense extruxit, sed loci memoriam longi anni abstulerunt. Audivi qui assererent, esse Monasterium Sancti Petri de Calago prope Villam novam Arozæ: contendentes vicissim alios inesse Monasterium S. Iohannis de Poyo, & si vel limis tantum aspectes oculis, utrique uno ducuntur argumento. Enimvero Feonensi domicilio in fastigium educto, S. Fructuosus cum suis conscendit cymbam verberavit mare, à quo in objectam insulam delatus est.

In Gallicia fundavit Monasterium Feonense.

Atqui Villa nova aliquam insulam in conspectu habet: itemque aliam Sanctus Iohannes (vocant Tambo) in quam ego quidem trajeci, cum archiva lustrarem. Repetito majorum nostrorum genio usque, facile in hanc sententiam discessi, posteriorem vitæ Monasticæ degendæ patribus nostris commoda inesse visam. Nam ultra milliare haud diffunditur: est in frequens Pontevedra nec non Asceterium Sancti Iohannis de Poyo, Eremitis quandoque commeatum submittere possunt. Cæterum hic standum est sententiæ, qua majores imbuēre posterum mentes; neque enim omnia Monasteria quæ Sanctus Fructuosus ædificavit, certo filo deduci possunt ab historicis. Vero similius tamen est quod de Tambo diximus: etenim Valerius Abbas Theodisclum S. Fructuosi discipulum, in castro Leonensi Cœnobium extruxisse asserit: at hodie quoq; Monachi montem non longe à Sancto Iohanne de Poyo intento digito monstrant, cui nomen Castro Veon, à capite forsan violata littera, posito V. pro L.

pro L. Monasterium insuper S. Iohannis de Payo esse antiquissimum, Vrracæ Reginæ privilegium fidem facit, æra millelima centesima quadragesima quarta concessum, in quo privilegii alterius à Rege Bermudo dati fit mentio, quod Monasterium in tempora longe remota refert. Ego vero cum inter sacrum & saxum stem, neque originem horum domiciliorum certe sciam, ad eorum usque instaurationem calamum abstinebo.

Iter intendit Hierosolymam.

Agedum vero, eamus ultra. S. Fructuosus non in Castilia solum & Gallia rem Monasticam promovit, sed etiam Portugallia, Estrema dura, & Andulazia: neque provinciam in Iberia esse putem, quam ejus saltem fama non persuasisset. Omnes accendere Numinis amore stabat sententia. Ad extremum, Hierosolymam cogitabat. Iam tenebat Cadiz: cum nauclero conventum jam erat: socii latera stipabant præcincti, cum Rex intercessit factus certior, ac spem incidit, ne suum regnum aliquid caperet detrimenti viro tam raro destitutum. In Andaluzia Monasterium construxit, cui Nono imposuit nomen, eo quod novem milliaribus abesset à mari Magnificum fuisse, nullus dubito, nam Valerius Abbas, auctor vitæ ipsius *Præcipuum, miræ magnitudinis, Egregium*, vocat. Hinc impulsus Prorex incitavit Regem, subditis ut frænum imponeret, aliter Fructuosum sequuturis. Solebat hic locum religiosis domiciliis capere in solitudine, ut è Cœnobio ac cœtu in Eremum sese educere promptum esset. Tale secretum etiam Monasterio Nono obtigit. Nec solum viros, sed etiam fæminas verba & opera viri egerunt in Asceterio. Certe in Andaluzia unum quendam Parthenona, octoginta fæminæ religiosæ coluerunt.

Monasteriũ Nono conditum in Andaluzia.

Quædam puella natalibus & opibus celebris (Benedicta nomen erat) paulo post designato jam sponso nuptui danda, audito semel S. Fructuoso, miro desiderio mutandi sponsi, capta fuit. Videlicet Rex virginum placuit. Consilium parentibus aperire non ausa, ne desiderio intercederent: verita quoque ut sponsus obicem poneret, ardens, & anhela virum Dei clam convenit: quid mente volveret, exponit. Ille indignum ratus rejicere orantem, itaque Numinis amore tantopere flagrantem in cœtum admisit: Cellam ei assignavit, ubi magistrum suum imitata vili cibo toleravit tenuem vitam, jejuniis longe productis. Consternati parentes cum sponso, S. Fructuosum apud Regem de circumventa filia reum egerunt.

Benedicta virgo audito semel S. Fructuoso, nuptias spõso renuntiavit.

Non mora, Proregi, quem Bergelatem appellarunt, negotium datum ut causam cognosceret: judex quoque dictus, qui sententiam ferret, cui cum se virgo obtulisset, tanto verborum pondere factum suum ei probavit, ut sponso rejecto fuerit absoluta. Spiritum Sanctum pro ipsa fecisse verba, nemo dubitavit. Liberam sic Benedictam S. Fructuosus Parthenoni octoginta Monialium præfecit, ubi multis laboribus exhaustis beatam animam edidit.

CAPUT III.

Monasterium Sancti Petri de Montibus.

AD hujus & Complutensis Monasterii normam cætera per Hispaniam à S. Fructuoso condita, disciplinæ rationes direxere. Hoc autem situm est in provincia Vierzensi, Episcopatu Astorgensi; tribus milliaribus abest oppido Pouferrada, sex à S. Iulto Complutensi D Petro dedicatum, nomen à montibus circumjectis traxit. Aditus perdifficilis est, cum per ambages præruptas enitendum sit. Supra Monasterium sublime se attollunt jugalia. Antiqui montes istos dixere *Aquilianos*, qui S. Fructuosi ævo recenter colebantur, unde invitatus ipse, diversis locis domicilia posuit. Quod hujus Cœnobii Fundator fuerit, à lapide disce, quem Sanctus Gennadius Episcopus Astorgensis ad templi à se extructi fores hisce verbis exposuit: *Insignis meritis Beatus Fructuosus postquam Complutense condidit Cœnobium sub nomine S. Petri, brevi opere in hoc loco fecit aratorium. Postquem non impar meritis Valerius sanctus, opus Ecclesiæ dilatavit. Novissime Gennadius Presbyter cum duodecim Fratribus restauravit era* DCCCC. XXXIII. *Pontifex effectus à fundamentis mirifice (ut cernitur) denuo erexit non oppressione vulgi, sed largitate pretii, & sudore Fratrum hujus Monasterii. Consecratum est hoc templũ ab Episcopis quatuor: Gennadio Astoricẽsi, Sabario Dumiensi, Frumnio Legionensi, & Dulcidio Salamanticensi sub era novies centena, decies quaterna & quaterna, nono Kalend. Novembris.* Ergo sancti hanc Dei Domum ædificarunt, sanctos instauravit. Nunc etiam tabularum, quibus Gennadius ultimam suam voluntatem edidit, fragmentum cape. Servantur in isto Monasterio, & pro thesauro sunt.

Fructuosus Monasterii S. Petri de Montibus Fundator.

Cum essem sub Patris & Abbatis mei Arandiseli obedientia in Cœnobio Argeo,

valde mihi placuit vita solitaria Eremitarum. Igitur accepta benedictione cum duodecim Monachis in Eremum S. Petri de Montibus tetendi, ubi Fundator & possessor primus fuit S. Fructuosus, cui successit postmodum S. Valerius. Vitæ sanctitatem utriusque, virtutesq; faciendi miracula, declarant ipsorum historiæ & monumenta. Porro iste locus S. Petri jam quasi extra memoriam jacebat incultus, vepribus & virgultis obductus. Natæ quoq; tam longo annorum spatio proceræ arbores sunt, quæ eundem pariter obscurarunt. Sed ego Domino adjuvante ac favente cum meis duodecim Monachis Fratribus hoc ipsum Cœnobium instauravi, construendo ædificia plantando vineas, serendo arbores, excolendo terram, fodiendo hortum, omniaq; alia quæ necessitas requirere videbatur, comparando.

S. Gennad. Episc. Astorgens. renunciatus, indignatur infulæ.

Postea virtutũ inimicus diabolus cum vitam nostram ferre non posset, sub colore & titulo communis ac publicæ utilitatis multis personis suggessit, ut me in Episcopum eligerent Astorgiensem, in quo munere perseveravi multos annos, potius ad satisfaciendum Principibus quam mihi unde corpus in Episcopatu erat, voluntas alibi erat. Itaq; omnem sollicitudinem curam & industriam posui in renovanda Ecclesia S. Petri, quam paulo ante ædificatam amplhavi, & de novo erexi. In iisdem Montibus etiam aliam Ecclesiam construxi S. Andreæ Apostolo dedicatam. Post breve intervallũ temporis ædificavi Monasterium aliud pro habitatione Monachorum; item in memoriam S. Iacobi tertium, quod Pennalua nominatur. Denique inter utrumq; collocavi quartum Oratorium in loco qui appellatur Silentium, ad honorem S. Thomæ. Hęc Gennadius. Vnde cognoscas lapidem vestibulo ædis S. Petri de Montibus impositum à vero nihil aberrare.

Item per illos montes sparsas fuisse cellas, quas Monachi è cœtu digressi incolebant, quod primis sæculis usus in Ordine nostro sic ferret. Fac tibi montis Majelæ, Vogesi, Disterii in mentem veniat, quorum nos alibi meminimus.

An. 3, a. 574.

Videlicet Monachis frequentissimi erant, quorum alii secundum normam discipulorum Sancti Fructuosi vitam ereniticam, alii cœnobiticam degebant, certo tamen nexu veluti membra conjuncti erant.

Iuvat tabulas, ex archivo Ecclesiæ Astorgensis producere à me lectas, à P. Prudent de Sandoval, Episcopo Tudensi, historiæ Monasteriorum Castiliæ insertas.

Tam Eremitæ quã Cœnobitæ mõtana S. Petri incoluerunt.

Ego Gennadius servus Christi, indignus quidem, tamen per misericordiam ejus Episcopus.

Postquam grave jugum prælaturæ deposui, & ex sæculi hujus maligni turba excessi, vitam contemplationibus consumens, quibus certis diebus vacare solebam, me in secretum montem Silentii subducens, & Monachorum Anachoretarum societati immiscens, qui Montem istum occupaverant, ut mei in suis orationibus semper essent memores, pro sustentatione laboriosæ vitæ ipsorum, promittendo promisi confirmandoque illis dedi locum de Laguna in districtu de Molina, & territorio Asturgæ, quomodo eum habuerunt mei antecessores quem sic divisum volo, ut media pars spectet ad Sanctum Iacobum de Pennalva, nec non ad Reclusiones, quæ circa hoc Monasterium sunt, pro salute animarum, atque ut Monachi, quando certis diebus conveniunt, habeant quod comedant: altera vero pars æqualiter inter cætera Eremitoria distribuatur, fructibus perceptis ipsis applicatis, & tam pro amictu quam victu Monachorum expensis. Primo Octobris æra nongentesima quinquagesima octava.

Hisce tabulis subscripsere Sanctus Gennadius, Rex Ordonnus, Regina Elvira, quibus multi alii sua nomina addidere.

Dignum certe admiratione est, montem istum Monasteria pariterque Eremitoria & Reclusorum tuguria tulisse, atque hunc vivendi modum etiamnum durasse cum annus à nato Liberatore mundi flueret nongentesimus vicesimus, cœpisseque hic loci postquam Sanctus Fructuosus Complutense Cœnobium, atque alterum S. Petri de Montibus ædificarat, ipsusque asperrima juga incoluerat.

Quem autem vivendi modum Sanctus Fructuosus cum suis discipulis habuerit, ejus Regula mihi prodidit, quam ego singulari Numinis beneficio in Sancti Petri Asceterio Atlanzæ reperi. Excutienti namque bibliothecam antiquissimis libris, Gothica manu scriptis, refertam, libellus se obtulit hisce verbis à fronte notatus: *Regulæ Patrum*. Volventi alias atque alias, denique omnes paginas, hoc ordine dispositæ antiquorum Patrum leges se objecerunt: Regula S. Macarii, S. Pachomii, S. Basilii. S. Benedicti, S. Fructuosi, S. Isidori, & Cassiani.

In Monasterio S. Petri Atlanzæ habetur Regula S. Fructuosi M S. Tom. 1 an. 146. Concil. Leridan. an. 146.

Multis verbis Cœnobiarcham D. Antonium de Alvarade fatigavi, harum ut mihi copiam faceret, eas publico bono emissurus in lucem. Quocirca Regulam S. Fructuosi dearctuare hic, vel in frusta carpere nolim: tibi tamen parumper ostendam, ut saltem per transennam videas, quã rigidam, quam ærumnosam vitam Monachi in Complutensi & S. Petri de Montibus Monasteriis toleraverint.

Si legas, non Regulam novam, sed commentarios in antiquam S. *Benedicti* Regulam compositos censeas. Quid crebro ipsa hujus Patriarchæ verba recitant: aliquoties eum *Patrem Regulæ* nuncupant: nonnunquam, *Regulam communem* Lectorem adire jubent. Cum enim in hisce montibus, nec non Monasteriis à S. Fructuoso extructis, præter Cœnobitas etiam colerent Eremitæ atque Reclusi, Regulæ communi alias adjecit Divus, quas in tredecim Capita digessit. Compendium afferre animus est, ne te fugiat quam vivendi rationem Monachi istius sæculi tenuerint.

Clerici quidam & sæculares ædibus suis Cœnobii nomẽ indiderunt, quæstus gratia.

Duo priora Capita jam supra ad annum CXLVI. retuli, cum exponerem Concilium Leridæ habitum. Clerici enim & Sæculares habitationibus suis Monasterii nomen indidere, adhibita quadam larva sub qua laterent, ut Monachorum privilegiis gaudere possent, tributis & vectigalibus fortunas suas subducendo. Hi tales non ossibus, sed carnibus inhiabant: non ut agerent pœnitentiam, quod verorum Monachorum opus est, sed ut honores sibi ac opes pararent, Monachis se admiscebant, quos proinde Concilium in semine oppressit.

Regulæ S. Fructuosi Cap. 3.

Capite tertio, S. Fructuosus qua ratione ineunda sint suffragia, sancit, dum legitur Abbas, statuitq; Monachos novitios, obediendo nondum bene subactos, à fascibus arcendos. Item Abbatibus sæcularium inutili commercio interdicit: quod si lis cum ipsis intercedat, eo quod rem Monasterii accidere conentur, causidicum sibi ut subrogent, qui illam persequatur, jubet.

Cap. 4.

Capite quarto cavet ne tantum nobiles vel divites ad Religionem admittantur, sed sine discrimine omnes boni, etiam mancipia, modo litteris exhibitis fidem faciant libertate se donata esse. *Addit* vero non facile adventantibus annuendum ingressum (id quod etiam S. P. N. *Benedictus* monuit.) Sed in primo limine triduum & trinoctium detinendos, quid responsi accepturi sint, suspensos. Verbis quoq; durioribus eos vult accipi, ut patientiæ ac submissionis specimen edant: deinde diligenter excuti, an omnibus fortunis se exuerint: alicubi rem

S. Reg. c. 58.

deposuerint: parentibus aut liberis cesserint. Quod si in pauperes omnia effudissent, in cœtum locumque postremum recipi mandat.

Cap. 5.

Capite quinto obediendi rationem tradit, urgendo suos discipulos, ut quamproxime ad Christum accedant, *qui venit in mundum non ut faceret voluntatem suam, sed patris sui*. Subjicit deinde aliquot gradus humilitatis, à Regula S. Benedicti petitos, imperando ne quisquam quicq̃ ex proprio arbitrio conficiat: neve loquantur, nisi rogati; omnes cogitationes cordi incidentes Abbati suo prodant: murmurationibus abstineant, quod serio inculcat. Apparet insuper non modo cujusvis ordinis, sortis, ac ætatis homines, sed etiam utriusque sexus à S. Fructuoso admissos, Monasteriis & tectis distinctis. Cum enim totam Hispaniam impulisset, ut spongiam vitæ priori impingeret, animum ingentem sumere oportebat ad amplectendum omnes quotquot cum habitu mores mutare cupiebant, nulla ratione ducta patres, matres, liberi, filii, filiæ, vel servi essent. Non raro profecto integræ familiæ se intulere Monasteriis, solis infantibus relictis & exclusis.

S. Fructuosus omni ætati ac ordini, Christo nomina daturis, consultum ivit.

Cæterum, *admodum pueris*, inquit, *visere parentes liceat cum voluerint, ne his conquerendi ansa præbeatur.* Hinc ad œconomum deflectit, cujus est parvulis prospicere: sed cape verba è Regula Sancti Benedicti hausta: *Excusetur a coquinæ officio: & si major fuerit Congregatio, junior ei detur.*

S. Reg. c. 35.

Cap. 6.

Caput sextum infirmorum præfecto leges sancit, nec non Priori, ad quem hæc cura quoque pertinet. Ægrotos vero identidem hortatur, ut ne plura reposcant, quam Monasterium suppeditare queat; nec adeo se præcipites agi sinant, ut delicias ex urbibus afferri sibi petant.

Cap. 7.

Caput septimum, quid cum senibus ad hoc vitæ genus adspirantibus agendum, edocet. Nam S. Fructuosus neminem, etiam ad annum sexagesimũ provectum, rejicere solebat. Ne tamen aliquis natu grandior irreperet, quietis tantum captandæ studio, hanc legem rogavit.

Nisi quod otia sectantes rejecerit.

Inde cum tali cautione in Cœnobium introducantur, ut diu noctuq; nõ fabulis evagentur, sed singultu & lachrymis, & cilicio & cinere versentur, ad retroacta peccata cum gemitu cordis pœniteant, & pœnitenda non ultra committant, & quantum habuerunt pravæ suæ mentis intentionem, in duplo habeant in lamentando plenam devotionem, quia qui per septuaginta, & eo am-

plius

plius annos abrupte peccaverunt, congruum est arcta pœnitentia coarctentur, quia & medicus tanto profundius vulnera abscindit, quanto putridiores carnes videt. Tales ergo per pœnitentiam veram corripiantur: & si noluerint, excommunicatione continua emendentur. Quod si septies admoniti ab hoc vitio non fuerint emendati, deducantur in Conventum malorum, & ibidem denuo discutiantur. Si divinare licet, *Conventus malorum* carcer erat, descriptus à Iohanoe Climaco, ubi pœnæ creditu difficiles persolvebantur, quas si solum audias, inhorreas.

Clim. c. 5.

Cap. 8. Cum Sancti Patres isti non haberent reditus, montes autem Viercenses pecori pascendo habiles essent, Fructuosus iam gregi quam pastoribus Monachum præfici statuit, plenum charitate, industrium, sedulum, quique intelligat rê Monasterii sua in manu esse sitam, sibique prœmium si recte officium faciat, à Deo expediendum. Quippe ab ipsius cura dependere puerulos, senes, valetudine affectos quibus solis vesci carnibus fas erat. Insuper captivos, pecore in libertatem asserendo: alendos hospites & peregrinos: stipem pro pauperibus conficiendam: redactis ad incitas, vel alia calamitate oppressis, subveniendum. Cum igitur tantarum rerum cardo versaretur in servando grege, gravissimis verbis hujusmodi præfectis iostat, ut officio bene fungantur, adductis ante oculos antiquis Patriarchis, qui pecoris magistri cum essent, vitam suam Numini mirifice probarunt.

Cap. 9. Caput nonum, quæ partes Abbatis sint, exponit. Nimirum dare operam ut divina officia examussim peragantur: deinde quot mensibus alios Abbates per montes dissipatos convenire. At verba tibi habe ipsius Fructuosi: *Secundo, ut per capita mensium Abbates de uno confinio, uno copulentur loco, & mensuales litanias strenue celebrent, & propter animas subditas auxilium Domini implorent, quia de ipsis in tremendo judicio cum grandi discussione debent Domino reddere rationem. Tertio, qualiter quotidie vivere debeant, ibi disponant, & tanquam à Sayonibus comprehensi, ad cellas revertantur supra citati. Quarto, retroacta SS. Patrum per scripturas sciscitantes revolvant, ut ab ipsis quid facere debeant, agnoscant. Quinto, ut cum fratribus advenientibus, hospitibus & peregrinis, in unam mensam communiter vivant, quia de ipsis Dominus ait,* hospes fui, & suscepistis me.

Porro, sayon, quo vocabulo S. Fructuosus proxime usus est, à Gothis usque ducitur, quibus ministrorum justitiæ duplex genus fuit: illud Merinos, hoc Sayones nominabaot. Hi causis criminalibus, illi civilibus præerant. Itaque Sayones in carceres immittebant reos ubi admissa scelera luerent. Hinc S. Fructuosus statis precibus absolutis, Abbates in suas cellas reverti, nec secus quam à truculentis lictoribus eo conjectos, persistere jubet. Magnæ pœnitentiæ vestigia hæc sunt, quam miscebant lectione SS. Patrum, ut viderent qua sibi eundum esset. Neque ita inclusit Abbates quin ad hospites prodeundi, tum etiam cum ipsis cibum sumendi faceret potestatem, exemplo nimirum S. Benedicti. Pecoris vero præfecturam homini industrio committi jussit, ut hospites tanto liberalius accipi, captivi quoque & egeni inde juvari possent. S. Reg. c. 56.

Porro ne intempestiva bonorum cura Abbatem à lectione vel oratione avocaret, Præpositus seu Prior eorum rationem habere cum œconomo Capite 10. jubetur, ita tamen ut inconsulto Abbate nihil audeat, quod etiam D. Benedictus præcepit, ad rem sic attétum esse vult, ut miseri oexi vinculis, ali, nec non in libertatem lytro præsenti vindicari possint. Ne vero se rerum dominum putet, dati & accepti rationem quot mensibus Abbati reddere compellitur. Cap. 10. S. Reg. 65.

Vndecimum Caput sancit, ut Monachi non tantum Abbati & Priori dicto sint audientes, sed etiam Decanis moram gerant: hos ament tanquam Patres, timeant tanquam Dominos: illi vero Priori opem ferant: Congregationis onus gnaviter excipiant: de culpis minutis aut pœnis ad Abbates non referant. Cap. 11.

Caput duodecimum postquam Monachos edocuit qui se erga Decanos haberent, quid his vicissim agendum, ut officio suo rite fungantur, edicit. Inde bene longum syllabum recitat peccatorum, quibus se affines facere possunt Monachi, si conniveant Decani. Denique addit, *ut cuncti fratres à maximo ad minimum diebus Dominicis in Monasterio hoc in loco congregentur, ita ut ante missarum solennia solicite ab Abbate percunctentur, ne fortasse aliquis adversus alium odio livoris stimuletur, aut malitiæ jaculo vulneretur, ne intestinum virus quandoque aperte in superficiem cutis prorumpat.* Hinc cognosce Monachos per montes illos sparsos, in Decanias suisse distinctos: Dominicis vero diebus in Monasterium præcipuum confluxisse, & ab Archimandrita diligenter excussos, ut si inimicitias invicé suscepissent, prius in gratiam redirent, quam divinam mensam frequentarent. Cap. 12.

tarent. Nam parvi, aut nihili munus deputat Deus, quod offers ante altare, nisi prius omni te odio expediveris.

Monachi per eremum sparsi, diebus Dominicis confluebant in Monasterium, ut spiritum reciperent, si forte per hebdomadē aliquid exhalatum fuisset.

Hîc etiam mihi animum adverte sis ad horum Monachorum & Anachoretarum morem, quo Dominicis diebus conveniendi, & sacram hostiam capiendi: Viguit mos iste in multis Cœnobiis, præsertim in montibus erectis, ubi non modo vita communis, verum etiam privata & solitaria instituebatur: Dominicis vero diebus è latibulis suis emergentes Eremitæ Monasterium petebant, ut peccata confessione expiarent, nec non ad cœlestem mensam accumberent: quibus peractis, in antra sua postliminio contendebant, quod etiam notavimus, cum Vogesi juga, & Montes Destercios describeremus. Hanc consuetudinem S. Petri de Montibus, totum illum tractum pervasisse, certum est, quando S. Gennadius rationes ab oeconomo exigit, quantum ab Eremitis sic convenientibus consumptum sit.

Cap. 15.

Capite ultimo curam Abbatibus inculcat S. Fructuosus, adhibendam excommunicatis, sive à cœtu ob aliquam noxam sejunctis, quod genus pœnitentiæ ab Excommunicatione Ecclesiastica diversum est, è regula S. Benedicti petitum. In rem est ipsum Fructuosum audire: *Quando aliquis per suam culpam fuerit excommunicatus, in obscuram cellam mittatur, nec aliud ipsi detur quam panis & aqua: & hoc quidem vesperi quando Monachi cœnaverint: tum enim panis dimidium accipiat: neq; satis aqua porrigatur, quæ spreta ab Abbate non benedicatur. Excommunicatus autem sine solatio maneat solus in cella, nemine ex fratribus ipsum visitante, nisi cui Abbas aut Prior jusserit. Pœnitens medius nudus, aut cilicio vestitus, ac sine calceis opera Monasterii faciat* (id est, humile quoddam ministerium obeat.) *Quod si excommunicatio duos tantum aut tres dies sit duratura, nihil ad comedendum ipsi offeratur.*

Reg. c. 22. 23. 24. & 44.

Solidi pœna peccantibus sumenda secundum S Fructuosum.

Acerba post hæc dicta subiicit S. Fructuosus, quibus onerandus sit excommunicatus, concoctu plane difficilia, ut tam è pœnis apprime asperis, quam verbis ad affligendum compositis intelligas, nostros Monachos in Hispania singulari quodam rigore traduxisse vitam. Quamvis enim maximi Regulam S. Benedicti facerent Canones, quod videretur nulla parte laborare, ejus tamen rigorem legibus singularibus intendit S. Fructuosus, quod ex usu illius temporis esset. Quis enim dubitet hanc illi mentem cœlitus injectam, cum insignem illi gloriam totâ Hispaniâ conflarit Deus, densissimis ipsum turbis, quacumque incedebat, prosequentibus, & veniam suis peccatis petentibus, quibus cum Monasteria, quæ plurima passim statuerat, non sufficerent hujusmodi pœnitentia colonias in deserta deducebat. Quid multis! cuivis hominum ordini stimulos subdidit ad mores sinistros corrigendos, Hispania obstupescente. Cæterum hunc librum Gothice scriptum, Patrumque Regulas complectentem, antiquissimum esse oportet, quandoquidem (Hereneo nomen erat) regnante Ordonio se eum ad umbilicum perduxisse ac absolvisse prodidit. Aram abolevit ætas.

Majestatis divinæ reos, in deserta deducebat, ubi lacbrymis oculos tererent.

Indicium nihilominus antiquitatis nobis facit, quod ab anno octingentesimo quinquagesimo usque ad nongentesimum quinquagesimum (præter propter) tres Ordenni Hispaniæ sceptrum tenuerint: quisquis autem horum tenuerit, liber septingentorum annorum sit, quæ longæva ætas nos impulit, ut in Regula S. Fructuosi tradenda, quæ memoria propemodum excidit, solito, vel etiam justo essemus prolixiores. Multa prætermisimus, alibi proferenda.

Valer. hist. S. Fructuosi, c. 19.

Primus discipulus S. Fructuosi (quem quidem nos deprehendimus) Cassianus Abbas fuit, quem Valerius, vitæ ipsius auctor virum Dei appellat. Idem alterius quoque discipuli meminit, quem Theodiselum vocat, Monasterii Castri Leonis conditoris, in sedem Episcopalem evecti, in quod fastigium multi alii, horum Sanctorum alumni fuere sublati, quos Valerius tantum obiter tangit, nominatim non effert, nec alii memoriæ consignarunt. Hisce successerunt viri quidam longe clarissimi, quorum Sanctimonia montes isti inclaruere, veluti Sanctus Valerius, Monasterii, quo de agimus, instaurator Sanctus Gennadius qui locum auxit, ac posita mitra Astorgensi, suos discipulos eadem fulgentes conspexit, quorum uni Fortes nomen fuit, alteri Salomon. Idem Asceterium nobilitárunt etiam Sanctus Vincentius Abbas, qui fasces secundum Gennadium excepit, unus è duodecim sociis, quos ille annuente Arandiselo Antistite Monasterii de Argeo in montes secum traxit. Inter illustres autem viros qui Viercii vixere, dandum hoc Arandiselo, quod supra alios eminuerit.

Valer. c. 7. Monasteriū S. Petri de Montibus viris illustribus clarum, quos inter censendi Cassianus: Theodiselus; S. Valerius S. Gennadius Ep. Astorgensis: Fortes Ep. Astorgensis: S. Vincentius Abbas:

S. Vrbanus Abbas.

Præteralia, SS. Gennadio & Vincentio magister fuit, ut omittamus discipulos cæteros. Prioribus adde Sanctum Vrbanum Abbatem, qui ob præclara merita

Alphonſus Perez.

in Cœnobio S. Iacobi de Pennalva, eodem quo S. Gennadius ſacello inſigni mauſoleo conditus eſt. His accedit Alphonſus Perez Eremita, quem Sandeval Epiſcopus Tudenſis ligneæ tumbæ impoſitum, in ſpeluncis, quibus Silentium dedit nomen, abſtruſum fuiſſe narrat, addita membrana, quadraginta cum annos in vicinis montibus contriviſſe, ſuggerente, carnibuſque ſemper abſtinuiſſe. Petronatum quoque, Stephanum Abbatem, Viliam, alioſque quam plurimos in cenſum mittit auctor nuper adductus, quos ſigillatim deſcribere non eſt otium.

Petronatus: Stephanus Abbas Vilias.

Fuit inſuper S. Petri ædes de Montibus multarum fortunarum, & privilegiorum, faventibus illi tam Regibus quam Pontificibus. Multas ego hoc genus tabulas tam ibi, quam Salmanticæ in S. Vincentii Monaſterio evolui, quas non appono, quod in ſevera diſciplina incolarumque innocentia explicanda longus fuerim. Divitiis enim cur ſcribendo inhiem, quæ ad Sanctos mores comparatæ tardent? Quocirca in Appendicem, tanquam in angulum reiicio. Ordonius II. Rex ampliſſimum tractum conſignavit Monaſterio, quem montes, valles, prædia occupant. Adhæc argento factum calicem cum patena: capſam de eodem metallo, ſed auro illitam, gemmis obſitam: crucem argenteam pariterque inauratam, nec non lapillis pretioſis micantem: coronam argenteam: ſacras veſtes: libros Eccleſiaſticos, ut appareat addictiſſimum huic Monaſterio, cum Elvira Regina fuiſſe. Quanti etiam penderent S. P. N. Benedictum, hiſce verbis expreſſerunt: *Omnem doctrinam deificam conſtitutam in Regula Beati Benedicti, quam eis obſervandam tradidimus, cum cunctis ſibi ſubjectis Monachis retinendam injungimus.* Ferdinandus quoque & Alphonſus Reges Legionis uſu & conſuetudine, quæ ipſis cum Monachis S. Petri de Montibus interceſſit, in eorundem candidiſſima pectora penetrantes mirifice capti ſunt, ideoque multis donis Monaſterium obruerunt, quod ex ſcriptura XVI. Appendicis diſcere licet.

Script. 18. 19. 20.

Ordonius Rex variis donis cumulat Monaſterium.

Summi Pontifices multis privilegiis eundem locum ornarunt. In meas manus Bulla Honorii IV. anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſexto: & Innocentii III. milleſimo ducenteſimo primo anno datæ, inciderunt, quibus Monaſterium Sedi Apoſtolicæ ſubjectum fertur, & eligendi Abbatis jus habere. Poſtea ejus prædia ac Monaſteria ſubdita curioſe recenſentur, quæ inter etiam Aſceterium S. Romani de Orniſga ponitur, à Cindasvyndo Rege ædificatum, mauſoleum ſibi ſtruente. Quamvis autem & Sanctiſſimâ diſciplinâ, & defenſuris opibus munitum fuerit, perrupere tamen Abbates ſæculares Commendatarii. Id quoque Monachi noſtri quidam Ordinis, ac aliarum familiarum, probante Roma, in ſuam poteſtatem redegerunt, veluti F. Iohannes de la Serna Prior S. Vincentii Salmanticæ, profeſſus ad S. Zoilum Carrione, Cluniacenſi Monaſterio ſubjectus. Hinc natus quorundam error eſt, S. Vincentii Cœnobium aliquando S. Petro de Montibus annexum fuiſſe, cum à Cluniaco longa annorum ſerie pependerit, donec Congregationi S. Benedicti Vallis oletaria acceſſit. Facilis profecto lapſus fuit, nam prior S. Vincentii ſibi etiam titulum Abbatis S. Petri de Montibus vindicârat.

Monaſterium S. Romani Orniſgæ, Cindasvyndi Regis mauſoleum.

Fœda per id tempus procella jactabantur S. Benedicti Monaſteria, ad quæ oculos adiiciebant quoſcunque amor ſceleratus habendi ſtimulabat. Conflatis namque mendaciis, quibus Monachos onerabant, confictiſque dolis, oppido multis potiebantur: Bullas Pontificias, per quas legere Abbates Monachis licebat, improbe reſcindebant.

Quæ nocêt, docent, ac ſæpe proſunt.

Quocirca cum hi viderent vel cladem ſumma virtute avertendam, vel ſibi penitus pereundum eſſe (nam per partes venitur ad totum) conſilium de Congregatione inſtituenda ceperunt, ut ſi deinceps egregii hujuſmodi Abbates Commendatarii aliquid moverent, ac Monaſteriis ſtruerêt inſidias, nulla pientiſſimorum Fundatorum habita ratione, conſociatis viribus tantæ inſaniæ obviam iretur. Nomen quoque dedit Petrus de Najara, Abbas S. Petri de Montibus, Iulio II. id permittente. Prudentiam viri ac eruditionem non deprædico, niſi quod Congregatio ipſi detulerit faſces. Cæterum Ferdinandus Rex adeo conſilium hoc Monachorum probavit, ut magnum ipſe quoque ad Congregationem erigendam attulerit momentum. Animus erat ſubiicere hîc catalogum Abbatum iſtius Cœnobii, cui cum SS. Fructuoſus, Valerius, Gennadius, Vincentius, Vrbanus præfuerint, nullus dubito ſequutos alios, quorum nomina & facta edi oporteret, ſed cum monumenta petenti nihil datum fuerit, alio ſigna converto.

An. 1506.

Ferdinandus Rex ad inſtituendã Congregationem egregiam ſeque dignam operam navavit.

CAPUT. IV.

Monaſterium S. Romani Ornisgæ.

CIndasvyndus Rex S. Fructuoſo in ædificandis Monaſteriis præclaram ope-

ram

ram impendit. Eorum origo, quorum mentionem fecimus, liquido constat; hujus autem initia, non æque comperta habemus; solis proinde conjecturis nobis ad veritatem grassandum est, quibus adducimur ut plane credam' primos istius loci incolas S. Fructuosi discipulos fuisse. Cùm enim Cindasvyndus S. Fructuosi fama percitus, ad Cœnobia condenda singulari studio incubuerit, hic loci vero fato defunctus deponi, atque psallentibus Monachis jungi statuerit, ægre à vero abberraverimus, si ejusdem Sancti alumnos, ore omnium celebratos, ab eo accersitos fuisse, dixerimus. Accedit S. Romani Asceterium multis retroactis annis Prioratum fuisse, Monasterio S. Petri de Montib', à S. Fructuoso fundato, subjectum. Fidem faciunt Bulla Honorii IV. atque altera Innocentii III. nec non litteræ Ferdinandi, quas nos ad D. Petri de Montibus in hæc verba legimus. *Sciatis quod ego in meam fidem, tutelam, & defensionem Monasterium S. Petri de Montibus recipio cum hæreditatibus & omnibus ejus rebus, veluti S. Romanum de Ornisga.* Hæc proinde conjunctio cum à nostra ætate sit remotissima, quis non inducat animum ad primam originem referendam, adeoque S. Fructuosum utriusque Cœnobii auctorem fuisse?

Monasteriũ Ornisgæ S. Romano Monacho dedicatum.

Porro istud S. Romani religiosum domicilium secundo lapide distat Toro, nobili urbe (veteres Sarabim dixere) proxime rivum Ornisgam, qui Asceterio nomen fecit, hodieque Ornija nominatur, S. Romano Ordinis D. Benedicti Monacho (non Romano Martyri Antiocheno) dedicatum fuit. Nam aræ antiquissimæ sacelli Eremitorium quondam fuisse ferunt; Cindasvyndum adjunxisse Ecclesiam, qua conderetur) incumbit lapis, hisce verbis incisus: *Hic sunt Reliquiæ numero Sanctorum, S. Romani Monachi, S. Martini Episcopi, S. Marinæ Virginis, S. Petri Apostoli, S. Iohannis Baptistæ, S. Asciscli, & aliorum numero Sanctorum.* Difficilis lectu scriptura est; quocirca cum S. Romano absque intervallo, S. Martinus succedat, fuit qui me quoque præsente Romanum Martyrem submurmuraret. Hinc nonnulli etiam alii in errorem acti.

Familia D. Benedicti duos Romanos numerat.

Familia S. Benedicti duos numerat Romanos, utrumque Monachum. Vnum S. Lapicini socium, qui Lugdunum in Gallia illustravit, cujus memoria annuo cultu ad v. Cal. Februarii repetitur. Alter Sanctissimo Patri nostro, Romæ elapso, cultum Monasticum circumposuit: postea in Galliam profectus, Fontem Rogum, eximium Monasterium, ædificavit. Vicesimus secundus Maij dies ipsi festus est Vtrius reliquiæ altari inclusæ sint, non ita promptum eum expedire. At at, hic intercedit Paradisi Carmelitici decoris auctor, qui S. Romanum, optimi maximi Patris nostri Benedicti altorem, Carmelitam facit: ego vero hic non insisto: nam virum male cardinem vertere, alibi demonstravimus.

S. Ildeph. de viris illust.

S. Idelphonsus antiquam Ecclesiæ fabricam describens, Cindasvyndum sepulchro quadrato, amploq; ibi conditum esse, refert. Hodie magna vestigia primorum ædificiorum supersunt, unde quanta fuerint, conjectare licet. Multæ adhuc variorum marmorum columnæ solum occupant, qua templum in crucem distinxerat architectus: ibidem sepultum fuisse Regem ajunt. Atqui cum labentibus annis dejecta fuisset fabrica ut surgeret augustior, Regi quidem sacellum obtigit priore angustius, sed ad pietatem plane compositum. Videas enim hic cancellos operis rari, & antiqui: columnas de jaspide elaboratas, quæ argumento sunt mausolei majestatem regiæ dignitati parem fuisse.

Moral. l. 12. c. 10.

Hodie exiguum sepulchrum conspicias, pario lapide constructum, absque epitaphio. Ambrosius Morales à Michaele Ruiz de Azagra oblatum sibi librum Gothicum admodum vetustum, ait, in quo tam Regis quam Reginæ sepulchrales inscriptiones deprehenderit. Regis autem se omittere, quod justo longior sit, similis Elegiæ Reginæ exemplar hoc esse:

Si dare pro morte gemmas licuisset, & aurum,
Nulla mala poterant Regum dissolvere vitam.
Sed quia sors una cuncta mortalia quassat,
Nec premium redimit Reges, nec fletus egentes.
Hinc ego te, conjunx, quia vincere fata nequivi.
Funere perfunctam, Sanctis commendo tuendam.
Vt cum flamma vorax veniet comburere terras.
Cœtibus ipsorum merito sociata resurgas.
Et nunc chara mihi jam Reciberga valeto.
Quodque paro fereterum Rex Cindus Suinthus amato.
Iunge deflea; restat & dicere summam.
Qua tenuit vitam, simul & connubia nostra.

Fœdera

Fœdera conjugii septem fere duxit in annis.

Undecies binis ævum, cum mensibus octo.

Non fugit moralem, esse qui optimum Regem Toleti sepultum ferrent, is tamen adduci nõ potuit ut crederet, præsertim cũ ab omni memoria tam illius, quam lectissimæ conjugis Riceberga tumuli in Monasterio S. Romani Ornisgæ intento digito fuerint monstrati.

Cum Cindasvyndus Rex Gothus opibus plurimum valuerit: cum deinde magnos spiritus gesserit, nec non sumptuosæ columnæ adhuc ante ora jaceant, divinare licet hoc S. Romani Asceterium inter maxima alia locum habuisse, nec conditorem Cindasvyndum Dagoberto Francorum Regi Monasterium S. Dionysii id temporis molienti, quicquam concedere voluisse. Melior tamen sors Franciæ fuit, quam non attigere Mauri, qui acinace impiaque face alte sublata, totam Hispaniam cæde ac incendio fædarunt. S. Romani vero Cœnobium cum esset turi positum, præsidio nudum, dejectum à barbaris & combustum fuit, litterarum monumentis in cineres redactis. Quapropter anni, quos modo persequimur, nullas nobis tabulas suggerunt.

Cindasvyndus Ornisgæ non vero Toleti, humatus.

Post cladem à Mauris acceptam etsi religiosissimum Asceterium è cineribus emergere summis viribus contenderit, cassus tamen conatus fuit. Surrexit quidem, at caput tam sublime quam olim tollere haud potuit. Ex archivo Ecclesiæ Oviedanæ litteras eruï, quæ de Monasterio Tunnonensi, ab Alphonso Magno fundato, nec non SS. Martyrum Adriani & Nataliæ honori dicato, agunt feruntque vertentibus annis D. Benedicto ademptum, in Ecclesiam Oviedæ concessisse. Ex his etiam palam fit, eundem Regem sub annum octingentesimum nonagesimum nobilitando & locupletando Tunnonensi Cœnobio, multas ei Ecclesias & Monasteria adjunxisse: inter alia, *Monasterium S. Iuliani in territorio Legionensi, & Monasterium S. Romani de Orniia cum villis & familiis.* Hæ prolatæ litteræ, scilicet ita Regum & Principum mos fert, ut cum Ecclesiam quampiam augere & extollere volunt, alias invadant, & eo bona, tanquam in unum cumulum conjiciant, abolita piorum Fundatorum memoria, ideo solum, ne propriam crumenam imminuant.

Monasterium Tunnonense, ab Alphonso M. conditum.

Honorã Deum de sua substantia.

Postquam igitur Alphonsus III. collatis in Toro & Zamora signis superior fuit & Mauris, erectis denuo prostratis civitatibus, villas & familias seu servitia afflicti Monasterii S. Romani Asceterio S. Adriani Tunnone addixit. Ista cum mecum volverem, ægre equidem tuli, pro regio mausoleo conditum Monasterium demum cessisse Monasterio alteri minori, gaudebam nihilominus, reperisse me de ipsius qualicunque instauratione monumentum ita antiquum. Nam si calculos rite ponas, jam inde octingenti amplius anni fluxere, tuncque adhuc possidebat villas & familias, quas Alphonsus Rex S. Adriano assignavit.

In Monasterio S. Benedicti Vallisoletano, cui hoc Asceterium hodie pro Prioratu est, privilegium exhibent, quo Vrraca Regina, Alphonsi VI. & Constantiæ Reginæ filia, anno millesimo centesimo vicesimo quarto Pelagio Abbati S. Petri ejusque Monachis, ut sibi suisque Deum Opt. propitiarent, terræ tractum, ad S. Romanum pertinentem condonavit, regiaque jurisdictione exemit. Alias quoque litteras Regis Sancti in manibus habent, quibus S. Romano suam libertatem constare voluit. Datæ sunt anno millesimo ducentesimo octogesimo nono ibidẽ multas chartas tam ad S. Benedicti Vallis oleti quam S. Petri de montibus invenias, quæ fidem faciunt idem S. Romani Asceteriũ S. Petro annexum fuisse seculis non paucis: adhæc viris potentibus commendatum, à quibus miserum in modum vexatum est.

Monasterii S. Romani à fortuna variæ subactum.

Quocirca Ferdinandus Rex & Isabella Regina per Alexandrum VI. Pontificem Max. id Congregationi Vallis oletanæ sub annum Christi millesimum quadringentẽsimum nonagesimum sextum adjungi curãrunt. Refert Bulla Alphonsum Episcopum de Osma (seu potius Cuenca) Priorem Commendatarium Cœnobio S. Romani abdicare se atque Innocentio VIII. id cedere voluisse, ut ab eo in Congregationem conditionibus solitis transferretur: & quidem translatum esse *pleno*, ut aiunt, *jure*. Ad summam, id actum fuit, ut locus hic Abbatia esset singularis, nulli alteri subdita. Sed cum ob rerum inopiam vix paucos Monachos alere posset, Monasterium vero S. Benedicti Vallisoleti hospitibus esset frequentissimum: insuper quotidie sexaginta sportulas inde referrent orphani, viduæ, litterarum studiosi, mendicabula Iulius II. à Rege rogatu Regis Catholici & Monachorũ impetrari à se passus est, ut deleto Abbatiæ nomine in Prioratum id verteret Monasterii S. Benedicti Vallisoletani. Factum anno Millesimo quingentesimo tertio. Cæterum ejus fortunam parui refert nescire. Quamvis autẽ multa decora huic Asceterio deperierint, tempus tamen Cindasvyndi Regis Gothi, & sacris Christianis imbuti mausoleum auferre non potuit; nec mihi de Gothis

Ad ulcimã Monasterio vallisoletano promanatissa additum.

this antiquius monstraveris in Hispania conditorium Sisebuti, Recaredi, Athanagildi Regum nec quidē vestigia supersunt.

Caput. V.

Rex Cindasuyndus Moralia Gregorii Magni comparat.

Cindasuyndus Rex librorum helluo.

Annum hunc cum Concilio vii. in Hispania celebrato auspicati sumus, quē cum ejusdem appendice absolvere juvat. Adornaverat Cindasuyndus legationem ad Pontificem Martinum alio quidem tempore, fateor, visum tamen est res ab ipso gestas (vel etiam sub ipso) conjungere. Libris antiquorum Patrum & Doctorum comparandis & curam & æs impendit, magno beneficio Hispaniam affecturus, si postea spargeret per provincias. Gregorius Magnus partem duntaxat S. Leandro miserat Moralium, quæ elucubraverat, ut ex Registro ipsius compertum habes.

D. Greg. l. 4. epist. 46 indict. 13.

Ægre hoc Cindasuyndo ac aliis fecit. Certe Patres in Concilio anxie inter se quæsivisse videntur, quo pacto volumine integro potiri possent. Etsi enim non isto anno, sed primum sexcentesimo quadragesimo nono Oratores ad Pontificem missi sint, id tamen jam tum à Patribus agi cœptum est, quandoquidem Acta Concilii memorant, Regem ab Episcopis inductum ad hujusmodi legationem adornandam.

Orator designatus fuit Tayo Episcopus Saragozanus, vir prudens juxtaq; eruditus. ventum est Romam, caputque legationis (quod, erat Moralia integra D. Gregorii petere) expositum Martino Papæ. Hic negotium suis bibliothecariis dedit, ut quærerent, ac promerent. Discurrunt: summos, medios, imos forulos explorant: operā perdunt, vel quod librorum copia eos confuderit ac fatigarit: vel quod studium indagādi simularint. Tayus spe habendi Incisa per ministrorum industriam, (an oscitantiam?) palmas cœlo intendens, à Deo Max. & libri auctore Gregorio Magno poposcit. Vbi se Numen exorasse sensit, cito gradu ad Pontificem advolans, scire se, exclamavit, gaudio, scire se quo loco liber latitaret. Hinc vestigia pariter in bibliothecam cōvertunt: Episcopus non procul janua ex ingenti librorum numero Moralia producit, Pontifice, & quotquot præsto erant, obstupescentibus.

A Martino PP per legatum Moralia Gregorii M. petit.

A Numine legato offeruntur, ministris Pontificis frustra bibliothecā vertentibus.

Res miraculo visa similis nec enimvero alio trahi debuit. Ergo instant Tayoni, arcanum ederet: vulganda esse Dei opera: non premenda silentio. Tandem subactus precibus, sic infit. Cum in vado me hærere vidissem, Bono Deo sæpe supplex fui, ut opem ferret laboranti. Aliquando S. Petri templo succedens, ante sepulchrum ejus in genua me composui, lachrymisq; uberrime indulsi, majorē in modū orando Ecclesiæ quondam Antistitem obtestandoq;, ut librum in quo vestigādo hactenus opera cōtrita fuisset frustra, obviam mihi offerret. Dum hujusmodi precibus Apostolo immineo, hem, templum omne collucere: Cœlitum longissima series sese infundere: suavissimis modulis aërem mulcere. Attollo subito caput, & specto: spectanti stant comæ, horretq; totum corpus. Tum vero è fulgenti turba duo splendidi senes, cultu candidissimo conspicui, prodierunt, paulatim ad me gradum promoventes. Rogant quis enimvero sim mortaliumq; quid moliar; quæ causa me Romam domo excivisset. Tum se acclinantes, num auxilio indigerem? humanissime percunctati sunt. Ego tanta comitate erectus, verba audacter facio: me nimirum legatione fungi apud Pontificem, venisseque petitum Gregorii Magni Moralia. Hactenus incerta me manu versasse bibliothecam & parum spei superesse reperiundi. Vota proinde S. Petro, summo Ecclesiæ Pastori, me hic nuncupare. Tum alter senum Gregorium se esse fateri; duos illos, qui manibus connexis fulgidum agmen ducerent. SS. Petrum & Paulum esse: sequi Pontifices eodem templo conditos. Denique quibus signis suum librum deprehenderem, attonito significavit.

Index ipse S. Gregorius fuit.

Excepi hæc qnam qui avidissime, majoresq; animos sumens, num etiam S. Augustinus illis beatissimo cœtui adesset, institi, cujus ego lucubrationum æque studiosus essem? *Vir ille clarissimus*, *subjecit senex*, *& omni expectatione gratissimus Augustinus, quem quæris, alius à nobis eum continet locus*. Nam in Africa sepultus est. Intellexi proinde splendidum illud agmen, quod per templum meabat, ex iis tantum constare Divis, qui ibidem humati essent. Hæc Tayo. Papa cæterique prodigii loco, ut paruerat, rem habuera.

Porro typi antiquiores postrema D. Gregorii verba sic exprimunt: *Altior à nobis eum continet locus*. Vnde pro affectibus lis nata, uter alteri foret anteponendus. At solus Deus servorum suorum merita recte expenderit. Deinde Baronius ad annum 649. errorem hunc tota manu demonstrat, atque litura inducit. Percunctanti namque Tayoni an etiam Divus Augustinus in eo se circumferret cœlesti choro,

Baron. an. 649.

S. Gregorius respondere haud potuisset, meritis eum superiorem esse, cum præsto fuerint, Princeps Apostolorum S. Petrus, & vas electionis S. Paulus, quibuscum nemo comparaverit Confessores. Apte vero respondit, dum eum interesse negavit, sufficiens causam, quod alio loco situs foret.

Comparationibus igitur odii ac invidiæ semper plenis, abstinendum ducimus; neque standum verbis, quæ Cardinalis Bellarminus, tum ratio ipsa erroris condemnant. Demum voti compos Episcopus Tayo lætus Hispaniam repetivit, feruntque authographum, quod Romæ attulit, Saragozæ in summo templo etiam hodie servari, nec non inter res sacras censeri.

AN. CHRISTI 647 — AN. S. BENEDICTI. 167.

CAPUT. I.

S. Eugenius II. Archiepiscopus Toletanus.

Tribus Sanctis Eugeniis Ecclesia Toletana gloriatur.

CONcilio VI. Toletano, regnante Chintila habito, itemque septimo, Eugenius Archiepiscopus subscripsit, nec deinceps aliquod ejus monumentum extat, ut sub annum sexcentesimum quadragesimum septimum vivere illum desiisse credant historici. Antiquis duo tantum Eugenii fuere noti, Toletanæ urbis Archiepiscopi. Hunc quo de agimus, primum appellarunt: qui vero mitræ post ipsum successit, secundum, non habita in numerando illius Eugenii ratione, quem Sanctus Dionysius è Gallia in Hispaniam misit, Apostoli munus obiturum; quem tamen nos primo loco habebimus: qui autem Concilio VI. & VII. adfuit, loco secundo: qui post hunc infulam capessivit, tertio.

S. Ildeph. de viris ill. c. 13.

Eugenius II. antea Monachus Agaliensis Monasterii fuit (ita Sanctus Ildephonsus litteris prodidit) habitum religiosum sumpsit puer, uti apud Ordinem Sancti Benedicti id temporis in more positum erat. Magistro usus est S. Helladio: condiscipulo S. Iusto, quorum uterque summam prius præfecturam in Agaliensi Cœnobio gessit, quam in Archiepiscopalem sedem eveheretur. Creatus Archiepiscopus Helladius, cum egregiam juvenis indolem exploratam haberet, rerum magnarum capacem, eum ex Monasterio evocatum sibi adjungens, sacris initiavit, laudandus vel ideo, quod discipulos non minus quatuor, videlicet SS. Iustum, Eugenium II. Eugenium III. Ildephonsum, sic instituerit, ut omnes publico suffragio & applausu in Toletanam sedem fuerint collocati. Eugenius II. Mathematicæ peritissimus fuisse fertur. Vndecim fere annos Ecclesiæ Toletanæ clavum tenuit, Chintila, Tulga, & Chindasuyndo, Gothis, regnantibus. Nunc Dagoberti Magni funus prosequamur, grata memoria ejus in nos beneficia exequentes.

CAPUT II.

Dagoberti Magni suprema dies.

Diem supremum obit Dagobertus.

NObile nobis nunc funus ducendum est: fato concessit Dagobertus Magnus. De anno, non una omnibus opinio est. Aliqui sexdecim annis eum regnasse affirmant, biennium Francico imperio adnumerantesquo is voluntate Clotarii patris sui jus in Austrasia dixit. Aliter Aimoinum clarissimum authorem de errore postulare debebimus, qui cum Dagobertum decimoquinto regni sui anno Vascones majestatis reos Clypiacum ad Sanctum Dionysium confugisse cap. XXXI. memorat, mox cap. XXXIV. subjungit Dagobertum post annorum quatuordecim imperium XIV. Kal. Februarii vita excessisse. *Eandem diei seriem*, inquit Iodocus Coccius *numeris annorum nonnihil vitiatis, in pervetusta Ecclesiæ VVeissenburgensis membrana comperi: numero tamen & diligentia potiores historici anno regni quartodecimo expleto vita decessisse affirmant, qui cum anno post Christum natum D. C. XLVI. aptissime concordat, si quidem illum à Kalend. Ian. vulgato more auspicemur.*

Aimoin. l. 4. rerum Franc. c. 31. 34.

Iodoc. Coccius in Dagoberto, c. 26.

Alii anno sexcentesimo tricesimo primo regni habenas eum capessivisse, asserunt, tenuisseque annis sexdecim: posuisse vero anno sexcentesimo quadragesimo septimo. Sed omisso fune contentioso, modico inter se spatio distantes sententiæ componi possunt, si annum sexcentesimum trigesimum primum, vel totum, vel ejus partem in sceptrum ipsius conferamus.

Dagobertus fato imminente comitia indixit.

Cum igitur à pallida morte palatium suum fatali pede pulsari sentiret, Æganem singulari prudentia virum, similque proceres & Pontifices, Bigarium ad comitia excivit. Postquam frequen-

Baron. l. 8. Meyer. l. 1. annal. Fland.

Hist. Franc. ad Greg. l. 11. c. 79. Vancler. Melan. addit. ad Ysuardum. Herman. Contract. in Chron.

tes adfuerunt, orationem ab instantis fati acerbitate exorsus, id agere se dixit, ne quid detrimenti regnum, se vita defuncto, caperet. Qua de causa Clodoveum filium se Francorum Regem dicere, uti antea Sigebertum Australiæ totius Regem auctorasset. Commendare utrumque Ægeno, cujus fidem jam dudum expertus fuisset. Tum filios ad novum juramentum adegit, tabulis testamenti staturos, neque latum unguem inde discessuros. Mox Clodoveus veste auro rigente induitur: in Solium eburneum procerum studio sublime tollitur: lætissimis vocibus Rex Neustriæ, seu Franciæ Occidentalis salutatur. Pater actis proceribus gratiis in filium conversus, Deum Opt. Max. amare eum & vereri iussit; itemque propinquis pietatem, Sacerdotibus honorem, Ecclesiis tutelam, Cœnobiis auxilia, pauperibus misericordiam, subditis justitiam impendere: Clodoveus dicto se audientem fore, respondit. His ad hunc modum confectis, Dagobertus regia insignia, quasi sub diademate emeruisset, posuit.

Clodoveum F. Galliæ Regem jussit.

Languidum ac viribus defectum villa (Spinogilo nomen erat) excepit, ubi dysenteria (lethale malum!) regium corpus subivit, afflixitque. Postquam æger intellexit brevi è hominum numero se movendum, negotium ministris dedit in D. Dionysii templum se vectarent. Potitus voto, multis precibus veterem patronum fatigavit, faceret apud Bonum Deum, ut migratio sibi feliciter eveniret. Inde per aliquod temporis spatium pœnitentiæ, quæque ex ritu Christiano sunt, sacris operam dedit, donec religione, pietate, justitia insignis, morbo diutius ferendo impar, mortuus est. Germania Carolum Magnum, & Henricum Sanctum divinas laudes cum Sacerdotibus canere audivit: Gallia Dagobertum, qui forsan illos exemplo induxit, ut nemo omnium dubitarit statim à morte, Beatorum choro insertum.

Dysenteria extinctus est.

Animâ è corpore elapsâ, quod supererat in S. Dionysii templo, id ætatis communi Regum Mausoleo, sepultum fuit. Epitaphii loco hæc ab Aimoino accipe: *Fuit admodum cautus, ingenio astutus, circa benevolos & sibi fideles mansuetus: rebellibus autem & perfidis valde terribilis: exercitiis corporis, maxime venationi, deditus, atque in omni agilitate corporea strenuus. peritia quoque atque virtute in bello prævalidus.* Paulo majora addidit. Vrspergensis nimirum, *Fuisse fortissimum & Francorum nutritium, in judiciis Ecclesiasticis severissimum, largitorem eleemosynarum præcipuum, pacem in regno suo statuentem, & timorem gentibus in circuitu injicientem, ipsumque velut Salomonem pacificum regnum obtinuisse* quietum cujus vitam & *mores utinam*, inquit, *nostræ tempestatis Reges ac Principes saltem in parte imitarentur*. Nunc rem admiratione plenam ex Aimoino, gravissimo scriptore afferam, unde discas Dei judicia esse horrenda, semperque timendum donec Cœlitibus immiscearis.

Aimoin. l. 4. de gest. Franc. c. 3.

Et conditus in templo S. Dionysii.

Aimoin. l. 4. c. 14. Baron. t. 8. Sigeb. in Chron.

Ansoaldus domi nobilis & opibus præpollens, quem Aimoinus Ecclesiæ Pictaviensis Defensorem vocat, iter in Siciliam instituerat: Explicatis ibidem negotiis in navim se conjecit, qua postmodum ad Peninsulam quandam appulsa, in littus se eduxit, attollensque oculos humile tugurium eminus conspexit, progressusque Iohannem aliquem, candidissimam animam, in eo deprehendit. Igitur ad rem pertinere arbitratus cum viro Dei divinum colloquium inire, cui cum prolixe ultro citroque indulsissent, rogatur Ansoaldus, ecquid Dagobertum Francorum Regem novisset! Quidem! subjecit: ego enimvero pernovi. Inde quasi partium suarum esse crederet plurima de eo commemorare telam rerum ab ipso gestarum contexuit, quas crebro cervicis flexu acutissimis auribus hausit anachoreta. Vbi Ansoaldus dicendi finem fecit, Iohannes alto gemitu suspirium edito: superioribus diebus, excepit, cũ exesum lõgo ævo mediaq; ut vides, corpusculũ quieti capiendæ hac sub casa obiter composuissem, ecce tibi senex quispiam specie humana luculentiore se mihi admovens, heus tu, dixit, age, expergiscere.

Ejus anima exagitata à dæmonibus.

Dagobertus Rex animam egit, quæ nunc misere laborat, ac poscit opem, votis adeundum tibi Numen est, ne plus supplicii sumat. Ego raptim me evoluens labantia genua humi fixi, Regisque accensus amore calidissimas preces pro salute periclitantis fudi. Dum sic aliquamdiu cœlum, quod nocte cæca non videbam, pulsavi, heu! ingens imprimis fremitus accidere ad aures: cieri quoque identidem à diabolis nomen Dagoberti: mihi animus cadere; non tamen me tenui, quin huc illuc verterem vultus. O Sancti superi! cacodæmones in conspectum venerunt, nec fando assequi possum quam fœda funestaque ora gesserint.

Quid ergo fuit! Dagobertum, Dagobertum, inquam, in vincula stygia conjectum corripientes, modo sublime sustulerunt antrorsum & retrorsum infelicem, raptantes, & jactitantes: modo in profundũ

barathrum

barathrum, nequicquam opem implorantem, præcipitarunt, ut neque humeri, neque cervix neq; summus vertex, vel modicum saltem, extarint: nec promptum est dicere quot flagris ab ijsdem sit proscissus, admissus culpas assiduo exprobrantibus. Ad ultimum horrisono ululatu incertam sui animam simul invadunt, densatoque globo ad Tartara detrahere viribus sociatis conituntur.

Dum tales unguibus adactis iras exercent infestissimi hostes, Dagobertus tanta in trepidatione conatus loqui verius, quam verba expedire, pacem Numinis (eheu!) flebili eiulatu exposcens, per quicquid sacrum est, ut mitius in se statuere velit, obsecravit. Deinde ut verba pondus haberent, etiam patronorum fidem appellavit, beneficiis in clientelam ante id collatis, tandem ultimam manum imponerent. Dum prolixe ingeminat, ac has & hujusmodi voces renovat, hem, subito panditur cœlum: revelantur astra: Dionysius, Mauritius, Martinus, magna inter Divos nomina, delabuntur: infernales larvæ non modo vim nullam amplius inferunt, sed ora sua fœde lacerantes illico receptui canunt, pessime perituræ ni absque mora terga dedissent.

SS. Dionysius Mauritius, & Martinus suppetias tulerunt.

Stygia cohorte hoc pacto in fugam versa, sanctissimi patroni tremulam animam tristi in arena adhuc solicite errantem, mediam accipientes, paulatim cœlo intulerunt ovanti accinentes: *Beatus quem elegisti, & assumpsisti, Domine: habitabit in atriis tuis.*

Tandemq; cœlo intulerunt.

Psalm. 64.

Hic hæretici in cachinnos soluti, Monachos somnia narrare clamitant, negantque lac lacti similius esse, quam historiam istam fabulæ, compositam ad captandam gratiam Principum, & emungenda eorum æraria. Dagobertum Christianum fuisse: cætera lascivum: ivisse quo vocasset turpis voluptas: à venere totum pependisse: verbo, *amasse*. Quin etiam multis templis manus admolitum, ut eorum spoliis unam Dionysii ædem exornaret. At navigaverit aliquamdiu suis ventis Dagobertus juvenis, reliquo tamen tempore ita insigniter probus ac pius fuit, ut omnes historicos egregiis factis fatigarit. Omitto in extrema linea stantem, confessione peccatorum præteritos annos expiasse: cum clementissimo Deo in gratiam rediisse.

Invadunt hanc historiam hæretici, ut evadant Purgatorium.

Adhæc cum Ansoaldus audita ad Sanctum Audoenum, Archiepiscopum Rothomagensem retulisset, vir gravissimus juxtaque perspicacissimus protinus litteris atque memoriæ prodidit: eamque narrationem avorum memoria fide dignam, imo pro certa habitam, testis sit Ludovicus Pius, Caroli Magni F. cujus verba ex epistola ad Hilduinum Monasterii Sancti Dionysii Antistitem datam, tibi recito: Prædecessores nostri gloriam hujus eximii & amici Dei Dionysii non inaniter coluerunt: qui dum ejus sacras exuvias in terris ob amorem & honorem Domini Nostri Iesu Christi opibus, quibus poterant, honoraverint, per ejus preces dignissimas honoris privilegio potiri & in terrenis, & in cœlestibus meruerunt, ut videlicet unus è priscis Francorum Regibus Dagobertus, qui eundem pretiosissimum Christi Martyrem veneratus non mediocriter fuerat, & in mortali est vita sublimatus, & per ejus adjutorium (sicut divina & cœlestis ostensio perhibet) à pœnis est liberatus. Hæc Ludovicus. Fuerit igitur Dagobertus juvenilibus annis notatus à libidine, lachrymis tamen præclarisque facinoribus turpes postea nævos notasque delevit.

Robert. Gaguin. in Dagoberto.

Quod multa ornamenta in templum S. Dionysii contulerit, fraudi ipsi esse non debet, quamvis nonnihil aliunde ablatum. Hoc enim quicquid damni fuit, resarsit Rex conditis quamplurimis Cœnobiis & sacris ædibus. Ditare quoque & excolere sacras ædes perplacere Deo, Aimoinus inde confirmat, quod Balthasar Rex, qui sacra vasa templo Domini subducta in usum profanum vertit, & Heliodorus, qui sacrum ærarium exhausit: denique Antiochus, qui omni cultu Hierosolymam exuit, rebulque Numini dicatis impias manus injecit, gravissimas pœnas dederint. Quod si igitur nō impune ferunt, qui templis ornamenta detrahunt, facile intelligis præmio affici eos, qui vario cultu illa in splendorem dant.

Daniel. c. 5. Ma. hab. 2. c. 3. Machab. 1. c. 1.

Hominum Studio ornandi templa, capitur Deus.

Ita singularis in Deum Divosque liberalitas Dagoberto, in salutis æternæ discrimen abducto, plurimum profuit. Saltem piaculares flammæ aliquamdiu misero tolerandæ fuissent, nisi Cœlites, quorum templa curæ quondam habuerat, suppetias tulissent. Iusto autem Dei judicio post mortem per breve tempus à dæmonibus exagitandus fuit, quod animæ adhuc in vita non satis elutæ, adhuc aliquid maculårum adhæsisset. Hæretici (quibus post mortem res parta est, scilicet) inter fabulas numerant historias, quæcunque Purgatorium olent, id quod etiam Cardinalem Baronium advertit.

Hæretici dum vitant fumum, incidunt in ignem.

Baron. 647.

Sed quid omnino verbum facere amplius est opus, cum ipse Dagobertus Privilegio VVeissenburgensi Monasterio con-

Append. Script. 4.

Multis verbis Cœnobiarcham D. Antonium de Alvarade fatigavi, harum ut mihi copiam faceret, eas publico bono emissurus in lucem. Quocirca Regulam S. Fructuosi dearctuare hic, vel in frusta carpere nolim: tibi tamen parumper ostendam, ut saltem per transennam videas, quā rigidam, quam ærumnosam vitam Monachi in Complutensi & S. Petri de Montibus Monasteriis toleraverint.

Si legas, non Regulam novam, sed commentarios in antiquam S. Benedicti Regulam compositos censeas. Quid crebro ipsa hujus Patriarchæ verba recitant? aliquoties eum *Patrem Regulæ* nuncupant: nonnunquam, *Regulam communem* Lectorem adire jubent. Cum enim in hisce montibus, nec non Monasteriis à S. Fructuoso extructis, præter Cœnobitas etiam colerent Eremitæ atque Reclusi, Regulæ communi alias adjecit Divus, quas in tredecim Capita digessit. Compendium afferre animus est, ne te fugiat quam vivendi rationem Monachi istius sæculi tenuerint.

Clerici quodam & sæculares ædibus suis Cœnobii nomē indiderunt, quæstus gratia. Duo priora Capita jam supra ad annum CXLVI. retuli, cum exponerem Concilium Leridæ habitum. Clerici enim & Sæculares habitationibus suis Monasterii nomen indidere, adhibita quadam larva sub qua laterent, ut Monachorum privilegiis gaudere possent, tributis & vectigalibus fortunas suas subducendo. Hi tales non offibus, sed carnibus inhiabant: non ut agerent pœnitentiam, quod verorum Monachorum opus est, sed ut honores sibi ac opes pararent, Monachis se admiscebant, quos proinde Concilium in semine oppressit.

Regulæ S. Fructuosi Cap. 3. Capite tertio, S. Fructuosus qua ratione ineunda sint suffragia, sancit, dum legitur Abbas, statuitq; Monachos novitios, obediendo nondum bene subactos, à fascibus arcendos. Item Abbatibus sæcularium inutili commercio interdicit: quod si iis cum ipsis intercedat, eo quod rem Monasterii accidere conetur, causidicum sibi ut subrogent, qui illam persequatur, jubet.

Cap. 4. Capite quarto cavet ne tantum nobiles vel divites ad Religionem admittantur, sed sine discrimine omnes boni, etiam mancipia, modo litteris exhibitis fidem faciant libertate se donata esse. Addit vero non facile adventantibus annuendum ingressum (id S. Reg. c. 58. quod etiam S. P. N. Benedictus monuit.) Sed in primo limine triduum & trinoctium detinendos, quid responsi accepturi sint, suspensos. Verbis quoq; durioribus eos vult accipi, ut patientiæ ac submissionis specimen edant: deinde diligenter excuti, an omnibus fortunis se exuerint: alicubi rem deposuerint: parentibus aut liberis cesserint. Quod si in pauperes omnia effudissent, in cœtum locumque postremum recipi mandat.

Cap. 5. Capite quinto obediendi rationem tradit, urgendo suos discipulos, ut quamproxime ad Christum accedant, *qui venit in mundum non ut faceret voluntatem suam, sed patris sui*. Subjicit deinde aliquot gradus humilitatis, à Regula S. Benedicti petitos, imperando ne quisquam quicq̃ ex proprio arbitrio conficiat: neve loquantur, nisi rogati; omnes cogitationes cordi incidentes Abbati suo prodant: murmurationibus abstineant, quod serio inculcat. Apparet insuper non modo cujusvis ordinis, sortis, ac ætatis homines, sed etiam utriusque sexus à S. Fructuoso admissos, Monasteriis & tectis distinctis. Cum enim totam Hispaniam impulisset, ut spongiam vitæ priori impingeret, animum iogentem sumere oportebat ad amplectendum omnes quotquot eum habitu mores mutare cupiebant, nulla ratione ducta patres, matres, liberi, filii, filiæ, vel servi essent. Non raro profecto integræ familiæ se intulere Monasteriis, solis infantibus relictis & exclusis. S. Fructuosus omni ætati ac ordini, Christo nomina dantis, consultum ivit.

Cæterum, *admodum pueris*, inquit, *visere parentes liceat cum voluerint, ne his conquerendi ansa præbeatur*. Hinc ad œconomum deflectit, cujus est parvulis prospicere: sed cape verba è Regula Sancti Benedicti hausta: *Excusetur a coquinæ officio: & si major fuerit Congregatio, junior ei detur.* S. Reg. c. 35.

Cap. 6. Caput sextum infirmorum præfecto leges sancit, nec non Priori, ad quem hæc cura quoque pertinet. Ægrotos vero identidem hortatur, ut ne plura reposcant, quam Monasterium suppeditare queat; nec adeo se præcipites agi sinant, ut delicias ex urbibus afferri sibi petant.

Cap. 7. Caput septimum, quid cum senibus ad hoc vitæ genus adspirantibus agendum, edocet. Nam S. Fructuosus neminem, etiam ad annum sexagesimū provectum, rejicere solebat. Ne tamen aliquis natu grandior irreperet, quietis tantum captandæ studio, hanc legem rogavit.

Inde cum tali cautione in Cœnobium introducantur, ut diu noctuq; nō fabulis evagentur, sed singultu & lacrymis, & cilicio & cinere versentur, ad retroacta peccata cum gemitu cordis pœniteant, & pœnitenda non ultra committant, & quantum habuerunt pravæ suæ mentis intentionem, in duplo habeant in lamentando plenam devotionem, quia qui per septuaginta, & eo amplius Nisi quod otia sectantes rejecerit.

plius annos abrupte peccaverunt, congruum est arcta pœnitentia coarctentur, quia & medicus tanto profundius vulnera abscindit, quanto putridiores carnes videt. Tales ergo per pœnitentiam veram corripiantur: & si noluerint, excommunicatione continua emendentur. Quod si septies admoniti ab hoc vitio non fuerint emendati, deducantur in Conventum malorum, & ibidem denuo discutiantur. Si divinare licet, *Conventus malorum* carcer erat, descriptus à Iohanne Climaco, ubi pœnæ creditu difficiles persolvebantur, quas si solum audias, inhorreas. Clim. 5.

Cap. 8. Cum Sancti Patres isti non haberent reditus, montes autem Viercenses pecori pascendo habiles essent, Fructuosus tam gregi quam pastoribus Monachum præfici statuit, plenum charitate, industrium, sedulum, quique intelligat rē Monasterii sua in manu esse sitam, sibique premium si recte officium faciat, à Deo expediendum. Quippe ab ipsius cura dependere puerulos, senes, valetudine affectos quibus solis vesci carnibus fas erat. Insuper captivos, pecore in libertatem asserendo: alendos hospites & peregrinos: stipem pro pauperibus conficiendam: redactis ad incitas, vel alia calamitate oppressis, subveniendum. Cum igitur tantarum rerum cardo versaretur in servando grege, gravissimis verbis hujusmodi præfectis instat, ut officio bene fungantur, adductis ante oculos antiquis Patriarchis, qui pecoris magistri cum essent, vitam suam Numini mirifice probarunt.

Cap. 9. Caput nonum, quæ partes Abbatis sint, exponit. Nimirum dare operam ut divina officia examussim peragantur: deinde quot mensibus alios Abbates per montes dissipatos convenire. At verba tibi habe ipsius Fructuosi: *Secundo, ut per capita mensium Abbates de uno confinio, uno copulentur loco, & mensuales litanias strenue celebrent, & propter animas subditas auxilium Domini implorent, quia de ipsis in tremendo judicio cum grandi discussione debent Domino reddere rationem. Tertio, qualiter quotidie vivere debeant, sibi disponant, & tanquam à Sayonibus comprehensi, ad cellas revertantur supra citati. Quarto, retroacta SS. Patrum per scripturas sciscitantes revolvant, ut ab ipsis quid facere debeant agnoscant. Quinto, ut cum fratribus advenientibus, hospitibus & peregrinis, in unam mensam communiter vivant, quia de ipsis Dominus ait, hospes fui, & suscepistis me.*

Porro, Sayon, quo vocabulo S. Fructuosus proxime usus est, à Gothis usque ducitur, quibus ministrorum justitiæ duplex genus fuit: illud Merinos, hoc Sayones nominabant. Hi causis criminalibus, illi civilibus præerant. Itaque Sayones in carceres immittebant reos ubi admissa scelera fuerent. Hinc S. Fructuosus statis precibus absolutis, Abbates in suas cellas reverti, nec secus quam à truculentis lictoribus eo conjectos, persistere jubet. Magnæ pœnitentiæ vestigia hæc sunt, quam miscebant lectione SS. Patrum, ut viderent qua sibi eundum esset. Neque ita inclusit Abbates quin ad hospites prodeundi, tum etiam cum ipsis cibum sumendi faceret potestatem, exemplo nimirum S. Benedicti. Pecoris vero præfecturam homini industrio committi jussit, ut hospites tanto liberalius accipi, captivi quoque & egeni inde juvari possent. S. Reg. c. 56.

Cap. 10. Porro ne intempestiva bonorum cura Abbatem à lectione vel oratione avocaret, Præpositus seu Prior eorum rationem habere cum œconomo Capite 10. jubetur, ita tamen ut inconsulto Abbate nihil audeat, quod etiam D. Benedictus præcepit, ad rem sic attētum esse vult, ut miseri nexi vinculis, ali, nec non in libertatem lytro præsenti vindicari possint. Ne vero se rerum dominum putet, dati & accepti rationem quot mensibus Abbati reddere compellitur. S. Reg. 65.

Cap. 11. Vndecimum Caput sancit, ut Monachi non tantum Abbati & Priori dicto fiot audientes, sed etiam Decanis morem gerant; hos ament tanquam Patres, timeant tanquam Dominos; illi vero Priori opem ferant: Congregationis onus gnaviter excipiant: de culpis minutis aut pœnis ad Abbates non referant.

Cap. 12. Caput duodecimum postquam Monachos edocuit qui se erga Decanos haberent, quid his vicissim agendum, ut officio suo rite fungantur, edicit. Inde bene longum syllabum recitat peccatorum, quibus se affines facere possunt Monachi, si conniveant Decani. Denique addit, *ut cuncti fratres à maximo ad minimum diebus Dominicis in Monasterio hoc in loco congregentur, ita ut ante missarum solennia solicite ab Abbate percunctentur, ne fortasse aliquis adversus alium odio livoris stimuletur, aut malitiæ jaculo vulneretur, ne intestinum virus quandoque aperte in superficiem cutis prorumpat.* Hinc cognosce Monachos per montes illos sparsos, in Decanias fuisse distinctos: Dominicis vero diebus in Monasterium præcipuum confluxisse, & ab Archimandrita diligenter excussos, ut si inimicitias invicē suscepissent, prius in gratiam redirent, quam divinam mensam frequen-

in Cœnobio S. Iacobi de Pennalva, eodem quo S. Gennadius facello insigni mausoleo conditus est. His accedit Alphonsus Perez Eremita, quem Sandeval Episcopus Tuiensis ligneæ tumbæ impositum, io speluncis, quibus Silentium dedit nomen, abstrusum fuisse narrat, addita membrana, quadraginta eum annos in vicinis montibus conrivisse, suggerente, carnibusque semper abstinuisse. Petronatum quoque, Stephanum Abbatem, Viliam, aliosque quam plurimos io censum mittit auctor nuper adductus, quos sigillatim describere non est otium.

Alphonsus Perez.

Petronatus:

Stephanus Abbas Vilias.

Fuit insuper S. Petri ædes de Montibus multarum fortunarum, & privilegiorum, faventibus illi tam Regibus quam Pontificibus. Multas ego hoc genus tabulas tam ibi, quam Salmanticæ in S. Vincentii Monasterio evolui, quas non appono, quod in severa disciplina incolarumque innocentia explicanda longus fuerim. Divitiis anim cur scribendo inhiem, quæ ad Sanctos mores comparatæ tardent? Quocirca in Appendicem, tanquam in angulum reiicio. Ordonius II. Rex amplissimum tractum consignavit Monasterio, quem montes, valles, prædia occupant. Adhæc argento factum calicem cum patena: capsam de eodem metallo, sed auro illitam, gemmis obsitam: crucem argenteam pariterque in auratam, nec non lapillis pretiosis micantem: coronam argenteam: sacras vestes: libros Ecclesiasticos, ut appareat addictissimum huic Monasterio, cum Elvira Regina isisse. Quanti etiam penderent, S. P. N. Benedictum, hisce verbis expresserunt: *Omnem doctrinam deificam constitutam in Regula Beati Benedicti, quam eis observandam tradidimus, cum cunctis sibi subjectis Monachis retinendam injungimus.* Ferdinandus quoque & Alphonsus Reges Legionis usu & consuetudine, quæ ipsis cum Monachis S. Petri de Montibus intercessit, in eorundem candidissima pectora penetrantes mirifice capti sunt, ideoque multis donis Monasterium obruerunt, quod ex scriptura XVI. Appendicis discere licet.

Script. 18. 19. 20.

Ordonius Rex variis donis cumulat Monasterium.

Summi Pontifices multis privilegiis eundem locum ornarunt. In meas manus Bulla Honorii IV. anno millesimo ducentesimo octuagesimo sexto: & Innocentii III. millesimo ducentesimo primo anno datæ, inciderunt, quibus Monasterium Sedi Apostolicæ subjectum fertur, & eligendi Abbatis jus habere. Postea ejus prædia ac Monasteria subdita curiose recensentur, quæ inter etiam Asceterium S. Romani de Ornisga ponitur, à Cindasvyndo Rege ædificatum, mausoleum sibi struente. Quamvis autem & Sanctissimâ disciplinâ, & defensuris opibus munitum fuerit, perrupere tamen Abbates sæculares Commendatarii. Id quoque Monachi nostri quidam Ordinis, ac aliarum familiarum, probante Roma, in suam potestatem redegerunt, veluti F. Iohannes de la Serna Prior S. Vincentii Salmanticæ, professus ad S. Zoilum Carrione, Cluniacensi Monasterio subjectus. Hinc natus quorundam error est, S. Vincentii Cœnobium aliquando S. Petro de Montibus annexum fuisse, eum à Cluniaco longa annorum serie pependerit, donec Congregationi S. Benedicti Vallis oletaria accessit. Facilis profecto lapsus fuit, nam prior S. Vincentii sibi etiam titulum Abbatis S. Petri de Montibus vindicârat.

Monasterium S. Romani Ornisgæ, Cindasvyndi Regis mausoleum

Fœda per id tempus procella jactabantur S. Benedicti Monasteria, ad quæ oculos adiiciebant quoscunque amor sceleratus habendi stimulabat. Conflatis namque mendaciis, quibus Monachos onerabant, confusisque dolis, oppido multis potiebantur: Bullas Pontificias, per quas legere Abbates Monachis licebat, improbe rescindebant.

Quæ nocet, docent, ac sæpe prosunt.

Quocirca cum hi viderent vel eladem summa virtute avertendam, vel sibi penitus percundum esse (nam per partes venitur ad totum) consilium de Congregatione instituenda ceperunt, ut si deinceps egregii hujusmodi Abbates Commendatarii aliquid moverent, ac Monasteriis struerêt insidias, nulla pientissimorum Fundatorum habita ratione, consociatis viribus tantæ insaniæ obviam iretur. Nomen quoque dedit Petrus de Najara, Abbas S. Petri de Montibus, Iulio II. id permittente. Prudentiam viri ac eruditionem non deprædico, nisi quod Congregatio ipsi detulerit fasces. Cæterum Ferdinandus Rex adeo consilium hoc Monachorum probavit, ut magnum ipse quoque ad Congregationem erigendam attulerit momentum. Animus erat subiicere hic catalogum Abbatum istius Cœnobii, cui cum SS. Fructuosus, Valerius, Gennadius, Vincentius, Vrbanus præfuerint, nullus dubito sequutos alios, quorum nomina & facta edi oporteret, sed cum monumenta petenti nihil datum fuerit, alio signa converto.

An. 1506.

Ferdinandus Rex ad instituendā Congregationem egregiam seque dignam operam navavit.

Caput. IV.

Monasterium S. Romani Ornisgæ.

Cindasvyndus Rex S. Fructuoso in ædificandis Monasteriis præclaram operam

ram impendit. Eorum origo, quorum mentionem fecimus, liquido constat; hujus autem initia, non æque comperta habemus; solis proinde conjecturis nobis ad veritatem grassandum est, quibus adducimur ut plane credam⁹ primos istius loci incolas S. Fructuosi discipulos fuisse. Cùm enim Cindasvyndus S. Fructuosi fama percitus, ad Cœnobia condenda singulari studio incubuerit, hîc loci vero fato defunctus deponi, atque psallentibus Monachis jungi statuerit, ægre à vero abberraverimus, si ejusdem Sancti alumnos, ore omnium celebratos, ab eo accersitos fuisse, dixerimus. Accedit S. Romani Asceterium multis retroactis annis Prioratum fuisse, Monasterio S. Petri de Montib⁹, à S. Fructuoso fundato, subjectum. Fidem faciunt Bulla Honorii IV. atque altera Innocentii III. nec non litteræ Ferdinandi, quas nos ad D. Petri de Montibus in hæc verba legimus. *Sciatis quod ego in meam fidem, tutelam, & defensionem Monasterium S. Petri de Montibus recipio cum hæreditatibus & omnibus ejus rebus, veluti S. Romanum de Ornisga.* Hæc proinde conjunctio cum à nostra ætate sit remotissima, quis non inducat animum ad primam originem referendam, adeoque S. Fructuosum utriusque Cœnobii auctorem fuisse?

Monasteriū Ornisgæ S. Romano Monacho dedicatum.

Porro istud S. Romani religiosum domicilium secundo lapide distat Toro, nobili urbe (veteres Sarabim dixere) proxime rivum Ornisgam, qui Asceterio nomen fecit, hodieque Ornija nominatur, S. Romano Ordinis D. Benedicti Monacho (non Romano Martyri Antiocheno) dedicatum fuit. Nam aræ antiquissimæ sacelli Eremitorium quondam fuisse ferunt; Cindasvyndum adjunxisse Ecclesiam, qua conderetur) incumbit lapis, hisce verbis incisus: *Hic sunt Reliquiæ numero Sanctorum, S. Romani Monachi, S. Martini Episcopi, S. Marinæ Virginis, S. Petri Apostoli, S. Iohannis Baptistæ, S. Asciscli, & aliorum numero Sanctorum.* Difficilis lectu scriptura est; quocirca cum S. Romano absque intervallo, S. Martinus succedat, fuit qui me quoque præsente Romanum Martyrem submurmuraret. Hinc nonnulli etiam aliis in errorem acti.

Familia D. Benedicti duos Romanos numerat.

Familia S. Benedicti duos numerat Romanos, utrumque Monachum. Vnum S. Lupicini socium, qui Lugdunum in Gallia illustravit, cujus memoria annuo cultu ad v. Cal. Februarii repetitur. Alter Sanctissimo Patri nostro, Romæ elapso, cultum Monasticum circumposuit: postea in Galliam profectus, Fontem Rogum, eximium Monasterium, ædificavit. Vicesimus secundus Maij dies ipsi festus est Vtrius reliquiæ altari inclusæ sint, non ita promptum eum expedire. At at, hîc intercedit Paradisi Carmelitici decoris auctor, qui S. Romanum, optimi maximi Patris nostri Benedicti altorem, Carmelitam facit: ego vero hîc non insisto: nam virum male cardinem vertere, alibi demonstravimus.

S. Ildeph. de viris illust.

S. Idelphonsus antiquam Ecclesiæ fabricam describens, Cindasvyndum sepulchro quadrato, amploq; ibi conditum esse, refert. Hodie magna vestigia primorum ædificiorum supersunt, unde quanta fuerint, conjectare licet. Multæ adhuc variorum marmorum columnæ solum occupant, qua templum in crucem distinxerat architectus: ibidem sepultum fuisse Regem ajunt. Atqui cum labentibus annis dejecta fuisset fabrica ut surgeret augustior, Regi quidem sacellum obtigit priore angustius, sed ad pietatem plane compositum. Videas enim hic cancellos operis rari, & antiqui: columnas de jaspide elaboratas, quæ argumento sunt mausolei majestatem regiæ dignitati parem fuisse.

Moral. l. 12. c. 18.

Hodie exiguum sepulchrum conspicias, pario lapide constructum, absque epitaphio. Ambrosius Morales à Michaële Ruiz de Azagra oblatum sibi librum Gothicum admodum vetustum, ait, in quo tam Regis quam Reginæ sepulchrales inscriptiones deprehenderit. Regis autem se omittere, quod justo longior sit, similis Elegiæ Reginæ exemplar hoc esse:

Si dare pro morte gemmas licuisset, & aurum,
Nulla mala poterant Regum dissolvere vitam.
Sed quia sors una cuncta mortalia quassat,
Nec premium redimit Reges, nec fletus egentes.
Hinc ego te, conjunx, quia vincere fata nequivi.
Funere perfunctam, Sanctis commendo tuendam.
Vt cum flamma vorax veniet comburere terras.
Cœtibus ipsorum merito sociata resurgas.
Et nunc chara mihi jam Reciberga valeto.
Quodque paro feretrum Rex Cindus Suinthus amato.
Iunge deflea; restat & dicere summam.
Qua tenuit vitam, simul & connubia nostra.

Fœdera

Fœdera conjugii septem fere duxit in annis.

Vndecies binis ævum, cum mensibus octo.

Non fugit moralem, esse qui optimum Regem Toleti sepultum ferrent, is tamen adduci nõ potuit ut crederet, præsertim cũ ab omni memoria tam illius, quam lectissimæ conjugis Ricebergæ tumuli in Monasterio S. Romani Ornisgæ intento digito fuerint monstrati.

Cindasvyndus Ornisgæ non vero Toleti, humatus.

Cum Cindasvyndus Rex Gothus opibus plurimum valuerit: cum deinde magnos spiritus gesserit, nec non sumptuosæ columnæ adhuc ante ora jaceant, divinare licet hoc S. Romani Asceterium inter maxima alia locum habuisse, nec conditorem Cindasvyndum Dagoberto Francorum Regi Monasterium S. Dionysii id temporis molienti, quicquam concedere voluisse. Melior tamen sors Franciæ fuit, quam non attigere Mauri, qui acinace impiaque face alte sublata, totam Hispaniam cæde ac incendio fœdarunt. S. Romani vero Cœnobium cum esset tuti positum, præsidio nudum, dejectum à barbaris & combustum fuit, litterarum monumentis in cineres redactis. Quapropter anni, quos modo persequimur, nullas nobis tabulas suggerunt.

Post cladem à Mauris acceptam etsi religiosissimum Asceterium è cineribus emergere summis viribus contenderit, cassus tamen conatus fuit. Surrexit quidem, at caput tam sublime quam olim tollere haud potuit. Ex archivo Ecclesiæ Oviedanæ litteras erui, quæ de Monasterio Tunnonensi, ab Alphonso Magno fundato, nec non SS. Martyrum Adriani & Nataliæ honori dicato, agunt feruntque vertentibus annis D. Benedicto ademptum, in Ecclesiam Ovieda concessisse. Ex his etiam palam fit, eundem Regem sub annum octingentesimum nonagesimum nobilitando & locupletando Tunnonensi Cœnobio, multas ei Ecclesias & Monasteria adjunxisse: inter alia, *Monasterium S. Iuliani in territorio Legionensi, & Monasterium S. Romani de Orniia cum villis & familiis.* Hæ prolatæ litteræ, scilicet ita Regum & Principum mos fert, ut cum Ecclesiam quampiam augere & extollere volunt, alias invadant, & eo bona, tanquam in unum cumulum coniiciant, abolita piorum Fundatorum memoria, ideo solum, ne propriam crumenam imminuant.

Monasteriũ Tunnonẽse, ab Alphonso M. conditum.

Honora Deum de tua substantia.

Postquam igitur Alphonsus III. collatis in Toro & Zamora signis superior fuit & Mauris, erectis denuo prostratis civitatibus, villas & familias seu servitia afflicti Monasterii S Romani Asceterio S. Adriani Tunnone addixit. Ista cum mecum volverem, ægre equidem tuli, pro regio mausoleo conditum Monasterium demum cessisse Monasterio alteri minori, gaudebam nihilominus, reperisse me de ipsius qualicunque instauratione monumentum ita antiquum. Nam si calculos rite ponas, jam inde octingenti amplius anni fluxere, tuncque adhuc possidebat villas & familias, quas Alphonsus Rex S. Adriano assignavit.

In Monasterio S. Benedicti Vallisoletano, cui hoc Asceterium hodie pro Prioratu est, privilegium exhibent, quo Vrraca Regina, Alphonsi VI. & Constantiæ Reginæ filia, anno millesimo centesimo vicesimo quarto Pelægio Abbati S. Petri ejusque Monachis, ut sibi suisque Deum Opt. propitiarent, terræ tractum, ad S. Romanum pertinentem condonavit, regiaque jurisdictione exemit. Alias quoque litteras Regis Sancti in manibus habent, quibus S. Romano suam libertatem constare voluit. Datæ sunt anno millesimo ducentesimo octogesimo nono ibidẽ multas chartas tam ad S. Benedicti Vallis oleti quam S. Petri de montibus invenias, quæ fidem faciunt idem S. Romani Asceteriũ S. Petro annexum fuisse seculis non paucis: adhæc viris potentibus commendatum, à quibus miserum in modum vexatum est.

Monasteriũ S. Romani à fortuna varie subactum.

Quocirca Ferdinandus Rex & Isabella Regina per Alexandrum VI. Pontificem Max. id Congregationi Vallis oletanæ sub annum Christi millesimum quadringentesimum nonagesimum sextum adjungi curârunt. Refert Bulla Alphonsum Episcopum de Osma (seu potius Cuenca) Priorem Commendatarium Cœnobio S. Romani abdicare se atque Innocentio VIII. id cedere voluisse, ut ab eo in Congregationem conditionibus solitis transferretur: & quidem translatum esse *pleno*, ut aiunt, *jure*. Ad summam, id actum fuit, ut locus hic Abbatia esset singularis, nulli alteri subdita. Sed cum ob rerum inopiam vix paucos Monachos alere posset, Monasterium vero S. Benedicti Vallisoleti hospitibus esset frequentissimum: insuper quotidie sexaginta sportulas inde referrent orphani, viduæ, litterarum studiosi, mendicabula Iulius II. à Rege rogatu Regis Catholici & Monachorũ impetrari à se passus est, ut deleto Abbatiæ nomine in Prioratum id verteret Monasterii S. Benedicti Vallisoletani. Factum anno Millesimo quingentesimo tertio. Cæteram ejus fortunam parui refert nescire. Quamvis autẽ multa decora huic Asceterio deperierint, tempus tamen Cindasvyndi Regis Gothi, & sacris Christianis imbuti mausoleum auferre non potuit; nec mihi de Go-

Ad ultimũ Monasterio vallisoletano promãtissa additum.

this antiquius monstraveris in Hispania conditorium Sisebuti, Recaredi, Athanagildi Regum nec quidē vestigia supersunt.

CAPUT. V.

Rex Cindasuyndus Moralia Gregorii Magni comparat.

Cindasuyndus Rex librorum helluo.

ANnum hunc cum Concilio vii. in Hispania celebrato auspicati sumus, quē cum ejusdem appendice absolvere juvat. Adornaverat Cindasuyndus legationem ad Pontificem Martinum alio quidem tempore, fateor, visum tamen est res ab ipso gestas (vel etiam sub ipso) conjungere. Libris antiquorum Patrum & Doctorum comparandis & curam & æs impendit, magno beneficio Hispaniam affecturus, si postea spargeret per provincias. Gregorius Magnus partem duntaxat S. Leandro miserat Moralium, quæ elucubraverat, ut ex Registro ipsius compertum habes.

D. Greg. l. 4. epist. 46 indict. 13.

Ægre hoc Cindasuyndo ac aliis fecit. Certe Patres in Concilio anxie inter se quęsivisse videntur, quo pacto volumine integro potiri possent. Etsi enim non isto anno, sed primum sexcentesimo quadragesimo nono Oratores ad Pontificem missi sint, id tamen jam tum à Patribus agi cœptum est, quandoquidem Acta Concilii memorant, Regem ab Episcopis inductum ad hujusmodi legationem adornandam.

Orator designatus fuit Tayo Episcopus Saragozanus, vir prudens juxtaq; eruditus. ventum est Romam, caputque legationis (quod erat Moralia integra D. Gregorii petere) expositum Martino Papæ. Hic negotium suis bibliothecariis dedit, ut quærerent, ac promerent. Discurrunt: summos, medios, imos forulos explorant: operā perdunt, vel quod librorum copia eos confuderit ac fatigarit: vel quod studium indagādi simularint. Tayus spe habendi Incisa per ministrorum industriam, (an oscitantiam?) palmas cœlo intendens, à Deo Max. & libri auctore Gregorio Magno poposcit. Ubi se Numen exorasse sensit, cito gradu ad Pontificam advolans, scire se, exclamavit, gaudio, scire se quo loco liber latitaret. Hinc vestigia pariter in bibliothecam cōvertunt: Episcopus non procul janua ex ingenti librorum numero Moralia producit, Pontifice, & quotquot præsto erant, obstupescentibus.

A Martino PP per legatum Moralia Gregorii M. petit.

A Numine legato offeruntur, ministris Pontificis frustra bibliothecā vertentibus.

Res miraculo visa similis nec enimvero alio trahi debuit. Ergo instant Tayoni, arcanum ederet: vulganda esse Dei opera: non premenda silentio. Tandem subactus precibus, sic infit. Cum in vado me hærere vidissem, Bono Deo sæpe supplex fui, ut opem ferret laboranti. Aliquando S. Petri templo succedens, ante sepulchrum ejus in genua me composui, lachrymisq; uberrime indulsi, majorē in modū orando Ecclesiæ quondam Antistitem obtestandoq;, ut librum in quo vestigādo hactenus opera cōtrita fuisset frustra, obviam mihi offerret. Dum hujusmodi precibus Apostolo immineo, hem, templum omne collucere: Cœlitum longissima series sese infundere: suavissimis modulis aërem mulcere. Attollo subito caput, & specto: spectanti stant comæ, horretq; totum corpus. Tum vero è fulgenti turba duo splendidi senes, cultu candidissimo conspicui, prodierunt, paulatim ad me gradum promoventes. Rogant quis enimvero sim mortalium? quid moliar? quæ causa me Romam domo excivisset. Tum se acclinantes, num auxilio indigerem? humanissime percunctati sunt. Ego tanta comitate erectus, verba audacter facio: me nimirum legatione fungi apud Pontificem, venisseque petitum Gregorii Magni Moralia. Hactenus incerta me manu versasse bibliothecam & parum spei superesse reperiundi. Vota proinde S. Petro, summo Ecclesiæ Pastori, me hîc nuncupare. Tum alter senum Gregorium se esse fateri: duos illos, qui manibus connexis fulgidum agmen ducerent, SS. Petrum & Paulum esse: sequi Pontifices eodem templo conditos. Denique quibus lignis suum librum deprehenderem, attonito significavit.

Index ipse S. Gregorius fuit.

Excepi hæc quam qui avidissime, majoresq; animos sumens, num etiam S. Augustinus illis beatissimo cœtui adesset, institi, cujus ego lucubrationum æque studiosus essem? *Vir ille clarissimus, subjecit senex, & omni expectatione gratissimus Augustinus, quem quæris, alius à nobis eum continet locus.* Nam in Africa sepultus est. Intellexi proinde splendidum illud agmen, quod per templum meabat, ex iis tantum constare Divis, qui ibidem humati essent. Hæc Tayo. Papa cæterique prodigii loco, ut paruerat, rem habuere.

Porro typi antiquiores postrema D. Gregorii verba sic exprimunt: *Altior à nobis eum continet locus.* Unde pro affectibus lis nata, uter alteri foret anteponendus. At solus Deus servorum suorum merita recte expenderit. Deinde Baronius ad annum 649. errorem hunc tota manu demonstrat, atque litura inducit. Percunctanti namque Tayoni an etiam Divus Augustinus in eo se circumfarret cœlesti choro,

Baron. an. 649.

S. Grego-

S. Gregorius respondere haud potuisset, meritis eum superiorem esse, cum præsto fuerint, Princeps Apostolorum S. Petrus, & vas electionis S. Paulus, quibuscum nemo comparaverit Confessores. Apte vero respondit, dum eum interesse negavit, subjiciens causam, quod alio loco situs foret.

Comparationibus igitur odii ac invidiæ semper plenis, abstinendum ducimus; neque standum verbis, quæ Cardinalis Bellarminus, tum ratio ipsa erroris condemnant. Demum voti compos Episcopus Tayo lætus Hispaniam repetivit, feruntque authographum, quod Romæ attulit, Saragozæ in summo templo etiam hodie servari, nec non inter res sacras censeri.

AN. CHRISTI 647 AN. S. BENEDICTI. 167.

CAPUT. I.

S. Eugenius II. Archiepiscopus Toletanus.

Tribus Sanctis Eugeniis Ecclesia Toletana gloriatur.

CONcilio VI. Toletano, regnante Chintila habito, itemque septimo, Eugenius Archiepiscopus subscripsit, nec deinceps aliquod ejus monumentum extat, ut sub annum sexcentesimum quadragesimum septimum vivere illum desiisse credant historici. Antiquis duo tantum Eugenii fuere noti, Toletanæ urbis Archiepiscopi. Hunc quo de agimus, primum appellarunt: qui vero mitræ post ipsum successit, secundum, non habita in numerando illius Eugenii ratione, quem Sanctus Dionysius è Gallia in Hispaniam misit, Apostoli munus obiturum; quem tamen nos primo loco habebimus: qui autem Concilio VI. & VII. adfuit, loco secundo: qui post hunc infulam capessivit, tertio.

S. Ildeph. de viris ill. c. 13.

Eugenius II. antea Monachus Agaliensis Monasterii fuit (ita Sanctus Ildephonsus litteris prodidit) habitum religiosum sumpsit puer, uti apud Ordinem Sancti Benedicti id temporis in more positum erat. Magistro usus est S. Helladio; condiscipulo S. Justo, quorum uterque summam prius præfecturam in Agaliensi Cœnobio gessit, quam in Archiepiscopalem sedem eveheretur. Creatus Archiepiscopus Helladius, cum egregiam juvenis indolem exploratam haberet, rerum magnarum capacem, eum ex Monasterio evocatum sibi adjungens, sacris initiavit, laudandus vel ideo, quod discipulos non minus quatuor, videlicet SS. Justum, Eugenium II. Eugenium III. Ildephonsum, sic instituerit, ut omnes publico suffragio & applausu in Toletanam sedem fuerint collocati. Eugenius II. Mathematicæ peritissimus fuisse fertur. Undecim fere annos Ecclesiæ Toletanæ clavum tenuit, Chintila, Tulga, & Chindasuyndo, Gothis, regnantibus. Nunc Dagoberti Magni funus prosequamur, grata memoria ejus in nos beneficia exequentes.

CAPUT II.

Dagoberti Magni suprema dies.

Diem supremum obit Dagobertus.

NObile nobis nunc funus ducendum est: fato concessit Dagobertus Magnus. De anno, non una omnibus opinio est. Aliqui sexdecim annis eum regnasse affirmant, biennium Francico imperio adnumerantesque is voluntate Clotarii patris sui jus in Austrasia dixit. Aliter Aimoinum clarissimum authorem de errore postulare debebimus, qui cum Dagobertum decimoquinto regni sui anno Vascones majestatis reos Clypiacum ad Sanctum Dionysium confugisse cap. XXXI. memorat, mox cap. XXXIV. subjungit Dagobertum post annorum quatuordecim imperium XIV. Kal. Februarii vita excessisse. *Eandem diri feriem*, inquit Iodocus Coccius *numeri annorum nonnihil vitiatis, in pervetusta Ecclesiæ VVeissenburgensis membrana comperi: numero tamen & diligentia potiores historici anno regni quartodecimo expleto vita decessisse affirmant, qui cum anno post Christum natum D. C. XLVI. aptissime concordat, si quidem illum à Kalend. Ian. vulgato more auspicemur.*

Aimoin. l. 4. rerum Franc. c. 31. 34.

Iodoc. Coccius in Dagoberto, c. 26.

Alii anno sexcentesimo tricesimo primo regni habenas eum capessivisse, asserunt, tenuisseque annis sexdecim: posuisse vero anno sexcentesimo quadragesimo septimo. Sed omisso fune contentioso, modico inter se spatio distantes sententiæ componi possunt, si annum sexcentesimum trigesimum primum, vel totum, vel ejus partem in sceptrum ipsius conferamus.

Dagobertus fato imminente comitia indixit.

Cum igitur à pallida morte palatium suum fatali pede pulsari sentiret, Æganem singulari prudentia virum, simulque proceres & Pontifices, Bigarium ad comitia excivit. Postquam frequen-

Baron. l. 8. Meyer. l. 1. annal. Fland.

Hist. Franc. ad Greg. l. 1. c. 79. Naucler. Molan. addit. ad Vsuardum. Herman. Contract. in Chron.

tes adfuerunt, orationem ab instantis fati acerbitate exortus, id agere se dixit, ne quid detrimenti regnum, se vita defuncto, caperet. Qua de causa Clodoveum filium se Francorum Regem dicere, uti antea Sigebertum Australiæ totius Regem auctorasset. Commendare utrumque Ægano, cujus fidem jam dudum expertus fuisset. Tum filios ad novum juramentum adegit, tabulis testamenti staturos, neque latum unguem inde discessuros. Mox Clodoveus veste auro rigente induitur: in Solium eburneum procerum studio sublime tollitur: lætissimis vocibus Rex Neustriæ, seu Franciæ Occidentalis salutatur. Pater actis proceribus gratiis in filium conversus, Deum Opt. Max. amare eum & vereri jussit; itemque propinquis pietatem, Sacerdotibus honorem, Ecclesiis tutelam, Cœnobiis auxilia, pauperibus misericordiam, subditis justitiam impendere: Clodoveus dicto se audientem fore respondit. His ad hunc modum confectis, Dagobertus regia insignia, quasi sub diademate ameruisset, posuit.

Clodoveum F. Galliæ Regem jussit.

Languidum ac viribus defectum villa (Spinogilo nomen erat) excepit, ubi dysenteria (lethale malum!) regium corpus subivit, afflixitque. Postquam æger intellexit brevi è hominum numero se movendum, negotium ministris dedit in D. Dionysii templum se vectarent. Potitus voto, multis precibus veterem patronum fatigavit, faceret apud Bonum Deum, ut migratio sibi feliciter eveniret. Inde per aliquod temporis spatium pœnitentiæ, quæque ex ritu Christiano sunt, sacris operam dedit, donec religione, pietate, justitia insignis, morbo diutius ferendo impar, mortuus est Germania Carolum Magnum, & Henricum Sanctum divinas laudes cum Sacerdotibus canere audivit: Gallia Dagobertum, qui forsan illos exemplo induxit, ut nemo omnium dubitarit statim à morte, Beatorum choro insertum.

Dysenteria extinctus est.

Animâ è corpore elapsâ, quod supererat in S. Dionysii templo, ei ætatis communi Regum Mausoleo, sepultum fuit. Epitaphii loco hæc ab Aimoino accipe: *Fuit admodum cautus, ingenio astutus, circa benevolos & sibi fideles mansuetus: rebellibus autem & perfidis valde terribilis: exercitiis corporis, maxime venationi, deditus, atque in omni agilitate corporea strenuus, peritia quoque atque virtute in bella prævalidus.* Paulo majora addidit. Vrspergensis nimirum, *Fuisse fortissimum & Francorum nutritium, in judiciis Ecclesiasticis severissimum, largitorem eleemosynarum præcipuum, pacem in regno suo statuentem, & timorem gentibus in circuitu injicientem, ipsumque velut Salomonem pacificum regnum obtinuisse* quietum cujus vitam & *mores utinam*, inquit, *nostræ tempestatis Reges ac Principes saltem in parte imitarentur.* Nunc rem admiratione plenam ex Aimoino, gravissimo scriptore afferam, unde discas Dei judicia esse horrenda, semperque timendum donec Cœlitibus immisceatis.

Aimoin. l. 4. de gest. Franc. c. 3.

Et conditus in templo S. Dionysii.

Aimoin. l. 4. c. 14. Baron. s. 8. Sigeb. in Chron.

Ansoaldus domi nobilis & opibus præpollens, quem Aimoinus Ecclesiæ Pictaviensis Defensorem vocat, iter in Siciliam instituerat: Explicatis ibidem negotiis in navim la conjecit, qua postmodum ad Peninsulam quandam appulsa, in littus se eduxit, attollensque oculos humile tugurium eminus conspexit, progressusque Iohannem aliquem, candidissimam animam, in eo deprehendit. Igitur ad rem pertinere arbitratus cum viro Dei divinum colloquium inire, cui cum prolixe ultro citroque indulsissent, rogatur Ansoaldus, ecquid Dagobertum Francorum Regem novisset! Quidem! subjecit: ego enimvero pernovi. Inde quasi partium suarum esse crederet plurima de eo commemorare telam rerum ab ipso gestarum contexuit, quas crebro cervicis flexu acutissimis auribus hausit anachoreta. Vbi Ansoaldus dicendi finem fecit, Iohannes alto gemitu furtim edito: superioribus diebus, excepit, cũ exesum lõgo ævo mediaq; ut vides, corpusculũ quieti capiendæ hac sub casâ obiter composuissem, ecca tibi senex quispiam specie humana luculentiore se mihi admovens, heus tu, dixit, age, expergiscere.

Dagobertus Rex animam egit, quæ nunc misere laborat, ac poscit opem, votis adeundum tibi Numen est, ne plus supplicii sumat. Ego raptim me evoluens labantia genua humi fixi, Regisqua accensus amore calidissimas praces pro salute periclitantis fudi. Dum sic aliquamdiu cœlum, quod nocte cæca non videbam, pulsavi, heu! ingens imprimis fremitus accidete ad aures: cieri quoque identidem à diabolis nomen Dagoberti: mihi animus cadere; non tamen me tenui, quin huc illuc verterem vultus. O Sancti superi! cacodæmones in conspectum venerunt, nec fando assequi possum quam fœda funestaque ora gesserint.

Ejus anima exagitata à dæmonibus.

Quid ergo fuit! Dagobertum, Dagobertum, inquam, in vincula stygia conjectum corripientes, modo sublime sustulerunt antrorsum & retrorsum infelicem, raptantes, & jactitantes: modo in profundũ

barathrum

barathrum, nequicquam opem implorantem, præcipitarunt, ut neque humeri, neque cervix neq; summus vertex, vel modicum saltem, extarint: nec promptum est dicere quot flagris ab iisdem sit proscissus, admissus culpas assiduo exprobrantibus. Ad ultimum horrisono ululatu incertam sui animam simul invadunt, densatoque globo ad Tartara detrahere viribus sociatis connituntur.

Dum tales unguibus adactis iras exercent infestissimi hostes, Dagobertus tanta in trepidatione conatus loqui verius, quam verba expedire, pacem Numinis (eheu!) flebili eiulatu exposcens, per quicquid sacrum est, ut mitius in se statuere velit, obsecravit. Deinde ut verba pondus haberent, etiam patronorum fidem appellavit, beneficiis in clientelam ante id collatis, tandem ultimam manum imponerent. Dum prolixe ingeminat, ac has & hujusmodi voces renovat, hem, subito panditur cœlum: revelantur astra: Dionysius, Mauritius, Martinus, magna inter Divos nomina, delabuntur: infernales larvæ non modo vim nullam amplius inferunt, sed ora sua fœde lacerantes illico receptui canunt, pessime periture ni absque mora terga dedissent.

SS. Dionysius Mauritius, & Martinus suppetias tulerunt.

Stygia cohorte hoc pacto in fugam versa, sanctissimi patroni tremulam animam tristi in arena adhuc solicite errantem, mediam accipientes, paulatim cœlo intulerunt ovanti accinentes: *Beatus quem elegisti, & assumpsisti, Domine: habitabit in atriis tuis.*

Tandemq; cœlo inferunt.

Psalm. 64.

Hic hæretici in cachinnos soluti, Monachos somnia narrare clamitant, negantque lac lacti similius esse, quam historiam istam fabulæ, compositam ad captandam gratiam Principum, & emungenda eorum æraria. Dagobertum Christianum fuisse: cætera lascivum: ivisse quo vocasset turpis voluptas: à venere totum pependisse: verbo, *amasse*. Quin etiam multis templis manus admolitum, ut eorum spoliis unam Dionysii ædem exornaret. At navigaverit aliquamdiu suis ventis Dagobertus juvenis, reliquo tamen tempore ita insigniter probus ac pius fuit, ut omnes historicos egregiis factis fatigarit. Omitto in extrema linea stantem, confessione peccatorum præteritos annos expiasse: cum clementissimo Deo in gratiam rediisse.

Invadunt hanc historiam hæretici, ut evadant Purgatorium.

Adhæc cum Ansoaldus audita ad Sanctum Audoenum, Archiepiscopum Rothomagensem retulisset, vir gravissimus juxtaque perspicacissimus protinus litteris

Robert Gaguin. in Dagoberto.

atque memoriæ prodidit: eamque narrationem avorum memoria fide dignam, imo pro certa habitam, testis sit Ludovicus Pius, Caroli Magni F. cujus verba ex epistola ad Hilduinum Monasterii Sancti Dionysii Antistitem datam, tibi recito: Prædecessores nostri gloriam hujus eximii & amici Dei Dionysii non inaniter coluerunt: qui dum ejus sacras exuvias in terris ob amorem & honorem Domini Nostri Iesu Christi opibus, quibus poterant, honoraverint, per ejus preces dignissimas honoris privilegio potiri & in terrenis, & in cœlestibus meruerunt, ut videlicet unus è priscis Francorum Regibus Dagobertus, qui eundem pretiosissimum Christi Martyrem veneratus non mediocriter fuerat, & in mortali est vita sublimatus, & per ejus adjutorium (sicut divina & cœlestis ostensio perhibet) à pœnis est liberatus. Hæc Ludovicus. Fuerit igitur Dagobertus juvenilibus annis notatus à libidine, lachrymis tamen præclarisque facinoribus turpes postea nævos notasque delevit.

Quod multa ornamenta in templum S. Dionysii contulerit, fraudi ipsi esse non debet, quamvis nonnihil aliunde ablatum. Hoc enim quicquid damni fuit, resarsit Rex conditis quamplurimis Cœnobiis & sacris ædibus. Ditare quoque & excolere sacras ædes perplacere Deo, Aimoinus inde confirmat, quod Balthasar Rex, qui sacra vasa templo Domini subducta in usum profanum vertit, & Heliodorus, qui sacrum ærarium exhausit: denique Antiochus, qui omni cultu Hierosolymam exuit, rebusque Numini dicatis impias manus injecit, gravissimas pœnas dederint. Quod si igitur nô impune ferunt, qui templis ornamenta detrahunt, facile intelligis præmio affici eos, qui vario cultu illa in splendorem dant.

Daniel. c. 5. Machab. 2. c. 3. Machab. 1. c. 1.

Hominum Studio ornandi templa, capitur Deus.

Ita singularis in Deum Divosque liberalitas Dagoberto, in salutis æternæ discrimen abducto, plurimum profuit. Saltem piaculares flammæ aliquamdiu misero tolerandæ fuissent, nisi Cœlites, quorum templa curæ quondam habuerat, suppetias tulissent. Iusto autem Dei judicio post mortem per breve tempus à dæmonibus exagitandus fuit, quod animæ adhuc in vita non satis elutæ, adhuc aliquid maculatum adhæsisset. Hæretici (quibus post mortem res parta est, scilicet) inter fabulas numerant historias, quæcunque Purgatorium olent, id quod etiam Cardinalem Baronium advertit.

Hæretici dum vivunt fumum, incidunt in ignem.

Baron. an. 647.

Sed quid omnino verbum facere amplius est opus, cum ipse Dagobertus Privilegio VVeissenburgensi Monasterio con-

Append. Tript. 4.

cessio pluribus narret, ad supremi Numinis tribunal aliquando se per quietem vocatum & causa casurum fuisse, nisi S. Dionysius pro reo dixisset, & deinceps frugi futurum spopondisset. Certe non aliunde tutius aut liquidius promitur veritas in historia, quam è Privilegiis, Regum manibus sigillisque firmatis. Mihi proinde ore durissimo esse videtur, qui beneficium à S. Dionysio acceptum, & ab ipso Dagoberto celebratum, etiam huc trahi posse, negare ausit. Vel quis sibi persuadeat fato defunctum Regem, & ad similem necessitatem actum, à vetere patrono destitutum fuisse? Quin alios quoque Sanctos, quorum honori vivus studuerat, periculum extremum ab ipso propulsasse fateberis, nisi crudissimus mortalium sis. Verum *animales homines*, quo numero hæreticos habeo, *non percipiunt ea, quæ sunt spiritus*: malunt divinas revelationes moribus insequi, quam credere. Heu nesciunt quam bonus Israel Deus fit his, qui recto sunt corde: nesciunt quam suaviter sunum illabatur amicorum animis, arcana cum illis communicando, humani generis author. Quæso te, positis negotiis aliis, adi Duce Surio, vitam Sancti Amandi, Sancti Richarii, S. Audoeni, Sancti Eligii Sancti Autberti, Sancti Gisleni, qui ætate Dagoberti floruerunt. Licet enim voluptates juvenis sectatus sit, ut mel ursa, annis tamen provectior sapuit; pedem retulit: horum ipsorum Sanctissimorum virorum consuetudine usus est, ut paucos ipsi Reges morum integritate æquaveris in Gallia. Catholicis sua constitit tutela: Monachis sua existimatio ac honor: Monasteriis favor ac subsidium, quibus condendis tam ipse quam regni proceres Liberalitatem fatigabant, quasi littus ararent, si alio argentum effunderent, quod Tomus prior, ac iste posterior planum faciunt.

1. Cor. 2. Dagobertus cum annis mutavit mores.

Sur. 6. Feb. Idem 6. April. 24. August. 1. Decemb. 13. Decemb. 9. Octob.

Caput III.

S. Gislenus, & S. Gisleni Monasterium, in Comitatu situm.

Dagoberto regnum tenente, S. Gisleni Monasterium in Hannonia cepit Fundamenta, Fuit is gente Græcus, domo Atheniensi, parentibus Christianis natus, non ultimæ notæ, inter litteratos. Regulam S. Patris Basilii sequutus est juvenis, humilitati, jejuniis, contemplationi vehementer deditus. Ad visenda SS. Apostolorum limina cœlitus incitatus, patriæ terga vertens, Romam contendit: sacra loca obivit summo cultu ea prosequendo. Cum aliquando in templo S. Petri pias excubias ageret idem Apostolus ut in Belgium iter susciperet: ad Hagnam seu Haniam fluvium Monasterium ædificaret, sibique & D. Paulo dedicaret, illi in mandatis dedit. Non mora, cætera turba se expediens, solos Lambertum & Bellirium secum traxit, vicina ad Monasteria è via deflectens, normam inde petiturus, S. Amandi magnitudinem à fama accepit: unde mira eum cupido incessit, tanto magistro sese applicandi: si Arnoldo VVinni credis, habitum S. Benedicti induit; cui tanto facilius assentior, quod nobiles Belgii tutelares VVinnem Belgam præterire vix potuerint: deinde quod S. Gislenus arbitrio D. Amandi se submiserit, ejusque Monasterium ad Ordinem pertineat S. Benedicti. Non tamen pugnamus: nobis vero memorandus est, quod insigni Monasterio jecerit fundamenta. S. Amandus spectata hominis eruditione, nec non prudentia singulari cum pietate conjuncta, eum ad dirutam quandam arcem cui Castriloco nomen, à se amisit. Perstitit hic aliquamdiu; sed cum VValdetrudæ Comiti sedem illam jam pridem destinasset Numen, alio ipsi pergendum fuit duce ursa quam is agentibus venatoribus, ultimo periculo eripuerat.

S. Gislenus, gente Græcus, Philippus ab Eltemofyna.

VVion l. 3. 9. Octob. Num in S. Benedicti Ordinem concesserit, incertum.

Hæc enim ad obsequia se comparans, beneficii memor, sarcinam Gisleni, qua Albâ, Casulam, aliaque rei divinæ faciendæ necessaria, cópolita erant, excepit: viam præivit, liberatore suo pone sequente. Venitur ad montem, cujus densa virgulta fera penetrans, tandem subiit antrum, quo catulos suos condiderat. Gislenus loco in examen deducto, omnia argumenta signaque à S. Petro sibi suggesta, deprehendit, atque inter alia eum tractum ab incolis Ursidumque appellari, quod ibi post corecta & arbusta dese conserta ursi latere solerent. Loco perpurgato templum imposuit: SS. Petro & Paulo dedicavit: Cellam Apostolorum appellavit. Postea quidem S. Gisleni nomen ei inditum fuit, Cellæ vero appellatio è memoria excidit, sed ex antiquis historicis eradi non potuit.

Otiosa ursa sacram ejus supellectilem excipit, & viam præit.

S. Gislenus mundo à tergo relicto sedem figit, eamque Cellam Apostolorum dicit.

Comitatus Hannoniæ locum inter octodecim provincias Germaniæ inferioris obtinet. Orientem versus Namurcum, Lucenburgum, & Brabantiæ partem spectat: Ab Occidente Flandria ei obiicitur: quam Septentrionem vergit, Brabantiæ partem & Comitatum Alpstensem obviam habet: qua in Meridiem inclinat, Picardia ei opponitur. Terra fæcunda & colonis frequens est: caput Comitatus Mons,

olim

olim Castrilocus, ab arce monti imposita sic dictus. Lapsu temporis ingens incrementum sumpsit provincia, nec alteri situ aut munitione multum concedit. Auxere Comitatum S. VValdetrudæ ejusque fororis Monasteria: Oppida viginti quatuor numerat, Iam quod ad Monasterium S. Gisleni attinet, pedetentim ad usque processit, ut integram coloniam contraxerit non solum Monachorum (trecentos fuisse narrant (sed etiam servorum, & quos supra servos fortuna extulit, qui ædibus junctis S.Gisleni oppidū effecere, subjectum Monasterio. Hoc autem Episcoporum jurisdictioni exemptum fuit, nec solum Monachis, sed etiam Clericis suis jus dixit. Non multi exivere anni quod opibus Monasterii amplissimis certaverit. Fuere namque Dynastæ, qui virtuti & disciplinæ religiosæ pretium statuere noverant, beneque ærario suo cum actum iri credidere, si in Dei amicos effunderetur.

Prope Monasterium paulatim excitatæ ædes, locataque civitas.

Tantæ molis Cœnobium quid bella, vel anni possint, ostendit. Paulatim enim collapsum est; excessere Monachi: Clerici sæculares ô Superi! successere: qui cū penuria laborarent, S.Gislenum feretro impositum per Franciam circumtulerunt, perque ossa tam sacratam præsentia, stipem petivere, ut auctor est Abbas Broniensis in vita S. Gerardi. Addit S. Gislenum per quietem apparuisse Gisleberto Lotharingiæ Duci, monuisseque ut evocatum Gerardum præficeret suo Monasterio. Fuit hic Monachus ad S. Dionysii Parisiis, magnum illo ævo nomen, à quo Cœnobia Belgii instaurata esse ajunt, à Nordmannis quondam effusè omnia vastantibus, afflicta. Ægrè è Cella secreta se erui passus, anno post natum Servatorem nostrum nōgentisimo vicesimo provinciam hanc adivit: Clericis submotis Monachos restituit, qui septingentis annis perseverantes haud exigua Monasticæ disciplinæ exempla ediderunt, quæ etiamnum hodie ibidem viget. Quamvis autem sat longo intervallo Saxonia Magdeburgo, Moguntia absit, per quas terras Congregatio Bursfeldensis maxime quondam viguit, ei tamen nomen dedisse, auctor est VVion, dum res à Mattheo Movillart gestas describit, clarissimi profectò viri, qui apud Philippum Hispaniæ Regem legationem obivit, ab Ordinibus Germaniæ inferioris missus: postea anno millesimo quingentesimo septuagesimo nono ex Abbate ad S. Gisleni Episcop. Atrebatensis creatus. Congregationi Bursfeldensi multa etiam alia per Belgium Monasteria sejunxisse refert Miræus, quæ videor mihi hic posse præterire.

Clerici exhausta Divi ossa circumferunt, perque ea stipem rogant.

Sur. 3. Oct. S. Gerardus rem Monasticam in Belgio restituit.

Clericis migrare jussis, Monachos revocavit.

VVion ligno Vitæ l. 2. c. 37.

Aubert. Miræus de Monast. S. Bened. in Gallia Belgica.

Mearum quidem partium erat, indulgere calamo, Sanctā Leocadiam sæpius mutantem sedem, memoriæ prodendo. Etenim anno septingentesimo septuagesimo quinto, Abderamene Cordubæ imperante, à Christianis in fugam conjectis Ouiedum translata fuit: deinde Alphonso VI. sceptra tenente ex Hispania in Belgium usq; hospitio ad S.Gislenum capto migravit, denique florentibus sub Philippo II. rebus, ingenti applausu festaq; pompa rediit Toletum.

Hanc tamen operam cum sibi P. Michaël Fernandez Soc. Iesu nuper sumpserit, isque libellus omnium hodie manibus teratur, nolo actum agere. Amplissimæ nihilominus civitati memoriam obiter refricare libet (nefas enim sit ut exprobremus) nihil fere magni eam possidere, quod non ab Ordine S.Benedicti profectum sit. Monasterium Agaliensa Archiepiscopos dedit longe sanctissimos, qui auream fecere orbem è ferrea & plumbea. VVambæ & Alphonsi VI. studia Tomo 1. exposui. Hac ætate nostrum Monasterium ad S. Dionysii corpus S. Eugenii Toletani Apostoli atque primi Pōtificis, Monachi ante id Agaliensis, mysterii SS. Trinitatis acerrimi propugnatoris, insigne munus misit: S. Gisleni Cœnobium eidem urbi S.Leocadiam Virginem & Martyrem reddidit, civitatis tutelarem, ut merito in ære S.Benedicti se esse fateatur.

Mich. Fernādo vita, Martyr. & translat. S. Leocadiæ.

An. 554.

Caput. IV.

SS. Vincentius, VValdetruda, Aldegunda, Comites Montium.

Multos Monasteriorum Fundatores hoc ævum tulit, quorum iocensū merito S. Vincentium habemus cum VValdetruda sorore. Origo tamen nobis à S. Autberto repetēda, Episcopo Cameracensi, qui hoc tempore S. Gisleni templum una cum S. Amando consecravit, istosq; Comites ad Christum traduxit. Igitur S. Autbertus tam virtutibus quam litteris instructus à Dagoberto Rege Camaracensis Episcopus renuntiatus est. Vitam ipsius Fulbertus, auctor gravis, litteris mandavit; quanti animas æstimarit, raris exemplis monstravit. A fide alienis lucem Evangelicam labore indefesso affundere; Catholicos à lege, in quam jurārant, descifcentes, animo non instrenuo revocare solebat. Multos numeravit discipulos, eximios Dei servos, qui & ceteria non pauca excitārunt. Singularis vero ei necessitudo cum Sancto Amando, sæculi sui gloria, interces-

Sur. 13. Dec. S. Autbertus in modum Apostolorum Evangelica lege infideles imbuit.

Amadelganus Hannoniæ Comes auditis SS. Amando & Gisleno, præ̈ctès verbenans, cum VValdetruda conjuge in Monasterium se infulit.

Rosi. r hist. Lather. l. 4. c. 78. Stella Cal. l. 2. Molan. in Indic. verb. Vincentius.

ferat. Quoties se auditores afferebant, habuere conciones. Dedicata S. Gisleni ade ex more fecere verba, quibus captus Amadelgarius (quem etiam Vincentium dixere) Hannoniæ Comes, cum VValdetruda conjuge, mundo valere jusso, in Monasteria dilapsi sunt, liberis ad idem facinus invitatis.

Quisnam iste Vincentius (nam deinceps sic appellabimus) fuerit, non convenit inter historicos. Franciscus Rosiers virum ex Hibernia, & regio solio accersit. Stella Calvetus, Principem Hiberniæ nominat. Molanus Proregem insulæ fuisse affirmat, à Dagoberto impositum ob egregia facta, cui etiam VValdetrudam cognatam suam in matrimonio collocaverit Comitatus Hannoniæ dominam, Agberti II. Comitis Hannoniæ, & Berthiliæ, sororis Bertharii Regis Thuringiæ filiam. Hi duas solum fæmellas, VValdetrudam & Aldegundam, sustulerant. Illi comitatus pro dote cessit: hæc nuptiis abstinuit.

Atqui S. Vincentius duos filios duasque filias ex VValdetruda suscepit, olim Cœlitibus adscriptos. Majori natu Landrico nomen fuit, quem polita Metensi infula Sonegii Monachum induisse ferunt. Dentilinus frater germanus adhuc juvenis concessit. Adeltruda & Madelberga capto velo cum Aldegunda cognata sua degêre vitam. Duobus igitur filiis familiæ stabiliendæ præditi Vincentius & VValdetruda, Comitatui, opibus, liberis quoque renuntiantes, sese Numini devoverunt, SS. Auberto & Amando auctoribus.

Dum uterque religiosum in cœtum affectant viam, Vincentius prope Sambram Hannoniæ fluvium ponit Monasterium, vocatque Altum montem, ubi se in perfectionis culmen efferret. Asserit Molanus totius Galliæ homines Sanctos etiam exteros, eo receptum habuisse. Cum enim domo Hibernus fuerit, vel saltem jus insulæ, tanquam Prorex, Dagoberti voluntate dixerit, cum multis Monachorum, quos fama ante alios vulgaverat, amicitiam inivit, qui postmodum in Galliam trajecere. Isto in numero fuere SS. Furseus, Foilanus, Vltanus, Esochius, Ethon, Adalgisus, qui magnam partem Chronici nostri occupant. S. Autbertus ipse habitu Religioso Vincentium, prope inaudita vi ad sidera nitentem, induit novo in Cœnobio Altimontensi, ubi vitam postea sanctissime instituit. Sed cum Monachi acciti fama eo undique confluxissent, Monasterium alterum in Hannonia ædificavit, quod Sonegias vocavit nomine ab incolis mutuo accepto. Id tamen,

Amadelgarius, seu alio nomine Vincentius Cœnobii Alti Montis Fundator.

Item Monasterium Sonegium, vel Sonegias.

fortuna variante vices, Canonici hodie habitant, Monachis que sub annum nongentesimum septuagesimum quintum ademptum est, qualis tempestas sæpe in Ordinem S. Benedicti ruit. Atqui in Altomonte adhuc stabilem sedem habet.

VValdetruda vero amplissimi patrimonii sui hæredem S. Ajam cognatam suam instituit, Hidulpho illustri viro nuptam, ea solum conditione lata, ut hic Ascetetium ipsi construeret, ubi Castrilocus (arci collapsæ nomen erat, hodie Montes Hannoniæ celeberrima urbs, occupant) situs esset, quem etiam S. Gislenus aliquamdiu coluerat. Hidulphus ut liberaliter referret gratias, in nonnullum splendorem eduxit Monasterium, ut VValdetruda jam velo à Sancto Autberto insignita, tanto commodius cum suis Monialibus habitarat. Illa magnifico ædificio conspecto summa tristitia affecta fuit, quod ipsi potior jam esset paupertas, & sine arte ædes, cibi, vestes. Egone palatia insideam, dixit, cum Dei filius in stabulum se abjecerit? incerti laris fuerit? nec denique habuerit quo caput reclinaret? Apage hoc scelus.

Splendidior quam pro religiosis incolis fabrica, subito casu ruit.

Quid hoc mœrore promoverit S. VValdetruda, audi, & obstupesce. Firmissimis fulta fundamentis fabrica, dum ei se credere tergiversabatur humillima Christi ancilla, subito casu procubuit. Audis, vides, à parte amicorum suorum stare Deum? rationem eorum ducere?

Hidulphus haud æquo animo hunc casum tulit, quem tamen Sanctus Gislenus erexit, suggerendo Numen ipsum ejus ruinæ fuisse auctorem, quod non mollis ad astra sit via: nec hominum religiosorum sit habitare palatia.

His dictis perculsus, domicilium construxit quotidianum, quod VValdetruda cum suis lætitia gestiens subiit, viamque ad omne virtutis genus gnaviter præivit. Domi enim se perpetuo tenebat, precibus, lachrymis, vigiliis, jejuniis, & si quid aliud excogitare potest ingeniosus amor, sponsi sui gratiam captans.

S. VValdetruda in Parthenone, cui Castriloco nomen, virtutem suam Deo approbat.

Inter prima vota habuit. Aldegundam sororem suam videre pariter Deo dicatam. Etsi enim vitam insontem duceret in sæculo, nondum tamen exisse pericula: navigare medio mari, quæ ati ventis tuiola Monasteria fidas præbere stationes.

Berthilia bona mater aliquot annos absumpserat vidua marito, negotiis variis implicita, donec scilicet Vincentius duxit VValdetrudam, natu majorem filiam: postea publico magis abstinens, seque curis

sæcularibus qua licuit abdicans, privatam vitam cum Aldegunda instituit, quam divinus impetus ad res præclaras urgebat, ut quamvis parva adhuc esset, magna tamen aggrederetur. Quocirca Deus Opt. multorum arcanorum participem fecit: angeli vero propter castissimum & sine labe pectus, societatem ipsius ambientes, sæpissime se in conspectum dederunt dulcissima colloquia miscentes, quod Hugbaldus memorat. Vbi matura viro vita est, mater cogitationem de nuptiis ineundis suscepit, quas etiam conciliavit ignara filia. Rebus omnibus compositis virginem accersivit: nobilitatem, opes, formam sponsi pro meritis celebravit: ut annueret oravit. Indignata illa telam hanc à matre propemodum pertextam se inscia, jam pridem, respondit, se nupsisse Christo, præ quo sorderet novus sponsus ac nimium quantum pauper esset. Illum speciosum esse præ filiis hominum, cœli terræq; Dominum: nunquam se commissuram ut divitias æternas cum fluxis commutet, ac perituris. Doluit mater consilium haud succedere: non tamen abjecit animum, eo quod magna vis insit tempori, nec uno ictu cadat quercus.

Hugbald. apud Sur. 30. Ianuar. 9. Filiam ad nuptias invitabat Berthilia sollicita mater.

Hæc aguntur, commodum Berthiliæ afferuntur litteræ, quibus VValdetruda majorem in modum rogat, Aldegundam sororem suam ad se mitteret, eo die redituram quem ipsa mater diceret. Facile dimisit, interea absolutura nunquam futuras nuptias. Sorores salute data, acceptaq; consident.

Spōsus post tempus venit: jam enim Aldegunda nupserat Christo.

Aldegunda in quod discrimen à matre conjecta sit, exponit: addit preces, supremo Numini supplicet, ut aliam mentem nimis solicitæ matri injiciat. VValdetruda, quæ hac gratia sororem exciverat, ut Christo desponderet, opes se atq; delitias in promptu habuisse, subjecit; quæ avarissima vota expetere, vel mortales somniare possent sibi ad manum: respuisse vero postquam *gustasset, quam suavis esset Dominus.* Incredibile quoque dictu, quanto fuerit affecta gaudio, ubi suam sororem sponte ad velum adspirare sensit. Vltimo inter eas convenit, hac quidem vice ad statum diem revertendum esse domum: sed vice alia sumendum velum. Interea omne tempus quod concessum erat, sacris colloquiis traduxere, quibus beatæ animæ mirifice accenduntur, & crebro colliquescunt. Insuper disciplinæ rationem sedulo observavit Aldegunda, ut aliquando ad eam tanto facilius se componere posset.

Postquam jussa, se domū retulit (quot verò lachrymis tu eā divulsā esse putas?) cœlestem vivendi modum, quem sua soror cæteræque virgines tenerent, matri narravit, eum nimium quantum sibi probari, adjiciens. Intellexit sagax fæmina quem scopum sua gnata peteret, id tamen dissimulans veterem illi cantilenam de nuptiis occinuit, blande obrestando ut libens morem gereret: sponsum ita anxie à se quæsitum, cordi haberet: duci domum se permitteret. Ni dicto audiens foret: ni amorem matris, ni curam boni consuleret, verberibus exemplum in ipsam edituram. Aldegunda dubitanti similis, rogavit saltem non præcipitaret: se cogitaturam quid optimum factu. Mater spei proxima multum telæ purissimæ objecit, unde aliqua tædis jugalibus necessaria conficerent. Atqui filia sinistre accipiens, totam materiam in candidas neophytorum vestes convertit. Multi enim idololatræ nomina sua id temporis inserebant Christianis. Inter lucubrandum (præsertim opere soluta) vivos rodebat ungues, qua evaderet anxia: & nuptias explodens, Numinis pacem poscebat ut suppetias ferret. Non vana fuere vota, nam importuna mater morte intercepta fuit. Institit nihilominus sponsus (Endoni nomen fuit) Berthiliæ se fidem dedisse accepisseque dictitans. Si pertinaciter abnueret, nocte intempesta se venturum: scalis domum capturum: denique pactam jure abducturum. Nec vanæ fuissent minæ nisi Aldegunda de insidiis certior facta, se ante in sylvestrem ejecisset montem, quem Malbodium dixere, ibique aliquot dies condita latuisset.

Berthiliam molestam matrem è medio tollit Numen.

Postmodum audito SS. Amandum & Autbertum versari in Montialtensi Monasterio (nec enim longius uno lapide aberat Malbodio, seu Maubage) tragico pœnitentium habitu instrata, pedesque nuda eodem contendit, ut sacri Præsules se periculo eximerent, rogitans.

Non duci se, sed trahi ad thalamum nuptialem, S. Amandus ætate potior, imprimis puellam hortatur ad constantiam: deinde seductam in oratorium: S. Vincentio cognato, consilium probante, Numini dedicat.

S. Amandus Aldegundā Deo consecrat.

Illa in monte quo se fuga receperat, Parthenona erexit in omnibus tectis, quod opibus polleret, neq; VValdetruda soror thesauros consumpsisset, quibus à Berthilia matre onusta fuit, unde etiam aliquid haurire licebat. Hugbaldus insuper auctor est, quamvis illa ærariū in pauperes, templa, & Monasteria effuderit, nihil tamen decedere visum. Forte Hugbaldo parum habeas fidei, igitur vitam adolescentulæ; cœlestes genios ipsam invisentes: Deum arcana sua eidem

Ditescunt, qui egenos ditant.

communicantem, memoria repete: non negabis factum.

Ædificio perfecto Aldegunda sororem suam, exiguo sacello potius quam templo, preces persolventem, nec non paupere cella sedentem, eo secum adducere conata est, at surdæ fabulam cecinit. Gratiis enim actis, humile tugurium magnificis ædibus se anteferre dixit: veteres quoque delicias fame, siti, ultima egestate, sibi compensandas.

Hic mihi duarum sororum diversa ingenia æstimaio. Ambæ fuere nobilissimo sanguine ortæ: ambæ Deo placere in summis votis habebant: ambæ sanctissimæ ac in fastos Cœlitum relatæ: una tamen illustre Monasterium extruxit: argento, auro, prædiis egregie instruxit, nequa reddituum cura tangeret Moniales, sed animo libero vacarent Choro & contemplationi. Altera magno studio accersivit paupertatem, ac rerum omnium penuriam, ad lacessendum suas subditas ac incitandum, ut thesauris cœlestibus inhiarent. Nec facile dicam, utra palmam alteri præripuerit. Saltem VValdetruda suas filias (Aldetrudam & Madelbertam) Aldegundæ commisit educandas: an quia plus tribuit sorori, quam sibi vel quia animadvertit hanc quidem Monialem aut alteram rectius vitam in paupere Asceterio instituere, cæterum præstare, Monasteria redditibus instructa esse, quæ incolis sufficiant, ne victui quærendo evolare, atque per ædes sæcularium vagari cogantur, sed officio suo summa quiete defungi queant, suumque sponsum cantando, legendo, orando, vigilando, jejunando ungere.

Non una via ducimur ad Superos.

Porro Aldegunda disciplinæ Monasticæ studiosissima Antistes, ita suas cognatas eduxit, ut ad Superos utraq; evaserit. Aliquando Aldetruda, natu major, ab ea in mandatis acceperat, ut ceram deciduam, vel passim asperfam, undique colligeret ac corraderet: (adeo nihil è re familiari dilabi patiebatur, liberalissima in egenos fœmina:) tum vero in globum componeret. Illa dum nimis sedulo exequitur opus fictilem ollam vertit, globo in focum accensum provoluto. Magnum is hic excitaturus erat incendium, nisi bona virgo jam liquescentem sine mora è mediis flammis manibus integris eripuisset. Miraculi loco habitum est, à quibusdam obedientia Adeltrudæ, ab aliis S. Aldegundæ meritis tributum.

Hugbald.

Adeltruda ceream globum è foco rapit manibus illæsis.

Multa quoq; alia vitæ naturæ superantia patravit, quæ Hugbaldus occupavit: veluti quod S. Amandum in cœlum, multis stipatum discipulis, tendentem, seque comitem, conspexerit. Sed me cohibeo. Cum paulatim ad ultimam vitæ lineam adigeretur, triduo toto clarissima lux circum ædem, qua ægra decubuit, fluctuabat, VValdetruda in summam admirationem rapta. Tandem molita exitum est vinculorum corporis impatiens anima, fugitque: nec mora, delapsa lux se simul attollere cœpit, donec è sequentibus oculis se abstulit.

Triduum ante, quam Adelgunda occubuit, cœlestis lux ædem qua decubuit, ambivit.

Demortua Salzam imprimis, ad suos patentes delata fuit: sed volventibus annis restituta est suo Monasterio, ubi miserorum vota audit, & exaudit. Cœlos subjit, coliturque à mortalibus ad trigesimum diem Ianuarii. *Martyrolog. 30. Ianuar.*

Demortua Aldegunda, præfecturam Adeltruda cepit quæ VII. Kalend. Martii excessit, communi calculo Divis addita. Fasces sacros post eam cepit Madelberta, parentibus, cognatæ, sorori simillima. VII. Id. Septembr. illata cœlo, Ecclesia teste Singulari cultu eam Leodienses, prosequuntur, quibus sua ossa dono dedit.

Molan. verbo Adeltruda.

Aldegundæ Adeltruda suffecta est.

Molan. verb. Adelberta.

Vincentius Hannoniæ Comes vita sanctè peracta, Pridie Id. Iulii ad Superos evolavit, ossibus Sanegii, Cœnobio à se cōdito, sepultis. S. VValdetruda etsi vitam dure instituisset, nihil sibi indulgens, eam nihilominus ad ultimam senectutem provexit, V. Id. Aprilis, gravis tectæ factis, cœlo recepta est.

Molan. Indic.

Martyrolog. 9. April.

CAPUT V.

Castrilocus & Maubage, SS. VValdetrudæ & Aldegundæ Parthenones.

CUM SS. VValdetrudæ & Aldegundæ Monasteria in Canonissarum domos versæ sint, libet hic expendere, quam Regulam, vel quem vivendi modum hæ habeant. Parthenonas igitur à duabus istis sanctissimis fœminis ædificatos coluisse Moniales, Regula S. Benedicti instructas: nuncupasse Deo tria vota: intra limen Clausuræ, ut vocant, se cohibuisse: morum integritate vicinos Christianos perpulisse ut multa ipsis prædia contulerint, certo constat. Item S. Aldegundæ Monasterio in deserto erecto, tot paulatim accessisse ædes, ut justi oppidi speciem præbuerint, cui Maubage nomen impositum: è Castriloco vero Montem, Hannoniæ caput, originem ducere, æque compertum est. S. Aja multum provexit, ut dignas gratias referret VValdetrudæ, cognatæ suæ, quæ Comitatum ipsi cesserat. Etsi enim VValdetruda, dum vixit, paupertatem amplexa opes excluserit, illa tamen vita

SS. VValdetrudæ & Aldegundæ Monasteria demum Canonissas acceperunt.

defuncta cõfertim intrarũt. Principes enim, & inter hos Carolus Magnus sacra ejus ossa veneraturi, quamplurima privilegia & prædia addiderunt. Unde tanta moles nata est.

In hujusmodi domiciliis diverso ritu vivunt.

Quandonam, vel quam ob causam istæ duæ Abbatiæ regulares ex antiquo statu exciderint, subeuntibus Canonissis, diu quidem, sed frustra indagavi. Hujusmodi autem Collegiis utraque Germania frequens esse fertur. Quædam certam Regulam sequuntur. Quædam nullam profitentur, suntque nobilium virginum domicilia, quibus etiam Baronum, Comitum, Principum filiæ crebro junguntur, præsertim si parentes copiosam numerent sobolem. Hic non absque convenienti custodia docentur legere, scribere, nere, acu pingere, & quæ fœminas illustres decet non ignorare. Mane omnes in chorum confluunt candido amictu nitentes, quibus parva quasi palliola injiciunt. Post prandium cultu sæculari incedunt pro cujusque vel opibus, vel loci more. Cum firmiore jam ætate dese statuere possunt, educuntur à parentibus; danturque nuptui: vel vota in Monialium Cœnobiis edunt: quædam in eodem claustro persistunt, nec quicquam ipsis desit, cum hujusmodi Collegia plerumque sint opulentissima.

A prandio habitu religioso posito, sæcularem recipiunt.

Antistes quæ rebus præest, dignitate multum pollet. Vere Religiosa est: nam tria vota emittit: approbatam quamque Regulam profitetur: Antistis gradu non amplius movetur, quam dum adit, benedicitur, quod ajunt. In illis ipsis septis, vel non procul inde, plerumque multi, quos Canonicos vocant, colunt cũ Præposito seu Decano, quibus tamen dominatur Abbatissa. Hujus itaque generis Monasteria in Belgio sunt Mons Hannoniæ, & Malbodium seu Maubage: Nivela in Brabantia, à S. Gertruda fundatum, aliudque ab ipsius sorore Vega conditum Andainæ: Sancta Maria de Belisa, vulgo Munstergilsen vel Bilsen, à S. Landrada ædificatum, quæ imprimis Monialium fuerunt, postea illis adempta, & Canonissis tradita sunt. In Germania Superiore famam non tenuem habent Lindavia: Andelaum in Alsatia situm, à Richarda Imperatrice non procul Vogeso monte positum: Buchovium in Suevia, longe ditissimum, ab Adelinda, Reginæ Hildegardis, Caroli Magni conjugis, sorore constructum. Edelstetten (quasi nobilium locum diceres) pariter in Suevia Augustam inter ac Ulmam excitatum auctore Gisela Comite. Augustæ quoque Monasterium S. Stephani, Hungariæ quondam Regis, memoriæ dicatum. Ratisbonæ, urbe unica, duo Monialium S. Benedicti Asceteria, missis antiquis vestalibus, Canonissas accepere. Demus vero aliquod istorum Monesteriorum aliquando ad S. Augustinum pertinuisse, ferunt tamen pleraque fuisse D. Benedicti, ac Abbatissas hujus Patris Regulam non modo profiteri, sed insuper qua in sæculari hujusmodi cœtu fieri potest, observare.

Ughelus Metrop. Salisb. Tom. 3. pag. 1

Cum annum quingentesimum nonagesimum septimum Tomo priore versaremus, late ostendimus non omnes Canonicos Regulares de familia fuisse S. Augustini, sed etiam D. Benedicti Ordinem multas Ecclesias possedisse Cathedrales, in quibus Monachi Canonicorum officia obiverint. Vulgus tamen cum discrimina Ordinum nesciat, ubi Canonicos vel Canonissas aure indocta excipit, mox Augustinianos vel Augustinianas interpretatur. Nos facem errori videndo hanc accendimus. Celebris in Gallia Congregatio est, quam Fontem Ebrandi vocant, ejusdem nominis Monasterio amplissimo subjecta, cui non facile aliud Monialium anteponas in Gallia. Neque ante hac per hoc solum regnum se extenderat, sed in Hispaniam usque progressum Parthenonas sibi subdiderat de Vega de la Serrana, & S. Mariam de Vega de Oviedo, quibus hodie Congregatio S. Benedicti Vallis oletana dat jura. Quamvis autem Gallia tota teste Moniales Fontis Ebrandi Ordinis sint D. Benedicti, auctores tamen nullo eas discrimine habent: tam Canonissas quam Moniales appellant. De S. Aldegundæ Monasterio, quod postmodum in Canonissarum manus incidit, hæc ad III. Kalend. Februarii refert VVion: Malbodium celebris locus est in Hannonia, quem cœtus Domicellarum Ordinis S. Benedicti habitat. Incolæ ipsis parent: Abbatissa monetæ plumbeæ cudendæ jus habet, quæ in ipsius territorio expenditur. Iam vero cui in mentem veniat, VVionem domi hospitem fuisse, aut peregrinum? exemplum statuere voluisse obesæ naris? si tamen adhuc pendes animi, dubio te hoc pacto exsolvo. Anno millesimo quingentesimo decimo quarto, liber hac inscriptione editus fuit: *Provinciale omnium Ecclesiarum*: Inter alia, quibus titulis Bullæ in Curia Romana dari soleant, exponit. Bene est. Pagina decima sexta hæc in rem nostram affert: Pro parte dilectæ in Christo filiæ Abbatissæ Monasterii Torensis Ordinis S. Benedicti Leodiensis Diœcesis, in quo etiam præter dilectas in Christo filias, inibi Canonissas, ipsa duntaxat Abbatissa dictum Ordinem expresse profiteri consuevit, aliqui sæculares Clerici,

Tom. 1. an. 597. c. 2.

In Ordine S. Benedicti & Canonici, & Canonissæ.

Canoni-

Canonicatus & præbendas ibidem obtinentes, ac Capitulum insimul facientes, fore cognoscuntur. Nec non Capituli hujus petitio continebat, ad collationem etiam dilectarum in Christo filiarum, Abbatissæ & Canonissarum, ac Dilectorum filiorum Præpositi, Decani, & Capituli, Singulorumque Canonicorum & personarum sæcularis & Collegiatæ Ecclesiæ S. Gertrudæ Nivellensis, Leodiensis Diœcesis, in qua præter easdem Abbatissam & Canonissas nonnulli Canonici sæculares, hujusmodi Capitulum inibi facientes, fore noscuntur, communiter vel divisim pertinere, &c. Hem ut Monasterium Torense Canonissarū Romæ esse Ordinis S. Benedicti affirmat, etsi nobiles virgines in ipsius Regulam non jurent, Abbatissa tamen eam profitetur. Deinde ne erres, quamvis hujusmodi Monasteria tam Canonici sæculares quam Canonissæ habitent, nihilominus summus Pontifex non ad Canonicos, sed Abbatissam dat litteras, quod ipsa totum Monasterium cum imperio regat. Hic status quoq; Monasterii Nivellensis est, à S. Gertruda fundati, cujus Antistitem Madama de Nivella appellant. Hæc ut in pauca concludamus verba, Ordo S. Benedicti tam Canonissas, quam Canonicos habuit.

Monasteriū Torense Canonissarum Ord. S. Benedicti.

Porro Mons aliquando titulus erat singularis Comitatus, postea Flandriæ accessit, cujus Comites Monasterii S. VValdetrudæ Abbates sunt dicti: Canonissarum vero Antistes, ejus vicaria appellata, quod Comitis vices gereret. Stella Calvetus in Philippi II. itinerario memorat urbem totam adventanti Principi obviam effusam, insigni præsertim agmine Ecclesiasticos processisse, cumq; illis Canonissas duas in alas distinctas subsequente Abbatissa humeris tulisse. Vbi vero ad ipsum Principem ventum fuisset, Antistitem illico pedum seu baculum pastoralem ipsi obtulisse, quo pignore testaretur Philippum urbis esse dominum, & Monasterii Abbatem. Illum autem Antistiti mox restituisse, quasi ratam haberet ipsius administrationem.

Stella Calvetus l. 1. Mons Hannon.

An. Christi 648. An. S. Benedicti 168.

Caput I.

Pipinus, Hiduberga, Begga, Gertruda, Brabantiæ Duces.

NVnc gradum ex Hannonia in vicinam Brabantiam promoveamus, quæ olim pars Austrasiæ erat, hodie inter præcipuas Galliæ Belgicæ provincias habetur. Aura hic capiatur salubris; solum fœcundum est, frugum feracissimum. Vrbes numerat viginti sex, è quibus Lovanium, Bruxella, Antverpia, Sylva Ducis eminent. Septentrionem versus Hollandiam: Meridiem versus Leodiensem Episcopatum respicit, quo etiam ab Oriente vergit. Ab Occidente Scaldim habet.

Pipinum Brabantiæ edidit, quem dixere senem. Refert Molanus in Belgio etiam Patriarcham appellatum. Pater enim fuerat patriæ: deinde Dagoberti regii pueri tutor: demum Sigeberti ejusdem filii quasi custos & magister: domi bellique magnus: summis & infimis charus. Hiduberga lectissima ipsius conjunx (aliis Itta) cujus virtutes nunquam satis celebravit fama, ex illustrissimo sanguine duxit genus, Modoaldi Trevirorum Pontificis, & S. Severæ, Monasteriis S. Symphoriani Treveris siti Abbatissæ soror. Tres suscepere liberos: Grimoaldum, post patrem scilicet rerum dominum: S. Beggam, quam Ansegisus Arnulphi filius duxit, unde maximi Galliæ Reges orti: S. Gertrudam, tam gentis suæ quam Ordinis S. Benedicti gloriam. Cum adhuc teneros agerent annos, uterque parens timorem Domini rasis inscripsêre tabulis, ut à peccatorum quoq; umbra abstinerent. Hinc illa enim innocentia, integritas vitæ, sanctimonia. Pater anno sexcentesimo quadragesimo octavo vivere desiit, & ipse pro sancto habitus.

Molan. V. Pipin. I. Pipinus senior Brabantiæ gloria.

Liberos ex Hiduberga susltulit Grimoaldum, S. Beggam, S. Gertrudā.

Aimoin. l. 4. c. 38.

S. Amandus hoc temporis Præsul Trajectensis (hodie Mastrich vocant) quasi ex specula observabat, quæ pars patriæ maxime laboraret, mox affuturus, auspicio Numinis suoq; ductu Cœlites aucturus. Audito Brabantiæ Ducem oppetiisse mortem, absq; mora in viam se dedit tam viduam Ittam, quam filiam Gertrudam inducturus, ut deinceps Conditori rerum Deo sese dedicarent. Non fallebat sanctum senem illustres fœminas maritorum suorum mortem impatientissime ferre: subibat etiam memoriam S. Rictruda cum filiis, quibus dum suæ domus fata deflentibus lachrymas cōmoda oratione abstersit, Moniales effecit. Ergo ad funus properat (Landes loco nomen erat;) animos Hidubergæ seu Ittæ, atque Gertrudæ, Pipini casu fractos, instaurat ipse doloris particeps: inde vanitatem mundi oculis objicit: honores, imperia, voluptates, vitam ipsam, quæq; alia mortales prima habent, nunquam diu stare loco, sed abire, fugere, evanescere, ostendit, solumq; Deum esse stabilem, quem ament,

S. Amandus Hidubergæ viduæ & Gertrudę filiæ rerum fluxarum tædium injicit.

cui ser-

cui serviant, cui se ingenti suo bono sacrificent, quotquot Religionis vota nuncupent, attonitis inculcat. Nec multis dictis hæc duo pectora versanda erant, ut præterlabentia spernerent, æterna amplecterentur. Scintillam à S. Amando excitatam confestim excepit fomes, arsitq; mater cum filia amore sacri veli.

Mater & filia extemplo transitione è mundo in Monasteriũ facere statuunt.

Quid fit? Palatium vertitur in Monasterium: capiti imponitur velum: laceratur viduæ nomen ob præceps consilium: traducitur Amandus, tantæ rei auctor: Sæviebant vero ii maxime, quos spes aliqua ducendæ Gertrudæ lactabat. Hoc cum advertisset piam matrem, forsecem expedivit: capillos filiæ ipsa præscidit, ut procis spem potiundi incideret. Posthæc in novum Monasterium suum induxit, curavitq; ut quãprimum obvelaretur. Sanctus enim Amandus discedens expectandum putabat, donec amplius adolevisset. Memorabile etiam illud est, quod mater Antistitis munus in filiam rejecerit, ut tanto profundius se ipsà deprimeret. Lætitia diffluebat Gertruda, voti se aliquando compotem factam & vincula conjugii evasisse. Quid? in teneris aversi à nuptiis animi specimen dedit, quod jam narravero.

Fuit ut Dagobertus Rex apud Pipinum diversaretur. Instruxit hic epulum & se, & Dagoberto Magno dignum. Accumbunt: mensas dapibus onerant ministri, ponuntque pocula: procerum turba se circumfundit. In tanta frequentia Dagobertus Hidubergam desideravit, & Gertrudam. Adsunt, solicitæ quid Rex se velit.

Dagobertus Rex frustra nuptias inter nobilissimum juvenem & Gertrudam conciliat.

Ille comiter salutatis, Gertrudæ juvenem sanguine nobilissimum, opibus vix ulli per Austrasiam secundum, producit in conjugium. Præsto enim is erat, arrectus in responsum: & bona spes impleverat animum, tali patrono nihil non se impetraturum. Rex quoque morem illico gesturam credidit.

Gertruda ubi rem eo sibi rediisse intellexit, ut nuberet, & amoribus operam daret non expetitis, facinus supra fæminam est ausa. Verbis nimirũ gravissimis palã cõcepit juramentum, cum nemine mortalium se thalamum sociaturam, aut oscula misturam: sed Christo Iesu nupturam: imò jamjam fecisse. Conticuere omnes, tantos spiritus inesse puellæ demirãtes: Procus intentos usque oculos in Gartruda fatigans, hoc fulmine ictus, vibrantibus labris multa loquuturo similis, haud amplius fuit apud se. Nec tamen despondit animum: quin impotens amoris adeo nil prætermisit, quo hujus connubii compos fieret, ut Hiduberga subducere filiam: atq; Atalango sacerdote nec non Bernhardo Diacono comitantibus, in Franciam Orientalem seu Franconiam transmittere coacta sit, Carleburgi abscondendam. Incommodus & invisus sponsus interea indignantem animam effudit: fugitiva Gertruda se domum recepit: posita sacra æde Numini gratias retulit: Pipinus paulo post vitam cum morte commutavit.

S Gertruda Monasterii præfectura abivit ut primum mater ipsius mortua est.

Igitur jacto altissime fundamento, ingens profecto ædificium imposuit hæc ancilla, juxtaq; sponsa Christi. Rara beneficia quibus affecta è cœlo fuit, fere perspicaciores adscribunt promptitudini, qua matri suæ semper ad nutum obedivit. Antistis quoque honores tulit non sua voluntate, sed illius imperio, quos proinde matre demortua ocyus deposuit, externis negotiis vicinis Monachis commissis, domesticis vero Monialibus virtute præstantibus.

Corpus tenerum variis suppli afficit.

Sine culpa insuper grandes de se pœnas sumpsit, non ignara ut quisq; apud avos nostros fuisset sanctissimus, ita asperrima via in cœlum contendisse. Balænas cæterosque vasto corpore pisces salsum mare parit, non flumina, dulcem aquam vehentes. Progressus in virtutibus nullos faciet, nec idoneus contemplationi erit, qui non imprimis animi mollitiem ejecerit: sensus subegerit: corpori, ceu equo indomito frænum imposuerit. Vbi vero monstrum hoc in potestate habueris, amor Dei subibit vacuum pectus, servire conditori, inter delicias numerabis. Quocirca S Gertruda inedia, siti, longis excubiis, perpetua oratione stomachum, oculos, fauces cruciabat: linea vero interula corpus tenellum spolians, hirsuto id cilicio presse obduxit, nihil quod carni arrideret vel blandiretur admittens; neq; huic vexandæ aliquando inducias dedit, nisi servandæ salutis causa respirandum esset. Nam affecta ut plurimum valetudine erat, quippe jejuniis & vigiliis exhausta.

Hiduberga vitæ finem imponit.

Duodecim annos post Pipini amantissimi patris fatum cum Hiduberga matre traduxit, quæ sexagesimo anno jam gravis, onustaq; bonis operibus diem objit supremũ publico censensu Divis addita. Lumina parenti condens mœstissima filia, in templum S.Petri Apostoli funus duxit, ibiq; sepelivit. Patrem, qui Landesii vita abierat, Nivellam transtulit, quem ara maxima, scita prorsus arca compositum etiamnum cum filia Gertruda exponit; In supplicationibus egregio spectaculo pariter circumferri solent. Licet enim is Ecclesiæ calculo superis insertus nõ sit, tota tamẽ provinciã pro sancto habetur.

Negotiis itaq; sæcularibus in proximi Asceterii Monachos, uti dicebam*, inclinatis,

matre,

matre nunc quoq; mortua, Gertruda se solam contemplationi, & sacrorum voluminũ lectioni impendit, quibus gradibus plane in parfectionis culmen evasit. Qnantum amore divino flagrarit, quis stylo exequatur? In libros cœlestes quam alte penetraverit, quis describat? Multa quoque à sponso suo, dum colloquia inibant, didicit, ut mihi non modo in Sanctorum, verumetiam Doctorum classem redigenda videatur.

S. Gertruda litterata.

Sur. 17. Mart.

Divina volumina fere memoria tenuit.

Auctor vitæ ipsius, nec non æqualis (Monachum fuisse putem ex eorum numero qui in negotiis sæcularibus succollabant) *Hac quidem ratione* inquit *eousq; progressa est, ut pæne omnem scripturam divinam memoriæ commendarit, & obscura Allegoriæ mysteria sancto revelante Spiritu, luculenter auditoribus explanârit.* Propemodũ inaudita sunt ista, & difficilia creditu, nisi is qui litteris prodidit, oculatus simul ac auritus testis esset. Dainde cũ candidissima hæc anima Deo non modo dedita, sed quasi immersa fuerit: profundas humilitatis radices pridem jecerit: omnia blandimenta serio à se summoverit, nec punctũ temporis deinceps admiserit, quicquid boni fertur de ea, credi dignum est. Inter Sanctæ Gertrudæ cognatas fama celebres censenda S. Amelberga est, sororis Pipini filia. Ex duplici connubio quatuor tulit liberos, postmodũ fastis Divorum inscriptos, Emebertum (alii vocant Adelbertum) qui Episcopatum Cameracensem gessit: Gudulam, Reineldã, & Faraildam, quas S. Gertruda suo in Monasterio ad virtutem formavit. An etiam velum posuerit, haud compertum habemus. Antecelluit autem sororibus, S. Gudula, Belgisq; majori venerationi est quã Gertruda sacro fonti admovit. Divinæ scripturæ lac ei Nivellæ instillavit erudita Antistes, ut est apud Surium, & olim ut nuptiis abstineret induxit, præsentia in commune spernenda dictitans: sæpe spinas fallere sub nomine rosę: rectius facturã si Deum solum amaret. Dicto audiens S. Gudula virginitatis studiosissima fuit, etiam postquam demortua S. Gertruda paternos lares repetivit. Ab oratione & cõtemplatione ęgre se avelli passa est. Corpori excruciando nihil non excogitavit. Pedes sola aluta texit, plantis apertis solum ac lapides terens.

S. Amelberga Gertrudæ sanguine juncta, quatuor liberorum mater, Divis additorum.

Sur. 8. Ian.

S. Gudula nuptias post virginitatem habet.

Mihi persuadeo Monialem Ord. D. Benedicti fuisse, sed domi vitam ad Sancti Patris normã instituisse, quod ante eum diem quamplurimæ ancillæ Christi facere cõsueverant, ex arbitrio vicini Abbatis pendentes. Rainelda quæ ipsius acta litteris mandavit, S. Aurbertum Episcopum ait, utrique sororum velum imposuisse affirmat, sed ambas habitasse domi. Ipsa Rainelda Donata fuisse videtur Lobiensis Monasterii: S. Gudulam nescio cui Asceterio addicam. Miracula, quæ plurima edidit, omitto, quod operis magnitudo rerũque multitudo S. Farailda à S. Gertrũda instituta, me prorsum rapiant. Molanus Bruxellis in templo maximo sepultam, narrat, ac esse urbis Divam tutelarem.

Sur. 16. Ian.

S. Rainelda.

Sur. 8. Ian. Molan. V. Gudula.

Molan. V. Farailda.

S. Faraildam S. Gudulæ sororem, fonti sacro admoverat Gertruda: postmodum divinis litteris imbuit. A parentibus matrimonio invita collocata fuit: quodcirca ut virginitatis jacturam faceret, nó sivit Deus, quod exemplis alii in S. Cæcilia: item S. Henrico Imp. & Chuneguenda proditum est. S. Rainelda, ultima S. Amalbergæ filia tantum in Monasterio S. Gertrudę profecit, ut pro Christo suppliciũ animose subiverit.

S. Rainelda pro fide securi percussa.

Bonis moribus ac litteris etiam S. VVildetrudam & Inen, postmodum Abbatissas, tinxit D. Gertruda. Priori vix annos viginti duos natæ commisit clavum triennio ante, quam vitam exuerat, ut soluta curis, orationi & sacris litteris majorem operam navare posset. Præter has etiam SS. VValdetruda & Aldegunda, quibus Caput superius implevimus, cognatione D. Gertrudam cõtingebãt, quod ideo memoro, ut Deum laudes in sanctis suis, & perspicias quam consertis globis illud sæculum tetenderit in cœlum, cum ex uno Belgii angulo tot illustres fæminæ, sanguine junctæ, eo enisæ sint atque pervenerint. Bono sæculo nasci prima felicitas est. S. Amandus & S. Autbertus tunc rebus sacris præerant, qui viã præeundo, neminem non trahebant. Tanti refert quos duces habeat Orbis.

CAPVT II.

Sancti quidam Monachi ex Hibernia vela faciunt in Belgium.

S. Gertrudam late rerum dominam fuisse, præsertim postqnam opulentam parentum hæreditatem adivisset, auctor est Molanus. Nec minor ejus fuit liberalitas. Quotidie enim ad dandum accincta, alia in pauperes, peregrinos, captivos, orphanos, viduas: alia in sacras ædes & Monasteria sparsit. Vbi allatum ipsi est, venisse ex Hibernia SS. Foilanum & Vltanum, S. Fursei fratres, ad idola, quibus Belgæ passim adhuc genu ponebant, evertenda, hospitio eos accepit, postea Monasterium pluribus sustentandis ædificavit.

Pauperes faciles habuere aditus ad S. Gertrudam.

Præter alios invictos rei Christianæ propagãdæ Heroes Germania inferior Furseum celebrat, Foilanum, Vltanum, Elo-

Rei Catholicæ in Belgio propagatores.

Rei Catholicæ in Belgio propagatores.

chium, Ethonem, Berthuinum, Fredegandum. Hi petita prius Francia, poſtmodum in Belgium flexere, ſuſcepta pro Dei honore graviſſima expeditione. Fermè etiam animum induco ut credam, Hiberniam aliqua parte pependiſſe à Francia. Aliter cur Dagobertus, uti oſtendimus in S. Vincentio, Proregem vel præfectum cum imperio illuc miſiſſet.

Beda l. 3. c. 19. Vincent. Belvac. l. 24. c. 81. Hector Boeth. lib. 9.

Furſeus ſanguine illuſtris.

Furſei acta Venerabilis Beda litteris cõſignavit, quem nobili quidem ſanguine ortũ ait, verum Vincentius Beluacenſis & Hector Boethius addunt, Filtanũ Hiberniæ Regem ei patrem fuiſſe. Adhuc admodum puer ſpecimina ſane egregia ſubmiſſionis & modeſtiæ dedit, ſubinde etiã miracula edens. Tam fronte quam ſermone affabilis, omnium hominum erat. Sacrarum litterarũ ſtudio patria exceſſit: habitũ ſumpſit Monaſticũ: poſtea ipſe Cœnobiũ, cõtractis undiq; diſcipulis cõſtruxit. Quas virtutes ab aliis exercitas legit, quid ipſe poſſet cõtinuo experimentum cepit. Hoc pacto ad res magnas gerẽdas cõparatum eduxit Deus, ut per Hiberniã, Angliam, Franciam, Evangelium vulgaret: prius tamen tribunalis ſui rigorẽ, tormenta inferorum, gaudia cœlorum, eidem velut ob oculos objecit. Conſiliũ nobis fuit revelationes tã ſingulares ſilentio premere, ne quis in nos jaceret, vappã pro vino nos vendere, & fingere nõ viſa, nec audita. Iterumq; animũ ſubjit, bonis, ſagacibus, piis, rerũ cœleſtium peritis Lectoribus, nihil ſubducendum, etſi obeſæ naris alii iocos in nos ſint cõpoſituri. Nõ ex trivio hauſimus, quæ afferem', ſed ex Venerabili Beda, graviſſimo auctore. Cõpendio tamẽ longas ambages præteribim'.

Sur. 16. Ian. Bed. l. 3. c. 19.

Mira videt angelis mõſtrantibus.

Cum domi verſaretur, aliquando ſubito laborare uſq; cepit, ut jam impar ferendo morbo, in lectulum defluxerit. Alienatus inde à ſenſibus, paulatim ſe nebula circũvallari ſibi viſus eſt; à duobus vero angelis, de cãdidiſſimis alis manus exercentibus, attolli; tertium nudato enſe ſtipare latus, quaſi in eo conditurus qui nocere vellet. Hi nõ modo magna ſonabant, ſed etiam ſuaviſſimis vocibus permulcebãt aures. Clauſulam cõcentui imponebat verſus ex Pſalm. 89. petitus: *Ibunt Sancti de virtute in virtutẽ: videbitur Deus Deorum in Sion.* Longiuſcule diſtabat ſacellũ, cœleſtib' quoq; Geniis vacantibus occupatum, quos tamen ſigillatim cõſpicere haud potuit, nimio ſplendore viſum auferente. Vnus vero obviã procedens, negotium illi dedit qui latus Furſei dextrum tenebat, reſtituerent homini ſuam animam. Is ubi referri ſe domũ ſenſit, qua potuit obnitens, quonam invitum ſe vectarent! rogavit; quorſum ita ſuaves odas, & præclaram

Pſal. 89.

cem ſibi adimerent? abſtinerent manus. Illi commodum ſubjecere, gaudium nunc quidem rumpendum eſſe, brevi tamen ad eum reverſuros. Cœleſtibus hiſce delitiis adeo captus fuit, ut quo pacto anima denuo corpus ſubiverit, fruſtra conatus ſit memoria repetere. Summa nocte galli cantu ictus, ſalvus & incolumis caput ſuſtulit: per cubiculũ attonitus circumegit, amicis ac vicinis funus curaturis refertum, & ſub occaſum ſolis vivere eum deſiiſſe, affirmantibus. Omnibus deinde ſecedere juſſit, recoxit ambroſiam illam muſicam: incredibilem angelorũ ſplendorem, heu, mœſtus, quod tantis bonis excidiſſet! Miſere quoq; vellicabat animum, quod oblitus eſſet, quæ à ſuis bajulis in mandatis accepiſſet. Cũ deinde nemo mortalium occurreret, quorum arcana hæc communicaret, venit in mentem, S. Euchariſtiam ſumere: non alio ſibi opus eſſe conſultore.

Tertia nocte ſatale denuo frigus obſedit corpus: ille manus & oculos cœlo intendẽs, jam jam ſe animam agere putabat, haud ægre ad percepta nuper gaudia rediturus. Mox lethargus inceſſit grave caput, jacuitq; immotus Furſeus profundo ſomno ſepultus. ſub hæc horrendæ ac inconditæ voces auribus acciderunt: heus tu, egredere ex corpore: exi, exi: quin protin' te foras evolvis, atq; ripis? His dictis fulminatus, concuſſo toto corpore tremulos revelavit oculos, quos in omnem partẽ ſolicite conjiciens, neminem vidit præter duos angelos, à quibus nudius tertius vectabatur, nec non ſuum cuſtodem ferro obarmatũ, qui capiti ſe admovens, pone metum, dixit; diſcrimini, quod cacodæmones tibi ſtruunt, te eripiemus. Tum denſiſſima nebula, nigra, velut orco exhalata, ſiniſtro à latere exurgere ac late diffundi. Per medium informe agmen fœdiſſimorũ corporũ (ad quæ omnes mundi ſordes, ſi cõpares, nitent) undiq; ſcintillans vagabatur. Fœtorem prætereo, quẽ naribus accepiſſe, ſummum Furſeo tormentum fuit. Hinc grave certamen angelos inter & diabolos ortum, iſque clamor ſic tolli ipſi viſus, quem univerſus Orbis exaudiret. Aliquot noxas, trepido objiciebant; parvas eas quidem, ſed tamen furciferis dignæ tanto hiatu ſunt vitæ. Pœnitentia illas abſque dubio abolevi ſſet Furſeus, niſi memoriam fugiſſent. Reum autem faciebant, quod ipſius aſſenſu quædam non ferenda patraſſent ſubditi. Iuſtas proinde pœnas ſe exigere. Nonnullos inſuper eum faſtidiiſſe: aliis iratum fuiſſe: verba quoque inutilia profudiſſe. Acriter hæc dicta ſunt: verum Angeli purgavere reum. Nihilominus cum proſpicere haud poſſet, quonam res eſſet evaſura, miſerrima jactaba-

Terribilem pugnam cũ diabolis depugnat.

Levium peccatorum rerum de expellere conantur.

tur metu, non ausus respicere tremendum tribunal, ad quod etiam verba nullius momenti, vel inanis cogitatio, magnum pondus habent. Anxiam curam vehementer intenderat, judicem nihil prorsus eorum fallere, quæ ipse admisisset: sæpe mortales à scopo aberrare, dum se tetigisse putant: cogitata, dicta, facta, alia trutina hic expendi: accusatores vaferrimos esse: omnia bene notasse. Hinc illę Fursei lachrymæ! quem ideo bonus Deus primas partes hac in tragœdia habere voluit, ut majore vi verborum conscelerातis, aut à fide imprimis alienis, periculum in quo versarentur, depingere posset. *Si enim justus vix salvabitur, peccator ubi parebit?*

1. Petri 4.

Quid sumus miseri tunc dicturi.

Si salutis suæ tam incertus fuit homo sanctus, quid impiis futurum putas? Si Monachus inclusus, à peccandi occasionibus longe remotus, periclitatur, quonam se vertent sæculares, ad quos vitiis semper patent fores? Si Eremita sanctus, cilicio vel funebri sacco tectus, vilibus radicibus victitans, in tantum discrimen adducitur, vanissimus alius mortalium, qui nihil præter cuticulam curat, qua tandem via elabetur? Verbis explicari non potest rigor, quo reos tam excutit, quam punit, justissimus judex, quando eos ad causam dicendam vocat. Cum igitur futura tanto intervallo præsentibus, in quæ tam intenti sumus, distent, nec facile à nobis capiantur, benignissimus Deus per hujusmodi exstasis ea nobis effigiare atque inculcare consuevit.

Immensam tartari voraginem pandi cernit.

Post hæc angelus, qui dextrum Fursei latus muniebat; *oculos in terram dejice*, dixit. Dejecit, viditque in profunda valle laxos caminos quatuor, terram immenso incendio haurientes. Tum angelus, quorsum tanti ignes spectarent, illum rogavit. Se equidē nescire, subjecit Furseus. Et angelus, hisce genus mortalium involvitur, inquit, peritque. Primo ardent mendaces: altero, ii quos mala cupido præcipites egit. Tertio, qui inimicitias susceperunt, aut discordias conflârunt: quarto, crudeles, quique inferiores oppresserunt. Hi quatuor terribiles camini paulatim fluctuantes sese exporrigebant: ad extremum coibant, universa terra fumante, scintillante, & conflagrante. Quid deinde? Furseus ad se quoque incendium progredi conspiciens, ad tres angelos conversus, eorum fidem imploravit, cui unus: mitte sis hunc metum: nec enim tu incendisti hos focos, nec sufflasti. Neminem sine culpa lambunt, aut invadunt, aut involvunt. Interea diaboli nihil de acerba accusatione remittebant. Fuit etiam qui ex sacra pagina negotium facesseret cespitanti Furseo: scriptum est, rauca voce clamitans, scriptum est: *Ille servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.*

Infernales lemures Furseum innocentium albo eradere iterum conantur.

Luc. 12.

Legem vero tulisse Deum, ne quis munera à peccatoribus acciperet. Hoc fecisse Furseum. Ergo.

Non accipies personam nec munera. Deut. 16.

Mox Angelus, illius causidicus, si amicitiam, infit, cum peccatoribus inivit, eos ad frugem reducendi gratia, inivit, non ut peccatis ipsorum applauderet. Quod si aliquid in hujusmodi amicitiis colendis passus est, pœnitentia delevit. Tandem Iudex sententiam secundum Furseum pronunciavit. Quanta lætitia fuerit mundatus, metu liber, cogitari potest, scribi non potest. Eo igitur soluto confestim angeli quam plurimi, aliis cœlicolis mixti, advolantes, chorum & cantum instaurarunt. Dum psallitur, Boëanus & Meldanus Episcopi se propius ad victorem ferunt, cui imprimis familiarissime gratulantur: deinde gravissimis verbis ultima supplicia, pro peccatis luenda, in mentem ipsi revocant; occasiones quam facile homines in vitia flectant, virtutes varo eludunt, docent: ut superbiam, arrogantiam, voluptates perpetuo fugeret, admonent: quantum homini oratio, in pauperes liberalitas, propriæ voluntatis cum divina conjunctio ferat fructum digito monstrant. Postremo, cum jam pararent abitum, vult Numen Max. Fursee, ajunt, ut visa tibi alta mente reposta maneant, ac inde fila tuarum concionum, quas habebis, deducas. Raro extremas istas angustias animo voluunt homines, in quas tamen olim conjicientur. Rationes, ad teruntium usq; reddendę, & rigor tremendi tribunalis, dum mortalibus ob oculos non versantur, pessum eunt.

Heu quam pauci evadunt? quam rari ab acutissimo hujus judicis gladio saltem non perstringuntur? punctim aut cœsim feriuntur? Certe Furseus tam sancte edoctus, miraculis etiamnum puer clarus, qui Deo se ferme prius dicavit, quam ex ephebis excessisset: Monachus vero asperrimam vitam duxit divinorum arcanorum sæpe particeps factus: jam semel à judice absolutus, piaculari tamen flamma tactus est. Cum enim digressa angelorum beata turba, tres reliqui animam referrent in corpus, viam carpebant intra tres, quos diximus, voracissimos caminos. Dæmones insidias atris in flammis collocantes, illac meantem facta eruptione subito invaserunt, correptamque in rogorum unum fulmine ocyus abjecerunt: denique os humerumque valde pulsarunt. Signa profecto, postquam ad se re-

Utinam saperemus mortales, ac novissima provideremus.

diit, corpore ad supremum usque diem circumtulit, ut omnes obstupescerent stigma inustum animæ, apparere in cute. Porro cum ita raptim in ignem iactaretur, in hominem incidit, à quo veste per testamentum donatus fuerat. Subjic ergo memoriam, adhuc inter reculas eam jacuisse, cum ipse vita excederet. Angelus eundem hominem medium arripuit: pariter in caminum sparsit. Hic immani rictu demones: itane vero? illum nobis objicitis, cujus vos vestes habetis? Agite, adeste: pœnæ partem luite, qui pars culpæ fuistis. Nulla avaritia egit Furseum, excepit angelus, ut vestem oblatam caperet, sed memoriæ tantum refricandæ causa admisit, ut divinum Numen ei propitiaret, qui se ipsi commendaverat. Tum ad Furseum conversus, quam integri vitæ, quam sine labe esse debeant Ecclesiastici, ostendit. Non enim leve eos periculum adire, quam primum male sanæ cupiditati laxarent habenas, præter salutem animarum aliud appetendo. Vt animas, non ut sua commoda curent, sacris ipsos initiari. Iret jam, ac jussu Dei duodecim annos idolis exigendis, & peccatoribus in viam revocandis operam impenderet. His dictis abscessere.

Integri vitæ sancto homines sacri.

Animâ in corpus redactâ, suspensâ Furseus fronte assulos lectulo familiares circumspexit, ex altò somno vel paroxysmo ipsum emersisse opinantes. Ingens deinceps tristitia hominem tenuit, semper memorem quanta passus esset: quanto pavore correptus inter sacrum & saxum stetisset: minuti errores quam magni fierent à supremo judice, secum volvens. Post domo sese ejiciens, tanta vi dicendi concionatus est, ut incolæ ex urbibus & pagis affusi aures ipsi darent: sequerentur tanquam capti nexique. Incredibiles enim animorum motus ciebat.

Quid sibi accidisset studiose premebat, nisi in magnum bonum cessurum animadvertisset. Narrat Beda gravem Monachum ac fidei plenum suo in Monasterio, fuisse, qui plus simplici vice sibi retulisset, aliquando Furseũ judicium quod subjisset, ac diabolorum impetum in se factum, pro concione exposuisse hyemante cœlo, solaque præteritæ tragediæ memoria subito metu adeo perculsum esse consternatumque, ut non modo corpore toto inhorresceret, pallidusque inter dicendum contremisceret, sed insuper frigidissima tempestate ventis patens, nihil adversus gelu munitus, anxiis guttis ubertim flueret.

Beda l. 3. c. 19

Quæ tela igitur è pharetra produxisse concionantem, immo quæ fulmina jecisse putamus, dum de tribunali ultimo verba fecit, ad quod ipse jam semel pallidus stetit? Itaque periculum hoc quod omnibus imminet, summis, infimis, locupletibus, pauperibus, denunciavit. Hoc nonnulli iniquissime tulerunt, quod hujusmodi tonitrua voluptates, delitias, scelera, in fugam conjicere viderentur. Quocirca haud exiguam invidiam ipsi apud populares conflârunt, ad quam declinandam, cogitavit in Angliam, haud littus ibi araturus. Postquam trajecit, Sigebertum, qui parti insulæ imperitabat, cum sociis adiit. Vt primum Rex intellexit, venisse virum ut vitiis bella moveret, amantissime excepit: præterea non procul Cnobburgo, insigni urbe, locum Monasterio extruendo capere jussit, quod postea Cnobtherburgense appellatum est. Situs magnam à vicino mari & virentibus sylvis trahit amœnitatem. Surgentem fabricam Anna Rex, nec non alii Principes suis opibus attollere connisi sunt, unde brevi supremam accepit manum.

Cum frigidissimo cœlo damnatorum pœnas explicaret sudore ubertim fluxit.

Cnobtherburgum Monasterium in Anglia ædificavit.

Divisa itaq; inter socios, quos adduxerat, vel in Anglia sibi adsciverat, operâ (è quibus SS Foillanus & Vltanus eminebant) infelici lolio ubiq;, qua se ferebant, evulso, terram cœlo jungere visi sunt. Atqui S. Furseum, modo tremendum jus, in quod vocatus fuit: modo ambrosiam cœlestium Geniorum Symphoniam animo volventem ac revolventem, ingens desiderium solitudinis cepit, ubi hujusmodi cogitationibus perpetuo indulgere posset, nemine quietem interpellante. Quapropter Foillanum fratrem germanum Monasterio præfecit: Vltanum, alterum, in Cœnobio ante id ad Regulæ unguem exercitum, in deserta se comitari jussit. Sed ah! optata tranquillitate non diu frui licuit. Nam Reguli Angliæ in acerbissima odia acti, Eremitorio, Monasterio, insula tota ipsum pepulerunt, qui malo cedẽdum ratus, constrictis Sarcinis in Franciam vela vertit, quem Clodove' Dagoberti filius obviis brachiis accepit: palatini quoq; ceu cœlo delapsũ amplexi sunt, nec nõ arrectissimis aurib' concionantẽ audiverunt. Herconvaldus Major Domus plane in sinu virũ tulit, auctorq; ipsi fuit, ut in Episcopatu Parisiensi Monasterium conderet, cui Latiniacum nomen posuere. At Galliæ non diu frui hoc servo Dei licuit.

A regulis Angliæ Monasterio & Eremitorio exutus.

In agro Parisiensi Latiniacum Cœnobium condit.

Aliquo Rex tendebat. Gratissima appendix S. Furseus Regem prosequebatur, ignarus eundem sibi esse ad æternitatem. Corripitur subito morbo: nec diu luctatus, beatam animam edit. Tot admiranda tam vivens quam vita peracta fecit, ut verbis expedire nequeam: nec audeam

Ex itinere ad Superos evolavit.

quidem, ut ut ipse mihi receptui canas qui paulo ante in sancti viri exstases prolixe me effudi.

Erchenaldus sacram ædem id temporis erigebat proxime Peronam, Picardiæ civitatem. Opus triginta, non amplius, dierum spatio absolutum fuit: funusque sub porticu collocatum. Cum deinde juxta maximam aram conderetur, omni cadaveris nota carere, deprehensum est. Post quadriennium additum ædi à latere sacellum est, in quod SS. Eligius & Autbertus Dei famulum intulerunt. Sed prius curiose corpus, tanto tempore exanime, inspexere, quod nulla parte violatum erat. In tabulas Ecclesiasticas ad diem XVI. Ianuarii relatus est, quem Peronenses & Latiniacenses cultu singulari prosequuntur.

Corpus ejus post quadriennium incorruptum.

S. Furseo ad Divos sublato, Elochius seu Eloquius Latiniaco pro Antistite impositus est, populari ipsius atq; discipulus. Fert Molanus non in sola Gallia sed insuper in Saxonia rẽ Christianam ab ipso provectã, cujus ossa ducentos fere annos habuit Episcopatus Laudunensis: inde vero VValciodorum, quod Ord. S. Benedicti Monasterium est, ablata sunt. Colitur III. Non. Decembr. Post hunc onus excepit S. Mombolus: XIV. Kalend. Decembr. Cœlitibus accessit: quo autem anno, ignoramus.

Elochius. Molan. V. Elo. Martyrol. 3. Dec. & 18. Novemb. S. Mombolus.

His tam firmis fundamentis innitens Latiniacum, etiam hodie immotum consistit. Publicum olim Hibernorũ in Galliam transeuntium diversorium erat. Pollebat etiam opibus, ac soli Pontifici Max. parebat, de quo Taxarum, ut vocant, codex Romanus fidem facit: *Latiniacense S. Petri Monasterium, Ord. D. Benedicti, in Diœcesi Parisiensi, solvere debet mille & trecentos florenos*: scilicet pro Cõfirmatione. Hinc tam libertatem Monasterii quam opes conjicias. Chopinus quoq; dum ea Ord. S. Benedicti Monasteria describit, quæ late dominantur, & Comitatus vel Principatus titulis gaudent, Latiniacensem Abbatem Dynastam vocat, quasi potentem. Meminit aliquoties Antistitis hujus Monasterii Sanctus Bernhardus, præsertim epistola 230. ad tres Episcopos Romam data, qua ipsum ut bonum Monachum, melioremq; Abbatem dilaudat, adeo ad rem non avidiorem, quam par sit, ut facile admittat hospites; temperantiam, benevolentiam, castitatem, humilitatem sedulo colat, rogatq; illos Præsules ut calumniam passam defendant: virtutis comitem semper invidiam fuisse: & malos obtrectasse bonorum laudibus.

Chopin. l. 2. t. 4. num. 7. S. Bernhard. ep. 230.

Hoc ætatis fama quoq; S. Ettonem Hibernum, expeditionis socium, virum cum primis Apostolicum, celebravit, qui multos in Gallia ad fidem & frugem adduxit, & ne longum faciam, plurima miracula patravit. Episcopus initiatus fuit, at nullo certo loco hærere jussus, quod tunc summi Pontifices multos consecrari Monachos annuissent, qui per diversas provincias & regna circumvolarent, non uni urbi vel populo affixos. VI. Id. Iulii sanctam animam exhalavit, Frizciaci, Ordinis Divi Benedicti Prioratu, Lætiensi Monasterio subdito, humatus est.

S. Etto, Philani Regis Hiberniæ filius, Lonipetrensis Abbas, Chorepiscopus. Martyrol. 10. Iulii.

Comes insuper S. Fursei etiam S. Berthuinus, fuit, in eum morem Episcopus, quo Sanctus Etto. Postquam Ecclesia magnum ex ipsius laboribus fructum cœpit, III. Id. Novembr. humana deseruit, sequentem tamen diem festivum habet, ut locum S. Martino det. Maloniæ sepultus est, Canonicorum Regularium S. Augustini, Leodiensis Diœcesis Monasterio.

S. Berthvvinus, Maloniæ sepultus. Martyrol. 4. Novembr.

His S. Fredegandum adde, quem S. Foilanus plerumque secum duxit. Refert Molanus Doorne, haud longe Antvverpia, tumulatum, ibique Asceterium nomini ipsius sacum stetisse. Verum sublatis alio ejus ossibus, Nordmannos velut propugnaculo disjecto irrupisse: solo ædes æquasse.

S. Fredegandus. Molan. Indic.

Patrum nostrorum memoria veneranda lipsana in quodam D. Petri Monasterio, à S. Amando fundato, non procul Namurco sito, asservabantur; (Moniales id incolebant, nunc Canonissæ tenent:) sed dum irrumpentibus Gallis ea abscondunt, plus nimio solicitæ fæminæ, perdiderunt.

Caput III.

Historia Sanctæ Gertrudis imponitur finis.

Agmen SS. Monachorum Hibernorum, quod huc usque duximus, claudunt SS. Vltanus & Foilanus, S. Fursei fratres, à Beda in historiam Angliæ inserti. Quod rem Christianam domi, sed maxime foris auxerint, nil attinet repetere. Diversi postmodum in opus incubuere. Sanctus Vltanus perstitit in Fossensi Monasterio: S. Foilanus iter Romam intendens, rogavit Martinum I. potestatem sibi faceret, Evangelicam legem gentilibus explicandi. Annuit ille, fecitq; Episcopum, in Galliam relegere viam jubens. Inter suos fratres atque socios solus Martyrii palmam tulit. Pridie Kal. Decemb. in Sylva Carbonaria (ita vocant locum) cum aliis quibus occisus est, quorum tamen nomina cum coperta haud

Bed. l. 3. c. 19. hist. Angl. S. Foilanus à Martino PP. primo creatus Episcopus. In Sylva Carbonaria cæsus est.

sint, Fossenses Monachi dum litanias recitant, S. Foilanum exerte appellant, cæteros communi sociorum verbo. Crimen tegere potuisset sylva carbonaria, sed Deus SS. Gertrudæ ac Vitano detexit, ut Martyri suus constaret honos, cultusque.

Palmam hanc propemodum Foilano invidit S. Gertruda, millies pro sponso suo vitam ponere parata. Sed cum manus violentas sibi afferre ad consciscēdam mortem nō posset, indignata, corpori qua potuit, illud afflixit. Abbatia triennio ante, quam fato concederet, abivit: rebus in VVilfertrudā cognatam suam rejectis, ut tanto quietius rationes secum inire posset. Tricesimum tunc agebat annum. Vbi ad tertium ventum est, morbus eam ac metus simul incessit. Quamvis enim summa innocentia vitam traduxerit: delitias quascunque à se longissime removerit (nisi quod assiduam pœnitentiam in delitiis habuerit) sibi tamen à severo Iudice timuit.

S. Gertruda ægrotans non absque gravi metu Iudicis, cōponit sanctos.

Cum in lectulo decumberet viribus defecta, & tam spes quam metus animum versarent, Monachum accersivit, in Parthenone certa ministeria obeuntem. Advolanti, i, obsecro, dixit ad Vitanum Fossensis Monasterii Abbatem, i, meisque verbis majorem in modum obtestare, ut imprimis pacem Numinis mihi exposcat: deinde quo die sim moritura, mihi nuntiet: non vitæ me desiderio teneri, sed hac exuta quid me futurum sit, formidare. Atqui propere propera, & responsa fide bona refer. Legatus pleno gradu contendit ad Vitanum: quid in mandatis haberet, ordine exposuit. Sacer Antistes Gertrudam: bono animo esse jube, respondit: cras sub summo sacro mortem oppetituram: S. Patritio duce ac angelis undique stipantibus astra petituram. Onustus tam fausto nuntio Monachus, citato pede se domum retulit: quid apportaret, ægræ Gertrudi narravit. Hæc quasi ex alto somno excitata arrectaq; resumpsit animū, mille gratias Numini agens, quod se ante supremum diē tam læto nuntio afficere voluerit.

Secura jam sui (nam S. Vitano fidem habuit) nihil tamen de pœnitentia remisit, neque horridum cilicium, quod vetere vilique panno obductum erat, exuit, sed suis potius negotium dedit, ut hirsuto isto sacco involutam sepulchro inferrent, cultas vestes, dictitans, nec vivis nec mortuis prodesse. Insuper Moniales eam noctem insomnem ducere, secum psallere, ac Deum laudibus celebrare jussit. Prima luce sacrum ferculum sumpsit: post, sacerdote rem divinam faciente, oculos & vitam clausit: Sancto Patritio cœlestibusque ephebis prosequentibus ad Superos evasit. Addit vitæ ipsius auctor, qui morienti adsuit, cubiculum id temporis fragrantissimum spirasse odorem.

Angelis & S Patritio prosequentibus ad Superos abivit.

Præterea S. Gertrudæ intimam cum Sancta Modesta, Abbatissa S. Mariæ in Horreo, Cœnobio Treviris sito, intercessisse amicitiam (nam simile simili gaudet) etsi invicem notæ non fuerint, nisi fama tenus. Forte Sanctam Modestam advolutam Beatissimæ Virginis aræ, tunc vacasse contemplationi: à dextra admovisse S. Gertrudam, cultu habituq; quoridiano, seu consueto inductam: illam salutasse, & de felici sua morte, partisque æternis gaudiis, certiorem fecisse. Alta mente visa reposuit Modesta, nec verbulum sibi excidere passa. Fuit aliquando eā inviseret S. Clodulph.^s Treverorum Antistes: Tum illa optatam occasionē nacta, sermonem per ambages in Gertrudam flexit. Hic S. Clodulphus à capite ad calcē eam depingere: quos oculos, quæ ora, quas denique vestes tulisset, ad unguem exprimere. Talē sibi prorsus conspectam esse in templo, idq; hora sexta, subjecit S. Modesta. Mittitur à sancto Pontifice homo certus, qui exploraret; omnia convenere.

Post mortē apparuit S. Modestæ.

S. VVilfetruda, quam sibi S. Gertruda suffecerat, dictu affabilis erat: blanda obedientibus, dura aspernantibus. Vndecim annis rebus præfuit, quibus fortunæ Monasterii non semel à cupidis in discrimē adductæ sunt, quos tamen ipsa prudentissime rejecit. Antistes tertia S. Ine fuit, quæ matri suæ & magistræ S. Gertrudæ templum condidit, quod alterum miraculum ex altero ederet, ac omnis ejus supellex in res sacras vertisset, jamq; etiam lectulus venerationi esset, atque in nova Basilica asservaretur.

S. VVilfetruda in locum S. Gertrudæ succedit.

Nivellæ Monasterium tribus sanctis Abbatissis insigne, hodie Canonissarum est, relicta sola S. Gertrudæ memoria cum annuo cultu.

Nivellæ Monasterium hodie Canonissarum est.

Quem illæ vivendi modum habeant, non sumus ita otiosi, ut regeramus. Nec solum Nivellenses, sacris ejus ossibus gaudentes, sed insuper tota Brabantia & Galliæ Belgica, pro patrona eam sibi asciverunt, sanxitque Honorius III. Pontifex. Max. ut dies quo ad Cœlitum quietem evocata est, universæ Germaniæ inferiori festivus esset.

Tulit præterea felix illa ætas Beggam, S. Gertrudis sororem, à Sancta Iduberga matre ad virtutem institutam. Multum vero refert, à teneris timori ac amori Numinis assuevisse. Ansegiso, S. Arnulphi postmodū Archiepis. filio in matrimonio collocata, fuit, unde Carol. ac Ludov. Galliæ maximos reges, atq; Europæ lumina & ornamēta origi-

S. Begga, S. Gertrudis soror.

nem duxiſſe, jam ſæpius inculcavimus: factis tamen ſuis clarior eſt, ob quæ Divorum Albo indita eſt.

Andainam Monaſteriū prope Moſam conſtruxit.

Vidua marito, Romam, ex more illius tēporis contendit. Pontifex ſanctorum reliquiis gravem dimiſit; illa denuo Brabantia potita Monaſterium proxime Moſam poſuit, quod Andainam nominavit, ubi ſeptē Eccleſias erexit, Romanam urbem imitatura, ſuosq; populares ad parem pietatem ſolicitatura. Ne vero obiter tantum religioſæ diſciplinæ fundamenta in novo ſuo Cœnobio jacerentur, Moniales è Nivellenſi ſeu S. Gertrudis Monaſterio accivit, quæ innocentiam ſuam & conſtantiam Antiſtiti ſuæ jam pridem affirmarant. Ipſa quoq; ſe velo condidit pertæſa publicam lucem. Ad xvi. Kal. Ian. feſtum ejus agit Andainenſe Aſceterium. Bonam partem lectuliſuæ ſororis, ab Ine Abbatiſſa adeptam cuivis theſauro antepoſuit. Hoc quoque Monaſterium ex culmine regularis obſervantiæ ad Domicellas ſeu Canoniſſas ſæculares deſcēdit. Opulentum eſt, ut hujus notæ alias nam Principum alunt filias: nec quiſquam eſt qui litem illis movere, aut aliquid detrahere velit.

Martyrol. 17. Decembr.

S. Vltanus Abbas Foſſarum, 1. Maij mortuus.

S. Vltanus longe poſt S. Gertrudam extendit vitam. Eum enim adhuc deprehendo ſub Theodorico, Clodovei II. filio, egregiis ſemper negotiis implicitum: veluti cum S. Amatum Epiſcopum idem Theodoricus proſcripſiſſet, necnon in Foſſenſe Monaſterium inſontem compegiſſet, is paſſis ulnis extorrem accepit. Tandem Kal. Maij ſecundum faſtos Romanos vivere deſiit.

Martyrol. 1. Maij.

An. Christi 649. An. S. Benedicti 169.

Sanctus Amandus Martinum I. Pontificem Max. per legatum adit.

S. Amandus otii impatiens.

S. Amandum annos circiter octoginta natum, poſt aliquod temporis intervallum, in theatrum reducimus. Ad tantum enim numerum adhuc undecim vel duodecim annos adjecit. Vires cadentes ingens ſpiritus erexit, quo ad honorem Numinis propagādum incredibili impetu ferebatur. Hoc profecto ætatis, labores juvenis viginti quinque annorum æquaſſe dicitur. Vnde cū à montibus Pyrenæis uſq; ad Danubium: & ab Aquitania uſq; in Slavoniam terras interjectas Chriſtiana fide excoluiſſet, non modo ad quietam capiendam corpus feſſum haud compoſuit, ſed inſuper novas expeditiones animo agitavit. Trajectenſem Epiſcopatum tanquam ſuum habuit: priores vero potius ad Evangelium introducendum, quam incolendum quandoq; obivit. Creditum eſt Dagobertum Regem ideo in Sedem Trajectenſem collocaſſe ſenem, ut aliquando figeret pedē: & Sigebertum regium ephebulū ad cœlum & ſceptrum formaret, quem ad regnum Auſtraſiæ, procerum & populi rogatu, jam auctoraverat. Quamvis autem canis eſſet obſitus, Sigeberto, & Clodoveo ipſius fratri perchar', ſtare tamē loco neſciebat, ſed poſt brevem moram è nidulo ſe excutiens, ad officium redibat, ſuum eſſe, dictitans, circumvolitare: cæcos mortales ad ad Chriſtum pertrahere.

Epiſcopatum deponere conatur.

Quocirca Martino I. Papæ libellum ſupplicem per legatum porrexit, orans ac obteſtans, ut poteſtatem faceret ſe abdicandi Epiſcopatu. Hoc enim onere levatum atq; vacuum, facilius gentilium terras concionando emenſurum. Inſuper ut Pontificem magis impelleret ad annuendum, quoſdam ſacerdotes ſui Epiſcopatus acerbas ſecum inimicitias ſuſcepiſſe, adjecit. Sanctiſſimus enim ſenex ut ſuū exequeretur mun', Diœceſin peragravit: quæ pars labaret exploravit: nonnulla vitia inde exegit. Hinc illud odium: hinc accipiendæ injuriæ fuerant. Admiſcuit etiam preces ut ſe Divorum reliquiis donaret, quippe aliquot Eccleſias ſibi ſacrandas eſſe.

Martin. I. PP. Epiſt. ad Amand. quæ incipit: Fraternitatis ſuæ ſtudio.

Abnuit Pontifex.

Pontifex data viciſſim epiſtola S. Amandum ſummis laudibus tulit, quod Dei gloriam honoribus ante haberet. Eum deinde ad pios hoc genus labores domi potius ſubeundos animavit, quam ut Epiſcopatu abire, atq; relictis rebus alio concedere vellet. Cum ſuo igitur grege cui paſcua deberet, perſeveraret, quantumvis nonnullis laceſſeretur. Præmium, labore multis partibus majus futurum. Epiſcopis veſtigia Chriſti premenda, qui ultima quæque paſſus ſit, ut æternum exitium ab ovibus ſuis averteret. Media deinde epiſtola iterum aggreditur ſenem, identidem rogando ne caderet animo: nimirum ex perpeſſis calamitatibus, Deum noſtras conflare coronas. Poſthæc, novos fluctus, quibus navicula Petri pulſaretur, ei ſignificat. Patriarcham videlicet Conſtantinopolitanum, favente Imperatore hæretico, Monothelitarum ſcelus ex orco revocaſſe, jam dudum ab Eccleſia condemnatum. Item à ſe Concilium Romæ habitum. Quid ipſe Patreſq; ſanxerint, exponit, jubetq; Amandum per Trajectenſem Epiſcopatum & Auſtraſiam Concilii decreta evulgare. Extrema charta ſacrarum reliquiarum ſe compotem ipſum facere ſcribit. Redditis litteris in utram ſe partem verteret, animi dubius fuit Amandus. Parendum Pontifici erat: manticam vellicabant

Monotheliſtæ ex orco reducti.

gentı-

gentiles, quibus Evangelicam lucem impertire ardebat. Capto diu consilio, itineri se accinxit: Romam contendit.

AN. CHRITI 650. AN. S. BENEDICTI 170.

S. Amandus iter facit Romam. Frequentat limina SS. Apostolorum.

ROmam S. Amandum cum alia, tum devotus erga D. Petrum animus ducebant, cujus quidem limini jam olim oscula fixerat, affectusque singularibus ab eo beneficiis, multa redux Monasteria ipsius honori condiderat consecraveratque. Apostolorum principe salutato, Martinum I. Papam convenit, à quo petitionis utcumque compos est factus. Quamvis enim is Episcopatu senem se abdicare haud passus sit, vicarium tamen addidit, qui Trajecti & in reliqua Diœcesi rem curaret, dum senex per gentilium sedes se circumageret, idololatriam undique eiiciendo. Is autem vicarius, à Pontifice designatus S. Landoaldus fuit, par cuivis oneri ferendo. Eunti S. Amando chara certe appendix adhæsit, videlicet SS. Vinciana & Aldetruda, ipsius sorores: Amantius Diaconus: septemque alii socii. Potitus denuo Trajecto, Episcopatus cura in Landoaldum rejecit atque è sepris illis erumpens, totumque Orbem animo complectes, Apostolicum munus, quasi recens, iterum aggressus est, certus Landoaldum quamdiligentissime officium facturum: Trajectum tamen haud amplius revertit. Nam inde aliquot annis in fide Catholica provehenda positis, tam ætate quam laboribus fractus, Elnonense Cœnobium struxit, in quo vitæ reliquum consumpsit S. Landoaldus, memor quanti viri ageret vices, Episcopatui annis novem præfuit ac profuit.

S. Amandus à Pontifice suffragium accipit.

Elnonense Monasterium condit.

ANNVS CHRISTI 651. AN. S. BENEDICTI 171.

CAPUT I.

S. Landelinus Abbas.

FVit S. Landelinus in agro Cameracensi (vallis loco nomen est) nobilissimis parentibus natus. Insignis indolis adhuc admodum puer egregia specimina dedit à S. Autberto Episcopo fonte sacro lustratus, domique ad virtutem & litteras formatus est. Sedes enim Episcopalis id temporis vel Monasteria erant: vel scholas habebant adjunctas, ubi pueri instituebantur postea Ecclesiæ operam navaturi. Animadverterunt cognati juvenis & amici, Autbertum id spectare, ut sacerdotem & Monachum faceret, ideoque sociato consilio intercessere, diversis obicibus objectis: præsertim vero Landelino in aurem garriverunt Nobilitatem suam, ut ne ipse deprimeret: in patris, bello clarissimi viri vestigia iret: non ultimum in palatio futurum, si heroica potius facinora meditaretur ederetque, quam insinuatis in cucullum manibus, sederet otiosus. Injuriam florentissimæ ætati suæ facturum, si delicias quas in potestate haberet, reiiceret ungues autem roderet in Monasterio.

S. Autbertus Landelinum puerum educit.

Morem gessit amicis multa perperam suadentibus juvenis: mox clam S. Autberto fuga se abstulit: spatio brevi vitia quam plurima didicit: genio indulsit: animæ salutem non quicquam pensi habuit. Insuper cum flagitiosissimis bipedum societatem coiens, amotoque ex animo Dei timore, in abominanda scelera præceps ruit miser, ut jam parum ipsi esset latrocinari, nisi latronibus & sicariis se antesignanum præbuisset. Montibus se & obscuris saltibus plerumque condebat, incautos viatores opprimens. His indignis facinoribus ad S. Autbertum perlatis, suspiriis ex imo fundo ductis fatigabat pectus, cum quod extremis flagitiis in caput suum provocaret Numen infelix juvenis: tum quod sua è schola prodiisset. Deniq; velut mortuum ac dæmonum prædam deflevit. Interea precibus quoque & lachrymis à clementissimo Deo contendit, cæco lumen aliquam aspergeret, ut quanto in periculo versaretur, agnosceret. Ille suum etiam nomen cum pelle verterat, Maurosi nomine sumpto, ut hac larva incolas falleret. Atqui scelera ipsius majora erant, quam ut tegi potuissent. Quamvis autem nil afferretur, ad frugem eum rediisse, vel lupum mutasse mentem, haud secius tamen fluere lachrymis S. Episcop. & obnixe supplicare Opt. Deo.

Puer se magistro subducit, & cum vitiis dextram jungit.

Vitam per latrocinia trahit.

O pulenta quædam domus sæpe verberabat prætereuntis Maurosi oculos. Statuit aliquando cum sociis fores effringere: invadere: deprædari. Sed hem, nocte ad facinus aggrediendum dicta, unus è consceleratа manu ad divinam tribunal excitus, abivit. Ægre hunc casum tulit Maurosus: humari sequenti luce jussit. Concussus & ignarus, quo fata aut sors rapuissent commilitonem, paulatim melancholia opprimi: in somnum labi: ac prono vertice nutare cœpit. Interea dum in utramque aurem

Sapere incipit alieno periculo.

dormivit ecce, socium, primulum mortuum, à diabolis crudelissime jactari, quati, ad profunda tartara raptari vidit. *O incomprehensibile divinæ prædestinationis arcanum!* Territus portentoso spectaculo Maurosus expergesit: rationes secū exigit unde, quo, decidisset! diris facinoribus se contubernalem longe anteivisse: sequendum fore ad supplicia: non leviora, sed graviora à se petitum iri. Quonam igitur inter tot abominanda scelera se verteret! Nefas esse extremum putavit, nullam sperare salutem. Humi itaque procumbens, & in lachrymas solutus, quod rationes suas divinæ Majestati probare, aut se purgare non posset, mœstissimo planctu indoluit.

Queritur factorum rationes se reddere haud posse.

Dum humi imbre suo natans, querelasque miscens consternatus volvitur, angelus se infert, quid te, juvenis, inutiliter fatigas, dictitans: cur ejus aures incondito rugitu obtundis, quem offendere tibi jocus & risus fuit! Age fare, num hanc tibi stolam injecerunt, cum sacro latice ablueteris, atque diabolo conceptis verbis renuntiares! Quæ autem (malum) te dementia cepit, ut cacodæmonis mancipium, quam Dei filius esse malles! Hoc etiam mihi expedi, an Maurosus fueris baptizatus! inunctus! cœli candidatis additus! oh! Autbertus Episcopus Landelini nomen inscripsit libro, qui lustratorum nomina refert; id diabolus erasit, suoque catalogo Maurosum infaustum nomen imposuit. Iam te pridem supplicia in tartaro exoluere oportuit. Immo, vitam & salutem jam perdidisses, nisi Autbertus tua causa suscepta, Numen tibi precibus & lachrymis propitiasset.

Balbert. in vita S. Autbert. apud Sur. 13. Decemb.

Iam hiabant orci fauces; jam jam eras deglutiendus, nisi advocatus hic intercessisset. Nunc igitur alterutrum de te statue: vel ad innocentiam redi: vel æterno igni te para. Recte tibi tamen consulueris, si ad Autbertum reversus, ejus dicto audiens fueris. Conscius sibi improbus juvenis, & confusus, jam ipse se ferre non poterat, etsi parva tantum scintilla pectori injecta esset. Videns enim quo loco res suæ forent, imbrem perpetuum oculis emorientibus profundebat, nec quidem Autberti genua amplecti ausus ad peccatorum horrendorum molem deponendam. Terrebant multitudo, magnitudo, enormitas; obversabatur oculis socius, subito vita exemptus, & in stygis voraginem detractus. Bene habent principia.

Redintegrato tum animo, Cameracum ad S. Autbertum se recepit, quem cum rectis oculis aspicere non auderet, ante pedes prosternens corpus, filii prodigi carmen inter singultus verbis tertiatis expendens,

Ad S. Autbertum vestigia relegit.

Luc. 15.

Pater, dixit, *Pater peccavi in cœlum & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus.* Talibus lamentis excivit lachrymas sein. Ergo affixum solo erigit: in ejus se collum infundit: quid deinceps facto sit opus edocet. Quamvis autem in Monasterio ad scelera eluenda degere eum jusserit, habitum tamen religiosum induere non æque permisit.

Postquam utcunque animum conscelera̅tum composuit, tam dira de se sumpsit supplicia, ut peccatorum pœnitentium singulare exemplum censeri potuerit. Ante omnia humilitatem coluit; quo fundamento jacto, fame, siti, frigore, vigiliis, conscium criminum corpus adortus est, nec quidem necessaria ei indulgens, ut tandem S. Autberto sacra veste dignus fit visus.

Graviter in se ipse animadvertit.

Illi in votis erat, Romam proficisci: ad limina Apostolorum procumbere: pacem Numinis poscere. Annuit optimus Pater, felix faustum iter esse jubens. Landelinus pauperum in morem ocyus viæ se committit: multas ærumnas sponte sumit, ut longas rationes quas cōtraxerat, faceret breviores.

Romam petit.

Officio peccatoris pœnitentis Romæ perfunctus, Cameracum revertit, ad sui Patris vestigia se denuo abiiciens. Lætus hac morum mutatione & constantia senior, experię jam virtutis juvenem, Diaconum initiavit. Subvectus in hunc gradum, adeo nihil intumuit, ut potius se profundius omnibus submiserit; cumque singulis satisfaceret, ipse semper aliquid à se desiderabat. Scilicet divina luce incrementum in ejus anima capiente, etiam atomos perspiciebat, nedum vitæ præteritæ olympos. Hinc illæ lachrymæ assiduo cadentes ob contemptam divinam majestatem. Post hæc Roma repetitur: itineris ærumnæ cumulantur: redux in mystorum ordinem redigitur.

Reversus, iterum ad genua S. Auberti manus tendere, ac veniam petere
Fit Diaconus.

Sæpe vero querelas miscuit, haud se dignum qui tanto fungeretur ministerio: memorque quantas hinc inde prædas egisset; quātas animarum corporumq; strages edidisset, dux malorum, resarcienda sibi, qua posset, hæc damna esse, perpetuo ingeminavit. Quocirca tertium profectus est Romam, Adelino & Domitiano sanctissimis Monachis sibi adscitis. Rebus cæteris ad sepulchra Apostolorum compositis, Summum Pontificem venerati, rogarunt, ut Evangelii promulgandi sibi faceret potestatem. Ille annuit petitioni, ac discessuris bene precatus est. Domum reversi magno animo divinum opus aggressi sunt, quibus cum se multi passim jungerent, S. Landelinus aliquot Monasteria, quibus reciperentur ædificavit.

Facultatem fidei promulgandæ Pontificem poscit.

Primum

Condit Mon. Lobiense: Alnense.

Primum prope Sabim aut Sabram fluvium, per Hannoniam meantem, statuit quod Lobiense seu Laubiense vocavit. Alterum juxta pagum, cui Alnæ nomen, posuit, ac S. Petro dedicavit, illatis hujus Apostoli lipsanis, quibus Romæ donatus fuerat. Intervallum utriusque trium leucarum erat. Posterius, Alnense dictum. Guastariense tertium, octavo lapide Lauba eo dissitum, eidem Apostolo consecravit.

Guastariense.

Crispiniēse.

Parta jam celebri per Galliam fama, regni proceres magnis Landelinum muneribus afficere, unde religiosa domicilia condere, servosque Dei sustentare posset. Repletis jam tribus Cœnobiis, quibus moderandis tres viros præclaros præfecarat, quartum prope Hon, Hannoniæ amnem, construxit, quod Crispiniense appellavit. Ipse Sanctus cum sociis Adelino & Domitiano correptis ligonibus & bipennibus eruit vepreta, & cæcidit sylvam, ut templo, Cellis, officinis locus esset. Aliquando cucullos ampliores (vocamus floccos) exverant, ne intentis operi impedimento forent. Quidam in insidiis collocatus, suo prædio timens ne quid detrimenti caperet, suspenso gradu ad cucullos se promovit: raptim abstulit: in sylvam se reduxit, spe fretus alium fundum culturos. At non impune tulit: nam dolore acutissimo pœnas dedit, sic ut nulla pars corporis vacaret cruciatu, totaque compago vacillaret. Incertus quid ageret, dubitare cœpit num forsan hanc fabam sibi cuderent cuculli furtim subiecti. Non mora, qua valuit in pedes se coniiciens, S. Landelinum adivit: veniam peccato petivit. Ille fusis precibus salutem ægro restituit: Monasterium nemine amplius se movente, perfecit. Miraculú vero istud pro pignore accepit, crimina ante id patrata, sibi remissa esse. Locum Beatissimæ Virgini Mariæ, qua patrona utebatur, sacrum esse voluit.

Furti causa implicitum morbo vicinũ, ad imas preces procumbentem, morbo levavit.

Iam nihil desiderabat fabrica, & situs nihil, præter fontem. Rivus enim aliquanto spatio distans, non parum negotii facassebat Monachis, quotidie aquatum euntibus. Ergo in vota incumbit Landelinus, cœlum pro unda pulsans. Vbi se impetrasse sensit, scipione, quem manu tenebat, solum ferit: confestim limpidissimus fons erupit, crispante aqua, unde Crispinii nomen Monasterio positum. Hic sedem figens S. Landelinus, frequenter in viciniam excurrebat, pugnam adversus vitia capessens. Monachi rigorem Regulæ S. P. N. Benedicti aliis quoque austeritatibus augebant. SS. Landelino, Adelino & Domitiano auctoribus.

Ictu baculi Crispantes undas elicit.

Flagitia pristina nullum jam tempus è memoria Landelini poterat abolere. Cum igitur ipsius opera Cœnobium haud amplius indigeret, Eremiticam vitam agere instituit, ut omnibus modis sibi Numen propitiaret. Cepit locum Eremitario, (id D. Petro dicavit) sat commodum, quod fons Crispinus eo ferretur. Insuper Adelino laborum ac viarum comiti in mandatis dedit, ut propter Hon: fluvium, Cellam aliam excitaret, uno lapide à sua distantem: itemque Domitiano ut faceret idem ad secundum lapidem. Angelos colere hæc tuguria putasses, non homines. Certatum vehementer inter ipsos fuit, quis alii charitate in Deum: asperitate in suum corpus antecederet. Non se tenebant, quin subinde circumjectos populos revisarent docendo, confirmandoque: tum vestigia ocyus in desertum relegerent. S. Landelinus terras cum cœlo vxii. Kal. Iunii commutavit: à Monachis in Crispiniense Monasterium relatus est, ubi postmodum insignia miracula patravit: unde æstimes quam Deo placeat, si scelerum non uere pœniteat, ita ut eradamus etiam peccatorum elementa, quando hominem ita facinorosum post lachrymas venia, gratia, cœlo donavit: Flandris venerabilem reddidit: Ecclesiæ fastis dignatus est. S. Adelinus v. Kal. Iulii diem suum obiens, in eodem Monasterio sepultus est, cujus mentionem faciunt Molani Indiculus, & Vsuardi Martyrologium. S. Domitianus x. Kal. Iunii Cœlitum numerum auxit, cujus ossa Crispiniense Cœnobium excepit.

Eremiticam agit.

Moritur 16. May quo die ab Ordine quot annis festivo cultu afficitur.

Cœlestes ei honores decreti.

Martyrolog. 25. Iun. Vsuard. 27. Iun.

Item SS. Adelinus Domitiano & Dodonio.

Dodonius Abbas Vuasleriensis, discipulus S. Landelini v. Kal. Novemb. vitam exuit. Postridie tamen ab Ecclesia colitur, quod SS. Apostoli Simon ac Iudas eum diem sibi vindicent. In Hannoniæ Comitatu non longe Monasterio Maubage conditus est, quem etiam Trithemius celebrat. Ornamentum Crispiniensis Cœnobii etiam S. Aibertus censendus, qui post multos errores hîc ad lineam rediit, Vrbano II. & Paschali II. ad clavum sedentibus. Vnde apparet rigorem à S. Laudelino introductum adhuc post quatuor sæcula durasse. Acta viri in proprios annos submovemus: quædam hoc loco tantum obiter tangimus. Adjunxerat se ad quendam Iohannem Eremitam, subditum Crispiniensi Monasterio, cujus Abbas Reynerus una cum ipsis Romam suscepit peregrinationem. Confecere hoc itineris nudis pedibus, angustis ciliciis induti. Equum unum trahebant, non cui se, aut suas sarcinas, sed pauperes ac fessos peregrinos Romam petentes im-

Molan. Indic. & in additionib. ad Vsuard. VVion 28. Octob. Trithem. l. 3. vir. or. illust. c. 168.

S. Aibertus Monachus Crispiniensis.

Graves à se pœnas petit.

ponerent. Redux Aibertus, Crispinensi Asceterio se se dedidit, ubi viginti quinque annorum spacio lacte, caseo, piscibus abstinuit, leguminibus, olusculis, pane, aqua, vitã tolerans. Oppress' somno incubuit scãno aliis ad sacras excubias surgentibus, ipse suũ pensum, id est, Psalterium jam persolverat. Cutem inclementer habuit, nam perpetuo cilicio trivit. Inde in Eremum secessit, ubi alios viginti quinque annos pœnitentia longe majore exegit.

Simplici tantum vice quot diebus cibum sumpsit, fructibus & herbis famem ipsi ac sitim pellentibus Potestas ipsi facta, bis quotidie rem divinam faciendi: semel pro viventibus, iterumque pro mortuis. Nunquam facere omisit. Tanta animarum flammis piacularibus addictarum commiseratio eum tenuit, ut Officium, quod vocant Defunctorum, quavis luce recitaret, singulos Nocturnos ad quinquaginta totos Psalmos redigens Certe auctor vitæ ipsius in admirationem raptus *sæpe SS. gesta legi*, inquit, *in illisque singularia abstinentiæ & mortificationum exempla observavi, nullum tamen inveni, cui postponendus esset Aibertus.* En quales fructus post multa sæcula tulerit hortus, à S. Landelino cultus!

Curatissimis precibus purgantium animarum causam agit.

Sur. 7. April.

Capvt II.

Monasterium Lobiense seu Laubiense.

Monasterium Lobiense in Hannonia situm.

MOnasterium hoc in Hannoniæ Comitatu situm est, qua Laubacum rivulus in amnem, cui Sambræ nomen, evadit, secundo lapide à Binchin oppido remotum. Vt vero ditio sit Leodiensium, Diœcesis tamen ad Cameracenses pertinet. Parentes, qui copiosam suscepere sobolem, in natu maximum quicquid prope fortunarum est, conferre solent, cæteris ad paupertatem redactis: ita Lobiense Cœnobium reliqua à S. Landelino constructa, uti ætate, sic etiam opibus antecessit. Fundamenta ipsi deberi omnium sermonibus constat; sed cum ultimam is manum non imposuerit, orta lis postmodum est, aliis S. Vrsmarum, aliis S. Laudelinum, demum aliis S Hidulphum Ducem S. Aiæ maritum pro Fundatore ferentibus, qui Monachum professus, primus Lobiensis Antistes renunciatus est.

Litem composuerit Fulbertus apud Surium hisce verbis. *Apud Laubias Landelinus extruxit Monasterium in honorem Beati Petri Apostoli, quod cernentibus quidem ad indicium egregii laboris sufficere potest, quod etiam regiis ditavit muneribus, ac villarum familiæque ditavit copia, cui quicquid priorum Regum magnificentia passim per Francorum acquisivit regna, delegavit, ne Fratrum congregatio ibidem serviens, egeret his, quæ Monachis feruntur esset congrua. Quo in loco regendæ Ecclesiæ Beatum Vrsmarum præfecit, virum moribus ornatum, signis & miraculis onustum.* Vnde conîicias è quatuor Monasteriis Landelinum tria Principi Apostolorum consecrasse: eundem gratia apud Franciæ Reges tantum polluisse, ut munificentissimis semper illis sit usus: opesque dono acceptas ab eo in Lobiense esse Asceterium congestas. Olim malis artibus sibi pepererat divitias, vivens ex rapto: nunc Regum donis onustus, quassis humeris saccum excussit, ut rerũ inops Christo serviret. Enimvero opulento hoc Cœnobio relicto, quartũ molitus est quod Crispiniũ dixit, cui erigendo manus ipse admovit. Tanta vero id laboravit egestate, ut solis fere amicorum beneficiis sustentaretur.

Sur. 13. Decemb.

Paupertas S. Aibert.

Hæc cum ita, S. Laudelinum quidem pro Fundatore & auctore Monasterii Lobiensis Cœnobii, non autem pro primo Abbate habeo, sed potius S. Vrimarum, qui rogatu ipsius hoc onus exceperit. Immo Pipinus optimus Princeps ad se evocato persuaserit, ut humeros submitteret, impellente quoque Hidulpho Lobiensi Duce. Lapsus igitur est VVion, dum primo loco Abbatum Lobiensium posuit Hidulphum. Errorem ipse sibi conflavit ex Trithemio, qui Hidulphum quempiam Lobii Abbatibus accenset: atqui ille haud addit, quonam in Ducatu rerum dominus fuerit. Insuper si annos quoque ad calculum voces, in Hidulphum nostrum haud convenient. Trithemius enim Hidulpho suo locum inter illustres viros post Guimundum dat, qui anno millesimo quadragesimo vixit. Cum igitur tanto antecesserit Lobiensis Monasterii fundatio, alium Hidulphum fuisse oportet.

S. Vrsmarus primus Abbas Lobiensis.

Molan. Indic. in Vrsmaro & Hidulpho Aubert. Mir. Orig. Benedictin.

Trith. de viris ill. l. 4.

Vt ut sit de primo Abbate, calamus inter omnes historicos congruit, priores Abbates fuisse Episcopos Divisque adscriptos, veluti S. Vrsmarum, S. Erminum, Sanctum Vulgisium, S. Theodulphum, quorum ossa Binchii in Hannonia sunt condita. Testimonium nobis fert Molanus. *Amoluinus*, inquit, *Lobiis fuit & Abbas, & Episcopus, siquidem Lobium locus regius regia munificentia extructus, nulli cõmittebatur nisi primum esset ordinatus Episcopus, sicut hoc competebat novellæ fidei rudimentis: quæ dignitas perduravit etiam in aliquot S. Vrsmari successores, unde in dicta Abbatiali dignitate nonnullæ supersunt*

Lobiensis Mon. Abbates priores, fuere Episcopi.

Molan. V. Amoluin.

reliquiæ.

reliquiæ. Scilicet multi id temporis creabantur Episcopi, quos Regionarios vocabât, quod non uni solum provinciæ essent affixi, sed unam post aliam obirent facē Evangelicam circumferendo. In horum numero etiam plerosque Abbates Lobienses habe. Cum enim Monasterium Gallos & Germanos, præsertim Flandros & Menapiorum fines spectaret, quasi è vicino excurrere atque idola aggredi licebat.

Moribus antiquis stant Monasteria.

Cæterum nimis stultos ego esse duco illos, qui censum potius opimum, quam severam disciplinam æstimant in Monasteriis. Hîc autem loci Monachos adeo diligenter dictis sibi legibus stetisse ferunt, ut totam viciniam conjecerint in admirationem. Nam multi erant; unusque alterum exemplo accendebat. *Hoc tempore*, inquit auctor vitæ S. Amalbergæ, *Monachi haud pauci Lobiense Monasterium incolebant, Deo secundum Regulam D. Benedicti servientes, florebatque illic cultus divinus, & sanctitas religiosa.* Poterant quoque Sanctorum corpora ibidem sepulta ad virtutem provocare igniculis habitatoribus injectis. Adhæc is qui vitam S. Reineldæ litteris prodidit, omnes fœminas à templo arceri consuesse, affirmat, nec ullam unquam admissam. Reineldam certe quicquid opum ac facultatum erat, daturam fuisse, neque hac tamen machina Monachos à sententia dimovere potuisse.

Sur. 10. Iul.

Sur. 26. Iul.

In Lobiensi Monasterio templi ingressu fœminis interdictum.

Triduum ad fores traduxisse pulsando, saltem Monachum unum ad se evocando, sed operam perdidisse: ad ultimum ope Numinis penetrasse.

Lobium illustrarunt. S. Landelinus: S. Adelinus: S. Domitianus: S. Vrsmarus Ep. S. Herminus Ep. S. Vlgisus Ep. S. Abel Ep. *Aug. Martyrolog.* S. Amolvvinus Ep.

Ad famam Cœnobiorum imprimis pertinent Sancti, qui ea incoluere. Lobium numerat S. Landelinum, ejusque socios S. Adelinum & S. Domitianum, qui insignem ipsi operam præstiterunt. S. Vrsmarum Abbatem & Episcopum, qui magnam Flandriæ partem Christianis legibus imbuit: S. Erminum seu Hirminum pariter Abbatem & Episcopum: S. Theodulphum, qui VII. Kal. Iulii colitur. S. Vlgisum, cui quartus Februarii dies sacer est. S. Abel, & S. Amolvvinum, Priori Non. Augusti, posteriori VII. Id. Februarii annuos honores Ecclesia persolvit. Ad dignitatem quoque hujus loci accedit, quos recensuimus Abbates etiam Episcopali mitra insignes fuisse, ac Monasterium inter Episcopalia habitum. Præterea ad annum fere octingentesimum à fundatione omnes ipsius Antistites in Sanctorum album esse relatos. Si proinde ex oris habitu totius corporis valetudo deprehenditur, Et *qualis est gubernator, tales sunt qui vivunt in illa*, non erraveris si Monachos privatam vitam ibidem degentes religiosissimos fuisse, in animum induxeris.

Eccles. 10.

S. Raterius Ep.

S. Ansegisus Archiep. Senonensis.

Hilduinus Ep. Veronens.

Adelboldus Ep. Vltrajectens.

Franco Ep. Leod. Olbertus.

Post primos hujus Monasterii Abbates educendi nobis quoque in lucem sunt S. Raterius, Comitis viennensis filius, Episcopus veronensis, deinde Leodiensis, qui res à S. Vrsmaro gestas in litteras misit. S. Ansegisus Archiepiscopus Senonensis, qui leges à Carolo Magno & Ludovico Pio redegit in compendium. Hilduiuus Episcopus Veronensis postmodum Archiepiscopus Mediolanensis, qui acta Antistitum Lobiensium memoriæ prodidit. Adelboldus Episcopus Vltrajectensis, magnum sæculi sui decus. Franco è Comitibus Hannoniæ oriundus, qui eandem insulam tulit. Olbertus, qui Trithemio teste, factus Abbas Gemblacensis, Burchardum Episcopum VVormatiensem litteris instituit. Lobii enim cum ageret, bonas artes publice tradidit, discipulis in cujusvis eruditionis fastigium sublatis. Multos quoque libros lucubravit, ingenio suo dignos. Etiamsi vero ista ex Academia nemo doctus prodiisset, unus S. Burchardus instar plurimorum habendus fuisset ad conciliandam magistro suo luculentam laudem. Præter istum Burchardum Monachum Lobiensem, postmodum Episcopum VVormatiensem, late famam porrexit Burchardus alter, S. Bonifacii Germaniæ Apostoli, discipulus, Herbipolensis Episcopus, Ordinis S.P.N. Benedicti ingens decus.

Trith. Chron. Hirsaug. 1020

S. Burchardus Ep. VVormatiensis.

S. Burchardus alter Ep. Herbipolensis.

Sur. 18. April.

Molan. v. Vrsmar.

S. Vrsmarus adolescentiam innocenter traducit.

Si animum advertisti, Lector amice, quoties in Monasteria incido, viros qua eruditione, qua virtute præstantes, obiter notos, postea in tempore eosdem à capite, quod ajunt, ad calcem in conspectum daturus. Ita nunc S. Vrsmarus mihi obviam fit, qui, Raterio auctore, in pago Toracensi, in Hannoniæ confinio sito, natus est, asseritque Molanus patrium larem etiamnum hodie ab incolis digito monstrari. Ejus ortum divinum oraculum antecessit. Adhuc puerulus longe se à nugis nugarum, & quæ ea fert ætas ludicris, removit, in Numinis supremi voluntatem perpetuo intentus, videlicet ut ad illam, etiam suam diligentissime componeret. Dicta, facta ipsius adeo Venus nulla inquinabat, ut à pudicitia niterent. Quocirca tota vicinia cantabatur, quamvis juvenili juxtaque formoso esset corpore, nulli eum tamen lasciviæ patere. Injuriis oppetitus nullam referebat: nec iniquæ fortunæ succubuit, sed magno animo humana sprevit: fame sitique vexatus, cibo potuque abstinuit, ut longius premeret stomachum, & à pleno ventre non raro

luxuriantem carnem subigeret. Facile omnibus se submisit, quibus cunque erat una modeste perferens. Fide, spe, charitate Munitum pectus gerebat, quippe qui à solo cœlo pendebat. Divina autem hæc munera precibus obstinatis, lachrymis, singultibus impetraverat, nec aliud ei curæ aut cordi esse visum, quam placere suo Conditori; ab illo gratiam inire

In sacris libris helluatur.

Tantis virtutibus magnum ornamentum addiderunt litteræ. *Editus puer*, inquit Raterius, *Vrsmarus est vocatus, adultusque doctoribus sacrarum traditus scripturarum, qui imbuerunt eum sacris litteris divinaque lege non mediocriter sed perfecte; nec sæculariter, sed Monastice atque regulariter.* Non ergo obiter seu oscitanter, qui tum juventutis mos erat, sed summis viribus in sacra volumina incobuit, quod Monachi facere cõsueverant. Id vero tẽporis tam sacræ profanæ litteræ, modo bonæ ac ingenuæ essent in Monasteriis receptũ habebant, ut hodie illa rũpent, hæretici. Hanc ob causam in Abbatem à Sancto Adelino lectus fuit, Hidulpho & Pipino Ducibus operam suam addentibus. In admirationem rapit lectorem Ratherius dum narrat quam firmo animo constantique adversus proprium corpus pugnârit, in alios ferme benignior quam satis erat. Multi pastorum oves deglubunt: iste nec tondebat quidem. Non pauci subditis imponunt onera, quæ ipsi ferre deberent. Vbique suos submisit humeros Vrsmarus. Iejunii tantam duxit rationem, ut novem ipsos annos & decem hebdomadas pane abstinuerit: reliqui cibi tam parcus erat, ut omnes mirarentur, qui vitam ita tenui annona tolerare posset. Sitim extinguebat aqua: rarissime cervisia. Dira hæc supplicia animo forti magnoque ferebat, satur divinæ contemplationis nectare & ambrosia.

Rather apud Sur. 18. April. Novem annis mirifice defraudat genium suũ pane abstinendo.

Patrat miracula.

Cum non modo eloquentia polleret, sed etiam factis vim adderet verbis, auditores quo voluit pertraxit, aliis sinceram fidem capessentibus, aliis ad frugem se se recipientibus. Hũc etiam magnum momentum contulere miracula, quæ crebra patrabat cacodæmones è corporibus humanis exigendo: valetudinem secundam solo attactu restituendo. Ad suprema fata quandam ejus neptem, Parthenonis Sanctæ Aldegundæ Monialem, egerat porulentum apostema. Acciti medici conclamarunt decumbentem, nisi pati posset ut solicitata scalpello cute, tabum educerent. Vrsmarum cognatæ obluctantis misertum est. Quocirca iterum iterumq; ulcus mulcendo, timentem ac trepidantem periculo exemit.

Annis simulque laboribus fractus, rebus provehendis S. Erminum præfecit, cujus laudes compendio sunt complexi, qui cum magistro similem dixere. Diem obiit XIV. Kal. Maij: conditus est in Beatissimæ Virginis oratorio, mortalibus sui memoriam prodigiis refricans: eum Flandri & Menapii Apostoli loco habent. Elapsis inde centum & decem annis, Fultradus Abbas, annuente Episcopo Cameracensi sacra ipsius ossa tumulo exempta, loco nobiliore reposuit, quod olim mos ferebat, antequam à Pontifice Maximo Divorum tabulis inscriberentur, cœli candidati.

Diem obiit.

Martyrolog. 18. April.

S. Erminus, inquit chronographus Cameracensis, *vir vitæ laudabilis, de quodam pago Laudunensi oriundus exstitit, & de die in diem in bonis operibus proficiens, omnium virtutum clarebat commerciis. Quem quia odor bonæ opinionis illius longe lateque increbuit, Beatus Vrsmarus sæpius accersivit, diemque vocationis suæ imminere intelligens; ipsum rectorem Monasterii officiique sui post se supparem & ministrum Pontificemque delegit. In functione igitur vicaria subrogatus, totum se in divinis cultibus propensius mancipavit. Illud etiam prædium suum Ercli in usibus Fratrum expendit.* VI. Kal. Maij oppetiit mortem, funere Lobii sepulto, quod commune conditorium hujus loci Præsulibus fuit. Refert Molanus duos istos Sanctos Monachos & Episcopos comitantibus aliis septem Divis, sub annum millesimum quadringentesimum nonum Binchium translatos, quod oppidum Stella Calvetus tanto largius celebrat, quanto majori pompa Maria Hungariæ Regina Carolum V. una cum Philippo filio ibidem excepit. Age nunc, Miraum audi: Monasterium SS. Vrsmari & Ermini est hodie Collegium Canonicorum, quod olim in basilica parœciali, Laubiensi Monasterio in montis vertice adsita, nunc Binchiensi in oppido sedem habet.

Aubert Mir. Orig. Bened. Ei succedit S. Erminus.

Stella Cal. l. 3. Aubert. Mir. de originib. Benedict.

Exstat autem hodieq; vetus ista parœcialis basilica, monti imposita, in qua coram aliquando sacros horum & aliorum Divorum tumulos venerati sumus: in eaque etiamnum, aut in cœmiterio adsito, Abbates, Monachi, & incolæ omnes Laubienses terræ mandantur, adeo ut hactenus mortalium nemo Laubiensi in Monasterio sit conditus. Cæterum bellis in agro Leodicensi sævientibus, anno Christi millesimo quadringentesimo octavo, postridie Kal. Iulii, Canonicorum Sancti Vrsmari Collegium Laubiis Binchium, quod vici-

Monasteriũ SS. Vrsmari & Ermini ad Canonicos transit.

num

num est Hannoniæ oppidum, se se transtulit: quo factum est ut Guilielmus Bavarus Hannoniæ Comes instanter peteret, ut sedem ibi fixam ac perpetuam vellent figere; quod & fecerunt Martino v. Papa consentiente & approbante. Eodem ipso tempore ex Laubiensi Canonicorum basilica SS. Vrsmari, Ermini, Theodulphi, Vulgisi, Amolvini, Abelis, Episcoporum & Abbatum Lauhiensium, Hildulphi Ducis & Amelbergæ cui duo corpora Binchium sunt translata, quæ diversis octo feretris argenteis inclusa, decenti cum veneratione non semel coram spectavimus. De his MS. Fulcuini Chronicon Laubiense, qui anno 950. in humanis fuit; & Molani Natales Sanctorum Belgii.

Porro, VVitgerus, Comes, si meministi, è conjuge sua Sancta Amelberga quatuor susceperat liberos: Sanctum Aldehertum Episcopum Cameracensem, Sanctam Gudulam, Sanctam Faraildam, Sanctam Raineldam. Quanti virtus esset facienda, parentissimi parentes variis exemplis dulci soboli monstrabant. Liberis jam adultis, Sanctus VVitgerus opes, honores, ac mundum totum missum faciens, habitu Monastico sumpto se Deo dicavit, Sanctæ Amelbergæ, Sanctæ Gudulæ, Sanctæ Raineldæ, velum Sanctus Autbertus imposuit. Sancta Farailda etsi nupserit, virginitatis tamen jacturam haud fecit. Priores nullo certo Monasterio fuere clausæ, quod id temporis multæ principes fœminæ Episcopis vel Abbatibus vicinis obedientiam nuncupantes, domi suæ religiosam vitam agerent.

S. Raineldа in S. Gertrudis vestigia concedit.

S. Rainelda Laubiensis Monasterii Donata, consimilis erat cognatæ suæ Sanctæ Gertrudæ à teneris annis continuis jejuniis ac vigiliis corpus depopulando: lectioni, precibus, hymnis, psalmis, dies noctesque indulgendo. Pauperes à fame, siti, nuditate, qua poterat, vindicabat. Quin ipsa genium suum defraudare solebat ut pauperibus sufficerent suæ opes. Cuticulam adeo nō curavit, ut horrido eam potius infestaret cilicio: sacra volumina assiduò versabat, unde nullum verbum profanum ei excidebat. Ancillas quidem aluit, sed ideo tantum, ne quid indignum genere suo facerent: cæterum his ipsa ancillabatur, accumbentibus ad mensam non raro ministrando. Crescentibus annis etiam pœnitentiæ opera mire intendit. Semel duntaxat quavis die parum panis hordeacei & aquæ adhibuit nudis pedibus solum trivit & oppressa somno cineribus cilicio constratis incubuit. Quid multis! in virtutum apicem evasit, voluptates, delicias, post Deum habens: neque parum est, hæc è palude salvam excessisse, qua tam multi hauriuntur. Quamvis autem ab alto sanguine stemma duceret, omnem nihilominus mundum muliebrem, cultum pretiosum, veluti sericas vestes, armillas, annulos, in aures rejecit, huic unicæ curæ immersa, quî servitium suum Numini affirmaret.

Lobium, verissimum claustrum.

Monasterii Lobiensis sanctimoniam pridem vulgaverat fama. Subductis igitur rationibus Rainelda, gratum se Deo facturam credidit, si prædia sua cederet tam religiosis Monachis, unde non tantum ipsi, sed pauperes quoque sustentarentur. Ergo in Cœnobium contendit, Sanctam Gudulam sororem secum trahens: sed nec ad Abbatem, nec ad quempiam Monachorum patuit aditus, templo quoque occluso.

Etenim ad colloquium nullam penitus mulierem admittere vetus & immobilis lex erat: nihil hîc nobilitati datum, Sancta Gudula ubi sensit, surdis ac mutis se verba facere, pedem retulit domum: at Sancta Rainelda tres dies totidemque noctes sibi expers pulsavit templi fores.

Oranti S. Raineldæ templi fores sua sponte se pandunt.

Cum stabili pede, non secus quam tenaci anchora, defixa pro foribus templi hæreret, ecce tibi! nocte tertia ultro panduntur: sponte sua agitatur ac sonat æs campanum: somno exciti Monachi è lectulis se se evoluunt: pleno gradu concurrunt, Sanctam Raineldam ante salvatoris signum prostratam inveniunt: qui penetrasset identidem sciscitantur. Illa corpus solo attollens, à vobis repulsam passa, respondit, Deo supplex fui, qui motus meis precibus lachrymisque, pessulum reduxit. Abbas & Monachi cum ope Numinis ingressam intelligerent, factum approbârunt.

Suas fortunas cedit Monasterio.

Inde illa sui adventus causa exposita, prædia, villas, pagos, transcripsit Monasterio, fructus tamen hinc captura, quoad viveret, id quod hujusmodi fœminæ, quas Donatas vocabant, facere consueverant.

Contendit Ierosolymā.

Sub hæc, cupido ejus animum incessit, visendi Ierosolymam, nec non coram spectandi loca, Redemptoris nostri vestigiis insignita.

Nec mora, famulo unico & ancilla comitantibus, in viam se dedit, septem annis eundo, manendo, redeundo consumptis. Interea gravius solito in tenerum corpus consuluit, quod ipsa loca, qui-

bus dira pro nobis supplicia exolvit Dei filius, eam provocarent, ac animum exasperarent. Postquam pietati satis indultum fuit, sacris reliquiis onusta (veluti parte Sanctæ Crucis frustillo Dominici sepulchri, laciniam vestis Divæ Virginis, domum revertit, subditis complosis manibus eam excipientibus. Reliquum ætatis orando, & contemplando cœli arcana traduxit, quibus non taro penitus absorpta fuit, ut deliciis futuris jam ebria videretur. Ingentia hæc Dei munera sunt, quæ tamen obscuravit Martyrii corona, ab eodem ipsi imposita.

Martyrium subit. Oras Galliæ maritimas semper infestarunt barbari, è septentrione erumpentes: provinciæ tamen Germaniæ inferioris quanto Daniæ, Sueciæ, Nordvvegiæ viciniores, tanto prædonibus istis magis obnoxiæ erant. Forte hac tempestate appulsa barbara classis fuit. Nuncia fama in fugam acti incolæ, strictis acinacibus se subduxere: at caput objecit Reinelda, etsi ab aliis ad secedendum impelleretur, læta sibi obtigisse occasionem, fidem suam Numini probandi. Dilapsis jam omnibus, solus Grimoaldus subdiaconus, & Gundulphus servus, latera stipabant, digni qui idem discrimen subirent: idem præmium caperent.

Ergo viam in Sancti Quintini templum capessunt: ante aram procumbunt: Deo se devovent. Pyratæ tanquam rabie acti, citatis passibus in sacram ædem toto globo ruunt: Reineldam capillis correptam huc illuc raptant: quatiunt: per solum trahunt: calcibus impetunt: colaphis accipiunt: fustibus pulsant: demum vestibus spoliat am flagris proscindunt, fœdeque lacerant. Forti animo omnia tulit Reinelda. Quin, *gratias tibi ago*, dixit, *Pater Domini mei Iesu Christi, qui non meis meritis, sed favore filii tui unigeniti tandem mihi concessisti, quod ego tota vita desideravi.*

Ad extremum, cervicem præbere jussa, *suscipe Domine spiritum meum*, exclamavit, lachrymis gaudio manantibus, Grimoaldo caput ense ademptum: atqui Gundulpho tribus magnis clavis fixum fuit. Agebatur decimus sextus Iulii dies, qui deinde his Divis sacer esse cœpit.

In tumulo ægris medicinam facit. Innumera Reineldæ miracula quæ patravit in tumulo, præterimus, ne prolixi simus. His tamen sub annum octingentesimum sextum impulsi tres Episcopi vicini, ossa ipsius humo eruta in argentea arca composuere, quæ Cameracenses & Comitatus Hannoniæ incolæ singulari cultu prosequuntur.

CATALOGUS.

Abbatum Lobiensium seu Laubacensium.

1. *Sanctus Vrsmarus*, Abbas & Episcopus Lobiensis, Faviæ, Theoraciæ, Menapiorum, Flandrorum Apostolus: Angelorum ministerio in cœlum evectus.

2. *Sanctus Erminus*, anno DCC. XIII. à S. Vrsmaro successor lectus.

3. *Sanctus Vulgisus*, an. DCC. XXXVII. Abbas jussus.

4. *Sanctus Theodulphus.* Diem Obiit anno DCC. LXVI.

5. *Anso*, virtute & doctrina conspicuus. Mortuus anno DCCXC.

6. *Hildericus*, è Canonico factus Abbas. Obiit anno. DCCC. IV.

7. *Reipericus.*

8. *Fulradus.* Anno DCCC. XXIII. Sancti Vrsmari lipsana tumulo exempta, magnifico, ut tum res erant, apparatu publicæ venerationi exposuit. Obiit anno DCCC. XXVI.

9. *Erardus.* Obiit. anno DCCC. XXXV.

10. *Harbertus.* Corbejâ accitus.

11. *Hucbertus*, vir apud suos nobilis ac potens. Harbertum gradu dejectum Corbejam relegavit: religiosissimum vero Monasterium suæ ditionis fecit, ostendens quid auri sacra fames in opulentissima præda posset, quam is more ignis hausit. Sed meritas sacrilegii pœnas persolvit, dum pandentibus ipsi viam fatis arma contra Lotharium sumpsit, atque à Conrado duce occisus est, quem dum nos inter Abbates ponimus, id solum agimus ut vacuum impleamus.

12. *Spoliis* in eum modum, quem diximus, Hugberto detractis, Lotharius Rex anno DCCC. LXVIII. Lobium in suam fidem accepit. Verum cum regendis Monachis ipse idoneus haud esset, Ansegiso, quem nonnulli Abbatem vocant, clavum commisit. Postmodum par majoribus rebus gerendis visus, Archiepiscopus Senonensis jussus est.

13. *Carolomannus*, à Carolo Calvo patre an. DCCC. LXX. Abbas dictus. Sed cum tam arctis laqueis teneri nollet, solicitante

tante animum ambitione genitori suo bellum movit, captusque ab eodem oculis orbatus est. *Apparuit* justæ parentum iræ nihil interesse, filios sacros (nam Carolomannus Diaconus fuerat) an profanos è medio tollerent.

14. *Carolo* Calvo Protectori, & Carolomanno Præsuli successit Ludovicus Balbus. Biennio circumacto excessit.

15. *Post* Balbum Ludovicus Rex Germaniæ Lobium humeris excepit, nec ultra duos annos tulit, Hugone Lotharii Regis filio, qui adolescens religiosa vota ibidem nuncupaverat, an. D.CCC. LXXXI. subire jusso. Hic quoque ambitioni pœnas dedit. Cum enim ætatis & roboris satis habere sibi videretur, Lotharingiam, spe paulo ante devoratam, citato agmine invasit, quam dum capere molitur, capitur: oculis privatur: in Campaniam relegatur, ibique an. DCCC. LXXXVII. moritur.

16. *Franco* Episcopus Leodiensis anno proximo ab Arnulpho Rege Abbas Lobiensis dictus Mortem obiit anno C. M. III.

17. *Stephanus* Episc. Leodiensis conditum S. Ursmaro templum solo æquavit: novum idque angustius erexit, quod cum Dodilone Cameracensi Episcopo dedicavit. Ob. an. C. MXX.

18. *Richarius* Episcopus Leodiensis, quo faces tenente Squanius, Theodunus, & Ratherius Monachi densis auditoribus literas tradiderunt. Excessit an. C. MXLV.

19. *Hugo* Episcopus Leodiensis. Rebus biennium præfuit.

20. *Farabertus* Abbas Prumiensis, inde Episcopus Leodiensis. Oeconomiam suam nemo fuit cui probasset. Mortuus est anno. C. M. LIII.

21. *Ratherius*, Monachus ante id Lobiensis, postmodum Episcopus Leodiensis. Anno proximo irrumpentes in Lotharingiam Hungari miserabilem stragem ediderunt, ut superstites incolæ non se levare amplius, non attollere potuerunt. Lobium adorti SS. Ursmaro & Ermino propugnantibus repulsam passi sunt. An. C. M LVI. Episcopatu abivit.

22. *Baldricus* post Ratherium adivit provinciam, anno C. M. LVIIII. vita defunctus.

23. *Heraclius* Leodiensis Episcopus an. C. M. LXI. abdicata Abbatia veros Antistites Lobio reddidit is quidem, res tamen Monasterii plurimum accidit, & in Ecclesiam Leodiensem contulit.

24. *Alteranus* ab Heraclio renunciatus Abbas, excessit an. C. M. LXV.

25. *Fulcuinus*, mortuus est an. C. M. LXXXX.

26. *Harigerus*, de quo hæc VValdæus Chronico Lobiensi: Felicitas est multis votis optanda in eo cœtu vitam agere in quo virtuti honor est. Lobii vixit Harigerus ea tempestate, qua nobilissimum illud maxime celebrabatur integerrimæ disciplinæ clarissimæque eruditionis domicilium, magnoque hoc præsidio fuit generoso juveni ad consequendam illustrem utroque hoc ornamento gloriam. Sed medio illo die potuisse fulgere, clarissimæ profecto hoc lucis fuit. Tantam enim virtutis sapientiæq; dignitatem adeptus est, ut longo post se intervallo cæteros sodales reliquisse censeretur. Quare cum anno Christi nongentesimo nonagesimo vita defunctus esset Fulcuinus, vir eo munere longe dignissimus; essentque in religioso illo cœtu complures annis meritisque venerabiles, plurimi longo rerum usu negotiorumq; tractandorum peritia insignes: alii singulari vitæ innocentia spectabiles: multi eximia rerum cognitione insignes, plures denique omnibus hisce animi ornamentis in unum collectis florerent, unus omnium omnino suffragiis designatus est Harigerus, ac deinde inauguratus anno nonagesimo primo, ipso S. Thomæ Apostoli festo die. Eam creationem ratam habuerunt Notgerus Leodiensis Episcopus, & Rothardus Cameracensis. Et vero author illi fuit Notgerus ut scriberet quæ ad nos pervenerunt Ecclesiæ Tungrensis incunabula. Imposito munere sapienter & magna omnium approbatione perfunctus annos sedecim, prid. Cal. Nov. anno supra millesimum septimo ad beatam immortalitatem transiit. Ita Deus testari creditus est sanitate multis febrientibus ad illius tumulum restituta. Et vero constans semper de singulari illius integritate fama fuit.

Chron. Lobiens. Aegidii VValdæi

27. *Ingobrandus*. Disciplina Monastica salva antea & incolumnis, hoc duce pessum ivit: ipse Abbatia abire coactus an. M. XX. Stabuleti vitam exhalavit an. M. XXX.

28. *B. Richardus*, qui ut Lobii clavum capesseret, VVolbodo Leodiensis Episcopus author fuit. Expulsis Monasterio erroribus quibus eversa disciplina fuit, anno M. XXXIII. locum Hugoni cessit.

29. *Hugo*, Monachus Lobiensis. Huic fortunarum non cura major, quam extructi denuo templi fuit, ut à Reginardo Leodiensi, & Gerardo Cameracensi Episcopis dedicaretur. Obiit. M. LIII.

30. *Adelardus* Res perditas restituit. Bellum enim Henricus Imperator cum Balduino Flandriæ Comite per id tempus gerebat, quo turbine etiam Lobiense Mona-

ſterium ferebatur. Cum ſummâ bonorum per Flandriam avelli à Cœnobio videret, Sancti Vrſmari corpus impigre eo detulit: conſilium è ſententia ſucceſſit. Oppetiit anno M LXXVII.

Ægid. VValds Chron. Lobienſ.

31. *Arnolphus*. Mortuus an. MXCIV.

32. *Fulcardus*, vir priſcæ religioſæque ſimplicitatis: in templo aſſiduus: Monachis è Choro noctu vel interdiu diſcedentibus, ſibi tamen receptui non cecinit, ægre pedem efferens. Dei cultum, inquit Ægidius VValdæus, quo procurabat diligentius, eo cumulatius nova Monaſterio vectigalia adiiciebat divina providentia. Et cum non deeſſent qui S. Vrſmari hæreditatem diſtrahere in varia, Lobienſiſque Eccleſiæ libertatem oppimere niterentur ad Henricum Imperatorem, qui Limburgum obſidebat, venit primo ſæculi ſequentis anno, obtinuitque ut in caſtris dato Diplomate in Cæſaris fidem ac tutelam Lobium cum omnibus agris ac vectigalibus ſuis reciperetur. Sibi tamen nihil deceſſurum exiſtimavit ſi exſurgenti in Hannonia Lætienſi Cœnobio adminicularetur conceſſo illi Fleono, licet S. Vrſmari patrimonium id eſſet. Lætienſium enim inopiam ſua opulétia ſublevari, Deo credidit acceptũ eſſe.

Glorioſa fuit hoc Abbate Lobienſis Monaſterii fama. Fuit tamen qui ſua ambitione labem illi inſpergere non erubuit. Ingobrandus is fuit, qui tanti Abbatis religioſa inſtitutione nihilo melior, non per oſtium, ſed pudenda fraude in Hubertenſium Abbatum dignitatem irrepſerat: nec ea contentus ad Lobienſem aſpirabat, ſui fratris authoritate fretus, qui apud Obertum Epiſcopum Leodienſem gratia plurimum valebat. Rem ergo jam eſſe contectam ratus, S. Huberti pedum abdicavit tradiditque Epiſcopo, à quo Lobienſe recepturum ſe ſperabat. Sed pro innocente Fulcardi ſimplicitate ſtetit Deus, eamque Epiſcopo mentem injecit, ut Hubertenſem quidem admitteret dignitatem, Lobienſem vero relinqueret Fulcardo, quem eo numere digniſſimum, nemo dubitabat. Sic turpi notatus ambitione Ingobrandus, Lobium redire coactus eſt ad privatam vitam in qua Monaſticæ humilitatis rudimenta relegeret. Fulcardus autem annis & virtutibus maturus, & cum laude ſuo functus munere, diem ſuum obiit an. Chriſti M CVI. In S. Vrſmari pro gradibus Chori ſepultus eſt. *Hæc Chronicon Lobienſe*.

32. *VValtherus*. An. MCXXIX. Rhemis in Concilio mortuus.

33. *Leonius*. Gente Flander, inter ſuos nobilis, gratia apud Flandriæ Comitem fere primus, in cujus aula cum varios honorum gradus conſideraret, & quo tenderent videret, verſavit ſe: quæſivit quid ageret: demũ fortiter ſtatuit exire aula: ingredi Monaſterium. Venit Aquicinctum, ubi data pulcherrimarum virtutum ſpecimine omnium animos occupavit, præſertim Alvviſi Abbatis, qui eum poſtea Prioratum S. Gregorii extra Heſdinum ſitum curare juſſit. Cumq; ipſe Pontifex Atrebatenſis creatus eſſet, illum Lobio præfecit. Redactum ad incitas Monaſterium erat, cella, horreo, ærario exhauſtis ut paucis Monachis alendis vix ſufficerent. Leonius animi quam pro fortuna Cœnobii majoris, nil potius habuit quam exulantem inde diſciplinam revocare, quo ſtudio effecit quod Bonus Deus cætera ſic affatim adjecerit, ut contractis ſeptuaginta amplius Monachis nemo quicquam deſiderarit, adeo *Pietas ad omnia utilis eſt.* Cum novis moribus Lobium quoque repetivere litteræ, quæ adeo diligenter ſunt cultæ, ut exiſto erudito cœtu non pauci ad alias Abbatias capeſſendas evocati ſint.

Iper. MS. ad S. Bertin. Chron. Lobienſ. Ægid. VValds.

Porro Leonium ſua virtus an. M.C.XXXVII. ad Bertinenſem infulam extulit, qui anno altero Romam ad Synodum œcumenicam profectus, libertatem Monaſterii ſui adverſus Cluniacenſis acerrime defendit, atque impetrata Bulla Pontificia egregie ſtabilivit.

Anno M.C.XLVI. juſſu Eugenii PP. cum Ludovico Galliarum Rege, Theodorico Flandriæ Comite, & Aluiſo Atrebatenſi Epiſcopo ingentique aliorum hominum multitudine Ieroſolymam iter intendit. Redux ſummi pretii theſaurum attulit, videlicet ſacroſanctum Chriſti ſanguinem concretum, à Ioſepho & Nicodemo abſterſum cum corpus undique ſaucium & cruentum ante abluerent, quam ſepulchro mandarent. Munus fuit Regis Ieroſolymorum, quod Aluiſus à Theodorico Comite dono accepit. Monaſterium intra biennium, quam conflagravit, Aluiſi opera denuo ſtetit, & ſtetit longe anguſtius quam antea, ac ſi ſaxa, lateres, ligna, vel ſponte, vel Numinis imperio coiviſſent.

35. *Lambertus* an. M.C.XLIX. decretoria pugna cum morte inita, cecidit.

36. *Franco*, adoleſcens legibus Monaſticis Lobii imbutus, Lauduni Theologiæ operam dedit, qua ſcientia parta ad S. Nicolai in Nemore ſeceſſit. Prioratus erat Monaſterio Bonæ Spei in agro Leodienſi annexus, ubi diſciplinam in arcto eſſe ferebatur: nec fefellit Lobienſes id ſpectare Franconem, ut beatius viveret, quo multum valet legum

Chron. Lobienſ.

asperitas. Cum à morum innocentia simulque eruditione celebrari cœpit, in Morinos evocatus est ut ad S. Iohannis Prioris munere fungeretur. Suffectus postea in Lamberti locum, optimorum Abbatum famam adæquavit. Ad umbras è tanta luce abiit an. M C L X I I I.

37. *Iohannes. An.* M C L X X I X. Abbatiam abdicavit, quam Lambertus ad Sanctum Gislenum Antistes invasit, sed à Gulielmo Rhemorum Archiepiscopo pulsus est.

38. *VVerricus.* Annulum, insuper vestes S. Alberti Leodiensis Episcopi, & Martyris, sanguine perfusas, Rhemis attulit Lobium, ubi ad hunc diem religiose servantur. An. M C C I X. concessit.

39. *Robertus*, è Bromiensi factus Abbas Lobiensis, fessus ætate an. M C C X X I I. onus deposuit.

40. *Hubertus*, ante id Præpositus ad Sancti Gisleni, redactis in compendium honoribus, decimo quinto mense humana longum valere jussit.

41. *Radulphus.* Animam efflavit an. M. C C. X X V I I.

42. *VValtherus*, Abbas antea Mariliacensis, quem bolum cum mordicus simul teneret, nec videretur dimissurus, utrique Abbatiæ stolide inhærentem Lobienses post quinque menses rejecerunt.

43. *Thomas*, prius Propositus Lobiensis.

44. *Bartholomæus.*

45. *Thomas. I I.*

46. *Philippus.*

47. *Iacobus* Binchiensis. Mortuus est an. M C C C X I I I I.

48. *Ioannes.* Obiit an. M. C C C. X I X.

49. *Nicasius.* Ob. an. M. C C C. X L I I I I.

50. *Gulielmus.* Ob. an. M C C C. L I X.

51. *Petrus* I. Ob. an. M. C C C. L X V.

52. *Petrus* I I. Ob. an. M. C C C. L X X I I.

53. *Nicolaus.* Ob. an. M. C C C. L X X I V.

54. *Iohannes* Lotharingius. Ob. anno M. C C C. L X X X I X.

55. *Bertrandus* de Montigines. Ob. an. M. C C C C. I X.

56. *Ægidius.* Ob. an. M. C C C C. X L V I I.

57. *Iohannes*: antea Monachus Altimontis.

58. *Iohannes* de Hessen, ex Monasterio Affligeniensi accitus. Abdicavit abbatiam an. M. C C C C. X C V I.

59. *Gulielmus* Cordier, prius Monachus ad Sanctum Gislenum. Ob. anno M. D. X X I I I.

60. *Gulielmus* Caulier, è Monasterio Sancti Vedasti Brumium, inde Lobium accersitus. Cœnobium cum insigni bibliotheca incendio haustum, restituit. Positis pro novo templo fundamentis mortuus est anno. M. D. L.

61. *Dominicus* Capron, S. Theol. Doctor: prius Atrebati PP. Dominicanorum Prior. Suffragia in eū collata probavit Clemens VII. jussit autem infulæ candidatum sumere habitum S. P. N. Benedicti, & in ejusdem leges jurare. Magnificum templum, quod hodie quoque in se oculos convertit, extruxit. Ob. an. M. D. L X X.

62. *Erminus.* Ob. an. M. D. X C V I I I.

63. *Michael* Gulielmi. Ob. an. M. D C.

64. *Gulielmus.* Ob. an. M. D. C X X V I I I.

65. *Raphael.* Ob. an. M. D. C X L.

66. *Bartholomæus.* Regit hodie Lobium, religione & antiquitate, quam opibus illustrius Monasterium.

ANNUS CHRISTI 652. & 653. AN. S. BENEDICTI 172. & 173.

Monasterium SS. Petri & Pauli Toleti.

Post Gothos à Sancto Leandro Evangelica luce imbutos, res Catholica continuo incrementum cepit: tandem Recisvindo & VVamba regnantibus, plane in summum fastigium evecta est. Nam altasilla radices egit: hæresis contra stirpitus evulsa est Sancti: non pauci passim in opus incumbentes numerati: excitata cōplura Monasteria: coacta Concilia provincialia: divina humanaque indies aucta. Certe Recisvindo ad clavum hisce annis sedente, tres Synodi Toleti, quarta Meridæ, habitæ sunt. Eum regni socium sibi adscivit Cindasvindus genitor; qua tamen æra, certatur sententiis. Res Catholica in Hispania incrementum sumit.

Vaseus longius à vero abit cum asseclis, anno sexcentesimo quinquagesimo secundo Recisvindum ad sceptrum auctorando, eodemque Concilium VIII. Toletanum ponendo. Vaseus anno 652. Moral. l. 12. c. 28.

Morales anno sexcentesimo quadragesimo octavo factum arbitratur: neque Patres in Concilium ante sexcentesimum quinquagesimum quintum coivisse, Bulsa Episcopo auctore, qui Gothicam historiam condidisse fertur.

Cum mea interesse crederem, ut Bulsam hunc in manibus haberem: veteres tabulas, membranas, Conciliorum libros, scrutatus sum: nullibi

comparuit Bulsa. Iter suscepi Toletum, percunctaturus Iohannem Marianam, notæ eruditionis hominem, an forte ipsi alicubi conspectus esset. Abnuit. Se tamen pro certo habere, subjunxit, amanuensem imposuisse Morali. Videlicet, libellum MS. hocque titulo insignem, *Chronica Regum Vuisegothorum*, penes quempiam esse. Moralem vero ob contractas litteras pro *Vuisegothorum* legisse, *Vulsæ Gothorum*. Ad ultimum ejus libelli copiam mihi fecit.

Cum igitur de auctore nil comperti habeamus, nec cuiquam constet, an Bulsa seu Vulsa omnino homo fuerit, non est cur tantam ejus Chronico fidem, quantam vult Morales, tribuamus. Hæc cum ita, Moralem etsi alias non invitus sequar, hic tamen desero, meque Archiepiscopo Loaisæ, Cardinali Baronio, Patri Marianæ, adjungo, eorumque in sententiam pedibus eo, Concilium VIII. Toletanum anno sexcentesimo quinquagesimo tertio celebratum, quæ summa conficietur, si æræ sexcentesimæ nonagesimæ primæ quam multi libri MS. referunt, triginta octo detrahas, adeoque ad Cæsaris annos componas. Insuper cum Patres anno quinto Recisvindi in Ecclesia SS. Petri & Pauli se convenisse dicant, erraverit Vasseus, qui hunc Regem anno sexcentesimo quinquagesimo secundo manum admovisse sceptro affirmavit, cum id labente anno sexcentesimo quadragesimo nono cum patre strinxerit.

Loaisa Concil. VIII. Hispan. Baron. an. 653. Marian. eodem an. 653. habitum.

Cum deinde Concilium IX. Toletanum biennio post fuerit habitum in annum sexcentesimum quinquagesimum quintum inciderit oportet: atque decimum, in annum sexcentesimum quinquagesimum sextum. Sed me reprimo. Cur enim omnia scrupulose ad certos consules, annos, menses ac dies revocem, filo historiæ incito, & quasi manu lectoribus injectâ à via seducam?

Cæterum Reccesuinthus domi bellique clarus: recti tenax: litteratorum mæcenas: virorum prudentium perquam studiosus fuit: sed quod ante ponendum erat, pietatem & religionem in primis habuit.

Reccesvinthus Rex multa se digna fecit.

Quodsi felix Resp. est, ut Plato arbitratur, quam moderantur philosophi, vel in qua rectores philosophantur, beatam sub hoc Rege Hispaniam fuisse putem, qui in illam præcipue curam incubuit, ut sapienter & sancte omnia administrarentur. Hinc templis, Monasteriis, viris bonis, omnia complebantur.

S. Ildephons.

Regiæ pietatis non ultimum indicium sunt tot sacra Comitia sub ipso inita, in quibus multa summi momenti sancita, & postmodum in Ius Canonicum translata sunt. Ad Concilium VIII. nationale hoc anno Toletum indictum, quinquaginta duo Archiepiscopi & Episcopi: decem aliorum Prælatorum Vicarii: sexdecim regni proceres, confluxere.

Insuper novem Abbates, qui ante Episcoporum Vicarios & Magnates hæc nomina subscripsere: Fugitivus Abbas: Anacolius Abbas: Eupsychius Abbas: Ildephonsus Abbas: Sempronius Abbas: Eumerius Abbas: Quiriacus Abbas Morarius Abbas: Iohannes Abbas: Secundinus Abbas. In Synodis superioribus Abbatum nomina non comparent, sive librariorum oscitantia omissa sint, sive nunc primum Reccesvinthus tali eos honore dignatus sit. Nam in posterioribus Toleti habitis semper reperiuntur.

Apponemus vero nomina, nobis alicubi facem prælatura: quin etiam refert ut constet, quinam ex his in sedes Episcopales fuerint evecti. Ita Fugitivus Abbas, Concilio X. Toletano Archiepiscopali mitra Hispalensi ornatus est; Ildephonsus vero, Sanctus inquam ille Ildephonsus Abbas, postmodum etiam Archiepiscopus factus est. Idem de Cyriaco sentiendum ajunt.

In Conciliis generalibus Abbates vota tulisse consultiva, ut vocant & decisiva simul, non memini me legisse, nisi forte Monasteriis Episcopalibus præfuerint. Christus enim has suas vices Episcopis credidisse videtur, tanquam successoribus Apostolorum: hi vero congregati in Concilio Vniversali, referre putantur Collegium Apostolorum, ut proinde ad ipsos solos pertineat, res fidei sancire. Atqui vota eos edidisse consultiva tam in Ecclesia Græcâ, quam latina, dubitandum non est.

Abbates in Synodis provincialibus gaudent voto consultivo, & decisivo, posteriore carent in Concil. Generalibus.

Græcis enim Conciliis aderant Archimandritæ, quo verbo Monasteriorum Patres appellabantur. Idem factum in Latinis, nemo nescit, ac Tridentinum Concilium fidem facit.

In Synodis autem provincialibus & nationalibus fas ipsis quoque fuit, res statuere, quod ex præsenti Concilio Toletano VIII. itemque X. conicias. Etsi enim in his quoque de fide ac moribus agatur, quæ feruntur tamen sententiæ infallibiles haud judicantur, donec à Pontifice Maximo vel à Concilio generali ap-

probentur. Hæc quidem de Patribus octavi Concilii Toletani.

Aliquot Concilia Toleti in Monasterio SS Petri & Pauli celebrantur.

Locum si exigis in quem conventum est, Acta Concilii clare tibi indicant. Regem & regni proceres io Ecclesiam SS. Petri & Pauli se contulisse, asserunt, quo etiam coiverant Patres. Ibidem quoq; celebratum fuit Concilium XIII. sub Ervigio. & XV. sub Egica: atq; aliud, ut fama est, sub VVitiza, quod licet cum cæteris Conciliis conjunctum haud sit, Historia tamen generalis, Alphonsi Sapientis jussu in lucem emissa, facit ut dubium deponamus, cujus verba promimus: *Et iste in Ecclesia S. Petri Apostoli, extra Toletum sita, quæ ad Dominas moniales nigras spectat, Concilium fecit cum Episcopis & proceribus sui regni, super regimine ac ordinatione sua terræ. Atqui hoc hoc Concilium non continetur in libro Canonum.* Color niger quos Monachos, & quas Moniales exprimat, satis omnes sciunt. Assidue hoc colore Concilia nos tingunt. Quocirca nemo inficias iverit, has Synodos ad SS. Petrum & Paulum nigrarum Monialium habitas, in Ecclesia Parthenonis Ordinis S. Benedicti non procul à quodam palatio regio fuisse celebratas. Quapropter subinde eam basilicam vocant *prætoriensem.* Tam ampla quam augusta erat, par Regis majestati, & Patrum multitudini.

Histor. gen. parte 2. in Egica.

A Mauris Hispaniam evastantibus etiam hoc Monasterium io suburbio situm, solo æquatum fuit, jacuitq; humi, donec Alphonsus VI. qui Toletum in potestatem redegit, sub annum à nato Servatore millesimum octogesimum quintum id denuo erexit. Ordini enim nostro addictus erat, cujus habitum in Monasterio Sahagum sumpserat. Eadem liberalitate in alia quoque domicicilia religiosa, à Mauris diruta, est usus. Parthenoně vero S. Petri eo loco posuit, quem nunc Xenodochium Petri Gonsalez de Mědoza Cardinalis occupat. Etenim anno millesimo quiogentesimo primo alio migrandum fuit. Hoc quoq; ad gloriam Alphonsi VI. attinet, quod non tantum parietes erexerit, sed etiam opima bona, quibus sacræ Virgines vitam tolerarent, adjecerit. Eadem Alphonsus X. cognomento Sapiens, auxit. Nam Ferdinandus Sanctus ipsius pater non solum præmiis afficere eos secum constituerat qui bello Hispalensi rem præclare gesserant, sed etiam in templa & Monasteria effundere dona, gratias Deo pro accepa gratia relaturus.

Alphonsus VI. Monasterium SS. Petri & Pauli à Mauris dejectum restituit.

Ipso autem præpropero fato extincto, Alphonsus X. anno millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio rem peregit. Quamvis autem celebris ea magnarum opum distributio quam Hispalĕsem vocant historici, distĕderit Regis animum, Monasteriaq; nostra Toletana S. Petri, & S. Dominici de Silos magno intervallo remota essent, nihilomin' etiam subivere memoriā, & partem haud exiguam retulere. Nunc causas exponemus, ob quas Monasterium S. Petri mutârit antiquam sedem.

Iohannes II. Elisabetham Regis Portugalliæ filiam duxerat, quæ splendidum secum gynæceum trahens, etiam Beatricam de Sylva sanguine sibi junctam, adsciverat. Hæc cum forma & virtutibus juxta cæteris antecederet, facile omnium oculos & animos io se convertit. Inde spes invidiosa procorum, ac sæpe lis quoque orta io aula. Culpa etsi careret Beatrix, ex gynæceo tamen submota, quin etiam in custodiam immissa à Regioa fuit, ubi triduum absq; cibo & potu contrivisse fertur. Cum se ope mortalium destitutam, oec non ignominiosas pœnas sine noxia dare videret, in preces atque lachrymas incumbens, Beatissimæ Virginis, matris misericordiæ, fidem imploravit: ejus filio virginitatem devovit. Illico cœlo delapsa Regina Virginum, eo habitu se in conspectum dedit, quo utuotur hodie Religiosæ fæminæ, quæ Ordinem Conceptionis profitentur, videlicet tunica & scapulari candidis, pallioque cæruleo. Suppetias se laturam supplici promisit, nec multo post tulit. Nam Regina motum animum denuo componens, insontem restituit in libertatem. Igitur emissa jam manu Toletum contendit: libertatem sibi sponte ademit in Monasterio S. Dominici se se includens, ubi triginta amplius annos asperrimam vitam egit, nec quemquam mortalium, præter ancillam, in secretam admisit cellam, memor sa ideo amotam fuisse aulicis, quod oculis libari potestas fuisset.

Alcocer l. 2. c. 16. Villegas 3. parte. Hist. S. Francisci Gonzaga 1. p. fol 21.

Beatrix de Sylva ob raram formā in suscipionem sinistrā adducitur.

Moniales Conceptionis B V in Regulam S. Benedicti jurant.

Isabella seu Elisabetha Ferdinandi Regis Catholici conjunx, illata toties fama de Beatricis sanctimonia, in delitijs eam habere cœpit. Ista occasionem nacta diu cogitata ad rem redigendi, sibi in votis esse dixit, Matri Numinis Monasterium condere, idque Conceptioni illius longe sacerrimæ dedicare, forma & colora habitus à visa sibi Virgine petitis. Facila annuit Regina: locum assignavit fabricæ, quo late sparsum stabant palatia, quondam Galliana dicta. Vbi tectū impositum Asceterio fuit, (quod anno millesimo quadringentesimo octogesimo quarto factum) Beatrix è cella Cœnobii S. Dominici sese evolvens, cum duodecim religiosis fæminis id incolere cœpit.

Beatrix Ordinem Conceptionis B.V, condit.

Inde cum Innocentio VIII. Pontifice Max. actum est, quem modum vestiendi &

vivendi novo in Monasterio tenerent. Habitu eo uti jussæ sunt, quem à Magna Numinis supremi matre demonstratum, jam occupassent: in Regulam autem jurare D. Benedicti, & Constitutiones Cistertienses: obedientiam nuncupare Ordinario, quod novus Ordo introducendus haud videretur.

An. 1501. Monasterium S. Petri extinguitur.

His ita Romæ compositis, velum Beatrix de Sylva sumpsit, Regulamq; S. Benedicti professa est, tota civitate ad spectaculum excitata. Illam sequutæ etiam aliæ sunt. Tantæ rei ducem atque Antistitem intra decem dies, (quod ipsa cœlitus acceperat) cum annus ageretur millesimus quadringétesimus nonagesimus ad Superos evocavit Deus. Postmodum vero tam in S. Petri, quã in hoc Sanctæ Fidei seu Conceptionis Monasterio propter incolarum paucitatem labante disciplina, ordine se facturum Rex credidit, si utrumq; conjungeret. Versa tum sunt omnia. Monialibus enim D. Petri à legibus S.P.N. Benedicti post tantum temporis desciscendum, ac habitus niger exuendus, induendusq; albus fuit: Monialibus vero Conceptionis priores quoq; leges relinquédæ, & tam his quam illis in S. Claræ scita eundum, tantæ mutationis auctore F. Francisco Ximenez, Vicario Generalis, ac Reformatore Ord. S. Francisci, nec non postmodum Archiepiscopo Toletano, quem Rex ad hoc opus adhibuit. At non ita ludendum in alieno corio erat. Vt simplices fæmellas ad hanc metamorphosin adduceret, nullum egregium momentum attulit, nisi Isabellam de Sylva, Reginam, S. Francisco vehementer addictam fuisse. Pertæsi longiorem narrationem, hoc solum addimus, Consalvum Mendozam Cardinalem hospitium pauperum imposuisse loco, cui ante id Monasterium S. Petri insederat.

Caput. II.

S. Irene, Monialis & Martyr.

Historiæ Hispani & Breviaria.

Hoc anno S. Irene ad corporis integritatem defendendam mortem oppetiit, Martyri vero palma non illi solum debetur, qui tormenta ad fidei veritatem testandam prompte subit, sed ei etiam, qui ad aliarum virtutum dignitatem tuendam vitam profundit.

S. Thom. 22. q. 124.

Fuit Irene, domi nobilis, Hermigio & Eugenia parentibus orta i gente Lusitana; Selii Abbatis Ordinis S. Benedicti ad S. Mariam cognata, qui nihil cuiquam, dum vixit, in religionis cultu concessit. Nabantiam olim dixere locum, in quo situm hoc Monasterium erat, quod Nabani fluvio vicinus esset. Labentibus annis ibidem arx, cui Tomar nomen, posita fuit, Militibus Christi subjecta. Alterum quoque Cœnobium. Monialium in Nabantia stabat, in quo Casta & Iulia, S. Irenes cognatæ degebant. His se tertiam addidit ipsa, ubi consilio auxilioq; consanguinearum usa, brevi magnos progressus fecit. Insuper Selii Abbatis jussu litteris eam imbuit Remigius Monachus: opera bene collocata est. Iejunio, meditationi, precibus, simplicitati, submissioni, etiam atque etiam studebat; frivolas visitationes atque publicum aversata domi se tenebat, nisi quando festo S. Petri die Basilica ejusdem quot annis frequentanda erat. Re divina peracta, quasi fugam capesseret, in Cellulam properabat.

Litteris & pietati juxta studet.

Castinaldo Nabantiæ domino Britaldus filius erat, qui Moniales curiosius observans, S. Irenes forma captus est: nec tamen ausus detegere malum, quod anhelo pectore latitabat absq; remedio. Itaq; Cupidine hospitio stolide accepto, impotenter ardere cœpit, languidum caput huc illuc jactans, mentis statu deturbatus. Postquam Irene oraculo divino didicit impatienter se amari à juvene, miserata ejus insaniam, comitantibus ætate provectioribus aliis fæminis adivit æstuantem, *Quæ vero te cepit dementia, Britalde?* dictitans. *Tune meas ambis nuptias, quæ Dei filio desponsa sum? Oculos ad cælum tolle, ac vide sis cui injuriam facias, dum me deperis.* His & hujusmodi verbis tantum pondus apud Britaldum fuit, ut incitatum libidine animum mox composuerit: Cupidinem excusserit: Irenæ gratias egerit.

Detrectat nuptias.

Fremens cacodæmon spem suam elusam esse, post biennium novas insidias intendit castissimæ fæminæ, tanto graviores, quanto occultiores. Nimirum, turpes igniculos injecit Remigio, quo magistro ipsa usa erat, qui dum principiis non obstitit, eo amentiæ processit, ut pectus virginis invadere: vincula rumpere: ubera revelare conatus sit. Cum hoc portento summis viribus depugnans candidissima, iis nominibus accepit, quibus par erat, imputans facinus Monacho tam indignum, & obstupescens aliquid hujusmodi in mentem ipsi venire potuisse. Improbus repulsam passus ad artes se convertens, vindictam animo versabat. Captata post occasione, poculum veneno diluit; Irenæ propinavit, non quo extingueretur, sed quo uterus inflatus conceptam sobolem mentiretur, spe fretus

Remigium amore insanientem rejicit, & insectat.

Is tamen insanire pergit.

fieri

fieri posse, ut non modo contemptum sui ulcisceretur, sed etiam ut illa oculos sororum haud ferens, ex Monasterio clam sese auferret, inque suos casses incideret.

Incauta sumpsit potionem, unde venter adeo intumuit, ut nemo non crederet, vitium illi oblatum esse. Mussitare invicem cognatæ, Moniales, propinqui, familiares: fama etiam extra Cœnobium manare: demum ad Britaldi aures accidere, qui primus oculos non castos in ipsam intorserat. Hic dum Irenes dicta, & insolens hoc factum, quod vulgabatur, inter se contulit, plenus irarum, ultima quæque in ipsam audere secum statuit, nunc primum sentio, clamitans, os mihi sublitum, quando solum se Christum amare: vitam ante, quam integritatem depondituram, affirmavit. spretus sum: ipsi sordui præ alio quopiam sacrilego capite. Tam scelestam absolvere nec possum, nec volo. Tum sicario magna pecunia conducto dedit negocium, ut ferrum in eam expediret: commode oblatam è medio tolleret: Hic operam addixit.

Reichaldus in Virginis caput emit percussorem.

Mos ferebat sanctæ, precibus matutinis rite peractis, ad Nabanis ripam prodire: strepentes inter undas lachrymas cum singultibus ciere: ad Deum vindicem intolerandæ injuriæ confugere: modo veterem famam, modo mortem ab eo reposcere. Advertit res hæc sicarium, jam pridem insidias molientem. Ejus igitur vestigia pone legens, ducta subito sica guttur ipsi incidit: collapsam vestibus indusio tenus spoliavit: exanimem in fluvium provoluit. Cum mane nullibi compareret, Casta & Iulia cognatæ, manus ipsam sibi attulisse ratæ, lachrymas ubertim defundebant, fatum infelicis deplorantes. Sed non passus est Deus tanto dedecore suam notari sponsam. Videlicet, Selio Abbati rem omnem suggessit, qui Monachorum, Monalium, & sæcularium manu contracta, ad amnem contendit, Irenen ab undis repetiturus. Miraculum! Vbi Nabanis fluvius interfectam accepit, in Nocecarum (hodie Ozezer) fluvium alterum eam evolvit, à quo in Tagum delata est. Tum juxta Scalabim nobilem urbem, ubi jus vicinis populis dicebatur, undis suis magna se se mole urgentibus, Tagus receptui canens, quasi frænũ injecit ne longius procurrerét. Per obsequium Angeli sepulchrum construxerunt, quo virginem condiderunt. Interea cum sacro suo agmine adest Selius, stupore defixus. Iordanem, aut mare rubrum in Tago se spectare. Operam continuo pariter navarunt, ut cadaver Nabantiam referrent, sed irritus fuit labor, quemcunque adhibuerunt, quod Scalabim hoc pignore dignari decrevisset Deus. Prodigium civitati nomen *Santaren*, id est, S. Irene, fecit. Selius Antistes invito Deo nihil moliri ausus, ne tamen vacuus abiret, capillos demortuæ stringens, necnon interulam carpens, bonam partem abscidit. Conversis denuo in ripam vestigiis, cum spectatores littore jam potiti essent, unda sublime suspensa defluere, cursumque solito impetu tenere cœpit. A Selio ablata lipsana oculis aliisque membris captis, saluti fuere. Ita infamiam insonti virgini impactam, in celeberrimam famam vertit Deus.

Occisa in flumen spargitur.

In fluvium provoluta ab angelis sepelitur.

Britaldum, Remiginm, sicarium, hoc prodigio perculsos, Romam avolasse, ajunt, sceleris expiandi causa. Fors ipsa Martyr, immemor injuriæ, ne supplicia æterna luerent, intercessit.

Rem ita esse, gestam, convenit inter omnes auctores, quos legimus. Præter Breviarium Eboracense adhibuimus ante alios F. Duartem de Arayo Commendatorem Christi, qui religiosissimi Ordinis sui jussa acta S. Irenes in lucem emisit. In medio quoque adsunt ossa virginis, magna narrationis testimonia, quæ Santarena, amplissima civitas, habet, nec non ad XI. Kal. Novembris annuo cultu prosequitur, quo die etiam in Fastis Ord. S. Benedicti notatur.

Breviarium Eboracense. Moral. l. 12. c. 16. P. Duarte de Arayo. Villegas 1. p. SS. Hispaniæ.

AN. CHRISTI 655. AN. S. BENEDICTI 175.

Concilium IX. Toleti habitum.

Biennio post, Concilium IX. Toletanum, quod nationalibus adnumeratur, in Basilica S. Mariæ (cujus locum hodie templum maximum occupare creditur) celebratum fuit: Revesuinthus tunc annum septimum sceptra ferebat, Patribus tamen se non admiscuit. Decretis sexdecim Episcopi subscripsere: aliquot Comites Palatini: sex Abbates sequentes: Fugitivus, Ildephonsus, Eumerius, Monarius, Iohannes, itemque Iohannes alter. Capite 2. sanctum est, ut deinceps ipsi Ecclesiarum & Monasteriorum fundatores quoad viverent, homines designarent, Episcopis offerendos. Vidasis apud Gratianum Causam 16. quæst. 7. Cap. Decernimus.

Concilio IX. Toletano 6. Abbates subscripsere.

Caput V. Concilii laudat Episcopos, qui suis in Diœcesibus ædificabant Monasteria. At cum nonnulli S. Petro vestimenta detraherent, eaque circumponerent S. Paulo id est, Ecclesiarum Cathedralium opes acciderent augendis Monasteriis, Patres hunc ipsis modum statuere: *Quisquis Episcoporum in Parochia sua Monasterium con-*

struere forte voluerit, & hoc ex rebus Ecclesiæ, cui præsidet, ditare decreverit, non amplius ibidem, quam quinquagesimam partem dare debebit, ut hac temperamenti æquitate servata, & cui tribuit, competens subsidium conferat, & cui tollit, gravia damna non infligat. Ecclesia vero quæ Monasticis non informabitur regulis, aut quam pro suis magnificare voluerit sepulturis, non amplius, quam centesimam partem census Ecclesiæ, cui præsidet, ibidem conferre licebit. Hem ut manus olim injiciendæ erant Sanctis Episcopis, ne plus justo effunderent in Monasteria! Hinc antiquum morem natum esse putem, ut præbendas (ita vocant, in Ecclesiis Cathedralibus capesserent Cœnobia. At nolo recoquere, quæ anno 589. apposui.

Tom. 1. anno 589. c. 2.

AN. CHRISTI 656. AN. S. BENEDICTI 176.

Concilium X. Toletanum.

Concilium X. Toletanum non adeo infrequens.

SYnodus hæc nationalis anno octavo Reccesuinthi Regis, Kalend. Decembr. coacta fuit, nec à pluribus quam viginti ac uno Episcopis frequentata. Atqui numerum istum morari non debeo, cum à novis historicis sit editus; auctiorem enim libri M.S. in Escuriali suppeditant. Dem igitur hanc operam venerandæ antiquitati, ut nullum in syllabo prætercam.

Metropolitani qui Concilio X. Toletano interfuere.

Orontius Archiepiscopus Meridæ.
Eugenius Archiepiscopus Toleti.
Fugitivus Archiepiscopus Sevillæ seu Hispali.
Fructuosus Archiepiscopus Bracaræ.

Episcopi.

Gabinus Episcopus Calahorræ.
Eparchius de Italica.
Ansericus de Segoicia.
Durula de Malaga.
Talo de Girona.
VViterrus de Elna.
Quiricus de Barcelona.
Iohannes de Coria.
Floridius de Segobriga.
Selva de Ægyptania.
Vindericus de Singuenza.
Dadila de Compluto.
Athanasius de Xativa.
Guericus de Vich.
Filemirus de Lamego.
Servandus de Ylipa.
Sylvester de Carcasona.
Ala de Ylliberi.
VVadila de Viseo.
Amanungus de Avila.
Afrila de Tortosa.
Tayo de Sarageza seu Cæsaraugusta.
Eusebius de Huesca.
Egeredus de Salamanca.
Marcus de Castulo.
Georgius Agatensis.
Vincentius de Martos.
Cæsarius Vlyssiponensis.
Hermesfridus de Lugo.
Elpidius de Astorga.
Zosima Eboracensis.
Flavius Portuensis.
Bacauda de Egara.
Deodatus Pacensis.
Felix de Valencia.
Phosphorus Cordubensis.
Maurelus de Vrgel.
Ascarius de Palencia.
Chelidonius de Calsabria.
Citerius de Auca.
Iulianus Acitanus.
Sona de Orense.
Servus Dei Bastelanus.
Sisebertus Conimbricensis.
Balduisus de Hercabica.
Maurasius de Oreto.

Isto Concilio Patres loco moverunt festum Annunciationis, eique XVIII. Decembr. diem assignârunt, quod jejunium venum debitam pompam excluderet, nec publica gaudia admittere videretur. Itaque fallitur Trithemius festum Expectationis appellando Côceptionis, ejusq; institutionem S. Ildephonso tribuendo.

Festum Annunciationis in 18. Decembr. diem promotum.

Capite 3. eos Episcopos perstringunt Patres, qui cognatorum vel amicorum nimio amore cæci, homines nauci parochiis & Monasteriis imponerent, & majorem crumenæ, quam animarum ducerêt rationem. Legem proinde tulerunt, ne quis deinceps sæcularium imperare Monasteriis permitteretur, quod postea Pontificii quoq; Canones cavere, sæcularibus Commendatariis ex Abbatiis submotis.

Abbates sæculares Monasteriis excedere jussi.

Caput 4. & 5. rationem profitendi religiosam vitam viduis præscribunt. Videlicet in concepta verba jurent, eaque in chartam relata, Sacerdotibus & Prælatis tradant, ne pedem referre queant. Deinde ut habitu à sæculari diversum mox sumant, non impune laturæ si has leges violaverint. Vela quoque imponere jubenter capitibus nigra, quod ipsarum sit tam sua quam aliena

pecca-

Religiosis viduis vela nigra fuere sumenda, mœstitiam imitantia. Vel rubea, ut quoties oculos ad ea referrent, S. sanguinis Christi in mentem venirent.

peccata perpetuo luctu abolere: vel rubro colore imbuta, ad refricandam fusi à Christo sanguinis memoriam, nec non ad amorē erga sponsum convulneratum acuendum. Quamvis autem Gothis rerum dominis Moniales, velis rubris capita obnupserint, postea tamen consuetudo obtinuit, ut nigris uterentur, quod modestiæ, gravitati, pœnitentiæ, magis convenirent.

Caput 6. decernit, patres non posse filios suos, si decennium excessissent, ad vitam Religiosam amplectendam obstringere, quod ea ætate jam ipsi de se statuere possint. Vnde conjicias, usque ad decennium potuisse.

Quamvis autem hic Canon per alios recentiores fuerit antiquatus, olim tamen vim habuit remotis è piorum societate iis Monachis, qui admodum pueri Monasterio à patre oblati, cucullum postea exuissent: quod si clam se subduxissent, è fuga retrahebantur.

Extrema Concilii hæc fuere.

Potamius Archiep. occultum scelus publica confusione luit.

Potamius Archiepiscopus Bracarensis erat, qui solura pudicitia indignum scelus cum fæmina patravit. Aliquot mensibus circumactis ingens pœnitudo animum incessit. Quamvis autem sacris abstineret, parem tamen peccato confusionem subeundam ratus, Patrum consessui se mœstus intulit: pectus ulciscente pugno identidem pulsans, admissum flagitium confessus est, Archiepiscopatu abire se velle, ingeminans; simul lachrymarum turbine perfusus, commovit spectatores, ut ipsis quoque natarent oculi, sublata voce conclamantibus, *Cecidit corona capitis nostri: mæstum factum est cor nostrum: defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster.* *Thren. 5.* Cum deinde libellus nefas describens, quem Potamius Concilio porrexerat, in suspicionem vocaretur, an forte ab aliquo inductus fuisset, ut huic se ludibrio offerret, verbis solennibus juravit, miserum se revera nefandum hoc crimen admisisse, fletuque redintegrato ita diffluxit, ut erumpentes lachrymæ chartam, quam is tremula manu tenebat, prorsus madidarent. Absolvissent Patres reum tam graviter facti pœnitentem, nisi Concilium Valentiæ in Gallia habitum sanxisset, ut Diaconi, Presbyteri, Episcopi, fæminam se vitiasse fatentes, gradu submoverentur. Et eandemque pœnam subiret, qui talem culpam falsò sibi impegisset, vel alio turpi flagitio sacratum Deo corpus prosanasset. Tandem Canonis rigorem misericordia temperantes, Archiepiscopatus administrationem lapso ademerunt: titulum Archiepiscopi pœnitenti reliquerunt.

S. Fructuosus Potamio in Archiep. Cathedram succedit.

Vt vero Cathedræ sua quoque redderetur dignitas, Patres S. Fructuosum, Episcopum Dumiensem, Ord. D. Benedicti magnum ornamentum, imposuere. Antistes is fuerat religiosissimorum domiciliorum S. Petri de Montibus: S. Romani de Ornisga: & aliorum per Hispaniam sparsorum. Hic vir hic est, qui asperrimam vitam ducens, innumera edidit miracula, quorum admirator Recisuindus Rex, nil potius habuit, quā ut è Cella evocatum, Dumiensem Episcopum faceret, locum semper ultimum affectantem. Solatio esse poterat, quod Monachis ipsi exuendus haud foret: Ecclesiam enim Bracarensem Ordo D. P. N. Benedicti incolebat, ut ei à vetere vivendi consuetudine abeundum haud fuerit. Cum itaque Toletum ad Concilium advolasset, omniū patrum suffragiis Archiepiscopus dictus est. Eidem curam testamenti, à Martino Dumiensi conditi, pariter commiserunt, cujus exequutores ille quidem Reges Suevos scripserat: quod onus postea succedentibus in Galliciam Gothis incubuit: sed cum parum curæ haberent, vir Sanctus aures illis vellicare jussus est. Recimirus itidem Episcopus Dumiensis, pauperibus nimium legaverat non absque Ecclesiæ detrimento. Fructuosus statu rerum expenso, eam dexteritatem ex decreto Synodi adhibuit, ut nec bona Ecclesiæ plus debito fuerint accisa: neque mendici nihil acceperint. Concilio hæc verba subscripsit sanctus Antistes: *Fructuosus Bracarensis Metropolitanus Episcopus.*

Soluto Concilio novam Cathedram insedit, Dumiensem Episcopatum simul gerens, quod etiam à S. Martino Dumiensi factum. Multis post sæculis hæ duæ mitræ conjunctæ fuere. Etsi honores mutent mores, & raro faciant meliores, supercilia tamen non suspendit novus hic Archiepiscopus, nec quicquam de rigore solito remisit, sed eum potius intendit.

Ad vitam asperiorem se componit.

Ædificat duo Monasteria.

Iam Archiepiscopus duo construxit Monasteria, quorum quidem memoria deleta non est. Vni Turonio nomen fuit: alteri S. Salvatori de Montolios, in quo sepeliri voluit. Posuerat hoc Dumium inter & Bracarum, ne Dumiensi Ecclesiæ anteferre Bracarensem videretur, vel Bracarensem Dumiensi postponere, si alterutri ossa sua concessisset. Dumiensis antiquitatem, nec non S. Benedicti Ordinem: Bracarensis dignitatem jactare poterat, tanto pignori vindicando.

Ergo prævisam litem diremit sacer Antistes, in medio se collocando, ut esset utrique. Ambrosius Morales fragmentum privilegii, ab Alphonso III. dati, nobis offert

hisce

Veral. 12. c. 15.

hisce verbis: *Quidam sacerdos Christophorus auxiliante Deo sibi procurandum sumpsit Monasterium, quod S. Fructuosus ædificavit, vita & meritis clarus, idq; in loco situm est, qui appellatur Montolios, inter Cœnobium Dumiense & suburbium civitatis Bracarensis, & ab antiquo notum est, quod fuerit fundatum in honorem & cum invocatione S. Salvatoris.*

Etsi huic Asceterio S. Fructuosi nomen labentibus annis fuerit impositum ab origine tamen S. Salvatoris tulit. Iactis fundamentis valetudinem suam carpi sensit, quam ob rem diligentius in opus incubuit, ut ante supremam acciperet manum, quam ipse è vivis excederet. Refert Paulus Diaconus de Merida, & S. Valerius Abbas, adeo moræ impatientem fuisse, ut etiam noctu adhibitis facibus operis institerit. Fabrica ad finem perducta, is febri accensus est, quæ exhaustum jejuniis corpus paulatim depascens, lætam ipsi mortem attulit. Imminente jam fato, negotium suis dedit ut in Ecclesiam se deferrent, ubi SS. Sacramentis rite defunctus, diem totam cum nocte insequenti ad iter accinctus suum Dominum præstolatus est, à quo sub primam lucem evocatus, abivit, Monachis & Clericis pium Patrem deflentibus. Ossa in Monasterio Sancti Salvatoris de Montolios sepulta sunt, quod Mauri Hispaniam evastantes, Ordine nostro ingemiscente destruxerunt. E cineribus tamen & ruderibus revocatum quampluribus inde annis S. Fructuosi corpus sinu suo fovit, donec Don Diego Gelmirez, Compostellanus Antistes, thesaurum hunc sibi vindicavit.

Corripitur febri.

Sepelitur.

S. Iacobum Apostolum præcipuo semper cultu prosequuti sunt reges, multis sacris ædibus, in alienis etiam Episcopatibus ejus honori extructis.

Transfertur Compostellam.

Multa hujusmodi templa, Archiepiscopo S. Iacobi subjecta, Bracarensis ditio numerabat, quæ cum Gelmirez Archiepiscopus aliquando censoria cum virgula obiret, ad S. Victorici parochiam, parvo intervallo Bracara distantem, consedit. Ibi ingenium in promptu habuit & corpora S. Susannæ Virginis & Martyris, SS. Cucufati & Sylvestri, qui Gothis imperantibus pro Christo mortem oppetiverunt consequutus tum est. S. Salvatoris Monasterio S. Fructuosi nostri Lipsanis sublectis clam secum è Braccarensi Archiepiscopatu in Galliciam se recepit: ut vero intentis oculis nebulas offunderet, viam Tuynum capessivit, & in S. Bartholomæi, Ordinis D. Benedicti Monasterio, divertit: Inde Compostellam petens, insigni applausu ab effusa civitate exceptus est, atq; in Ecclesiam Cathedralem hæc Hispaniæ pignora intulit. S. Fructuoso summũ altare in Mausoleum obtigit: cui postea Archiepiscopus sacellum à dextra condidit, quo ubi summam accepit manum tam ossa quam nomen S. Fructuosi tulit. Parochia nunc & Cardinalis titulus est.

VI. Kal. Maij nullius rei priorem curam S. Iacobi Basilica habere videtur, quam religione D. Fructuoso debita se exsolvere. Itaque vacua relicta ara maxima, sacerdos, Cardinalis, Canonici, præbendarii, ipsius in sacellum confluunt: redivinam ingenti pōpa ibidem faciunt: nec scio cuiquam aliorũ Sanctorum hunc honorẽ eo in templo haberi. Totam per Galliciam & Portugalliam, præsertim per S. Iacobi & Braccarensem Archiep. haud exiguis sumptibus festa ipsi explicātur. Monasterium S. Salvatoris, postmodum S. Fructuosi dictum, Patres S. Francisci discalceati, quos in Portugallia & alibi Capucinos appellant, hodie incolunt, osse uno, quod Don Diego forte in sepulchro reliquum fecerat, & pallii Archiepiscopalis parte contenti lætiq;. Ordini nostro nihil de S. Fructuoso in manibus est, quod sciam, præter egregiam memoriam, decus & ornamentũ, quod nobis peperit. Regulam enim non modo late propagavit, sed ne Hispania à Mauris sub jugum missa, Ordo interiret, ipsi debetur.

Cultu singulari afficitur.

An. Chriti 657. An. S. Benedicti 177.

S. Eugenius III. Archiepiscopus Toletanus.

Omnibus quinque Toletani Conciliis, quę nuper lustravimus, Eugenius subscripserat Archiep. sexto quidem ac septimo Eugenius II. cujus acta nil attinet retexere: Octavo, nono, & decimo, iste Eugenius III. qui magno studio Cœlitibus accensetur. Civis Toletanus erat: an vero S. Ildephonso sanguine junctus fuerit, non æq; constat, augetq; dubium quod hic virtutes illius in literas diligenter miserit, nullam vero cognati sanguinis fecerit mentionem. Inter Clericos primæ notæ cũ fuisse, ait, mũtasse postea Cæsaraugustæ commodam sortem cum religioso cucullo: dies noctesq; SS. Martyrũ cultui impendisse. Idcirco Eugenio II. demortuo, eductum à Cindasuindo è Monachorũ cœtu, & cathedrę Toletanę impositũ.

Ildeph. de claris viris c. 14. S. Eugenius ad S. Engratiæ seu Engratidis induit cucullum.

Gothis Hispaniam tenentibus plura Ordinis S. Benedicti Monasteria Cæsaraugusta habebat, inter quæ tamen S. Encratidis vel *de las Massas blancas* (utrumq; enim no-

Monasteriũ S. Encratidis Divorũ reliquis dives.

men ferebat) facile emanuit, quod Divorum reliquiis plenum esset. S. Encratis ex Portugallia oriunda, tam sanguine quam opibus suspicienda fuit. Sententia parentibus stabat, nuptui illam dare cuidam è Gallia Narbonensi illustri juveni. Virginem in publicum prodeuntem octodecim comites stipare solebant; videlicet Lupercius, Opratus, Successus, Martialis, Vrbanus, Iulia, Quinctilianus, Publius, Fronton, Felix, Cæcilianus, Eventius, Primitivus, Apodemius, Maturinus, Cassianus, Faustus, Ianuarius. Subjicimus nomina, quod omnes mortem pro Christo oppetierint. Dacianus enim, notum inter tyrannos nomen, cum in Christianos ultra humanam sæviтiam debacharetur, Encratis seu Engratia captata occasione causam Christianorũ apud belluam dixit. Ille in rabiem actus, negotium carnificibus dedit, ut genus omne tormentorum in Virginem ejusque stipatores experirentur. Dictum, factum. Namque Encratidis latera ferreis ungulis tam diu longissimis sulcis ararunt, donec paterent viscera, è quibus hepatis partem abstraxerunt, eamque S. Eugenius sibi visam ait. Corpora fœde lacerata & confecta Cæsaraugustæ propter Orbæ fluvii ripam (hodie Gueruam vocant) sepulta sunt, quibus postea Monasterium inædificatum fuit, nomine *Massæ candidæ* imposito. Fatigabat jam ipsa Christianorũ multitudo tam Dacianum, quam carnifices. Immo ille, ne humanius interficerentur, è carceribus undique omnes erui: Cæsaraugustam trahi: se spectante excruciari jussit. Insuper per præconẽ edixit, ut omnes Christiani urbe liberè excederent (ita ad unum omnes è latibulis se excussurum, haud vana spe ductus,) manerent soli idolorum cultores. Mox sarcinulas suas expedire & constringere universi: prodire in publicum: viri, fæminæ, pueri, senes, non secus quam formicarum agmina, meare: ad portas tendere: hoc indicio fidem Catholicam palam profiteri. Exhausta ipsi Daciano civitas visa est, qui vafer intentos in signum milites terga & latera discedentium invadere jussit: non sexus, non ætatis habere rationem. Ita circumventa ingens multitudo, in medio cæsa. Cum numerum interfectorum haud quisquam divinare posset, *Martyres innumeri* dicti sunt. Immani hac strage à tyranno edita, in rogos fœde concisa corpora conjecta sunt, ne aëre corrupto vulgarent pestilentiam: vel ossa sublegerentur, & Christianorum more in pretio haberentur. Iisdem rogis multa quoque furciferorum cadavera illata sunt; ut etiam cineres miscerentur, nec quicquam de SS. Martyribus reliqui fierent Christianis. Sed vi divina horum cineres confluxisse, feruntur, seque suo candore prodidisse, & Massam candidam appellatos, conservatosque eo loco, ubi S. Encratis cum suis familiaribus humata fuit: qua de causa Monasteriũ non modo istius Divæ, sed etiam *Candidæ Massæ, & Innumerorum Martyrum* nomina accepit. De his mentionem Isidorus in Etymologiis facit: Prudentius vero eorundem res hymno complexus est.

S. Engratia cum 8. famulis variis tormentis laceratur.

Dacianus ingenti strage Christianos Saragossam habitantes afficit.

Pares cum paribus congregantur.

S. Isid. Etymolog. l. 5. Prudent. in peri, Steph. hym. 4.

Sacra ista lipsana in manibus nostri Ordinis fuere cum Hispania penes Gothos esset, atq; S. Eugenius in eo Cœnobio nomen S. Bened. daret. Imo etiam dum Mauri regnabãt, Zurita, & Hieronymo Blancas id affirmantibus. Prinrem audi: *Hic Monialium Conventus, quas postmodum Minoretas vocarunt, juxta S. Encratidis Monasterii locum cepit, quod Ord. S. Benedicti erat, ubi Monachi residebant à tempore quo civitas Cæsaraugusta Mauris serviebat. Sub Paterno vero Cæsaraugustæ Episcopo, & Papa Gregorio, annexũ fuit Ecclesiæ laca & Huesca cum Parochia de las santas Massas.*

Zurita l. 2. 73. Annal. Aragon.

Hæc à Zurita anno millesimo ducentesimo decimo nono memoriæ prodita sunt: unde apparet Candidas Massas multis sæculis ad familiam D. Benedicti pertinuisse. Hieronymus Blancas paulo apertius exponit. *Olim autẽ*, inquit, *ibi Monachos D. Benedicti degisse, manifesta omnibus & nota res est, fuisseq; illius fani religionem tantã, ut anno Christi sexcentesimo quinquagesimo primo Eugenium a Toleto patria ad hujusmodi dictorum Monachorum Cœnobium, tanquam ad locum religionis insignem, cæterisque aliis præcellentem venisse constet: fuisseque ibidem aliquamdiu diversatum: cumque in eodem esset ipsius Divi Benedicti deditus instituto, à Cindasuintho, Gothorum Rege Toletanoque Clero in Toletanæ Ecclesiæ Antistitem evectum.*

Hieron. Blanc. comment. rer. aragon.

Candida Massa Ord. S. Benedicti Monasteriũ.

Nescio igitur quo pacto factum, ut Martyrologia, quæ S. Encratidem sub annum millesimum trecentesimum octogesimum nonum inventam memorant, ejus Cœnobium Canonicos Regulares insedisse, asserant. Quid si ferventibus eo regno perpetuis bellis, quæ Mauri cum Christianis gerebant, aliquando versum fuit Monasterium, ac postmodum uti S. Encratidis sepulchrum, ita quoq; veteres incolæ memoriæ exciderunt? similimũ vero est. Ad III. Id. Martii reperta sacra lipsana quot annis in memoriã incolis redigit Cæsaraugusta Regib⁹ Catholic. sceptra tenentibus. Basilica S. Encratidis sacris ossibus imposita fuit, locusq; in ditionem Ord. S. Hieronymi venit.

S. Eugenius de Monacho fit Archiepiscopus.

Vt ad pauca referam, ex hoc Monasterio S. Eugenius à Rege Cindaluindo Toletum accitus (ubi jam olim omnes boni Clerici numeros absolverat) in Sedem Archiepiscopalem elatus est, quamvis omni ope honorem à se removeret. Viribus quidem exiguis erat, tantum nihilominus onus duodecim annos summa prudentia pertulit, fervore spiritus lapsam valetudinem fulciens, Sancto Ildephonso teste. Quosdam abusus, qui inconsulto irrepserant, è medio sustulit: cantum Ecclesiasticum non parum corruptum, redintegravit: peritus enim musicæ erat.

Magnum inter viros doctos nomen.

Viris doctis à suo sæculo jure accensus est; tantum enim temporis & studii in libris posuit, ut ipse quoq; tam soluta quam vincta oratione libros lucubraverit, è quibus uni SS. Trinitatem argumentum esse voluit, perquam difficile sané, ac impeditum: is tamen ita scite explicavit, ut non modo S. Ildephonsum rapuerit in admirationem, sed etiam in Græcia & Africa, tum temporis, eruditione excultis, lectores invenerit. Insuper duos alios edidit, unum versu, prosa alterum, ad varias materias deflectens, unde haud exiguum fructum capias. Præterea Dracontii libris notas, ceu lucem, aspersit vitiatam lectionem dispungendo. Eosdem auxit quoq;, septimum diem, quo Orbis conditor *requieverat ab opere quod patrarat, prolixe evolvendo.*

Gen. 2.

Hoc volumen forte sibi Gothico charactere oblatum, testatur Morales, ac carmina aliquot subjicit ab eodem facta, unde viri argutum ingenium æstimes:

E xcipe Christe potens discretam corpore mente m
V t possim picei pœnam vitare barathr i.
G randis inest culpa, sed tu pietate redunda s.
E lue probra pater, & vitæ crimina toll e:
N on sim pro meritis Sanctorum cætibus exu l
I udice te prosit sanctum vidisse tribuna l.
V is lector uno quis sim dignoscere vers u?
S igna priora lege, mox ultima nosse valebi s.

Si ex discipulis censura de Magistro ferri potest, idem S. Eugenius S. Ildephonsum, deinde S. Iulianum, Archiepiscopum Toletanum, instituit, quod iste fatetur insigni libro, quem prognosticon futurorum inscripsit. Tandem rebus gestis & scriptis clarissimus anno sexcentesimo quinquagesimo septimo ad XIII. Novemb. uti fertur, mortuus, atq; in S. Leocadiæ templo sepultus est. *Decedenti successit S. Ildephonsus.*

Diem obit.

Caput. II.

S. Ildephonsus, Monachus S. Benedicti, Archiepiscopus Toletanus.

S. Ildephonsus. Archiep. Toletanus.

INnocentia, eruditio, prudentia Ildephonsi seu Alphonsi, Monasterii Agaliensis Abbatis, jam pridem Toleti summis laudibus ferebantur; unde sublato è vivis S. Eugenio, omnium votis ad infulam capessendam expetitus est cum annus post natum Servatorem ageretur sexcentesimus quinquagesimus septimus. Omnes auctores eum viris virtute ac eruditione præstantissimis adjungunt: pro Doctore, pro fulcro Ecclesiæ habent. In ea enim fulcienda, instruẽda, ornanda, provehenda, contra hæreses munienda, ætatem consumpsit. Etiam prolixus historicus in eo laudando brevis est. Crediderim à Deo in lucem editum, ut Reginæ cœli pro sacellano esset. Nam cum Stephanus & Lucia, nobile par conjugum, cives Toletani, Munus B. Virginis, sobole multis annis caruissent, in preces majorem in modum incubuere, Numini supplicando ne fructu matrimonii se destitueret. Lucia profecto cum spem summam in Beatissima Dei matre positam haberet, assiduo palmas ei tetendit, addito voto, ipsius servitio addicturam filium, si quem sibi impetrasset. Haud irrita fuere tam sancte nuncupata vota. Quem enim mater misericordiæ à se rejiceret, æqua flagitantem?

Igitur paulo post fert uterum Lucia: Stephanum filio beat, ac repentino gaudio perfundit. Ædes in quibus vitales in auras evolutus est, labentibus annis Stephanus Yllanes, tota Hispania percelebratus, habitavit: post hunc Comites de Orgaz: damnum Patribus Iesuitis cesserunt in Collegium, templo S. Ildephonso dedicato.

Magna cura eum eduxere parentes; ubi vero è prima pueritia excessit, S. Eugenio imbuendum tradiderunt, quem matris ipsius fuisse fratrem, aliqui tradunt. Futuræ virtutis ac eruditionis specimina mature prodidit. S. Isidorus id temporis Hispali litteras propinabat publice, antiquorum Episcoporum more, qui non pastoris solum, verum etiam doctoris munus obibant. Parentes igitur Hispalim mittunt gnatum, auditurum S. Isidorum. Vbi doctrinæ hau-

Dat operam litteris.

fisse si-

sisse sibi visus est, Toletum cogitavit, quod status monasticus ei potius, quam litteræ curæ esset. At S. Isidorus abirumenti injecit manus ut altiores ageret radices, cujus gratia duodecim annis eum retinuit, nec prius manu misit, quam sine cortice natare posset, ac par cuivis oneri esset.

Ad vitam Religiosam adspirat invito patre, qui vim afferre filio decrevit.

Quod animo tam ardenti ad Monasteria sæpe contendant juvenes, Numinis calcar facit. Nil hic obices, nil vincula valent adamantina; quæ si amovere non licet, rumpere licet. Ildephonso opimum patrimonium, insignes paulo post adeundi honores, voluptates, sese objiciebant: ut Monasterio potius quam sibi tergum verteret, instabant: ille tamen quasi fuga elapsus, propere Toletum petit: in Agaliense Asceterium se abscondit, quod exiguo intervallo abest Toleto. Quidni enim Monachos tædeat multitudinis, id est urbium? Domi sunt, cum soli sunt. Suis vero conducere rationibus intellexit, si Monasterio se manciparet in quo exacta disciplina primas partes teneret. Habitui sumendo jam dies dicta erat; id pater ubi intellexit, subito contrahere vernarum & amicorum globum: citato gradu inconditum agmen rapere ad Cœnobium: stationes disponere: portas obsidere, ut incusso Monachis metu, filium in potestatem redigeret.

Dies composita gerendæ rei est.

Quin stricto ferro in penetralia cum famulis irrumpens, omnes angulos cellasque vagus & furiosus rimatus est, vanum eum Deo bellum gerens. Non fugit equidem Ildephonsum, iniquissimo patrem animo hunc suum secessum esse laturum, sed nec eum fallebat, invitis quoque parentibus Deum sequi, pietatem esse, quantumvis illi pro crudelitate acciperent.

Vbi patrem sibi imminere sensit, post septum aliquod latitans à prætereunte conspectus haud est. Crediderim Deum ipsum male quærenti offudisse nebulas. Vbi altera vice omnes latebras excussit, operam vero perdidit, domum se retulit non absque summa mœstitia: Ildephonsus novo jam desiderio incensus, cucullum sine mora induit.

Non probavit hoc Stephani mariti consilium Lucia uxor, memor lachrymis ac precibus à Beatissima Dei genitrice impetratum esse gnatum: deinde Numini per votum à se destinatum: filium viam rectam insistere, ingeminans, proinde à patre haud domum revocandum. Capta igitur occasione dum bilis mariti subsedisset, ejusmodi argumentis paulo ante sævientem adorta est, ut is plane animum induxerit, non sibi auferri suum Ildephonsum si sacramentum Regi regum Deo diceret, sed potius dari. In Monasterium quoque digressa bona mater, filium ut perduraret, enixe rogavit, quippe servitio Reginæ Angelorum à se in cunis vagientem mancipatum.

Pater ipse sanctiora cō filio capit.

Facile apparuit Dei hæc nutu geri. Nam is tametsi adhuc tyro esset, humilitate, modestia, obedientia, nec non virtutibus alios ferme veteranos antecessit. Tempus ab oratione reliquum sacris litteris impendit. Non omnes tunc temporis Monachi ad sacerdotium, vel etiam gradus inferiores, admittebantur. At Ildephonsus doctrina & virtute promoventibus factus Diaconus est, à Sancto Helladio Archiepiscopo Toletano initiatus. Post aliquot annos Adeodato Abbati communi Monachorum suffragio suffectus est, qui honos illi lachrymas elicuit, quod in postremis hærere, quam alios anteire mallet. Verumenimvero sublimius collocanda hæc lucerna erat, ut quoquoversum suos radios spargere posset. Interea uterq; parens fato concessit, bonis arbitrio filii relictis, qui partem condendo Monasterio Virginum Debiensi impendit. Diu Abbatem Agaliensem egisse oportet, quandoquidem cuidam privilegio à Cisdasuindo Complutensi Monasterio datum, nec non octavo atque nono Concilio Toletano subscripsit.

Ildephons. de claris viris. Fit Abbas Agaliensis.

Anno à Virginis partu sexcentesimo quinquagesimo septimo, S. Eugenius III. vivere desiit: mox albis capillis in S. Ildephōsum itum est. Non indiget sol indice. Clerum & populum attigisse scopum, Recisuindi Regis vox fuit, qui calculum quoque suum adjecit. At Sanctus nil intentatum reliquit, ut ne honorem capesseret. Veris lachrymis imparem se mitræ questus est, etsi supra mitram esset: at nihil profecit. Viribus haud satis fidenti adfuit Deus, ad cujus gloriam, & Hispaniæ emolumentum, subivit onus. Inprimis semper habuit Sanctorum vestigia persequi: nunc postquam pondere mitræ se exonerare nequivit, neque è summo Archiepiscopatus fastigio descendere, operam navavit officio suo indefessam, omnium saluti studendo: hæreticos qui signa per Hispaniam aperte circuagebant premendo. Ad concionē verba facere: rem divinam frequentare: pauperū ærumnas levare, opus suum, laborē suum esse credebat. Adde huc, quod etiamnum hodie ipsius liberalitate fruātur egeni, nec memoriam viri tot secula potuerint abolere. Scilicet in ædibus Episcopalibus singulis diebus viginti mendici, & decem pannosæ fæminæ ad mensam adhibentur, sacerdote

Fit Archiep. Toletanus.

Pauperibus de perpetua mensa prospicit.

qui summum sacrum peregit, ferculis bene precante, & num aliquid per alienam avaritiam desit, curiose arbitrante. Hanc autem eleemosynam vocant *Institutionem Sancti Ildephonsi*, quod ab ipso profecta sit.

Pulchrum equidem fuit talem virum in cathedram se attollere: præsentes docere, neque in alios hos munus, declinandæ molestiæ causa, rejicere: atqui ut apud posteros etiam rem gereret, libros non paucos edidit, ea solliditate ac elegantia scriptos, ut Lectores auctorem *anchoram fidei*, & *Chrysostomum*, appellarint.

Deo Rodrigo l. 2. c. 22. Iulian. vita S. Ildephonsi. Edit librum.

Iulianus Archiepiscopus Toletanus, qui acta Sancti in litteras misit, tria eum volumina lucubratum esse, affirmat, ac primo, suam tenuitatem per prosopopœjam: Virginitatem Dei Genitricis contra Elvidium atque hæreticos: SS. Trinitatis mysteria; sacrosancta Sacramenta præsertim Baptismi, atque viam deserti spiritualis complexum esse. Altero datas ad alios litteras collegisse, quæ si supercessent, magno usui nobis forent. In volumen tertium Homilias, hymnos, epitaphia, epigrammata, & alia hujus census conjecisse. Præter has lucubrationes etiam alias exortus est, Iuliano Archiepiscopo teste, quibus tamen variis negotiis præpeditus manum ultimam imponere nequivit. E tam eximiis operibus in Tomo nono Bibliothecæ SS. Patrum videas quæ omnes in Dei Genitricis laudes eunt. Vni Homiliæ nomen fecit, *Antittrion Apiston*, seu contra tres infideles, qua castissimæ Matris virginitatem adversus tres capitales ejusdem hostes vindicat. Sed ab ovo rem repetamus.

Helvidium hæreticum triumphano.

Helvidius orci decus, orbis dedecus, inficias ire ausus fuit, Dei matrem à partu extitisse Virginem. Hujus blasphemiam Sanctus Hieronymus egregie confecit. Cum Sanctus Ildephonsus Archiepiscopatum gereret, tres hæretici è Gallia Gothica prorumpentes, idem venenum per Hispaniam vomere cœperunt.

Sanctus Præsul uti omnes hæreses Vatiniano, quod ajunt, odio prosequebatur, ita injurias Matri purissimæ illatas, cui ipse à teneris devotus erat, iniquissime ferebat. Precibus igitur atque lachrymis opem Numinis poscens, fidem quoq; Virginis illibatæ obsecrans, hæreticos in arenam provocavit: cum iis pugnam iniuit: erroris convicit: pro concione etiam hoc argumentum sibi capiens Catholicorum animos, ne à fide descicerent, confirmavit: insuper impatientia abominandæ injuriæ perpulsus, calamum corripuit, tum insigni libro nefas repressit, venenatas istas bestias ex Hispania graviter exegit. Ob susceptos istos labores magnam à B. Virgine inivit gratiam.

S. Leocadia gratias ipsi refert, ob defensam reginam Virginum.

Forte Toletum S. Leocadiæ, Divæ suæ tutelaris, agebat festa: Recisuindus Rex longo Palatinorum ordine, comitante quoque S. Ildephonso, in ejus sacram ædem constitit. Præsul recta sepulchrum petens, ubi illa sub magno lapide, cui amovendo nec viginti quidem robusti pares fuissent, ultra trecentos annos condita erat, in genua se demisit. Dum fudit preces, ecce tibi, saxea ista moles, nemine manum admovente, ad latus sua sponte secessit: tumulum patefecit. Cunctis stupore defixis emersit ipsa Leocadia, immenso splendore cincta, quæ Antistitem dextera tenens, *Per te, ô Ildephonse*, dixit, *mea Domina vivit*. Conticuere omnes, intenti in spectaculum; mussabat nemo ac si induciæ cum locutione essent factæ. Atqui Præsul, cui nihil insolens erat conspicere Cœlitem, stupore vacuus, *O fortunata virgo*, subjecit, *hujus civitatis, quam sanguine tuo sacram fecisti, unicum perfugium, olim nostra, nunc cœli civis, respice obsecro nos ac Patriæ tutelam gere, sed Regis ante omnes, qui cultus tui augendi causa in tuum templum hodie concessit*. Post hæc visa est denuo succedere velle tumulo.

Partem veli S. Leocadia D. Ildephonso impertit.

Tandem rupto silentio, lætas voces dedere universi, *Deo gratias, Deo gratias*, iterando. Tum Rex ita prope se ie admovens Antistiti, ut ferme hæreret pede pes, curru, Ildephonse, dixit, cur prius hanc Divam missam facis; quam pignus aliquod impertiveris? Non mora, velum is extremum, nivem candore anteibat, & Divam integebat, cupide invadens, oblatoque à Rege ocyus cultro partem abscindit. Illico Virgo ex oculis evanuit, populo confusis vocibus & complosis manibus applaudente. Culter una cum resecto veli frusto Rex in Ecclesiæ sacrario asservari jussit. Hoc laboris sui præmium tulit sanctus Archiepiscopus, infesta signa hæreticis inferendo. Non tamen divina liberalitas hac una gratia exhausta fuit, Non primoribus digitis, sed toto sacco ferit Deus.

Idem Casula à Dei matre induitur.

Concilium X. Toletanum sanciverat, ut Annunciationis, festus dies, quo ad fieri posset, summo gaudio & pompa denuo celebraretur octiduo ante Servatoris nostri natalem diem: quippe quadragesimæ potius convenire tristitiam ac mœrorem, tam peccatis quam acerbissima Christi passione in memoriam nobis redeuntibus. Sanctus Alphonsus, qui nullam

Matris admirabilis colendæ occasionē unquam prætermisit, tridui jejunium indixit, ante oovum hoc festum agendum, quod is Expectationis appellavit. Per eam enim moram illa integra virginitate se parituram expectabat. Porro, stato tempore Clericis, ministris, famulis prosequentibus, tendit ad preces matutinas Archiepisc. librum secum ferens, quo virginitatem Matri Dei vindicaverat, pietatis, doctrina, eloquentię plenum. Etenim sub divino officio aliquid inde recitandum erat.

Festum Expectationis.

Venitur ad Ecclesiæ portam: aperitur, & hem! intus tanta lux eoruscabat, ut splendorem insolitum nemo jam ferre posset, sed labantibus genibus omnes prope conciderent præter Præsulem, qui cœlo assuetior ad suam cathedram usq; progressus est.

Hic Regina virginum, Angelis & virginibus, velut densissimo agmine, circumvelata: plena majestatis, sacram vestem, quam Casulam vocant, nivei candoris manu referens, adesdum, Ildephonse, dixit: quando non tuum modo corpus integrum ac labe purum præstitisti, sed hanc gloriam mihi quoq;, ut par erat, asservisti, hem tibi vestem, è filii mei thesauro promptam, quā indues dum ipsius vel mea festa obibis.

Martyrolog. Roman.

Simul Casulam capiti induxit: humeris aptavit: ex oculis se eripuit: astra repetivit: Ille dum verba quærit quibus gratias agat, oppressus gaudii magnitudine, nec sui satis compos, subsidit. Interea ad se rediere comites, qui tenebris jam dispulsis ingredi ausi, gradum properè ad suum Archiepiscopum, exanimi simillimum, cepere. Ignari quo casu collapsus esset, varia divinabant: icti deniq; majestate Casulæ propemodum ipsi quoque sibimet exciderunt. Postquam animus attonito rediit, res divina illico facta Deoque persolutæ gratiæ sunt, nec non magni matri, quæ suos servos usq; in penetralia atque adyta amoris admittit.

Cœleste hujusmodi donum nescio profecto an cuiquam contigerit alteri. Regibus Gothis Toleti jura dantibus Casula hæc in templo maximo custodiebatur, quam post S. Ildephonsum induere nemo ausus fuit præter Sisbertum, qui cum Sedē quoq; Archiepiscopalem occupasset, quam olim Beatissima Virgo ceperat, haud multo post dignas temeritate sua pœnas dedit. Etenim gradu dejectus, solum vertere compulsus est, multis calamitatibus fugitivum comitātibus. Mauris Hispaniam subigentibus casula Ovietum translata, atque argentea arca composita est, quæ licet nunquam promatur spectatoribus, eam tamen intus latitare, certum est.

Quæ hodie Ovieti servatur.

Loco qui Regina cœli institit, honorem insignem semper habuere posteri, cumque nonnulli Castellæ Reges excitato sacello pro suo Mausoleo legerunt, spe pleni gratiam haud vulgarem à Diva se inituros. Mutato postea sacello ara marmorea, ibidem posita est. A latere altaris lapsis prominet, quem per clathrum religiose contingunt iocolæ, dextras inde suas osculo libantes, quod vestigiis Beatissimæ Virginis tritum esse, constantissime fama ferat. Lapidi hæc inscriptio imminet:

Quando la Reyna del cielo
Puso los pies en el suelo,
En esta piedra los puso,
De besar tene duso,
Para mas muestro consuelo.
Regina quando de polo
Delapsa constitit solo,
Hoc lapide defixit pedes,
Cui vos decet ferre osculum,
Si quæritis solatium.

Itemq; lapis cui D. Virgo institit.

Rem ita se habere, memoria per tot sæcula traducta, vox publica, precum Matutinarum Lectiones, Responsoria, Antiphonæ, tabulæ scriptæ, pictæ, oeminem dubitare sinunt. Adde sigillum, quod litteris majoris momenti imprimi solet, Beatissimam Virginem S. Ildephonso, genibūs nitenti casulam imponentem exprimere. Cum deinde Optimi Max. Numinis beneficia silentio comprimenda haud sint, sed ore omnium celebranda, Capitulum solennem diem, (vicesimum quartum Ianuarii) quem *Descensionem nostræ Dominæ* appellavit, iostituit. Vulgus etiam *Pacis nostræ Dominæ* nomen indidit; causam alibi evolvemus. Neque ea quæ narravimus tantum Ecclesiæ Toletanę in ore sunt, sed universæ Hispaniæ; recitanturq; à Breviariis. Anno millesimo trecentesimo secundo sacra Comitia in Penna Fiel habuere Patres quibus S. Ildephonso festum in hœc verba sanxerunt: *Item quia Mater Dei & Salvatoris nostri Domini Iesu Christi gloriosa ac semper Virgo Maria capellanum, ac suæ virginitatis specialem præconē Beatum Ildephonsum, Patriarchalis Toletanæ Ecclesiæ Præsulem ac rectorem, post sui assumptionem descendens de cælo empyreo corporaliter visitavit, ac donis & muneribus spiritualibus decoravit in signum spiritualis dilectionis ac amoris, & quos mater Dei diligit & honorat, nos tenemur diligere, & etiam honorare, statuimus & ordinamus, ut per totā Toletanam provinciam ejus festivitas præcipue sub duplici officio solenniter celebretur.* Tot igitur testimoniis nemo qui sapit, fidem abrogaverit.

S. Ildephonsus cælo recipitur, 23. Ian Cal. Benedict.

Tantorum bonorum compos factus Divus Ildephonsus positis omnibus rerum terrenarum curis, à solo Deo pependit, seque in cœlicolarum censum relatum esse certus, novem annis ac fere duobus mensibus in Archiepiscopatu exactis, Superis se immiscit. Corporis habitus, & circumfusa oculis oriq; verecunda modestia, magnum decus viro conciliabant. Ipsio virtute adscita subinde severitas nihil penitus violare visa est. Ingenio fuit acuto, & perspicaci; prudentia summa: eloquentia incredibili; cui vim perpetua litterarū tractatio addidit, & quā Iulianus Archiepiscopus Toletanus tanti fecit, ut divinam potius, quam humanam putandam dixerit. Ipsius calamus nec latum unguem à sincera fide descivit, unde Elipandus Archiep. Toletanus, Christū adoptivū Dei filium asserens, ac pro auctore sui erroris S. Ildephonsum jactitans, insignem ei injuriam fecit quam nos alibi abstergemus. Quis enim animum induxerit ut credat, anchoram fidei (hoc enim encomio sua eum affecit ætas) tantam in se hæresim admisisse? Certe nasum non habeat; cui non subolet Elipandi fucus auctoritatem suæ hæresi quærentis. Adducenda hæc fuere, ut is qui Concilium Francofurti, regnante Carolo Magno celebratum legerit, videritque Elipandum pro scuto S. Ildephonsum objicientem, tantum virum crimine abominando absolvat. Munere ac vita defunctus, in æde S. Leocadiæ ad vestigia S. Eugenii, qui ipsum antecesserat, sepultus est, cui anno sexcentesimo sexagesimo septimo. Cyriacus Monasterii Agaliensis Abbas successit, è quo domicilio Archiepiscopi, velut è seminario, promi solebant. Gothis rerum dominis nemo tam sacra ossa turbavit: atqui Mauris bellum Hispaniæ moventibus, Vrbanus Archiepisc. sacris lipsanis & casula cœlesti onustus, fugam cepit. Hæc Ovietum delata est, at corpus hæsit Zamoræ, quod multis annis abscondit terra. Enimvero Legionis regnum in potestatem redegerunt Barbari. Demum sub Alphonso VIII. è gleba erutum, atque in lucem summo omnium gaudio productum est. Sed ab ovo rem narremus.

Elipandus ei injuriam facit.

In æde S. Leocadiæ sepelitur.

Sacra D. Ildephonsi ossa Zamoram transferuntur.

Pastor à Numine excitatus Zamoram venit: ibi in S. Petri ædem concedens, notatus à civibus fuit quod præter morem calidius preces funderet. Rogatus quorsum ita solicitè vota nuncuparet, vel etiam quisnam mortalis esset? Homo varia opinione curiosos tacitè ducens, demum sacerdoti docto gravique, cui Diego nomen, sese applicat, expositisque peccatis, in quieta, subjecit, visa mihi species viri est multo augustioris, quam pro humano habitu, qui se Ildephonsum dixit ac ossa sua hic loci sita, digito mihi monstravit, inde ad sidera se sustulit. Ego verò tantum viæ huc usque confeci, exploraturus verane imagine edoctus, an vana delusus fuissem; & hem omnia ad unguem respondent, simulque plena manu monstravit locum, quo sita ossa forent. Diego re tanta cum aliis communicata, non ideo rejiciendum indicem affirmavit, quod prope infra vulgus esset, quippe ita benignissimi Dei morem ferre, ut gratiis singularibus perfundat ultimos mortalium, prætentis summis & opulentissimis. Hæc assensu vario excepta: denique nihil actum est.

Indicio pastoris deteguntur, sed author rejicitur.

Atqui Alphonso VIII. sceptra tenente, cum Asuerus Zamoræ Episcopus templum latius explicaturus, novas columnas, quæ molem subirent atque suspenderent, summis viribus erigeret, operæ solum molienodo in tumulum, cui marmor incumbebat, inciderunt. Dum saxo crebris ictibus instant, papæ! in frustra id dissilit: odor ambrosius effunditur. Forte pastoris in mentem venit: quocirca grandi diligentia sparsa marmoris frusta hinc inde legunt, componunt, hujusmodi inscriptionem exhibentis: *Patris Ildefonsi Archipræsulis Toletani*. Ingentem plausum dedere Clerici, populusque Zamoranus, quod epitaphio fidem affirmarent miracula, nec ullus dubio locus superesset. Hæc litteris consignavit Fratr. Iohannes Gil, Ordinis S. Francisci alumnus; tabulæ adhuc in illo Monasterio præ manibus sunt.

Tandem Alphonso VIII. regnante reperiuntur.

Certi jam Clerici civesque egregii thesauri, timuere ne quisquam quicquam subriperet; quocirca pressere volatilem famam, ne in multitudinem quoq; emanaret, consciis ad juramentum adactis, nemini se arcanum prodituros. Multis deinde annis iterum latuit hic thesaurus, incerto vulgo, ubi defossus esset, quamvis primores civitatis haud falleret. Verū anno à Servatore nato millesimo quadringētesimo nonagesimo sexto, VII. Kal. Iunii, summo Pontif. Alex. VI. Rege Hispaniæ Ferdinando, Regina Elisabetha, Antistite Zamoræ Diegone Melendez de Valdes, ingēs religio Clericos ac cives incessit, S. Ildephonsum tandem è sepulchro tenebricoso in lucam eruendi, ut ejus conspectu tota Iberia frui posset. Ergo operi manus admoventur: ligonibus aperitur humus: eximuntur sacra lipsana: medio in tēplo publico spectaculo proponuntur, ferventibus liminibus irrumpentium multitudine: à qua insigni cultu afficiuntur. Studia visendi accendit Numen prodigiis. Nam ut claudos, paralyticos, morbis aliis captos o-

Et anno M.CCCC.XCVI è tumulo producuntur.

mittam, mortuus quidam in vitam revocatus est, quod memoriæ prodidit Valerianus de Villaquiran. Autographon, Collegium majus Alcalæ de Henares habet, vetustissima prorsus manu conscriptum, cujus mihi exemplar obtigit.

Exactis hunc in modum octo diebus, Divus Ildephonsus, postquam ægros cives aliosq; votis damnaverat, argenteæ arcæ impositus, sublime in sacellum, quod aræ, maximæ imminet, sublatus, medium altare occupavit, prætextis ferreis clathris, quibus sacrilegæ manus arcerentur.

Cum vero omne id quod facile obvium est, in contemptum vertat, difficilis ascensus ad hoc sacellum est. Nam scalis opus alteris, ut ad corpus Divi evadas, quo cum perveniſti, sex te seræ excludunt, quarum claves penes Episcopum, Magistratum, Congregationem S. Ildephonsi (quæ viris gravissimis constat) parochianos S.Petri, ejusdem parochum, & nescio penes quem alium sunt. Satis profecto Zamoræ haud fuit, præduris rupibus muniri; opera proinde alia firmissima Patrono suo circumduxit. Ergo hunc sacrum Præsulem Hispaniam universam ditasse putem. Castellæ namq; novæ Toletique præco divinus & Antistes fuit: Hispalim & Andaluziam litteris imbuit: Ovietum & Asturias sua casula, cœlo accepta, donavit: Zamoræ totique Castiliæ veteri ossa dedit: Ordini S. Benedicti partum à se decus totum impertivit, qui honori profecto sibi, ut par est, ducit, tantum se lumen Hispaniæ accendisse; nec quisquam Iberi nominis est, qui non aliquam partem incomparabilis hujus thesauri ad se trahat; nam Sancti totam patriam suam curæ habent, deque suis popularibus optime mereri soleot, etsi oscitantes hi quandoque non sentiant.

De universa Hispania bene meruit S. Ildephonsus.

CAPUT. III.

Errores historiæ S. Ildephonsi aspersi, expunguntur.

NE felle mel corrumperemus, id est, ne in actis S.Ildephonsi longe pulcherrimis lites, quas historici aliarum gentium nobis movent, expediremus, visum est Caput hoc adjicere nostris confirmandis, alienis refellendis. Res enim quas sanctus hic Præsul gessit, etiam exteri scripserunt, sed utinam lapsi subinde non fuissent. Ipse ego ad exemplum aliorum peregrina narrantium me æstimans, timide alias nationes adire soleo. Quis enim, amabo te, veris coloribus pingat id, quod oculis nunquam usurpavit?

IOHANNES Trithemius & Arnoldus VVion, non ultimæ notæ scriptores, sibi tamen ubi Hispaniam attigerunt, non satis ab erroribus caverunt. Hic S. Ildephonsum à Comitibus de Orgaz genus duxisse, affirmavit, quod nomen octingentis amplius annis in Castellæ regno inauditum. Legerit oportet ædes parentum sancti Pontificis ultimo Comitibus de Orgaz cessisse, ideoque eidem familiæ inserendum putavit. Item, memoranda ejus facta à Iuliano quodam Pomerio, Episcopo Toletano, in litteras missa, etsi nullum Iulianum, cui hoc cognominis fuerit, sedes Toletana noverit. In hûc lapidem etiam Trithemius impegit, iterum iterumq; lapsus, dum festum Expectationis à S.Ildephonso institutum asseruit, nec non id celebrari in Hispania ad revocandum in memoriam Beatissimæ Virginis Mariæ Cōceptionem, cum Patres Concilii X. Annunciationis festum octiduo ante Natalem Domini agendum statuerint, S. Ildephonso nondum in Archiepiscopatus fastigium evecto. Sed cum purius è fonte quam traducto rivulo, bibatur veritas, producam Iulianos qui vitam hujus Pontificis conscripsere.

Trithemius & VVion in S. Ildephonso lapsi.
Trithem. de script. Eccl. VVion 23. Ianuar.

Duos hactenus Iulianos numeravit Hispania, quorum unus Pomerius dictus: alter Archiepiscopus Toletanus, atque in Cœlitum syllabum relatus fuit. His se tertium nunc addit Iulianus Pomerius Diaconus, qui ansam erroribus præbuit, auctoribus eos male miscentibus.

Tu igitur paululum da nobis operæ, dum has tenebras dispellimus. Iulianus, verus Pomerius, reliquos duos longe antecessit si annos spectes, gente Afer, & quidem ex Mauritania oriundus. Sub annum quadringentesimum nonagesimum vixit, adhuc anno quingentesimo superstes.

Iulianus Pomerius Afer, facete animas finxit corporeas.

Ipsius meminit Gennadius. Prognosticon edidit futurorum temporum, Si scire vis quam præterea rem gesserit.

Gennad. de claris viris.

Animas contendit corpore constare, forsan a Tertulliano in hunc errorem impulsus, cujus illum notavit S. Augustinus. Iulianus alter post Quiricum excepit Toletanam infulam, maximi vir pretii, ac insigniter doctus. Duodecimo & decimotertio Cōcilio Toletano adfuit regnante Ervigio; sub annum sexcentesimum nonagesimum adhuc in humanis existens, omnium censura sanctus habitus, & cum Iuliano Africano minime confundendus. Ducentorum enim annorum spatio distinctos, certum est. Vterque prius, è medio quam abiret, librum

S. August. l. de hæred.
Iulianus Archiep Toletanus.

nullis erroris notari poterit F. Prudentius. Nos tamen potiorem fidem hymnis, antiphonis, lectionibus, Ecclesiæ Toletanæ habemus, præsertim ubi hæc verba nobis oblata sunt: *Ipsa vero manibus statim complexans.* Sin tibi demus ea verba fuisse facta, quæ affert Prudentius, non pro juramento accipienda videntur, ab attonito Ildephonso subito effusa, sed pro testimonio cultus singularis, quo is Matrem Dei eo usque prosequutus sit, aliosque induxerit, S. Leocadia publice id ferente. Quorsum enim alio vertas tam clara verba: *Vivit Domina mea per vitam Ildephonsi*, nisi huc: Dominæ meæ honor (qui fœminis pro vita est) viget ac floret per vitam Ildephonsi; illam enim à lacessentibus hæreticis vindicavit. Sancta itaque Leocadia legationem obiens, verbis Reginæ Cœlitum ob labores susceptos Ildephonso gratias habuit.

S. Ildephonsus laudibus fertur à S. Leocadia.

Mutam profecto fuisse haud oportuit, postquam lapis tumulo sponte recessit: illa emersit: Ildephonsum prensavit. Quid, si alloquuta sanctum Antistitem, *per te, Ildephonse*, dixit, *vivit mea Domina*: & mox ad populum conversa addidit: *Vivit Domina mea per vitam Ildephonsi*! Ita Breviarium Toletanum persuadet: verba prope suggerit Iulianus Pomerius. *Ipsa vero*, inquit, *manibus statim complexans, ut astringens, talia fertur depromere voce, vociferans cum omni populo, declamans*, Deo gratias, *Vivit Domina mea per Ildephonsi* .. (vitam, *desiderari putem.*) *Et ipsum repetens Clerus, vehementer psallebat, Allelujah, & canticum quod ipse Dominus Ildephonsus graviter fecerat: Speciosa facta est, Allelujah.* Ita si diligentius expendas, nostram sine mora in sententiam ibis, nihil per vitam Leocadiæ hic affirmasse S. Ildephonsum, sed illa una cum populo laudibus tulisse Præsulem, virginitatis Magnæ Matris edito libro vindicem. Quocirca in diversas opiniones F. Prudentius & nos discedimus, quod alter, *Ipse vero*: alter, *Ipsa vero*: legamus. Sæpe enim non modo una syllaba, sed etiam unica littera aliquam pugnam dedit. Nunc incruenta è velitatione receptui canamus, & verum prœlium ineamus.

O tempora, ô mores! Amor habendi etiam Divorum sepulchra hodie pervadit. Quod enim Divos suæ telæ intexunt moderni, annalium monasteriorum conditores, qui sæculis superioribus Ordini S. Benedicti conjunctissimi fuerunt.

Etiam Sanctis hodie insidia sunt ab exteris & alienis.

Anne ut tanto pluribus gradibus ante familiam antiquissimam sedeant! Habitum Monasticum in Monasterio Agaliensi sumpsit S. Ildephonsus. Hoc autem ab Atanagildo Rege extructum, & S. Benedicto abscriptum fuit, quod nos ad annum quingentesimum quinquagesimum quartum exegimus. Nec est ut argumenta quæram foris, cum domi supperant; nam S. Ildephonsus SS. Helladium, Iustum, & Eugenium, Monasterii Agaliensis alumnos, perpetuo Monachos appellat. Immo se ipse quoque Cœnobii Agaliensis Monachum nuncupat: & Iulianus Archiepiscopus Toletanus, eundem pro tali habuit, talem nominavit: Monachis ibidem præfuisse, publicæ famæ commisit, Canonici Regularis non modo mentionem nullam fecit sed ne cogitavit quidem pro discipulo D. Augustini Ildephonsum ferre.

Trullus S. Ildephonsum Canonicum Reg. facit.

Sed adest Ioannes Trullus, Canonicus Regularis Ecclesiæ Cæsar augustanæ, qui Præsulem illustrissimum hisce verbis à nobis avellit: *Et post annos aliquod Agaliense Cœnobium Ordinis Canonicorum Regularium in Toleti suburbio Deo militaturus ingressus, & paulo post Abbas constitutus.*

Iohan. Trullus l. 1. c. 6. Ord. Canonic. Regul.

Rem novam incredibilem, sua è maotica effundit Trullus. Fidem merebitur, si tabulas incorruptas, si testes idoneos produxerit. Vnicum nobis sistit, F. Alphonsum de Orozo, Canonicorum Regularium historicum, imponi sibi passum, vel nobis imponentem. A nobis sub annum Christi quingentesimum nonagesimum septimum mulctatus es, Trulle, quod pace tua dixerim, quando Cantuariam irrumpens, Monasterium S. Salvatoris eripere S. Benedicto conatus es, in quo Ecclesia Cathedralis fuit nostri Patriarchæ: nec aliud argumentum tanto errori reperisti, quam Canonicorum vocabulum, quo Monachi quoque in Monasteriis nostris Cathedralibus olim notati sunt. Quamvis igitur demus te legisse alicubi, Agalium à Canonicis regularibus fuisse habitatum, nondum tamen Pæana canere licebit, cum Sancti Benedicti Monachis nihilominus ibi locus esse potuerit.

Rem magnam & antiquam sine antiquo teste molitur.

Deinde non immerito inficias imus, incolas Agalienses fuisse Canonicos Regulares appellatos, cum eos Iulianus Archiepiscopus & S. Ildephonsus Monachos dixerint. Quid, quod tu hujus Monasterii Antistitem *Abbatem* appelles, quam titulum temere Canonicorum Reg. Præsidibus tribueris. Verosimile est divino nutu factum, ut quædam fragmenta librorum S. Maximi, Episcopi Cæsar augustani ab exitio vindicarentur, quibus lis hæc dirimeretur. *AEra*, inquit, 592. *Atanagildus Rex in planicie suburbii Toletani ædificavit Monasterium Ordinis S. Benedicti, in ho-*

Sed sine tabulis & testibus.

norem

Agalienſe Monaſt Ord S Benedicti fuit.

norem S Iuliani, apud Auernos paſſi, dictum Agalienſe Hæc ad annum 554. latius proſequuti ſumus. Prætercea aliud quoque graviſſimum teſtimonium nobis ſuppetit; fundatio nimirum inſignis Monaſterii S. Iuliani de Samos, in Gallicia poſiti Froila ſceptrum tenente Nam Mauris Chriſtianos præſertim Monachos, improbe vexantibus, Argericus ad S. Iuliani prope Toletum Abbas, in fugam ſe coniiciens, pervenit in Galliciam. Vti vero comparatum hominibus extorribus eſt, qua licet, aliquod dulcis patriæ ſtatuere monumentum, ita Ærgericus Abbas in Galliciam fugiendo delatus Monaſterium extruxit, quod eidem S. Iuliano dedicavit. Rem ita ſe habere fidem faciet privilegium, ab Ordonio II. Rege acceptum, quod nos circa annum ſeptingeſimum triceſimum quartum producemus.

Atqui neminem fugit, hocce Monaſterium S. Iuliani de Samos, à primis incunabulis in Regulã juraſſe S. Benedicti. Res hæc Toleti decantatiſſima &c. Ego certe me prope ridiculũ feci, cum viros doctos & antiquitatis peritos ſolicite, percũctare, num Monaſterium Agalienſe ad Ordinem pertinuiſſet D. Benedicti? Quaſſis namque capitibus me reſpiciebant, admirabundi eſſe aliquem, qui fama iam publica ſtare nollet. Alcocer quoque hiſtoriæ Toletanæ auctor, *Ildephonſus*, inquit, *cũ ad Religionem inclinaret animus, invitis parentibus habitum S. Benedicti in Agalienſis Monaſterio ſumpſit, quod extra urbem in pago, cui Mauri Benabalvia nomen indiderant poſitum, ſeptentrionem ſpectabat Evenientibus poſtea virtutibus eidem Monaſterio præfectus eſt.* Hic teſtis reiici non debet, cum affectus eum tranſverſũ agere nequiverit. Nec enim Monachus S. Benedicti, neque Canonicus Regularis S. Auguſtini fuit. Deinde ejus civitatis hiſtoriam ſcripſit, cujus ipſe civis fuit, omniaque præ hodiernis hiſtoricis comperta habuit, quibus, profecto fas eſt non ſtatim aſſentiri, mihi ex tabulis ac veterum auctoritate ſcribant. Trullus tabulis nudus, ſine veſtigiis, indiciis, teſtibus, ſolum Orozonem, hominem novum, adducit. ipſe quoque novus. Nolim, Trulle, Orozonem mihi adducas recentem auctorem, tuæ partis non immerito ſtudioſum, quippe tui Ordinis alumnum. Ego altarum familiarum homines tibi ſiſto, veluti P. F. Iohannem Marietam, è familia S. Dominici doctum virum, qui libri ſui quinti Caput 49. ſic inſcripſit: *De Sancto Ildephonſo, Ordinis Sancti Benedicti, Archiepiſcopo Toletano.* Deinde P. Carranzam Carmelitam qui Re-

Alcocer l. 1. c. 34.
In eo Monachum S. Ildephonſus induit.

Marieta l. 5. c. 49.

lationem vitæ S. Ildephonſi compoſuit, unaque cum lucubrationibus Sancti hujus Præſulis, quibus virginitatem Matris Dei extulit, in lucem emiſit. Hic etiam cucullo Benedictino Ildephonſum involuit.

Carranza in prolog.

Item P. F. Emanuelem Rodriguez, Ordinis S. Franciſci virum inſignem, qui non modo ab Ildephonſo nomen D. Benedicto darum aſſerit, producto in teſtem Maximo, Epiſcopo Cæſar auguſtano, ſed inſuper addit, cum Ordini noſtro tempore Interdicti divina officia ſolenni apparatu per privilegium obire liceat, inter Sanctos Ordinis ritu feſtivo celebrandos, cumprimis habendum Sanctum Ildephonſum, quippe hujus familiæ proprium & peculiarem filium: cæteros autem Religioſos hoc gaudere non poſſe, eo quod Ildephonſus non ſit Sanctus totius Eccleſiæ communis ſed proprius Ordinis D. Benedicti. Res digna relatu & notatu, Summos Pontifices qui nobis poteſtatem ſecere tempore Interdicti divina officia de Sanctis noſtri Ordinis ſolenniter perſolvendi, Mauro atque Placido etiam Ildephonſum adjunxiſſe, ut fruſtra hic in ſpongiam Incumbat Trullus, è Medio faſtorum Sancti Benedicti Ildephonſum deleturus. Quid igitur expectas! Duas Bullas Pontificias in manibus habet Congregatio Sancti Benedicti Vallitoletana, quorum utraque Sanctum Ildephonſum inter Monachos glorioſi Patris noſtri numerat.

Rodriguez l. 2. q. 115 art. 4. Quæſtion. Regul.

Trullo ll. 82.

At age, Trulle: patere ut Orozo tui Ordinis nobili hiſtorico. Hic condita hiſtoria Eccleſiaſtica jam ſenex, quam Monaſterium S. Auguſtini Salmanticæ aſſervat, *Res nota eſt*, inquit, *Sanctum Ildephonſum illuſtri ſanguine ortum, à prima pueritia dediſſe documenta, in quem virum evaſurus eſſe, ſive conſcientiæ, ſive carnis puritatem in conſilio habuiſſes. Ad litteras animum applicuit, ſeruntque diſcipulum fuiſſe S. Iſidori, celeberrimi Hiſpaniæ Doctoris. Bonis artibus ac moribus Hiſpali excultus, Monachus Sancti Benedicti in Agalienſi Monaſterio factus eſt, deinde Abbas, ob egregias virtutes, quibus erat præditus. Hoc enim nomine Conciliis Toletanis eum ſubſcripſiſſe vidimus.*

Hieronym Roman. hiſt. Eccleſiaſt. l. 5

Trullum hæſitantem extricavimus: nunc excedamus Hiſpania.

* * *

CAPVT

CAPUT IV.

Monasterium Stabulense.

Sigebertus Rex Austrasiæ ædificavit 12 Monasteria.

TRriste funus duximus, quando Dagobertum Regem, benevolum nobis juxtaque beneficum, extulimus. Filiis tamen æque liberalibus usi sumus. Clodoveum minorem natu filium, Neustriæ imperantem, ejusque conjugem Bathildam in annos futuros differemus, stylo Sigebertum Austrasiæ dominum, qua id temporis in Lotharingiam, Alsatiam, magnam partem Alemanniæ, agrum Trevirensem & Coloniensem excurrebat, converso. Charam Deo sobolem hanc fuisse oportet, quippe, precibus impetretam: Deinde quando aquis lustralibus à Domino Amando tincta fuit solenni orationi subjecit, *Amen*, cæteris mutorum instar adstantibus, & postmodum inter se invicem gratantibus. Mores sub Pipino Brabantiæ Duce S. Gertrudis patre, nec non sub S. Amando duxit, summis profecto viris. Vnde tam pius quam fortis evasit: historicos egregiis factis defatigavit: Cœlites auxit. Res ejus Sigebertus Gemblacensis litteris mandavit Tomo VII. quem Iacobus Mosander Surio addidit. Duodecim Monasteria condidit per Austrasiam, patrem suum Dagobertum imitatus. Hujusmodi fundationibus liberalius indulsit, quod primis annis careret liberis, qui parentum curas & opes ad se trahere solent. Inter tot Monasteria Stabulense & Malmundariense eminebant, Grimoaldo Majore domus magnum momentum eo conferente. Diploma Regis à Notgero Leodiensi Episcopo cape, in hæc verba editum: *Sancta ac venerabilia Monasteria Stabulaus, sive Malmundarium cognominata, ubi vir venerabilis Remaclus Episcopus & Abbas, Christo auspice præesse videtur, quæ vir illustris Grimoaldus Major domus in honore S. Petri & Pauli, vel S. Martini, seu cæterorum Sanctorum suo opere in vasta eremo Ardennensi construxit, quem admodum nos loca ipsa ad ipsa Monasteria ædificanda pro nostra præceptione ex foreste nostra concessimus, quæ licet gratia Christi sint ditata, mundanam tamen substantiam cernuntur parumper habere. Ideo divina inspiratione commoniti, decrevimus aliquantulum de fisco nostro ad ipsa Monasteria respicere, & consolari &c.* Vtrumque Monasterium fidei S. Remacli commissum fuit, cujus vitam paucis exequi libet, à Notgero Leodiensi Episcopo explicatam.

Sigebert. apud Sur. T. 7. auctore Mosandro. 1. Feb.

Stabulense cæteris palmam præripuit.

Apud. Sur. T. 5.

Qui recte rationes putant, Clotarium, Dagobertum, Sigebertum, aurea sæcula vixisse autumant, quod SS. Eligium, Arnulphum, Romanicum, Amandum, Sulpitium, Remaclum eorum ætas tulerit. Postremus gente Aquitanus fuit, patre Albutio, matre Matrima natus, parentibus oppido copiosis nobilibusque, qui eum S. Sulpitio ad omnia summa educendum commiserunt. Eo demortuo S. Eligio, miræ sanctitatis viro, in disciplinam traditus est, quibus magistris tantos in virtutibus progressus fecit puer, ut multos senes antejuerit. Orationi, corporis afflictationi vehementer deditus fuit, uti cæteri quoque Monachi Solemniacenses, (quippe S. Eligio exemplum præeunte) quibus se adjunxerat juvenis. Paulatim gravissima negotia à Regibus imposita optimum Antistitem à Monasterio avocabant: quocirca cum se imparem ferendo intelligeret, quem sibi domi sufficeret, anxie circumspexit. Obvius ante alios S. Remaclus fuit, qui præfecturam Monasterii adeo prudenter sancteque gessit, ut postea Episcopus Trajectensis fuerit lectus.

Notger. apud. Sur. 3. Sept.

Remaclus SS. Sulpitio & Eligio magistris usus.

Fit Abbas: inde Trajectens. Epis.

Hanc sedem triennium S. Amandus tenuerat; subrogato deinde S. Landoaldo Archipresbytero, deservit provinciam, an quod ipsi cum feroci gente parum conveniret? an vero ut rupto illo vinculo, liber ad plures abiret: Evangelium longius latiusque circum ferret? S. Landoaldus novem annis in officio exactis, fastidio esse cœpit populo, verum Episcopum potius quam vicarium poscenti. Sigebertus tandem voti compotem fecit, designato S. Remaclo, cujus fama jam pridem impleverat aulam.

Cæterum catheda Trajectensis postmodum translata Leodium est. Sapientiã, eruditionem, facilitatem, comitatem, verbo virtutem hujus Pontificis multis depingit Notgerus, ut omittam ori tantam gratiam adfuisse, quantum tu animo capere vix queas. Ad ipsius quoque laudem pertinent eximii discipuli Sanctus Hadelinus & Sancto Trudo. Item S. Theodardus & S. Lambertus Martyres, sui sæculi ingentia decora.

Cathedra Episcopalis Trajecto translata Leodium est.

Discipuli S. Remacli quatuor, fama celeberrimi.

Animadversum à Sigeberto Rege est, Remaclum omnia ratione facere: pietatem ante omnia habere: ideoque Monasterium SS. Petri & Pauli, prope Sesmarum fluvium à se positum, curare eum jussit mirifice plaudentibus subditis. Nihil optatius viro accidere potuit. Primos enim annos inter Monachos integerrimos duxerat; unde in publica luce jam versans, crebro ad gratam solitudinem adspirabat.

Monasterium SS. Petri & Pauli curare jubetur.

Cellam in rupe molitur.

Non procul Asceterio alta se intendebat rupes. Negotium igitur suis dedit, ut cæso præduro saxo cellulam molirentur, in quam secederet. Factum. Multam postea salutem mundo dixit: hîc sedem fixit: jejuniis, vigiliis, precibus, contemplatione, corpus ac animum exercuit, ut dum illud limaret, iste expoliretur.

Non longam tamen hic moram traxit, quod invidi è proximo habitatores Monasterii incrementum pro viribus impedirent. Regem nova domicilia Religiosorum meditari, non ignorabat.

Huic ergo suggessit, locum in sylva, cui Arduennæ nomen, caperet, quo sæcularibus propter arduos montes non facile aditus pateret. Nam secretos id temporis recessus Monachi quærebant, quibus se se abderent, ne quis contéplationi intercederet.

In sylva Arduen. Malmundarium nobile Cœnobium, extruit:

Rex Sylvam cædi, areamque Monasterio condendo aperiri jussit: haud se commissurum, ut sua liberalitas desiderari possit. Postea cum Grimoaldo Majore domus consilium cepit, quid facto opus videretur, quandoquidem solito majus Asceterium extruere, animo sederet. Optimus consultor non modo verba, sed insuper tantum rerum dedit, ut ipsi non minus quam Regi hujus Monasterii fundatio sit tribuenda. Quantum enim opibus & potentia in Gallia valuerint Majores domus, vel hinc intelligas, quod prope Reges æquaverint.

Inter montes duos rivus labitur cui VVarchinna nomen, prope quem sat amplum explicari campum vidit Remaclus, olim templo Dianæ celebrem. Invitatus æquitate loci, vicinia undis piscosisque: tum pratis, arboribus, fontibus, eo Monasterium posuit, ac Malmundarium, appellavit, quod aream illam à mala ac turpi idololatria emundasset veroque Deo dedicasset, Monachis, Noviliaco, ut fertur, adductis. Recte hæc omnia: se tamen errore quodam absolvere ipse Sanctus nequivit. Scilicet Monasterium fundo alieno, nimirum Coloniensi collocaverat. Huc enim pars Arduennæ spectabat. Igitur facti pœnitens Asceterium alterum, à priore altero lapide dissitum, suo in Episcopatu Trajectensi excitavit, quod antiquo vocabulo Stabulum appellavit. Greges enim eo agi solebant, quod locus esset pascuus, & totos rivos pecori propinaret. Hujus Monasterii magnitudinem vel hinc æstimare licet, quod Rex & regni Majordomus ipsam munificentiam in eo ornando effuderint. Ego tamen incorruptam illius disciplinam, qua diu stetit, jactavero, laudem, gloriam, decus, in paupertate voluntaria, prompta obedientia, perpetua psalmodia & contemplatione ponendo.

Secundo inde lapide Stabuletum collocat.

Fabrica utrobique perfecta, nec non templis honori SS. Petri, Pauli, & Martini dedicatis, Grimoaldus jussu Regis utrumque Monasterium fidei S. Remacli commisit, qui sancta Regula à puero imbutus, ac inter Monachos versatus, mundum, perpetuis tumultibus ferventem, mire fastidiebat: forsan moleste quoq; insolentes populi mores ferebat, quos neque Sanctus Amandus concoquere potuit: ideoq; quiete spectabat. Ergo honoribus & oneribus in alios humeros rejectis secessum Stabuletum parat, nequicquam obnitentibus Trajectensibus, quibus non injuria vitio verti poterat, in culpa eos esse quod jam alter pastor quasi fugam capesseret: Cœnobium, id est, carcerem incolere ipsorum Pontifices, quam non frugi oves pascere, malle. Perfregit circumfusam turbam promittendo, successorem ex voto & sententia habituram. Is Theodardus, Monachus Stabulensis, fuit, postmodum Martyrio affectus. Rebus hunc in modum compositis, annuente Sigeberto Stabuleti angusta cella se condidit, ubi novos spiritus sumens in contemplationem, vigilias, jejunia, non secus quam juvenis incubuit.

Posito Episcopatu, in Cellam redit.

Vidit, & stetit admiratione suspensa Gallia, Episcopos duos Amandum & Remaclum, gemmis lucentes infulas cum atro cucullo commutasse, ut plus temporis in Numinis supremi cultu conterere possent. Multos omnium ordinum ac ætatum mortales hi duces moverunt, ut secum rationes putaverint. Deo Divoq; Benedicto solennibus verbis sacramentum dixerint: Stabuletum & Malmundarium implerint, quorum illud hujus caput fuerat. Agros, vineas, prata, sylvas, pagos recensere, quibus Sigebertus Rex & Grimoaldus Majordomus novum Asceterium donârunt, longum esset. Vnguem tibi ex Notgero exhibemus.

Sigeb. Monach. Gemblac. in Chron.

Crescente religione hujus Cœnobii, facultates pariter crevere. Vbi enim Sigebertus ingentem Monachorum fervorem animadvertit, quo Domino Iesu Christo serviebant, S. Remaclum advocari jussit, eique ultra id quod à principio dederat, quodque vir illustrissimus Grimoaldus contulerat, unde eousque Monachi sustentabantur, Episcoporum & procerum consensu in honorem Dei SS. Apostolorum Petri & Pauli, nec non Sancti Martini, utque servi Dei quietius & absque vicinorum impressione soli Deo liberius vacarent per utriusq; Monasterii circuitum duodecim leucarum spatium ambobus assignavit, intra quarum limites

Notger. ap. Sur. 3. Sept. c. 20.

Sigebertus Rex ipsam suam liberalitatem vincit.

quicquid

quicquid haberetur, ab solis utriusque Cœnobii colonis excoleretur.

Post tantum terræ bona alia enumerat Notgerus, quibus supersedemus, ne vel bilem tibi, vel salivam moveamus. Magna res est duodecim leucarum fundus, à solo Monasterio colendus. Etsi, Notgero teste, leucæ Gallicæ id temporis ultra millequingentos passus non tendebantur, late nihilominus patuisse ambitum oportet. Admiratione profecto dignum est, opibus sese in immensum explicantibus, disciplinam arctissime coivisse. Cæterum fortunæ tam amplæ non alio spectabant, quam ut tanto plures Numinis cultores alerentur: hospites, *qui nunquam desunt Monasteriis*, bene haberentur: pauperibus stips conferretur.

S. Bened. in Reg.

Fuit ut Major domus Franciæ perpelleret S. Lambertum Episcopum ad deserendam stationem, & repetendam veterem sedem Stabulensem. Posita igitur mitra privatam ibi vitam agebat, noctes diesque Monachorum partes agendo. Mos Monasterij tenebat, ut culpæ cujuscunque rei cruci saxeæ tribus clavis fixæ, atque in atrio prostanti sese affigerent ex arbitrio majorum, sive hyemaret cœlum, sive æstuaret, sive injurias alias effunderet. Aliquando cilicio solo amicti stabant, qui pœnas dabant. Forte S. Pontifex ex more aliis non sentientibus, è lectulo se excutiebat, ac calceos manu ferens caute in templum commeabat. Imprudenti (ut fit aliquãdo) calceus alter ex immemori dextera exciderat, quo casu Abbas ipse experrectus fuit. Indignatus nocturno ambuloni, fratrũ à divino choro sessorũ parvã rationem ducenti, ut ad crucem consuetam pœnam lueret, imperavit, ignarus Lambertum Episcopum esse, qui eam culpam admisisset. Hic hirsuto cilicio indutus ad bonam crucem propere proficiscens, pedes nudus, brachia brachiis, pectus pectori composuit, totoque quasi servatore hunc in modum occupato psalmos cantillavit. Hyems tum erat noxque perfrigida magnam partem jam exiverat, Abbate nec somniante quidem de Lamberto, specimen futuri Martyrii dante Ære campano ad preces Matutinas cientur Monachi: persolvitur pensum, Antistite neminem desiderante. Ipsa enim multitudine poterat falli. Opere divino peracto ad fornacem confluunt frigidi oratores: nullus Lambertus comparet, aut se admovet. Quæritur: invenitur. Ergo injectis manibus à cruce avellunt & gelu & flagrantissimo amore adglutinatum cantantemque, *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*. Quid deinde? Ad ignem trahunt corpore toto rigentem,

Stephan. Episc. Leodiensis. S. Lambertus cruci se affigit innoxius.

Psal. 50.

& hem adventanti cum toto cætu obviam procedit Abbas: procumbunt pariter ac veniam rogant. Ille se injuriam accepisse negat, sed commeritam exoluisse pœnam ingeminat. Hinc facile conicias arctissimam fuisse hujus Monasterii disciplinam.

Cæterum vita ad ultimam senectutem producta S. Remaclus inter singultus suorum atque lachrymas animam edidit: funus gratorium S. Martini excepit, quod ipse extruxerat, sibique sepulchrum designaverat. Quidam non ex virtutibus, sed miraculis Sanctos æstimant, quibus S. Remaclus tam copiosus fuit, ut Notgerus ijs recensendis unum librum impleverit: alterumque Monachi Stabulenses (ita videtur) de iisdem composuerint. Ambos in compendium redactos tibi porrigit Laurentius Surius. Libet unum super addere, quod Schafnaburgensis sub annum millesimum septuagesimum primum refert, non quod aliis anteponendum sit, verum quod Malmundarium celebre Monasterium, Stabuleto subiectum fuisse, indicet.

S. Remaclus animam efflat.

Sur. 3. Sept.

Malmundarium in finibus agri Coloniensis à S. Remaclo fuisse positum, non diu est quod memoravimus. Dependete id à Stabuleto, alia in Diœcesi sito, perquam moleste tulere Pontifices Colonienses. Quidam ergo horum Henricum III. adivit quam indignum Ecclesia Coloniensi esset alium in ejus finibus jus dicere, exposuit: Imperatorem ut Malmundarium Stabuleto adimeret rogavit: ultimo adduxit. Ægre hoc fecit Monachis, Stabulensibus, quod magnum luum decus esset Malmundarium, & nonnulla ejus bona ad magnitudinem Stabuleti fulciendam ante eum diem adhibita fuissent. Ergo aulam Cæsaris petunt, seq; inserunt: Henrico convento: privilegiorum tabulas producunt: ut Coloniensis Archiepiscopi cupiditatem coerceat, obtestantur: at surdo cecinerunt fabulam. Ergo aliam machinam in obstinatum intendunt. Fuit at is Leodii ageret. Rejecti jam semel Monachi spem concipiunt, religioni fore Imperatori, etiam S. Remaclum reiicere.

Henricus III. Malmundarium à Stabuleto avellit.

Quocirca ipsius sacra ossa, argentea arca scite condita, in humeros tollunt, in cænationem Henrici tendunt: prandentem interpellant, Malmundarium à Divò tam præsenti Stabuleto fuisse subditum, ut tanto plures servi Dei possent ali: ne avelleret quod S. Remaclus adjunxisset, majorem in modum orant. Aliter subactum iri Abbatem, ut bonam partem Religiosi cœtus missam faciat.

Monachi insigni strata gemate pertinacem Imperatoris animum expugnant.

Iam victoriam tacitis animis canebant Monachi, at præsentem Divum susdeque

habens Henricus, exeanduit ira: Mensam indignanti manu removit: tum se in penetrale conjiciens, quas pœnas à Monachis, præsertim Abbate, peteret, secum arbitrari cœpit. Verum non probavit crudum hoc consilium Deus, & quid fieri vellet, manifesto indicavit. Nam mensa, cui dives arca incumbebat, subito collapsa, forte in crura primarii incidens ministri ea comminuit. Perculsi hoc casu Monachi, ac veriti ne amplius cum Cæsare in gratiam redire liceret, modo supremo Numini, modo Sancto Remaclo supplices manus intendebant pro incolumitate ministri: Non mora, evanuit dolor: redintegrati pedes sunt, nullo prorsus vulneris vestigio relicto. *Postea per totam noctem & diem sequentem*, inquit Lambertus Schaffnaburgensis, *tot miracula ad sacrum corpus patrata sunt, quasi S. Remaclus voces emitteret ac peteret, ut Imperator justam sententiam ferret. Omnibus igitur ad tanta prodigia attonitis, metus gravissimus incessit Regem, ne pœnas cælum à se repente exigeret, si sententiam iniquam rescindere cunctaretur, ablata non solum Stabuleto restituit, sed etiam auxit de suo.* Idem litteris consignavit Molanus.

Schaffnaburg. an. 1071.

Multis deinde sæculis hæc Monasteria fuisse conjuncta, ex Libro taxarum Romano intelligas, quo Cœnobia Exempta, ut vocant, diligenter notata sunt. Nam hæc verba suppeditat: *Remacli Stabulensis, & Petri Malmundariensis Ordinis Sancti Benedicti, Diœcesis Leodiensis & Coloniensis.*

Molan. Indic. de Remaclo.

Item, ut duos quidem ponit Episcopatus, sed taxam, ut vocant, pro Bullis Pontificiis, unam quod unus Abbas Monasterio utrique præesset. Item nobis submonendus es, Stabuletum nominibus SS. Petri & Pauli abolitis, aliud à Sancto Remaclo duxisse: tanta vis miraculis inest. Colitur ab Ecclesia III. Non. Ian.

Martyrolog. 3 Ian.

Tam alta huic Monasterio fundamenta jecit magnus Antistes, Sanctus Remaclus, ut ipso demortuo majus etiam incrementum ceperit. Omittimus in præsens præclaros viros, qui decus ei conciliarant: luculentas opes: libertatem, qua jugum ab Episcopis nunquam accepit: Imperii augusti corporis, membrum fuisse, Abbatem vero locum inter Principes tenuisse, id profecto est quod nunc extollimus. De Monasteriis Imperialibus, quæ solum Imp. dominum habent: & Abbatibus Imperii principibus, qui in Comitiis Imperii suffragia ferre solent, multa ex Mamerano narravimus cum VVeissenborgum describeremus, quibus proinde hic supersedere licet.

Ad insigne hoc ornamentum, accessit publica Universitas, qua Stabuletum inclaruit, & de patria optime meruit. Literæ humanæ divinæque ita per Monasteria nostra digestæ fuere, ut diversæ in diversis docerentur: illustria tamen & copiosa, integras Academias aperiebant, accitis etiam aliunde professoribus eruditione præstantissimis, si domi defuissent.

Factum literarum emporium.

Trithem. Chron. Hirs. I. ang. ad an. 290.

Ita Notgerus è Sancto Gallo evocatus, Stabuleti cathedram insedit, quo munere defunctus Leodiensi mitra redimitus est. Hinc difficulter numerum sanctorum & doctorum Monachorum Stabulensium inveneas: immo Episcoporum quoque, præsertim Leodiens: Cathedræ impositorum.

Tam multi enim hanc insederunt, ut cæteros propemodum æquent, aut excedant. Certe si animum advertisti, nos eruditionem, nec ulla parte solutam disciplinam, fabricis, fortunis, possessionibus, ubique hactenus anteposuimus. Durant Monasteria, in quibus mores potius, quam muri, in pretio sunt, qua re Stabuletum quam plurimis aliis palmam præripuit.

Virtus ac eruditio firmamenta Monasteriorum.

Etenim Remaclus, Abbas ipsius primus, fuit Divis additus. Negotiis hîc sui Episcopatus implicitus, Sanctum Theodardum Martyrem sibi Abbatem suffecit. Fractus deinde laboribus, annisque gravis, commutata cum eodem provincia. Monasterium repetivit: Trajectensem vero infulam Theodardo cessit, quam postea etiam S. Lambertus Martyr tulit. Horum duorum causa Episcopalis cathedra Trajecto (vulgo Mastrich) Leodium translata est, in quam plurimi Monachorum Stabulensium evecti sunt.

Stabuleti decora S Remaclus: S Theodardus Mart.

S. Lambertus Mart.

His accedit S. Papolenus vir Apostolicus qui S. Remaclo etiamnum in humanis degente Malmundario præfuit, eoque demortuo Abbatiam Stabulensem excepit. Papoleno Sigalinus successit, virtutibus haud inferior etiam S. Remaclo judice. Tum Goduinus ad clavum admotus est, qui miraculorum multitudine, quæ S. Remaclus edebat, adductus, ipsius ossa in arcam auro argentoque elaboratam collegit, atque ex Sancti Martini sacello exempta, in templo maximo S. Petro dedicato, publicæ venerationi proposuit. Famam quoque meruerunt Sanctus Floribertus, filius S. Huberti Aquitaniæ Ducis, qui sub annum septingentesimum tricesimum vixit: & Richarius Comitis Hannoniæ filius, ex Abbate factus Leodiensis Episcopus qui

S Papolenus seu Babolenus:

Goduinus:

S. Floribertus: Richarius Ep.

sub

ſub annum nongenteſimum viceſimum ſecundum floruit. Inſuper S. VVolbodo Ducis Bergenſis filius, Leodienſis Epiſcopus: Iohannes Enghianus, Regis Franciæ cognatus, nobilis Theologus, imprimis Abbas, deinde Tornacenſis Epiſcopus, deniq; Leodienſis renunciatus. Sub annum milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimum quartum maximarum virtutum exempla ſtatuit. Carolus Sigonius ad annum milleſimum centeſimum trigeſimum ſextum Guibaldi Abbatis meminit, qui idem munus poſtmodum in Monte Caſino obivit. Singulari virtute ac prudentia virum fuiſſe oportuit, quod cum Caſinenſes è Germania uſque exciverint: Fridericus autem Imperator Barbaroſſa in Græciam oratorem miſerit ad graviſſima rei Catholicæ negotia explicanda. Veterem famam & gloriam Monaſterio reſtituit S. Poppo quem Trevirenſis poſtmodum Abbatia ad Sancti Maximini, habuit, cum prius multa Monaſteria ad Regulam revocaſſet.

S. VValdobo Epiſcopus. Iohannes Enghianus Epiſcop. Tornacens.

Sigon. an. 1136. de Reg. Italiæ. Guibaldus Abbas.

Otho. Friſin. l. 2. c. 23.

S. Poppo Abb. Stabulenſis.

Libet pro mantiſſa addere quæ refert Miræus. Stabulenſe hoc Cœnobium ad Amblevam fluviolum in profunda valle ſitum, diſtat tertio fere milliari à Spadanis fontibus acidis, tota pene Europa nominatiſſimis. Abbas verò Stabulenſis inter Romani Imperii proceres recenſetur. Fuit hæc dignitas multo tempore in familia Comitum à Manderſcheit, ex qua prognatus Guilielmus quod Stabulenſis & Prumienſis (quod vetus atque opulentum itidem Benedictinorum in eadem Arduenna verſus Treviros eſt Cœnobium, Reginonis ejus loci Abbatis & Chronographi nomine illuſtre) arcem inſignem ad ipſum montem è regione Cœnobii hujus conſtruxit, ut habet ejus epitaphium, quod in templi medio legitur. Obiit is anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto. In hac arce acta publica codices, manuſcripti, & ſacra ſupellex precioſior aſſervatur. In eadem monetæ officina viſitur (ejus enim cudendæ jus habent) & ipſi ibidem Abbates olim ut plurimum commorari ſolent. Tandem religioſiſſimo huic Monaſterio à S. Remaclo & Sigeberto Rege alios in uſus condito, manus admoverunt Abbates Commendatarii. Hodie Erneſtus Bavarus, Archiepiſcopus Colonienſis itemque Epiſcopus Leodienſis adminiſtratoris nomine tenet.

Aubert. Miræus Origin. Benedictinus.

Res Stabulis ſita in manu Erneſti Archiep. Colonienſis

* * *

CAPVT V.

S. Theodardus & S. Papolenus, Monachi Stabulenſes.

VT memoriæ Lectoris conſultum eamus, SS. Theodardum & Papolenum in theatrum nunc inducimus, Monachos Stabulenſes, cæteris proprios in annos dilatis. Prior natalibus illuſtris, inviſam habuit aulam, mundumque univerſum. Quocirca urgenti ad Religionem Numini incumbens, parentibus conſilium probantibus admodum adoleſcens ſumpto habitu Monaſtico, Deo ſe dicavit. Paulo poſt ita virtutibus excellere cœpit, ut in publicam famam venerit, quod merito magni facias. Nam id ſæculum multos viros ſanctos numeravit, ut inter eos eminuiſſe, maximæ profecto laudi ducendum ſit.

S. Theodardus fit Monachus.

Sigebertus Gemblacenſis, auctor gravis, S. Theodardum à Rege Sigeberto & & S. Remaclo Stabulenſem Abbatem eſſe juſſum, memorat, quem proinde primo loco judicamus collocandum. Nam Sanctus Remaclus Epiſcopus Trajectenſis cum ſe toties extra Diœceſin ferre non poſſet, quoties neceſſitas Monaſterii exigeret, Theodardo onus impoſuit. Hic cum Regis ſpem non modo non falleret, ſed plurimum ſuperaret, S. Remaclo poſito Epiſcopatu Stabuletum, ceu portum, ex multa jactatione petente, Antiſtes Trajectenſis creatus eſt, Clero populoque uſque acclamantibus, quod virtus & doctrina viri cuivis maximarum rerum injicirent expectationem. Vt alia quamplurima prætercam, quæ ipſius in laude poni ſolent, ſatis ſit quod S. Lambertum ei debeamus, tum etiam reditus, Epiſcopatui reſtitutos.

Poſtea Abbas Stabulis.

Inde Epiſcopus Trajectenſis

Etenim S. Amando Franciam & Alemanniam Evangelica lege imbuente: Sancto Landoaldo Vicario auctoritate ac viribus deſtituto: Sancto Remaclo ædificandis Monaſteriis intento, multis perſuaſit avaritia, ut bona ejus Eccleſiæ per nefas ad ſe traherent, quos bolos Theodardus ætate integer, animo fortis, undique magnus, ſacrilegis è faucibus eripuit. Suſcepta igitur pro Clericis, pro pauperibus, pro Eccleſia hac pugna, prædones imprimis verbis bonis adortus eſt, improbum facinus oculis obiiciendo: ſupplicium olim Deo pendendum ingerendo: ni morem gererent, Eccleſiaſticas pœnas minitando. Vbi veteres ollas lavare ſe ſenſit, fulmina

Abciſa Eccleſiæ bona recuperat.

mina intorsit : tum Rege suppetias ferente rebus alienis sacrilegos exvit : Ecclesiæ reddidit. At brevi aureum illud tempus in ferreum vertit, Sigeberto admodum juvene fatis concedente, nulla sobole relicta. Postea enim in Childerici cognati, Clodovei Regis filii caput, mœsta corona defluxit : pace terris excedente bella ingruerunt, quæ dum omnia miscuere, prædones Ecclesiæ denuo extulere cristas, Ecclesiæ Trajectensis fortunas invadentes, quod in turbido felicior sit piscatio. Ingemuit graviter Theodardus, certus prius vitam ponere, quam furibus terga, aut Ecclesiæ suæ bona dare.

Telis conficitur.

Childericum Regem in Alemanniam profectum, forte fama accepit. Nil igitur cunctatus, viam propera inivit : ad Regem contendit, rapaces lupos gravi sceptro abacturus, cum levi baculo non posset.

Insequuntur sacrilegi armis instructi : Sanctum Episcopum in Allatia assequuntur : in eum intentis telis involant : traiiciunt : denique in multa frusta fœde secant, ut notissimis jam propemodum esset ignotus humi prostratus, & innumeris vulneribus concisus. Hac procella incumbente, famuli qua quisque evadere poterant, diffugerunt præter parvum puerum, cui à sicariis parsum est, quod nihil momenti in eo ponerent.

Puer sparsa Martyris membra studiose coacinnat & componit.

Hic sparsa Martyris membra anxie legit, & vinculis composuit ; sed cum hæc deficerent, humi exporrectum Theodardum, nondum satis integrum, relinquens discessit.

Filum pio puero dono datum ab ancilla dominæ sævitiendi materies fuit.

Non longe inde in fœminam pecus servantem & fila ducentem incidit, quam majorem in modum rogavit, ut sibi partem aliquam pensi sui daret : rem magnam esse ob quam peteret. Illa revoluens glomus, puerum petitionis compotem fecit, atqui magno suo malo. Nam misera heræ suæ nescio quot plagas de tergo dedit, quasi statum pensum non absolvisset. Puer tamen hoc munere lætus, præceps ad lacerum Theodardum refertur, solo sparsus artus conexurus, ad quē ubi pervenit, prope caput pedesque cœlestes faces illucere vidit: mulier quę ancillam suam ob pensum nō integrum pulsaverat, repente oculis capta est. Simul intellexit S. Theodardo se pœnas dare, manu cuipiam injecta, ad exanime corpus properavit : nuncupatis votis veniam obtinuit, Theodardo, oculos instaurante.

Tum diffluens gaudio vulgavit factum: nec mora, quicquid infirmorum erat in proximo, eò confluxit : salutem recepit. Versa deinde ad Martyrem sepeliendum cura, corpus in sandapilam tollitur, jam his jam illis oneri sacro succedere contendentibus, ac flentibus præ gaudio universis contumulatur. Vangionum Præsul de rebus omnibus certior factus consilium cum suis cepit, num nam in summum templum transferendus videretur : quibus prompte annuentibus, festivæ pompæ diem dixit. Quid fit ? Concurritur undique ab omnium ordinum hominibus : Episcopus, Clerici, vespillones se accingunt operi, cum subita tempestate miscetur cœlum, ac fulmina minatur, & densa nubila tam insolentem effundunt imbrem, ut tota, quæ confluxerat, pompa quacunque pateret via diffugeret. Sensit Episcopus invito Deo se manum huic operi admovisse. Interea Sanctus Lambertus è Germania inferiore adsuit : sacra ossa Leodio vindicavit, quod alibi pluribus prosequemur. Trajectenses cum Leodiensibus eum ad IV. Id. Septembris annuo cultu venerantur.

Edit miracula laniatus Theodardus.

Sepelitur Leodii.

S. Papolenus Monasterio Malmundariensi præfectus, Stabulensi, & S. Germani prope Parisios.

S. Papolenus gente Burgundus, VVinioco patre natus, admodum adolescens Luxovii sacrum habitum sumpsit, innocentia & suavitate morum nemini non charus : hinc præcipuis olim Abbatiis præfectus est, veluti Malmundariensi, Stabulensi, Sancti Germani apud Parisios. Fundavit insuper Fossatense Monasterium, quo postea Sanctus Maurus conditus fuit. Solebat varia adire Asceteria, ut apis instar ex singulis legeret, quod imitaretur. Simul ipsum Sanctus Remaclus Stabuleti conspexit, palmas ad cœlum sustulit, Numini gratias ferens. Quin Notgerum audis.

Notgerus Episcop. Leodiensis ap. Sur. 3. Sept.

Postquam ea res innotuit tum prope, tum procul degentibus religiosis viris, cœperunt undique ad eum confluere, inter quos etiam dominus & pater Papolenus ad eum invisendi quidem causa venit, sed ejus inhærere magisterio, quam domum redire maluit. Susceptus est à beato Remaclo officiosissime, & vixit apud eum sine offensione. Cernens id beatus Remaclus, secumque cogitans ea causa missum eum fortassis à Domino, rogavit eum ne ab ipso discederet, tum prætera ob fratres in disciplina continendos Malmundariensi Cœnobio, cujus Monachi Sancti Benedicti instituto vivebant, salva in omnibus authoritate sua, eum præfecit.

Cum igitur disciplina Stabuleti fuerit integerrima, Sanctus Remaclus autem Papolenum Numinis impulsu eo venisse judicaverit, ut Monachis exempla virtutum præiret, virum longe perfectissimum

fuisse oportet, nec immerito à Notgero Apostolicum appellatum. Vivo Sancto Remaclo Malmundario præerat: quo extincto Stabuleti Abbas renunciatus est. Postquam nonnihil temporis hic traxit, Neustriam petivit, in qua cum populo Parisiensi, tum vero maxime Clodoveo, Dagoberti Regis filio, Sigeberti fratri, sanctitatem suam probasset, omnium animos cepit, atque nobilissimo, Sancti Germani Monasterio præfectus est.

S. Papolenus Monast. Fossatense condit.

Suggerente postmodum nummos quodam Ecclesiæ majoris Parisiensis Diacono, (Blidegisilo nomen fuit) Cœnobium in castro Bagaudaro excitavit, non procul ipsa urbe dissitum, quod Sancto Petro dedicavit, ac Fossatense nuncupavit: atqui labentibus annis una cum ossibus S. Mauri ejus quoque nomen accepit, & Monasterium Sancti Mauri Fossatense dictum est. Magnas opes intulit Clodoveus, quas alii proceres auxerunt, unde divitiis plurima alia Franciæ Monasteria excessit: pro summo tamen thesauro Sanctus Maurus habitus est, qui ex Glanofolio illuc migraverat, Monachis ob incumbentem è Nordmandia procellam inde diffugientibus, quod sub annum quingentesimum octogesimum tertium memoravimus. Fortunis postea fractis Glanofolium in Prioratum versum est, cessitque Fossatensi Monasterio, Ducibus Andegavensibus & Monte Casino nequidquam obnitentibus. Plus enim potuere Franciæ Reges. Ecclesia Cathedralis Parisiensis ut quoquo modo mereretur de Fossatensibus, Canonicatum iisdem contulit.

In quod Monachi Glanofoliensis in fugam versi, ossa S. Mauri transtulerant.

Sed ô tempora, ô mores! quibus subinde nihil satis sacrum est! Hunc fundum coluit Ordo Sancti Benedicti: eum aravit, in eodem sementem fecit: nihilominus quidam Abbas Commendatarius, simulsique Episcopus Parisiensis, ipsum fundo cum suo componere ausus est, SS. Benedicto & Mauro procul dubio invitis. Itaque admotis manibus Cœnobii Sanctissimi partem traxit ad mensam Episcopalem, profundum barathrum impleturus: partem ad Capitulum. Hoc nimirum est *tollere, ubi non posuisti*. Nimis esuriunt, qui Monasteria tam pie fundata turpi hiatu deglutiunt. Videsis autem quam frigeant semper posteriora sæcula! Veteres Episcopi Cœnobio Fossatensi concesserunt Canonicatum: novi sub annum millesimum quingentesimum tricesimum sextum totum fluvium cum piscibus hauserunt, & ne quid reliqui facerent, Prioratus quoque eidem subditos in avidum stomachum & marsupium immer-

An. 1536. raptus ad mensam Episcopalem. Sic vos non nobis, pii Fundatores.

serunt, quod apud Renatum Chopinum invenimus. Ingens omnino jactura; plus tamen dolet sacro Ordini, discipulum Sancti Benedicti natu majorem, quem mille annos habuerat, sibi pariter ablatum esse. Graviter (quippeni?) Ordinis Sanctissimi hujusmodi vulnera sentiunt; etsi illi quibus nihil aufertur, dissimulandum, & alienissimos istos à Monachismo Abbates prope laudibus celebrandos esse putent. Quis autem non ægerrime ferat, rem suam sibi adimi, nunquam amplius reddendam? Lupis oves committuntur, cum Monasteria Abbatibus sæcularibus commendantur, quod luce meridiana clarius est.

Chopin. l. 1. To. 3 n. 6. Præclari custodes ovium, Abbates sæculares.

Cæterum S. Papolenus VI. Kal. Iulii ad superos evasit, ossibus Fossatensi Monasterio relictis, ut auctor est Iacobus de Breul. Addit, ibidem haberi res ab ipso gestas, MS. miraculis refertas, è quibus hoc memorat. Cum in urbem Parisiorum tenderet, S. Antistes, ac jam portæ immineret, in cæcum incidit, quem sua mater utroque lumine cassum ediderat. Vir Dei tenebricosis oculorum cavernis digitos impressit, cœlum simul precibus pulsans, & ecce! cæcum luce donavit. Clodoveus Rex commotus prodigio, fiscum regium de Valentonio assignavit Monasterio Sancti Germani, quod tamen luculentum munus, regia manu datum, Monachis etiam ereptum esse, idem Iacobus Breul non absque gemitu recenset, bonorum ad Monachos spectantium invasores haud leviter perstringens. Vera vox est: *In nullum avarus bonus est: in se pessimus*. Erit, erit profecto cum à piis Fundatoribus, à Sanctis Religiosorum Ordinum Conditoribus, & à severo judice Deo in jus vocabuntur, avaritiæ suæ, nec non extincti cultus divini tristam causam dicturi.

Martyrolog. 16. Iunii. Breul l. 5. cap. 46. Schol. ad Aimoin. S. Papolenus cæcum luce donat.

Acriter supra à nobis pugnatum est Monachos Sancti Columbani fuisse Ordinis D. Benedicti, nunc tela duo emittere juvat, cæteris validiora, quibus adversarii facient deditionem, nisi malint stolide esse obstinati. Sanctus Remaclus Solemniaci, quod Monasterium Monachi Luxovienses teste Iona ædificarunt, religiosum habitum sumpsit. Is postea Stabuletum & Malmundarium fundavit, quæ nemo ambigit Ordinis Sancti Benedicti fuisse. Insuper Sanctus Papolenus, S. Regulam Luxovii professus, Fossatense Monasterium construxit, quod multis sæculis ad eundem S. P. N. Benedictum pertinuisse non quisquam negare ausit. Accedit quod in Stabulensi, Malmundariensi, & S. Germani Monasteriis Abbatem egerit. Quo-

S. Columbanum Ordinis D. Benedicti fuisse, confirmatur.

Ionas Monachus in vita S. Eustasii.

circa in quam te cunque partem vertas, evadere haud possis. At, at, Monasteria hæc imprimis Sancti Columbani leges sequuta, obmurmuras: inclinantibus postea temporibus hominibusque, ad Sanctum Benedictum deflexisse. Nihil agis, mi vir.

Notger. vita S. Remacli.

Etenim Notgerus gravissimus testis, Malmuodarium à Sancto Remaclo statim ac conditum fuit Sancto Papoleno commendatum fuisse; memorat, additque: *Cujus Monachi Sancti Benedicti instituto vivebant.* Vnde intelligas Luxovium ipsum in Regulam Sancti Benedicti ab origine jurasse, cum illius alumni antiquissimi in Cœnobia à se fundata eam induxerint. Hæc cum sint certa, juxtaque clara, invenias tamen quibus volupe est apologiis contra nos scribundis operam ludere.

CATALOGVS.

Abbatum Stabulensium.

1. *S. Remaclus*, quem Sigebertus eo anno cœlis potitum esse ait, quo Lambertus ad Tungrensem cathedram revocatus sit, quod ipse factum putat an. D.C.XCI. alii, LXXV. III. Non. Septemb. Conditus fuit in sacello S. Martini. Sigebertus Rex Austrasiæ, duodecim Monasteriorum Fundator, anno ab inauguratione XIV. multa bona in Sanctum virum congessit, unde Stabuletum & Malmundarium pleno jam sinu turgere cœperunt. Porro Sancto Remaclo Pontificatum Trajectensem gerente, multisque negotiis implicito, Sanctus Theodardus Stabuletum curare jussus est, unde à quibusdam in Abbatum syllabum refertur, & à *Iohanne* Capheavillo loco primo collocatur.

AEgid. Bucherius tab. Episc. Leod. ad an. 650.

Iohan. Capheavil. de gestis Pontif. Leodiens.

2. *S. Babolenus* (sunt qui Papolenum vocent,) Episcopi & viri Apostolici nomine insignis, de quo hæc Iohannes Capheavillus: *Babolenus primum fuit Abbas Malmundarii; deinde successit Stabuleti Sancto Remaclo, quo in loco quiescunt quoque ejus reliquiæ, & altare habet in sui honorem consecratum, atque festum duplex majus.* Hic tamen hæremus, quod aliqui tradant eum biennio Stabuleti exacto, Fossatense Monasterium petivisse: viginti quinque annis sacrum ibi imperium tenuisse: ossa marmoreo sarcophago excepta, & prope murum Ecclesiæ B. Virginis posita fuisse.

Iohan. Capheavil. Can. Leod. in annotat. ad Heriger. Abbatem Lobiens.

3. *S. Sigolinus.* Quamdiu rebus præfuerit, historici more suo certant. Catalogus MS. extrema regni Childeberti, vel principia regni Dagoberti junioris ab eo tacta, adeoque sub annum D.CCXI. mortuum, asserit.

4. *S. Godovinus.* Sub Rege Dagoberto rem Stabulensem gessit, quod Monasterii monumenta testantur. Antiquum Caroli Martelli diploma de tempore Childerici Regis, cujusdam Rabangarii Episcopi, & Stabulensis Abbatis, meminit. Si de Childerico II. agitur, Goduinum etiam Rabangarium dictum fuisse oportet. Sin vero de tertio, id in Abolinum avertendum erit, quod verus quidam Catalogus facit.

5. *Bobolinus*, cujus solum nomen antiquis Catalogus edit.

6. *Abolinus.*

7. *Crodmarus.*

8. *Amolgerus.*

9. *Amingerus.*

10. *S. Anglinus.* Oneri supposuit humeros floreote Carolomanno, quo tabulæ donationem hujus principis testatum faciunt.

11. *S. Agilolphus*, cui cum sedes humillima placeret, in Cathedram Coloniensem elatus est. Amblavæ pro Christo mortem oppetiit prid. Kal. April. Sed cum ultimus Martii dies sæpe Pascha sibi vindicet, in VII. Id. Iulii emotus est, quo is circa anoum M.LXIII. Malmundario, quod asceterium Stabulensi diu conjunctum erat, Coloniam translatus fuit. Hugo Menart haud committendum sibi putavit ut tantum virum præteriret: hæc proinde memoriæ subjecit: *S. Agilolphus* fuit Monachus & Abbas Cœnobii Malmundarii, olim à S. Remaclo conditi, ut patet ex quodam libro MS. ejusdem Cœnobii de S. Quirioi Martyris miraculis, cujus locum profert Molanus in Indiculo Sanctorum Belgii de S. Agilolpho. Nobili stirpe editus Anglino loci hujus Abbati à parentibus est traditus, qui Patris spiritualis mores imitatus, ejus in voluntate Dei successor est factus. Dein sedi Coloniensi Antistes datus, Abbatis etiam non deposuit onus, donec utrumque strenuissime gubernando propter fidem regni apud Amblaviam coronatus est Martyrio, atque apud nos, ubi Abbatis nomine præfuit, & opere, usque dum Deus voluit locum habuit sepulturæ: nempe in antiqua Ecclesia Cœnobii Malmundariensis, ut ait Molanus loco citato.

Hugo Menart Notis in Martyrolog. Benedict. 9. Iul.

12. *S. Albricus.*

13. *Sichardus*, vir doctus, ac veteris disciplinæ tenacissimus. Proxima istius sui ducis vestigia pressere Monachi, unde Pro-

Tom. 9. Biblioth. SS. Patrum.

logus Tomi IX. Bibliothecæ SS. Patrum meritis hisce laudibus eos prosequitur: Supra omnes homines vestra est mihi gratior societas, quia est sincere & absque dolo, & quam Deus docuit, Sanctique ejus Apostoli tenuere, ac posteris tenendam tradiderunt. Non est fel amaritudinis in vobis, neque Zelus iniquitatis, sed fides firma, charitas inviolabilis erga Deum & proximos. Et licet rebus terrenis egentes sitis, virtutibus tamen repleti estis, ita ut qui vos perfecte agnoverit, ulterius dilectione à vobis non possit separari: sed si modico tempore vobiscum quis moratus fuerit, pro certo intelliget quia Deus cohabitator vester sit, & Spiritus Sanctus regat opera vestra. Neq; enim habitabit diu malus inter vos, neq; permanebit in consortio vestro, quia sicut aurum & argentum in camino probationis sordes abjiciunt, ita & qui inter vos venerit, aut desinet à malo opere, aut certe alienus efficietur à consortiis vestris. Qui namque inter vos conversantur, non multum mirentur si plurimi sancti in his Monasteriis probabiles fuerunt, sed pro certo experientur, quia qui apud vos non est bonus, sine dubio nusquam alibi erit, quoniam vos estis qui veraciter audistis vocem Domini dicentis: *Estote prudentes ut serpentes, & simplices sicut columbæ*. Et si Reges & Principes atque vulgaris populus vos veraciter agnovissent, ut veros Christi discipulos amarent, supra omnes homines venerarentur ac diligerent. Christus custos vester qui cœpit vos custodire, in sæcula, concedat in concepto bono opere permanere usque ad finem vitæ vestræ.

En quanti referat subditos accendi ad virtutem à superioribus! Hic Abbas & Monachi Christiano Druthmaro digni visi sunt quibus lucubrationes suas dedicatum iret, quod tibi Trithemius expediat: *Christianus qui & Druthmarus, Monachus & Presbyter Corbejensis, Ordinis sanctæ memoriæ Benedicti Casinensis, natione Aquitanicus, vir in divinis scripturis doct., Græco & Latino sermone imbutus, veniens ab Aquitania in Galliam, nomen suum scribendo notificavit, de cujus opusculis ego tantum videre merui opus grande & præclarum ad Monachos Stabulensis & Malmondariensis Cœnobiorum, sub uno Abbate consistentium in Diœcesi Leodiensis Ecclesiæ, aperto sermone conscriptum in Evangelium Matthæi.* Sichardum concessisse ferunt an. DCC.XCI.

Trithem. de script. Eccles.

14. *VVirundus.* Magno loco fuit apud Carolum Magnum, & Ludovicum Pium, ejus filium. A priore corpus S. Quirini Martyris impetravit, quod anno D.CCC. VIII. Malmundario intulit. Oblitis quoque ejus jussu legationibus, gravissima Imperii negotia sapientissime explicavit. Vnius singularem rationem habet Rhegino ad annum DCC.XCIX. A Ludovico duobus longe amplissimis privilegiis an. DCCC. XIV. donatus est. An. sequenti a morte è vivorum numero submotus fuit.

15. *Absalon.* Templum Malmundariense, opem ferente Ludovico Pio, instauravit. Post sesquiannum sarcinam constrinxit, & abivit.

16. *Ando.* Duabus Synodis Aquensibus interfuit: uni an. DCCC. XVII. Alteri an. DCCC. XXXVI. quo inclinante, aut certe exacto, mortuus est.

17. *Rasboldus.* Anno Caroli Calvi III. diem obiit.

18. *Harundus*, quem vetera monumenta etiam Harvidum appellant, anno DCCC. XLIV. ad pulveres revocatus est.

19. *Ebbo I.* Archiepiscopus Rhemensis: unius anni Abbas. Anno DCCC. XXIII. in Daniam aliasq; provincias Aquilonares penetrans, cum idolis, id est, cacodæmonibus gradum contulit, vicitque. Creatus Abbas Stabulensis & S. Columbani in Italia, utroq; loco exutus est, quod imperatam à Lothario Cæsare legationem in Græciam detrectasset. At Ludovici Germaniæ Regis benevolentia Hildesheimensis Episcopus inauguratus, tam virtutibus quam Pontificiis ornamentis insignis an. DCCC. LI. mortuus est, inconstantis & variantis fortunæ pulchrum exemplum.

20. *Ebbo II.* Eodem mense quo Abbatis provinciam adjit, abjit.

21. *Hartgarius* filius Comitis Sabaudiensis, susceptus ex filia Comitis Limogensis. Factus Episcopus Leodiensis, à Lothario Imp. Stabuletum dono accepit. Qua autem ratione sibi viam ad hoc Monasterium muniverit, non promptum est narrare. Oppetiit an. DCCC. LV. decennis Abbas.

22. *Adelardus.* Vetustissima monumenta perpetuo Comitem appellant. Apparet etiam Commendatarium Abbatem fuisse, sed (quod mireris si hominum istorum ingenia nosti) rem Stabulensem non affixit; potius sartam tectamque per duodecennium servavit. Excessit an. DCCC. LXVII.

23. *Hildeboldus.* Fas est credere fuisse Monachum, quia Ludovicus Rex Germaniæ in tabulis, quibus privilegia priora non solum Monasterio affirmavit, sed etiam alia super alia adjecit, eum Venerabilis Abbatis titulo affecit. Accedit argumentum alterum, quod ab eo neque exesum, neque

epotum, neq; exenteratum sit Monasterium (quod à Commendatariis Abbatibus fieri solet) sed fortunis auctum. Vitam composuit an. DCCC. LXXX.

24. *Luitbertus*, ex Abbate Elvagensi Pontifex creatus Moguntinus. Tantusè tantillo factus, etiam Stabuleto potitus est. Alte virum non tam fecunda, quam virtus & industria posuere. Tristia tamen passus est, Nordmannis Deo irato irrumpentibus: Cœnobium totamque viciniam evastantibus. Ad umbras concessit an. DCCC. LXXXIX.

25. *Lintfridus*, *Comes*. Novennio ac eo amplius res Stabulenses administravit.

26. *Richarius*, an. DCCC. XCIV. Monasterio S. Huberti præfectus, quadriennio post legitimis suffragiis Stabulens. Abbas lectus est, insequenti anno Prumiensis Monasterii res administrare jussus. An. CM. XX. vir merito altius attollendus, Leodiensi Cathedræ impositus est. Id temporis quatuor Principes potentissimi Stabuleto, ingemiscentibus Monachis, incubarunt, singuli summis viribus S. Benedicti hæreditatem adire, enitentes, litura quidē à nobis inducendi, nisi dandum hoc antiquitati existimaremus, à qua in Abbatum syllabum conjecti sunt. Richarius tamen Abbatis titulum etiam postquā Episcopatum iniit sibi adimi haud est passus. An. CM. XL V. à senectute ad mortem ductus, & Leodii ad S. Petri cryptæ illatus fuit, quē posteri cœlesti monitu obscuro è loco productum, ante D. Petri aram collocarunt. Ejus hanc mentionem facit Anselmus Canonicus Leodiensis: Post hunc venerabilē virum Stephanum, Richarius ex Abbate Prumiensi in Episcopatum Leodiensem successit. Et Ægidius à Leodio: Post hunc venerabilem virum, (videlicet Stephanum) inquit, Richarius vir Catholicus, & Abbas Prumiensis & Stabulensis, à Rege Francorum Carolo Simplice electus, per authoritatē Papæ Iohan. hujus nominis X. Romæ Ordinatur Leodiensis Episc. 40. repudiato Hilduino, qui pecunia data Duci Gisleberto Bulloniensi, ambiebat Episcopatum Leodiensem: sed repudiatus recessit à partib' nostris. ob. x. Kal. Aug. sepultusq; est in Ecclesia S. Petri quā reædificaverat, in crypta Eccles. ante sepulchra Monachorum: sed processu tempo. poris per revelationem cujusdam venerabilis sacerdotis se transferri jussit ante altare D. Petri Apostoli, in sinistra parte cancelli.

Ansel. Can. Leod. de gestis Pontif. Leodiens.
Aegid. à Leodio.

27. *Raginerius*, Dux Lotharingiæ, turbulenti vir ingenii, juxtaq; avari, Stabuletum, bonum bolum, Richario è faucibus vi eripuit, quo annis XV. sacram scilicet, famem sedavit.

28. *Everbard*, Raginerii nepos. In Abbatū Catalogo Comes nominatur & Abbas: at in tabulis quas archivum exhibet, quibusque ipse nomen suum addidit, Advocatus appellatur. Vnde Raginerii partes duntaxat egisse videtur.

29. *Gislebertus*, Raginerii filius. Non alienum ab instituto nostro fuerit, tabularum archivi Monasterii fragmentum in medium afferre, qua ad Gislebertum spectant. Omnibus Deo pie fideliterq; militantibus notum esse cupimus, Gislebertum venerabilē Ducē, nec nō gloriosum Abbatem Stabulensis Monasterii Raginerum, & Everardum Advocatum, interpellasse quendā nobilem virum, nomine Herefridum, de rebus conjacentibus in pago & Comitatu &c. Signum Ragineri Ducis, qui hanc chartam facere jussit. Sign. Herefridi traditoris. Sig. Everardi. S. Gisleberti. S. Ermengisi. S Saremanni. S. Rotandi, præpositi. S. VValonis Custodis Ecclesiæ &c. Hugo Notarius jussu Ragineri Ducis recognovi, An. VI. regnante Ludovico invictissimo Rege. Acta Stabulaus publice XII. Augusti.

Decem, vel amplius Stabulensis tabularii litteræ Gislebertum hunc modo Ducem Lotharingiæ, modo Marchionem, sæpe Comitem, plerumq; Abbatem vocant. Eum an. CM. XXXIX. apud Andernacum in prœlium ruentem cecidisse, tradunt historici, & perantiquus codex Stabulensis.

30. *Conradus Dux*, cui Sapienti cognomen, Hermanni Ducis Suevorum, q aliqui tradunt, frater, vetusto Abbatum catalogo insertus quidem, sed forsan expungendus. En tibi annosas tabulas: Ego in Dei nomine Everardus cupiens in terra Ecclesiæ quæstū aliquem habere, adii celsitudinē Ducis nostri Conradi, qui tunc temporis Abbatiam Stabulens. jussu Domini Regis Ottonis regebat, deprecans, quatenus concederet mihi de terra S. Petri & S. Remacli &c. quandam precariā facere in Monasterio Stabulaus cū cōsensu Abbatis Odilonis, qui illi Monasterio præesse dignoscitur, & consensu Erenfridi Advocati. *Sub fine*: Acta hæc sunt in Monasterio Stabula' publice sub die sexto Non. Martii, regnante Domino glorioso Rege Ottone anno decimo, Conrado Duce anno quarto. Signum Odilonis Abbatis, qui hanc precariam authoritate Regis & Ducis firmavit. Sig. Erenfridi Advocati. S. VVerimādi. S. VVillerici. S. Reginhardi. Ego VVerinfridus Cancellarius jubente Domino Odilone Abbate, scripsi. Conradus igitur non Abbas, sed curator bonorum fuerit.

31. *S. Odilo*. Hoc gubernatore ad clavum sedente, omnia repente ad Monachos, veteres dominos, inclinavet ut. Etenim Conrad'

admini-

administratione fortunarũ Monasterii spõte se abdicavit: rediit libertas eligendi Antistitis: rediere bonæ litteræ S. Notgero ex S. Galli Cœnobio excito: revocata aliquandiu lapsa disciplina est: Otho etiamnum Rex, Conradi socer, ut cupidos arceret, veteres prædiorum & decumarum terminos regiis tabulis renovavit, & Monasterio addixit: quæ omnia Odilonis sanctitati data opinamur. Cœlum colere cœpit an. CM. LIV. Sunt qui annno CM. LXIV. superstitem fuisse asserant.

32. *VVerenfridus*, Conrado Duce rerũ domino, & S. Odilone Monachorum præside Cancellarius, S. Notgerum, apud Leodios postmodum factum Episcopum, adduxit, ut S. Remacli acta stylo exoleto composita, proscriptis barbarismis sincera latinitate donaret, ab eodem in epistola dedicatoria *omnium artium Præsul* appellatus. Ecclesiam Malmundariensem à Nordmannorum irruptione adhuc humi procumbentem, erexit, alteque sustulit. Anno CM. LXXX. in curarum partem sibi adscivit Ravengerum: etsi Bulla Gregorii V. Pontificis Max. qua is an. CM. XCVI. Regum Diplomata rata esse jubet, capularis senis exerte faciat mentionem.

33. *Ravengerus*. Malmundariens. Monachi contra quam S. Remaclus sanxerat, à Stabulensibus secessionem facere magno conatu moliebantur, quos ille Othone II. opem ferente, in ordinem redegit. Obiit M. VIII.

34. *Bertrannus*, Præpositus Stabulensis, utriusq; Monasterii suffragiis Abbas designatus. Delatus autem ad Henricum Regem, quasi vitio lectus fuisset, officio biennium abstinere debuit. Rei familiari bene consuluit. Vivere desiit an. M. XX.

S. Poponis vitam conscripsit Everhelmus Abbas Aldmõtensis. Ejus meminit Trith. Chron. Hirsaug.

35. *S. Poppo*. Coronam prodigiosæ amplitudinis in templo Stabulensi suspendit. De vivis bene meritus, ut mortuos quoque beneficio afficeret, Malmundarii cryptam, qua acciperentur, fodit. Quantum vero illud fuit, ossa S. Remacli, quæ Monachos diu latuere, invenisse? Legem incolis dixit nunquam abolendam, ut ad VIII. Kal. Febr. justa omnibus ubique terrarum sepultis, ac opem viventium implorantibus, ritu solenni quot annis persolverent: advolantibus undique panes utraque manu distribuerent: Inde tribus diebus continuis Psalterium à capite ad calcem recitarent, additis semper tribus Lectionibus cum Responsoriis de Officio Defunctorum, ac totidem Orationibus. Sed per te fidem tuam obsecro, promto animo accipe, quę Everhelmus Altimontensis Abbas de eo memoriæ prodidit. Rem

Ap. Sur. 25. Jan.

longam largamque in pauca verba conferemus.

S. Poppo citius solito natus.

Natus est, inquit, *Tizekino patre atque Adaluni illustrissima matre: septimo conceptionis suæ mense præter solita nascentium tempora, potitus hac luce*. Porro adultus cum audacia valeret, militiæ nomen dedit. Nec modo strenuum bellatorem egit, sed cũ ita se res dabant, etiam prædas egit. Territus male pereuntium exemplis cucullum in votis habebat quidem, & induisset si per ipsum stetisset; ad sagum duce invito exuere nefas erat. Divinitus in mentem venit, bellum secum quoque suscipere: expugnare vitia: onustum armis corpus tundere: densare ictus: facere ut militari cultu dissimilis Monachis, pietate in Deum, charitate in homines eorundem effigiem exprimeret.

Solutus militia Hierosolymam, postea Romam petivit. Vbi se patriæ restituit, Frumoldus inter Flandros opibus pollens, quo Balduinus familiarissime utebatur, filiam ei suam nuptui dedit. Dum noctu iter Sithinum ad socerum facit (nolebat enim multos comites, molestam appendicem, trahere,) quod luce debuisset) subito lumen cœlo delabi Poponem circumfundere: hic circumvolvere oculos: attollere sursum: viditque hastam ferro præfixam ardere. Ergo metu quassus, simul omen accipiens, *Necesse est*, exclamavit, *commilitones mei* (quosdam enim adscivit: solum fastum removit:) *alia intentione aliaque via incedere. Opportunum video finem vitiis cum cupiditatibus his imponere. & quo divinitati placet, toto conatu intendere*. Tum projectis sine mora armis, adpressa pectori dextera, consilia à nuptiis alienissima cepit: inter Monachos nomen professus est.

Pia, eaque sedula in Valetudinario cura, pauperum, peregrinorum, ægrotorumque oculos mire tenuit.

Exacto Tyrocinio pauperibus in Xenodochio locare operam jussus, leprosum subire tecta permisit. Ne vero cum frigore conflictaretur, raptam de lectulo suo stragulam vestem ipsi firmãdæ amicitię imposuit. Tremulus hospes in eam se se involuit: cutis quæ tam fœde peccarat, ex Poponis integumento nitida evasit. Matri, pientissimæ matronæ, author fuit, è mundo in Monasteriũ ut se subduceret. Iter ad Henricum II. (alii I.) habuit, quod cum fama accepisset quidam vetus amicus, piscatoribus negotium dedit, ne morarentur, sed ocyus ad flumen contenderent: retia spargerent: pisces per undas errantes exciperent. Dicto audientes piscatores spem sequuntur: fibulum rete jaciunt: diducunt: vota exhalant: præter lina nihil trahunt: operam perdunt. Dum vultibus mutuo conversis lacerant capillos, ille cui in ipsos imperium erat, denuo expe-

dire eos retia: auspiciis Popponis Monachi piscari jubet. Hi parent dictis: provehuntur ripa: verriculum denuo expediunt, quod dum in orbem effundunt Popponis nomen identidem cient (miraculum!) pisces quasi ligno dato in retia denso agmine ruunt: piscatores cervicem jactitantes dant plausum, læti se oon, uti paulo antea, cribro hausisse aquam, aut piscatos esse in aëre.

Hominem bestiis objiciendum è dentibus eminentibus evolvit.

Forte Heinricum spectaculo intentum occupaverat, qui hominem nudum melle oblitum ursis objecerat. Iam in arena reptabat miser: jam jam bestiæ è caveis erant emittendæ, lusuræ in alieno corio. Non tulit haoc acerbitatem S. Poppo, sed mox gravissimis verbis in Imperatorem animadvertit: ne in hominem Christianum hoc ultimæ crudelitatis barbarum exemplum per jocú ederet, permovit. Quadam tempestate Argentinam proficiscens, cum alicubi ad cibú capiendum una cum comitibus consedisset, immanis lupus è sylva prorumpens in pastorem involvit: obluctantem insita violentia subegit: rapiendo trahendoq; faucibus miseram prædam, præsocavit. Pius Pater prope deficere animo: sublatis in cœlum oculis exclamate: ***Ecce ô Deus, hominem quem ad imaginem & similitudinem tuam fecisti, lupis prædam esse sivisti.*** Post hæc fidem comitum imploravit, misero succurrerent.

Hi ultro infesto clamore lupo instant, inque fugam agunt, sed de pastore actum erat. Poppo ad se allato vitam reddidit: (quid enim supplicibus amicis suis abnueret *Deus*?) mensæque adhibuit.

Cæterum Bertranno Stabulensi Abbati demortuo, Henrico Imp. nil intentatum relinquente subrogatus est. Biennio elapso Monasterio S. Maximini præfectus est, ubi dum laceram disciplinam concinnare instituit, improbi quidam illius vitæ imminere cœperunt. Denique nefas infandum ausi, poculum veneno diluerunt. Hausit vir Dei, nihil triste inde passus. Patricidæ (ac si suis visceribus malum concepissent) ad unum omnes eo anno extincti sunt.

Everhel. auth. vita S. Poppo. n. 6, 14.

Aliquanti interea temporis diebus emensis, inquit Everhelmus, ægritudinibus cœpit fatigari immensis, unde etiam lecto decubuit, atq; vitæ suæ desperationem suis cum mœrore incussit. Mire enim intima in eum cunctorum fervebat dilectio, ideoque eos de ipso, pro cujus amissione sibi timebant, intolerabilis habuit afflictio, inter quos quidam Ernestus, ex laico vere tam nomine quam officio Monachus olim factus, cum cæteris, immo præ cæteris pro ægritudine beati viri, dolore cordis intrinsecus tunc tactus, nocturnis vigiliis precibusque, quibus plurimum ex more insudare solebat, tunc pro eadem etiam sancti viri adversa valetudine forte detergenda plus solito incumbebat. Et primum coram Domino quod tantum talemque ab ipso meruerit patrem, laudes dicebat de hinc mœroris timorisque sui stimulos coram ipso ponebat, quibus talem in detrimentum gregis Dominici amittere timebat, nec ullam spem recuperandi similem habebat. Quo in hac spiritus sui contritione pernoctante, precibusque coram Domino animi sui affectum commendante, vox ad eum divino certe oraculo perlabitur, quæ pro mœrore ipsius solvendo in hæc verba distinguitur: ***Pepponi, hæc non est ad mortem infirmitas, cui ad augmentum virtutis suæ in bis denos annos vivendi superest spatium. Ex divino itaque oraculo res effectum invenit. Hæc Everhelmus.***

At nunc narrare libet qua arte quove figmento Argentinensem Cathedram è Cella sua extruserit. Honores aliqui sectantur, & rosas putant: Poppo tergum vertit, quod sciret spinas esse, atque virtutis impedimenta: Conrado tamen certum erat eam illi infulam imponere: at Poppo Regi callide imposuit, simulato quasi per sacros Caoones creari Pontifex non posset. Nam Conradus hominem accersivit, Euge euge Poppo, dictitans: Argentoratensi tiara, quod Numen bene vertat, tiara, inquam, Argentoratensi tu mihi condecorandus es: quod felix faustumque sit! Virum te maximum majorem faciam. Ille vultu ad ruborem, modestiam & verecundiam tremulis oculis fronti inerrantibus, composito, ***Clerici filius sum,*** retulit: ***Canonicisq; sanctionibus fierem obnexius, si pontificii temere præsumerem officium.*** Audio quid ait? Rex inexspectato responso obmutuit, simulque ruborem ipse quoque duxit. Postmodum edoctus purum putum aurum Popponem esse: illustrissimis juxtaque honestissimis parentibus ortum, verba sibi data fuisse ægre tulit: captus tamen tam rara modestia omnes per regnum suum Abbatias cœnobiarchis per id tempus destitutas in ejus potestate esse jussit: sed cum in tot loca animum intendere haud posset, Monasterio Lintburgo in Vogaso sito, & Treviris S. Maximini Asceterio Iohannem nepotem: Herosfeldiæ Ruodonem, Pathalabornensem postea (*an Paderbornensem?*) Episcopum: ædi S. Galli Northbertum: VVirzenburgensi domicilio Volmarum: Hasternaco Humbertum: Heribrandum Cellæ S. Gisleni: Everhelmum Altomonti: Brunouillario Ellonem: Bosendorf-

fio (Adalberti comitis beneficium erat) Cononem: Cœnobio S. Pauli voluntate Adalbaldi Trajectensis Episcopi Herigerum: Nivilrario Theodoricum: S. Vincentio Metensi Heribertum: VValciodoro Lambertum præfecit.

Etsi stabulis laus Numinis teneret Monachos, unde Monasterium *Stablaus* dictum nonnulli putant, nihilominus hac non contentus Poppo, pauperibus incredibilem operam dedit, & nihil non eorum causa fecit; quam ob rem Bonus Deus ut eum ex intima ipsius amicitia esse constaret hoc prodigii edidit.

Capta mente fæmina per valles, montes, campos, sylvas errabat, nunc huc, nunc illuc summo impetu ruens: sæpe expeditis unguibus ora in sua grassabatur, scindebatque genas. Delata furioso impetu Stabuletum, nescioqua via vel quo ductu ad secretarium Antistitis pervenit.

Forte hic rem sacram peregerat, eratque aqua more profundenda qua is manus abluerat. Illa genua submittens, & manus & supplices voces tendens, rogavit lympham sibi propinari, qua hausta mentem recepit, quæ exciderat.

Cum ad mortis limina ventum est, accinctus ad æternitatem longo itineri, ciliciũ quod sibi sterni jusserat, nudis pedibus adivit, gradumque addens ad mortem properavit. Tum pronus solo incumbens, pulveribus, quasi eis oneri fuisset, ac veniam peteret, osculum fixit, brevi in hæc principia iturus Mox suspecta jam morte fessum ægritudine corpus supinavit: solenne summæ horæ carmen vacillante lingua orsus est; *Subvenite Sancti Dei: occurrite angeli Domini:* quæ morientia verba circumfuti Monachi exceperunt: Litanias addiderunt. Interea morti imperanti se se dedere visus est: at precibus rite persolutis spiritum denuo instaurans, *Noveritis certe Fratres*, anhelus dixit, *quædam in agendis per me rebus restare, Deumq; loquendi adhuc vobis spatium mihi præstare.* Tum sacerdotali stola collo imposita Fratribus erratorum veniam impertivit. Vbi propius vitæ ultimæ lineæ se admoveri sensit, pie manus intendens, *Da Deus immense*, dixit, *ineffabilis & magne ut si vivere cõversus sum, hoc ejusmodi indicium habeam, quatenus in S. Pauli Conversione, quæ hac quidem nocte instat, è carne transeam, quod ut fieret, semper optavi, semper te Deum rogavi. Et hæc dicẽs*, inquit Everhelmus, *se cilicio recolligi præcepit, ultimumq; loquendi finem dedit, cum ecce mediæ noctis articulo mirum in modum manus levat, atque extremum eo quo poscebat tempore matutinali expleto officio spiritum Deo reddidit*, an. M.XLVIII. vel M.XLIX. Nemo temperavit à lachrymis.

Igitur conditis charis luminibus cultu sacro eum induerunt, quo rem divinam facere solebat. Dum sic corpus composuerunt ac instruxerunt exequias, fragrantissimum odorem naribus legerunt. Cum funus duceretur Stabuletum obviam effusi Monachi psalmodiam gemitibus & tenero ejulatu variabant: accurrere quoque omnis ætatis ac ordinis homines, ut communem patrem ultimo officio prosequerentur. VVazoni Leodiensium Episcopo sacra funebria obeunti, cœlestes genii interesse visi sunt. Septimus jam ibat ab adventu dies, nec tamẽ expiraverat ambrosius odor. In cryptæ medio reclusa terra est, quem locum ipse sibi vivus designaverat. Manibus in fossam demissi calicem inseruere. Quando olim fratres suos lachrymis fluere videbat, & ipse nec guttulam exprimere poterat, agitatus odio sui proximum lapidem corripiebat, quo prædurum pectus sine numero verberabat. Repetitis toties ictibus penetravit: fontem elicuit, quo solum, inter orandum, quo Casulam inter sacrificandum persudit. Hæc & his similia in sermonem trahebantur, dum sepeliebatur. An. M. DC. XXIV. curatum impense fuit ut loco magis spectato cultui publico exponeretur.

Ejus translationem an. 1624. factã P. Christoph. Barbu Monach. Stabulens typo vulgavit. Vide Cephavillum l. a.

36. *Theodoricus*. Rem aliquandiu ad S. Maximinum gessit, à S. Maximino eo missus. Diu validis procellis pulsatus, anno M.LXXX. portum tenuit.

37. *Rodulphus*. Ab Henrico V. Rege obtinuit privilegiorum Monasterii confirmationem. An. M.LXXXVII. Goderannus & Ernestus Stabulenses Monachi ultimã manum imposuere SS. Bibliis, in membrana amplissima forma scriptis, quæ nostra ætas admiratur. Decessit Rodulphus anno M.LXXXXIX.

38. *Folmarus*, Monachus Stabulensis, creatus Abbas ad S. Maximini, postmodum Rodulpho suffectus est. Germiniacum prædium est in Episcopatu Rhemensi situm. Id Folmarus an. M.C.IV. submotis iniquis possessoribus, in potestatem redegit, illis juramento super S. Remacli reliquiis adactis, rem Monasterii non amplius sibi vindicaturos. Ob. an. M.C.V.

39. *Poppo II.* de Bellomonte, de Præposito Stabulensi factus Abbas Prumiensis, Depopulatoris nomine notatus, quod Monasterio parum prospexerit, Obiit, M.C.XIX. Popone è vivis sublato VVarnerus quidam processit latibulo, Abbatiam quam sibi deberi putavit, invasit: sed post aliquot

annos

annos authoritate Pontificis Max. gradu motus est.

40. *Cuono*, Monachus Malmundariensis, rem domesticam restituit, labantesque mores graviter correxit. An. M.C.XXVIII. effecit, quod Fridericus Coloniensis Archiepiscopus litem quę Malmundario cum Stabuleto intercesset, diremerit, statueritque, *Vt Malmundarium eo subjectionis jure Stabulensi Ecclesiæ obediat, quo jure omnes Cellæ vel Præpositure suis Cœnobiis subesse videntur*. Ob. Stabuleti an. M.C.XXVIII. sepultus ante altare S. Magdalenæ.

41. *Iohannes de Ruland*, vir spectatæ religionis & prudentiæ. Ob. an. M.C.XXX.

42. *VViboldus*. Virtutis, eruditionis, in rebus tractandis dexteritatis, magna documenta dedit, ideoq; Episcopis, Archiepiscopis, Summis Pontificibus, Principibus, Regibus, Imperatorib⁹ in paucis charus, ꝙ ipsius liber epistolarum, qui in promptu est, docet. An. M.C.XVII. in Monasterio VValdodorensi Monachum induit: postea Stabuletum litteris studendi causâ missus, prodigia ingenii vivacitate, accedente oris ac morum compositione, omnium animos sibi conciliavit. Quædam lipsana S. Viti è Saxonia attulit, eaque posito sacello, quod etiamnum durat, veneranda exhibuit. Ob. anno M.C.LVIII. Cutelli in Paphlagonia, Cæsarem sequutus. Erleboldus ejus frater corpus inde Stabuletum transtulit: in Choro humavit.

43. *Erleboldus VViboldi frater*, Monachum ad S. Laurenti prope Leodium professus, Insignium Pontificalium usum anno M.C.LXI. à Pontifice Max. impetravit: ut in honorem B. Virginis quotidie sacrum fieret, edixit: Demum ætate fessus deposuit, onus quod XXXIX. annis tulerat, oppetiitque M.C.XCIII. lugentibus pauperibus quibus nosomium condidit, quam si suis cuique pater diceretur.

44. *Gerardus*, memoriam controversiæ, quæ annis superioribus Stabuleto cũ Malmundario erat, sepelivit, interposito ritè juramento de ea non repetenda. Conditorium S. Quirini Martyris laminis argenteis inclusit insertis densè gemmis. Ob. M.CC.IX.

45. *Alardus seu Adelardus*. Sacram societatem cum Metropolitanis Canonicis Trevirensibus inivit, cui firmandæ Ecclesiam Curialem de Clotten proxime Mosellam. Cum tertia decumarum frumenti vinique parte dono dedit. Ab Honorio Papa an. M.CC.XIX. parsimoniæ admonitus est. Concessit vero an. M.CC.XXII.

46. *Fridericus*, Abbas Prumiensis, religione & prudentia clarus, Stabuletum accersitus, utriusq; Monasterii libertatem cum dignitate defendit. Hoc Antistite Henricus Luxenburgensis Vicecomitatum Braz Monasterio contulit. Vita defunctus est anno M.CC.XLIV.

47. *Nicolaus*: an. M.CC.XLVIII. in conventu Aquensi, quo Guilielmus Hollandiæ Comes Rex Rom. Salutatus & coronatus est, forte quod Friderici Imp. partes sequi videretur, exauctoratus est.

48. *Henricus Gueldrensis*, Episcopus Leodiensis. Ad modum adolescens Aquisgrani inductus fertur, ut Nicolao submoto Stabuletũ sibi vindicaret in Commendam. Advocatiam hæreditariam cum nollet admittere, *anno Domini in die B. Cæciliæ Virginis ab hora diei prima usq; ad horam nonã fuit violatum, & ex toto spoliatum Monasterium S. Remacli ab Henrico Comite Lucemburgensi, & fratre ejus Gerardo, & à Comite Salmensi dicto Henrico Ira archivi monumenta*. Innocentius IV. PP. Priori ad S. Maximini negotium dedit, ut in nefas hoc quæreret: tum ad Hugonem Cardinalem, Legatum Pontificium, referret, qui res Aquisgrani composuit. An. M.CC.LXXIV. Gregorii X. jussu in Cõcilio Lugdunensi omnibus Ecclesiasticis dignitatibus exutus est. Liber MS. Leodiensis hoc in eum carmen canit: *Vide Capheavill. de Ep. Leod.*

Qui fuit ante Comes, Dux, Marchio, Episcopus, Abbas,
De thalamo Papæ tantummodo Presbyter exit.

49. *Iohannes Enghiensis*, Episcopus Leodiensis. Ob. M.CC.LXXXI.

50. *Ægidius de Falconis Petra*, insignis religione prudentiaque. Obiit anno M.CCC.VII.

51. *Henricus de Bolan*. Oeconomiam in postremis habuit, quasi reperisset qua rem Monasterii exederet. Vnde Monachi Stabulenses sacramento subditos, quod illi dixerant, absolverunt: fortunarumq; curâ aliis è suo cœtu commiserunt. Ob. anno M.CCC.XXXIV.

52. *VVinricus*, Custos antea Malmundariẽsis, vir prudens & gravus, Avinionem ad Pontificem Monasterii causâ profectus, cum iter relegeret à morte interceptus est an. M.CCC.XLII.

53. *Hugo de Avernia*, I.V. Doctor, quem Pontifex Max. Magno Cœnobii bono Monachis imposuit. Ob M.CCC.LXXXIII.

54. *VVarnerus de Ockier*, Eleemosynarius minor Stabulensis, quem Carolus IV. Imp. quodam Diplomate *devotum suum principem* appellat. Ob. an. M.CCC.XCIII.

55. *VValramus de Sclesla.* Anno à Servatore ccc.viii. supra M. vectabatur, cum ipse à VVenceslao Rege regalibus investituram, accepit. Susceptis cum domino Montis Iovis inimicitiis, nescio qua de causa ortis, arma utrinque sumpta sunt. Pro illo adverso Marte pugnatum. Ob. an. M.cccc.x.

56. *Henricus de Viseto.* Tradunt aliqui eum anno M. cccc. xvii. Coronationi Sigismundi Aquisgrani adfuisse, ac titulo Principis Imperii, more veteri, ornatum. Ob. an. M.cccc.xvii.

57. *Iohannes Godeschalcus*, Malmundariensis Decanus. Collum Monastico jugo eripiens; Leodium secessit: jactatis ibi inter nobiles superbis pennis, Monasterium ad incitas redegit. Sonante lætum Abbatis obitu, pannosi Monachi Martino V. PP supplices fuere ut decoctorem coerceret. Is Bartholdo Audainensi Antistiti in mandatis dedit Stabuletum se ferret: rem labentem qua posset sustineret. Hic Monachis quinque, non amplius, in Monasterio relictis, cæteros per parochias dispofuit, quod propemodum sola tantum aura domi vescendum fuisset. Anno M.cccc.xxii. Treviris Comitiis Abbatum interfuit. Ob. an. M.cccc.xxxviii.

58. *Henricus de Merode*, Cannonicus Aquensis. *Ad hanc dignitatem vocatus*, inquit Bartholomæus Fisenius, *Monasticen Leodii ad S. Iacobi (ubi tum insigniter florebat:) post solennem probationem professus est, & aliquot Cœnobitas inde Stabuletum adduxit, quorum opera disciplinam restitueret. Magna cura, parique fructu rexit.* Eo ad clavum sedente anno M.cccc. xxxix. illa illa Stabuleto tristis tragœdia à Carolo Audace Burgundiæ Duce acta est, Marchanis graviter colludentibus ac modos tibiis duabus facientibus; dextris Duci: sinistris, Monachis. Nam dominia Ecclesiæ VVellin cum locis adjacentibus rapta, & Ducatui Luxemburgensi addita sunt. Tantarum hodie fortunarum sola vestigia, id est, litteræ lituræque supersunt. Ob. an. M.cccc.lx.

Barthol. Fisen de Ep. Leod.

59. *Casparus*, Decanus Malmundariensis, vir religiosus & prudens, gravia passus est ab Arembergiis & Marcanis ob Longiẽsem Comitatum. An. M.cccc.lxxx. Maximiliani Burgundiæ Ducis miles Stabuletum irrumpens, sacra profanaque abstulit. *An.* M.cccc.lxxxiii. Nassoviensis Comes ex Ladernacẽsi pago DCCC.fl. confecit: Gerardus de Ghorre Stabulens. mille sexcentis attondit. An. M.cccc. xcii. Sebastianus de Monfort igni Malmundario urbi subjecto, at . . . partem una cum S. Gereonis templo, Parocho quoque & triginta viris aliis combussit. Neque mitius Stabulenses vexavit Georgius Comes Rupensis. Cæterum Casparus, ærumnis annisque (nonagesimum agebat) fatiscens, Robertum de VVirnembourg Coadjutorẽ sibi adscivit. Sed cũ honores adire nollet, suffragiis itum in Erhardum, Canonicum Leodiensem, itum est. Cum postea facti pœnituisset, Casparo satis an M.cccc.xcix. extincto, cum Monachi Roberto Abbatiæ tyrocinio jam imbuto, ut sponte juri suo cederet, in quadringentos florenos quot annis ipsi numerandos conventum est.

60. *Gulielmus Comes à Manderscheid.* Novennis puer à parentibus in S. Arnulphi Monasterium Metense ductus est. *A*dultus subivit suave jugum S. Regulæ. Primum factus Præpositus Prumiensis: inde Abbas Stabulensis: demum Prumiensis quoque, utrumque locum summæ curæ habuit. Stabulenses non una sede commorantes, sed singulis ædibus sigillatim habitantes in claustrum, ubi simul vitam communem viverent, revocavit, digito in Constitutiones Bursfeldenses intento quarum ductum sequerentur, etsi in eas non jurassent. Ad regalia, quæ appellant, anno M. D.II. à Maximiliano Imp. Authoratus est. Arcem & Comitatum Longiensem armis Caroli V. Cæsaris an. M.D.XXI. duce Henrico Comite Nassovio recepit: castrum Stabulense extruxit, in quo an. M.D.XLVI. animam edidit.

61 *Christophorus à Manderscheid*, Guilhelmi nepos, novemdecim annos natus Coadjutor Stabulensis & Prumiensis designatus. Cum Dolæ in Burgundia litteris operam aliquandiu navasset, anno M.D.XLVI. III. Non. Iulii nomen inter Monachos Stabulenses professus est. Diaconatus gradu potitus, sacerdotio abstinuit. Ipso habenas tenente Prumiense Monasterium ab Archiepiscopatu Trevirensi haustum est, ut pinguis bolus ab avidis faucibus solet. Stabuleto idem periculum à Leodio impendebat. Tristitia & longo languore fatigatus an. M.D.LXXVI. V. Kal. Sept. excessit.

62. *Gerardus à Groesbeck*, Episc. Leodiens. Monachorum voluntate, Greg. XIII. annuente Abbas Stabuleti jussus, ea lege ut ipso fatis functo Monachis integrum esset eligendi alium, quem è re Monasterii fore judicarent. Creatus Cardinalis ut eam pactionem Pont. Max. ratam haberet, effecit. Grassante per provinciam Mansfeldiano milite loca sacra non quidquam pensi ducente, maluit oves suas patefacto ovili

dimittere, & qua potuit securas præstare, quam immanissimis lupis objicere. Ob. an. M.D.LXXX.V.Kal.Ian.Sepultus Leodii templo maximo, cujus laudes Poeta hoc disticho cecinit:

Quem tegat hic tumulus quondam si Legia quæras:
Te, sis usque licet maxima, major erat.

63. *Ernestus Bavarus*, Episcopus Leodiensis. Cum clades aliæ super alias cumularentur, nec tãta mala propulsare à Monasterio posset Abbas Regularis, an. M.D.LXXXI Monachi se suaque illi permisere ea lege, qua antea Gerardo. An. M.D.LXXXVII. Martinus Schinkius & Antonius Lanhaet Montis Iovis accola, ambo ordinum confœderatorum duces, nobiles prędones, arte ac fraude in urbem Malmundarium penetrantes, ædibus ignem subjecere: SS. Nicasii, Quirini, Seviculi, Iusti, urbis præsidum lipsana violarunt: thesaurum Ecclesiæ diripuerunt: incredibili damno Monachos & cives affecerunt. Cæterum Ernestus providus futuri, an. M.D.XCIX. Ferdinandum ex fratre nepotem sibi Coadjutorem adscivit: lite cum Luxemburgicis composita, Stabuletum an. M.DC.I. denuo Imperio adjunxit. M.DC.XII. mortuus est.

64. *Ferdinandus Bavarus*, Archiepiscopus Coloniensis.

Fecit bellorum mater hæresis, ut Monachi post ejus ortum animum induxerint, rebus suis defendendis adscisere Principes, viribus potentes, suffragiis libere latis.

Sacri Fasti Ecclesiæ Stabulensis & Malmundariensis.

IANVARIVS.

VII. Id. Ian. Apud Soleminacum S. Hilloni seu Tillonis Abbatis, Ysegheimensium in Flandria Apostoli: discipuli S. Remacli.

XVI. Kal. Febr. Apud Bituricas in Aquitania S. Sulpitii Bituricensis Episcopi, pueritiæ S. Remacli moderatoris.

VIII. Kal. Febr. S. Popponis Abbatis, apud nos sepulti.

Virduni S. Adulaniva viduæ reclusæ, matris S. Popponis.

FEBRVARIVS.

Kal. Febr. Metis S. Sigeberti Regis Austrasiæ, Fundatoris nostri, Nancejum translati.

III. Non. Feb. S. Hadelini, Monachi Stabulensis, Fundatoris Monasterii Celensis.

Item apud Trajectum ordinatio S. Remacli Episcopi.

MARTIVS.

Amblavæ passio S. Agilolphi Archiepiscopi Coloniensis, quondam Abbatis Stabulensis, Malmundario ex Ecclesia S. Laurentii, quam ipse ædificaverat & consecraverat, Coloniam translati, cujus loco corpora SS. Albinæ & Emerentianæ, ex collegio undecim millium virginum accepta sunt. Prid. Kal. April.

APRILIS.

Non. April. Leodici B. Notgeri Episcopi Leodiensis, Monachi Sangallensis, Stabuleti bonarum litterarum Professoris.

XI. Kalend. Maji S. VVolbodonis, Godefridi Montani Ducis filii, ex Monacho Stabulensi Episcopi Leodiensis.

VII. Kalend. Maji apud Leodium Sancti Floriberti Episcopi Leodiensis, Stabuleto puerilibus annis oblati, ad S. Petrum primi Abbatis.

IV. Kalend. Maji, Translatio Sancti Lamberti Martyris de Trajecto Leodium per S. Hubertum Episcopum.

III. Kalend. Maji, Natalis Sancti Huberti Episcopi, Monachi Stabulensis, Leodii in Monasterio Sancti Petri sepulti.

MAIVS.

Kal. Maji, Dedicatio Ecclesiæ Malmundariensis.

VII. Id. Maji Triumphus Sancti Remacli.

III. Kal. Iun. Dedicatio Cryptæ Stabulensis, à S. Poppone structæ.

IVNIVS.

Non. Iun. Dedicatio Ecclesiæ Stabulensis.

XIV. Kal. Iul. secunda translatio SS. Nicasii, Quirini, & Sevviculi.

XI. Kalend. Iul. Apud Fossatum transitus Sancti Baboleni, Episcopi Regionarii, Abbatis Stabulensis, Cœnobii Fossatensis Fundatoris.

VII. Kalend. Iul. Stabuleti translatio S. Remacli Episcopi ex oratorio S. Martini in Ecclesiam S. Petri.

IVLIVS.

VIII. Id. Iulii, apud Belisiam S. Landradę Virginis, Belisiensis Fuodatricis, discipulæ, S. Remacli. Item Translatio S. Agilolphi, Episcopi & Martyris.

VII. Id. Iul. *A*dventus Reliquiarum SS. Nicasii, Quirini, Sevviculi Martyr, ex Francia Malmundarium.

X. *K*al. Aug. Apud Leod. B. Richarii Episc. Leodiens. & Abbatis Stabulens. & Prumiensis.

AVGVSTVS.

Id. Aug Dedicatio Cryptæ Malmundariens. à S. Poppone structæ.

IX. *K*al. Sept. *A*pud Andainum B. Theodorici, Monachi Lobiens. Stabuleti SS. Litterarum Professoris.

SEPTEMBER.

IV. Non. Sept. Apud S. Gallum S. Nortberti, ibid. *A*bbatis, Monachi Stabulensis.

III. Non Sept *S*tabuleti depositio S. Remacli Episcopi & Abbatis, primi.

IV. Id. *S.* Theodardi Episc. & Martyris, primi Præpositi *S*tabulensis.

XV. *K*al. Oct. Leodii *S.* Lamberti Epicopi & Martyris, *S*abulensis Monachi.

OCTOBER.

V. Non. Oct. *S.* Odilonis, Abb. *S*tabul.

V. Id. Oct. In pago Villcassino passio *SS.* Nigasii Episc. Quirini Presbyteris, *S*evviculi Diaconi, & Pientiæ Virgiois sub præside Fescennino.

XVII. *K*al. Non. apud Darvuum *S.* Bercharii Martyris, Monachi *S*tabulensis, Fundatoris primi Cœnobiorum Altivillariensis & Dervensis.

XV. In territorio Beluacensi *S.* Iusti Martyris, persequutione *D*iocletiani occisi, cum adhuc puer esset, cujus sacra ossa Malmundarium habet. Item *S.* Mononis apud Nassoviam martyrio affecti, discipuli *S.* Remacli.

NOVEMBER.

III. Non. Nov. in Ecclesia nostra Leodiẽsi & *A*ndainensi Elevatio *S.* Huberti Episc.

IX. *K*al. Decem. *S*archinii *S.* Trudonis Presbyteri, discipuli S. Remacli.

V. *K*al. Dec. *A*pud Trajectum inferius *S.* *A*dalboldi, *S*tabuleti Monastica disciplina exculti.

DECEMBER.

*K*al. Dec. Noviomi io Gallia *S.* Eligii Episcopi, custodis *S.* Remacli. Coluntur hic quoq; Divorũ officio *S.* *S*igolinus, *S* Godvinus, *S.* *A*nglinus, *S.* *A*lbricus, *S*tabulenses *A*bbates.

AN. CHRITI 658. AN. S. BENEDICTI 178.

S. Trudo cum duobus suis Monasteriis, in Germania inferiore sitis, descriptus.

IN nomerum præcipuorum discipulorum S. Remacli, accipiendus S. Trudo est, tam genere quã virtute nobilis, de cujus gestis Theodor. Abbas tres libros confecit: mihi vero cum opera io Monachos iofinitos dividenda sit, cum uno diu commercium habere ooo licet. Quocirca ęqui boniq; facies, si primoribᵘˢ tibi digins quædam porrexero. Vt ordiamur ab ovo, S Trudo sanguine Reges Galliæ contiogebat: matre Adela natus, quam Divu accrosent: patrem ciere noo possumus, quod nomen ejus scriptores veteres præteriverint: Miræus VVicboldum vocat. Tam bona radice ortus iste surculus, mox ad virtutes, honorum, opum, voluptatum contemptũ, velificante pia matre, verticem extulit, ut nihil jam præter Deum cordi haberet. Vbi parum adolevit, pater nuptias animo versare: pectus unici filii hujusmodi cogitationibus paulatim imbuere: familiæ splendorem, opes, gloriam majorum, bello partam, oculis objicere, ostentare, deprædicare.

Theod. apud Sur. 23. Nov.

S. Trudo regio sanguine ortus.

Pater apud ipsum extollit generis nobilitatẽ arma nuptias.

Interea se quoque admovebant sodales, jubentes cucullum edormire: utq; à sacris exercitiis eum avocarent, modo ad ludos, modo ad venationem, nuoc ad ougas alias, quibus nobilis juventus pretiolum tempus perdere solet, invitarunt. Nonnunquam pium adolescentem secere ludos Mooachum appellando, cultu sæculari indutum, quod ipse non hujus faciebat, sed se non seotientibus eripiens, bonas horas oratiooi impendebat. Quærebat etiam in pauperes, viduas, orphanos, ut de ipsis bene mereri posset, quos catalogo consignatos habebat, vocabatque suos milites. *Nata plane cum ipso crevitque commiseratio.*

Murmure medicois accipit; studet pauperibus, & oratiooi.

Fac tibi D. Martioni in mentem veniat, quem ideo affectu summo amplectimur, quod suum pallium disciodens, dimidium mendico male tecto injecerit. Idem plus simplici vice S. Trudo fecit: nounnunquam sui immemor toto pallio nudos donavit Theodorico attende: *A primæva ætate adhuc licet positus sub tutore, nunquam calore æstivali, nunquam frigore prohibitus est hyemali, quin statim ut nudũ aut indigentẽ obviũ habuisset, singularẽ licet tunicã aut dimidiaret aut integrã erogaret. Et cũ à magistris frequẽs argueretur male pauperem vestivisse qui de sua non erubesceret nuditate, aut nihil, aut illis Beati Iob respondebat: Quia mecum crevit miseratio, & mecum egressa est de utero matris meæ.*

Iob 3.

Id ætatis jam erat, qua litteris instirui solemus: sed discendi copiam pater nullam faciebat. Ao ut Trudo potius animom ad arma adjiceret? Sed cum is jam serio statuisset solum Deum amare: hunc vero amorem ex divinæ Majestatis ampliore cog gnitione iorendi audivisset, istam autem hauriri è sacris litteris, supplex Numini fuit, ut ad eos mortales se perduceret, à quibus sacras litteras imbiberet, ut ipsum penitius cognoscere, ardeotissime deniq; diligere valeret. In somnum lapsus, angelum cœlo se demittentem vidit, ut Trajectum se ferret, moneotem, ibique S. Remacli Episc. jussa capesseret.

S Remaclo se dat io disciplinam.

Sub idem tempus S. quoq; Remaclus de cœlo certior est factus, venturũ Trudonem. & vitæ degẽdæ modum petiturum. Itaque paulo post advolavit discipulus: salute dicta acceptaq; initur colloquium ultro citroq; feruntur verba, obstupescẽte Episcopo, taotos adolescentem spiritus gerere ad res maximas patrandas Se enim titulos, honores, patrimooium, deniq; mundũ exuisse retulit, ut Christo nudo adhæreret. Teneros profecto adolescentis annos cum tantis ausibus componens Antistes, hæsit attonitus. Nil postea moratus annos (nam maximis fontibus parva sæpe ora subjicimus) calcaria admovit curreoti: Apostolum Hasbaniæ à Deo designatum admurmuraos: rebus proinde relictis Christum pauperem sequeretur: in vestigia SS Apostolorum iret. Sed ne quisquam ipsi calumniam con-

conflaret, quasi adolescenti hoc nectaris propinasset, ut ab ebrio luculentum patrimonium caperet, Episcopali mensæ inferendum, Metim hominem à Sancto Clodulpho Archiepiscopo instituendum, misit, ut potius Metropolitanæ Ecclesiæ fortunas suas transcriberet, quibus se abdicare decrevisset, quod eximium Sancti Remacli facinus vehementer extollit Notgerus. At sancti non sua commoda, sed Dei honorem spectare solent.

Fortunas suas transcribit Ecclesiæ Metensi.

Ergo ad viam (quod bonum, faustumque sit) sese accingit Trudo: contendit Metim: adit CLODULPHUM, qui viso ac audito juvene, gratias Deo meminit, quod tam bonam ei mentem injecisset: simul mirabatur immensas fortunas ita facilè ab ætate florentissima posse rejici. Nam fronte exporrecta cathedralem Ecclesiam Metensem omnis fundi sui quem in Hasbania super Cisindriam fluvium possidebat, scripsit hæredem. Exoneratus grandi hac mole, viris doctissimis à SANCTO CLODULPHO committitur.

Quamvis autem magna cura in litteras incumberet, Numinis tamen cultum ante omnia habuit, unde majora id quotidie beneficia apud tam sedulū servum suū posuit. Sat jam & litteris & virtutibus instructum sacerdotio initiavit ARCHIEPISCOPUS, eique Evangelii promulgandi potestatem fecit. Abeuntem suspiriis amantissimæ prosequuti sunt Metenses: ipse quoque à magistro suo S. CLODULPHO divelli se ægre passurus fuisset, nisi hujusmodi amoris vincula ad Dei nutum fortiter rumpenda duxisset. Prius quam provinciam adivit SANCTUM REMACLUM ex itinere salutavit, qui summo gaudio affectus est, quod suum TRUDONEM videret sacris litteris excultum, pium, sacerdotem, quid verbis opus est? omnibus numeris absolutum, ac Evangelii suis popularibus explicandi desiderio ardentem. Nullam proinde moram illi injecit, ne tardius suas partes novus Apostolus agere inciperet. Quin ipse tum quoque Stabuletum cogitabat.

Fit sacerdos.

Quoties benignissimus Deus Apostolorum munus cuipiam committit, auctoritatem ei conciliare consuevit, ut ne verba perdat. Fecit igitur ut TRUDONEM obviis omnes brachiis acciperent: certatim quisque suas in ædes traherent, nunc pectus, nunc hominem totum prensantes, attoniti ex tantis opibus ferme ad ultimum inopiæ sua voluntate venisse. Forte ad virum honoratum diverterat, qui lectum ei stravit in horto, arboribus densè consito, ut procul tumultu vel quiesceret, vel oraret. Nocte ad dimidium elapsā, lux meridiana per januæ rimas sese penetrans cubiculum perfudit.

Evangelium per Hasbaniam promulgat.

Materfamiliās è strato corpus confestim corripiens, passa janua curiose oculos circumegit, explorans unde tantus splendor accideret. Vidit solis instar eam lucem quoquoversum diffundi suo ab hospite.

Circumvallatur cælesti luce.

Ergo pedem rapit ad maritum, in aurem utramque dormientem, manuque injecta lacessit, trahit, huc illuc versat: hic tandem è lecto sese evolvit, splendorem insolitum tacitus admiratur: rem per viciniam evulgat: nemo non intellexit Trudonem lucem mundi, futurum atque imprimis suæ patriæ. Multa alia admiranda narrat Theodoricus, quæ si ego præteream, solens fecero.

Incredibile vero dictu est, quam pronas aures concionanti præbuerit Hasbania! Inter municipia, pagos, vicos non tantum officiis, sed etiam fidei & virtutis amplectendæ studio certatum est. *Requiescebat enim in eo*, inquit THEODORICUS, *vivificans ille spiritus ad instar Apostolicæ conformationis, ita ut nec conscientiæ deesset auctoritas, nec litteris doctrina: & quoties ratio exposceret, statim miraculum ex meritis coruscaret. Multiplicabantur interim sata Evangelii, & crescente religione, novus quotidie populus ad Ecclesiarum castra convolabat.*

Apud. Sur. 23 Nov.

Cum adhuc pueriles duceret annos, templum se Numini positurum sanctè promiserat. Tunc igitur operi manum admovit: insignem Basilicam in Sarchinio erexit, quam Sanctus Theodardus Divis Quintino & Remigio dedicavit. Monasterium vero tanquam arcem adjunxit unde arma contra idololatriam & & quævis vitia expedirentur, Monachis excubias agentibus. Acta hæc sunt anno sexcentesimo quinquagesimo septimo III. Id. Octobris. Ingens Hasbaniæ in popularem suum amor postea SS. Quintini & Remigii nomina abolevit, & S. Trudonis suffecit.

SS. Quintino & Remigio templū ponit cum Monasterio Ord. S. Benedicti.

Chron. MS. Trudonense.

Ut primum fama constitit, eum in Diœcesi Leodiensi moliri Monasterium, nobiles, ignobiles, docti indocti, quæsivere rimas qua penetrarent, hoc duce ad Superos certo venturi.

Antistes pandere fores: omnes bonos absq; discrimine admittere, quibus alendis Symbolū conferebant provinciales. Nullius enim indigere oportebat Trudonem, qui

amba-

ambabus manibus omnes ſuas facultates obtulerat Deo.

Monaſteriū molitur alterum.

Alìud inſuper Monaſterium haud procul Brugis condidit, quod imprimis octoginta Monachi habitârunt magno provinciæ emolumento. Nam pro virili parte adverſus idola depugnabant infelixque lolium undique eruebant: ſedem ſcelera figere, nullibi paſſi. Labentibus annis virgines pro viris accepit Cœnobium, opibus tamen mire accifis. Molanus hoc quoq; primo S. Trudonis, Monaſterio accidiſſe queritur non modo Nordmannis, ſed etiam vicinis principibus violentas manus afferentibus.

Molan. Indic. V. Trudo.

Quamvis autem tot tempeſtatibus fuerit jactatum, evaſit tamē ultimum exitium. Abbates recens electi Pontiſ. Max. pro Bulla Confirmationis ut vocant, mille quingentos ſexaginta octo florenos pendere ſolebant.

Si porro vis hujus Monaſterii theſauros ſacros tibi evoluam, ditiſſimum Fundatorem S. Trudonem tibi exhibeo: deinde S. Eucherium Gemmeticenſem Monachum olim Aurelianenſem Epiſcopum: à Carolo Martello ſede pulſum, hicq; extinctum: & Sanct. Libertum Martyrem (quem alius Liberatum appellat) Adonis Mulaniæ Comitis filium, S. Rumoldi diſcipulum, qui ad aram S. Trudonis à Nordmannis cæſus eſt.

In famam quoque præter alios hujus Aſceterii Monachos S. Beregiſus ivit, qui Andainam Monaſterium Arduennæ montibus impoſuit, & vitam VI. Non. Octobr. effudit. Deinde Florus, celebre nomen inter eos, qui vitas Sanctorum memoriæ prodiderunt, ut Martyrologium primo digeſſerunt. Idem omnes Divi Pauli epiſtolas explicavit. His adde Theodoricum, qui non modo Sancti Trudonis, ſed etiam aliorum Divorum acta litteris conſignavit: hiſtorias vero tam veteris quam novi Teſtamenti heroico verſu cecinit: nec non RUDOLPHUM Abbatem, nobilem poëtam, oratorem, ſacrorum librorum interpretem, qui inſigni libro Simoniacis obviam ivit, atque à flagitio coercuit, Trithemio teſte.

Martyrol. 2. Octobr.
Lumina Monaſterii S. Trudonis S. Beregiſus, S. Florus, Theodoric. Rudolphus.

Trith. Chron. Hirſaug. an. 1129.

S. Trudo fontem ſolo ſacro evocat.

Iuvat etiam S. Trudonis fontem libare, qui ſponte nos invitat. Vir quidam illuſtris recte loco, quem habitabat, ſe conſulturum putavit, ſi evocatum è Monaſterio Præſulem ſubigeret, ut ei bene precaretur. Ergo adeſt: locum obit ac luſtrat: denique ſitum laudat. Quæritur dominus tam homines quam pecora aquæ penuria laborare.

Forte ſenex humi ſcipionem defixerat, quem dum repetivit, ecce! fons luculentus prorupit, qui etiam hodie S. Trudonis nomen fert.

Theodoric. Abbas ad Trudon. l. 2. c. 6.

Cum ſemper in ſe neſcio quid vindicaret, inſtiterunt cæteri ut ſenio aliquid daret: feſſo laboribus anniſque corpuſculo nonnihil indulgeret, *Omnes vos*, dixit, *conſolatores oneroſi, & amici non bene miſericordes. Si enim Apoſtolus tribulationem ſuper tribulationem: ſpem ſuper ſpem ædificabat*, Non coronabitur, *inquiens*, niſi qui legitime certaverit: *quanta putatis perſeverantia laborandum, ut tribulatione & ſpe perveniamus ad certamen illud legitimum, ſine quo non coronatur ipſe Doctor gentium?*

2. Tim. 2.

Cum aliquando gravem corporis ſarcinam abjicere vehementer deſideraret, bis terve ingeminans: *Quando veniam* exclamavit, *& apparebo ante faciem tuam, Domine miſericordiſſime?* De vitæ ſupremo die cœlitus certior factus, frontem rugoſam continuo exporrigere: diſcipulos convocare: cum his ſua gaudia communicare. Paulo poſt morbo oppreſſus, in vile ſtratum imponens, multa in valetudinem ſecundam, quam nos rebus omnibus anteferimus, jecit. Eandem cum Divo Paulo vocem edere viſus eſt: *Quando infirmor, tum fortior ſum.* Exeſum jejuniis ævoque longo corpus, vix ſpeciem hominis reliquam habuit.

Pſal 41.
Vivere deſinit.
1. Cor. 12.

Amantiſſimi filii, quos in Chriſto genuerat, manabant lachrymis, tanto patre mox orbi futuri. Quamvis autem ægre jam mearet, ſpiritus, officii tamen illos extremis verbis admonuit. Imminente expectatiſſima morte divinum ferculum ſumpſit: inde oculos in cœlum intendens, humana pertæſus, crucem qua potuit effinxit: tum vero, *Dirige*, dixit, *Dirige Domine viam famuli tui in conſpectu tuo!* ſimulque cœli cives adeſſe ſentiens, ad IX. Kalend. Decembris expiravit. Cum funus duceretur præter Monachos lamentis omnia complebant pauperes, ſolatium: refugium, aſylum, annonæ ſuæ præfectum, denique patrem ſibi ereptum, ſingultibus verba impedientibus, ingeminabant. Erant etiam qui per denſos globos penetrarent, & à feretro pendentes accepta beneficia miſerabili voce enumerarent. Ante aram SS. Quintini & Remigii cum conderetur, tumulo nondum bene compoſito, ambroſius odor effuſus eſt, à veſpillonibus cæteriſque omnibus non abſque admiratione hauſtus. *Nimirum Chriſti bonus odor erat, in omni loco*, dum vivebat.

Theodoric. l. 2. c. 7.
E tumulo cæleſtes odores effundit.
2. Cor. 2.

Fœminæ ed occlusas têpli fores misere querelas decenti, aditum Deus patefacit.

Erat quædam fœmina VValda nomine inquit Theodoricus, honeste religiosa, quæ ex doctrina viri Dei in virtute olim cum profecisset, in familiaritem quoque venerat, obsequio frequens adhærebat. Hæc super amisso patrono impatientissimi doloris nullum solatium admittens, more Evangelicarum fœminarum vulnerata charitate, cum cereis & thymiamateriis se exhibuit: monumentum illud visitare perrexit. Veniens ad Ecclesiam foribus obseratis impeditum videns introitum, mœrore statim cum fletu appenso, manibus in cœlum porrectis, O sanctissime, inquit, Trudo, quamdiu te vivum habere meruimus, fores hujus Basilicæ semper apertas habuimus. Beneficium mors abstulit. Te sublato frustra jam venimus. Mira velocitas! Adhuc verba in ore loquentis volvebantur, cum inclamatus sanctus Dei, quasi leo apertis obdormiens oculis, supplici suæ mirabiliter se exhibuit. Nam diruptis seris, repagulo abjecto, repente veluti à vehementissimo turbine repercussæ sunt januæ, & appulerunt se portæ parietibus impulsæ.

Miracula edit ingenti numero. *Theodor. l. 2. c. 20.*

Res à Sancto Trudone gestas Gerardus Moringus, Donatus Diaconus, & Guikardus Abbas, ante Theodoricum in litteras miserunt, cujus verba ultima libri secundi tibi damus: Ne expectes à me, Lector, ut omnia quæ vel fidelis nobis reliquit antiquitas, vel quæ ipsi oculis nostris vidimus, virtutum sanctissimi hujus patroni nostri explicare velim, aut valeam, ad quorum inæstimabilem multitudinem enumerandam & Tulliani eloquii fluenta siccarentur, & contortæ vibratæque Demosthenis sententiæ tardius languidiusque ferrentur.

Hoc pace Sanctorum omnium dixerim, quod nunquam præsentius medicinæ cœlestis stillicidium usquam se effuderit, nec facilior ubi ubi ad divinum propitiatorium pulsanti peccatori introitus patuerit. Habuerunt certe aliquid nostra tempora omnibus retro sæculis inexpertum, cum singulis pene diebus (rem toti Orbi compertam loquor) plerumque triceni aut quadrageni, interdum etiam centeni, ab hac medicinali tumba secundum incommodorum qualitatem, recuperatæ sospitatis beneficia reportarent. Plus est quod mecũ tota testabitur provincia, plerique visa à longe beatissimi Patris Ecclesia, antequam peterent, accipiebant, & solo affectu, longo adhuc terrarum spatio remoti, fide tamen prope erant, & mediis agris tota residens languentium multitudo, ibi orabant, ibi statim impetrabant. Et ne de mortuo non suscitato quis calumnietur, quamvis & in hanc quoque partem quoties ratio postulasset, sufficiens ei gratia non defuerit, me ipsum hæc scribentem, de ipsa, quam calcare intraveram, mortis porta retraxit. Languor ad extremum pertraxerat, paratis exequialibus jam funus efflabam animam, cum subito à circumstantibus inclamatus Sanctus Trudo adfuit, & efficaci illa sua potentia suscitatum interim distulit. Quicquid voluit, cum Deo potuit. Ne autem animum inducas Theodoricum Sancti Trudonis Abbatem immodico affectui aliquid dedisse, etiam Molani verba tibi recito: *Videtur incredibile quot & quanta miracula auxilio hujus sanctissimi patris facta sint præsertim sub Adelardo II. Abbate hujus Monasterii ab anno millesimo quinquagesimo quinto usque ad millesimum octogesimum secundum, quo tempore Monasterium non capiebat multitudinem. Qua de causa foris utique tentoria figebantur, quæ speciem obsidionis præbebant. Hæc multi olim memoriæ prodiderunt, veluti Stephalinus Abbas, Guntranus, & Adelardus.*

Molan. schol. in martyrol. Vsuardi 23. Novemb.

Quis ergo inficias iverit S. Trudonem summo loco esse apud Deum? aut quem aliorum sanctorum tot miracula patrasse legisti, ut ab ejus sepulchro nunquam uno die centeni salutem retulerint, & ægri non modo cœnobium dense stipaverint, sed etiam in modum exercitus campum circumjectum insederint? Hinc Sarchinium in oppidum insigne ditionis Leodiensis, evasit, ac nomine proprio deposito S. Trudonis accepit.

AN. CHRISTI 659. AN. S. BENEDICTI 179.

Fontanella Monasterium, & S. VVandregisilus ejus Fundator, Pipini Ducis consobrinus.

Fontanella in Nordmânia situm Monasteriũ. *Sur. 22. Iulii. Molan. Indic.*

SVnt qui Asceterium hoc anno sexcentesimo quadragesimo quinto conditum esse putent eo, quod auctor vitæ Sancti VVandregesili scribat: *Cœptum est autem hoc opus anno sexcentesimo quadragesimo quinto*: in quam sententiam etiam Molanus descendit, quod nobis à vero longe abesse videtur. Si enim (quod omnes ore uno ferunt) anno CLODOVEI Regis undecimo fundamenta jacta sunt, profecto tum annus sexcentesimus quadragesimus quintus agi non potuit, quo CLODOEEUS undecimum initi regni nondum

S. VVandregisilus illustris sanguine ortus.

Viam in Monasteriū capit cui nomen Monti falconis.

Psal 33.

Iocos æquo fert animo.

attigeret. Anno sexcentesimo quinquagesimo nono jam fuisse fundatum, apud idoneos auctores invenio, quocirca hoc ipso ei incumbemus, cum nihil certi de origine constet. Conditorem habuit S. VVandregisilum, in Virdunensi regione Vualhchilo patre, S. Arnulphi Archiepiscopi Metensis nepote, natum. In Dagoberti Regis aula primos annos duxit, Comes Palatii, qui maximus honos fuit. Virtutibus egregie succollantibus, quibus præditus erat, paulatim altius ascendit. Itaque ventis secundis vela implentibus, nuptias fortunato filio instruunt parentes: hic annuit intempestive sedulis, atqui sponsæ igniculos castitatis servandæ clam injecit. Paulo post, quam inter ipsos de integritate colenda sic conventum est, illa velum, hic togam sumpsit Ecclesiasticam obstupescentibus voluptatibus prensari se ab aliis, ab istis despici. Lucrum profecto facit, qui terram cum cœlo commutat. Gustaverat nimirum VVandregisilus, quā suavis esset dominus; nec ab hoc melle se amplius abduci passus est. Fortunis itaque suis in egenos nec non religiosas domos distributis, in Monasterium Montis falconis pedem rapuit, ubi VValfrido, viro sancto, se commisit.

Mendicabulum ex cœno eruit.

Bobiensis Monasterii

Has sagittas contra orcum promere VVandregisilum, graviter tulit cacodæmon; quocirca mentem palatinis injecit traducendi juvenem quasi parum urbanum, quod Rege nec salutato, nec facinus approbante, nuncium misisset aulæ: videri è fuga retrahendum: nam violatum ab eo aliquam morem. Etsi vero VVandregisilus mundi ac aulæ leges antire, quam sequi, malebat, Dagoberto tamen revocanti morem gessit: palatin se restituit, causam suam dicturus. Dum eò tendit, ecce! vile quoddam vehiculum ægro mendico plenum evertitur: captus morbo in turpe lutum effunditur. Cachinnos sustulere spectatores, nemine vel vehiculo, vel mendicabulo admovente auxiliarum manum. Miser sublime componere palmas: fidem mortalium implorare, ac rogare, ut se lacuna natantem extraherent. Novū in risum solvi omnes: nemo adire: nemo opem ferre. VVandregisilus ne aliquando spreti pauperis reus apud Deum ageretur, ex quo desiliens pro virili parte tam vehiculum quam mendicum luto mersum erexit, cœnoque plurimum aspersus (immo oblitus) aulam ingressus est. Refert auctor vitæ ipsius, non modo sordes ab angelo decussas, sed insuper vestibus aliquid cœlestis splendoris aspersum. Iocis imprimis petitus fuit, quos æquissimo animo tulit. Melior virtutum æstimator Dagobertus, potestatem ei fecit, quicquid visum esset de se suisq; fortunis agendi: palatinis etiam in mandatis dedit, ne quisquam ipsi negotium facesseret.

Trithem. de viris illust. l. 3. c. 164.

Vitam durē instituit Monasteriō in quodam suo prædio extructo.

Bis tantum in hebdomade famem cibo placat.

S. Faust. vita S. Maurī.

Bobiensis Monasteri. disciplinam addiscit.

In monte falconis tyrocinium duxit usus magistro Baltfrido, quem Trithemius miraculis clarum fuisse scribit. Cupido incessit animo, vitam deinceps Cœnobiticam colendi: quapropter suo in fundo Monasterium Elisgangium ædificavit, quasi specimen sibi ipse daturus de Monasteriis aliis majoribus, quę tum animo volvebat. Eo loci vivendi rationem asperam instituit, à qua magni Sancti semper prima rudimenta duxerunt. Bis non amplius in hebdomade cibum ab eo sumptum, diebus videlicet solis & Iovis, ferunt; quod ego de verno jejunio accipio, & eundem S. P. N. Benedictum voluisse imitari suspicor. Hunc enim Quadragesimæ transigendæ modum ab eo imbiberat. S. Maurus: postea transtulerat in Galliam, quod S. Faustus narrat. Plerasque horas conterere solebat preces fundendo, Quieti vix quicquam temporis concedebat: oppressum autem somno, vel scamnum vel solum excipiebant. Delitiis etsi ante id non indulserit, eas tamen ultum ibat, nudis pedibus incedendo: reliquæ vestes neq; à calore, neque à frigore corpus satis defendebant. Quid multa? Tota ipsius vita veræ pœnitentiæ imago erat.

Cum aliquando post Vigiles horas graviter somnus obreperet occelis, supra notum scamnum cilicio stratum, fessos artus composuit. Acquiescenti angelus se obtulit: verbis supremi Numinis Italiæ Monasteria eum obire: inde disciplinæ Monasticæ exempla addiscere jussit. Stabat Luxovium in Gallia: Bobium in Italia, duo à S. Columbano structa Cœnobia, in quibus vita religiosa plene habebat regnum. Ex perfectus in religionem vertebat, non statim obsequi. Ergo in viam se conjicit: & qui generoso equo, aut insigni curru olim vehi solebat, vilem conscendit asellum, paucos vernas una trahens. Alpibus superatis in Bobiense Monasterium fertur, situm in Lombardia: oculis curiose omnia legit: templum, officinas, cellas considerat: agnoscit sibi ab angelo notatum fuisse. Aliquandiu hic pedem fixit, summa Monachorum voluntate, quod eos haud falleret, quis aut quantus vir esset. Interea multa de futuris temporibus arcana cum ipso communicavit Deus. Ubi se sat operæ in disciplina Bobiensi perdiscenda insumpsisse putavit, Romam iter intendit, Apostolorum principes salutaturus.

Subiit deinde animum Hiberniam petere,

ut à patria se quam longissime remoret. Acuebat desiderium, quod integri sanctissimorum Monachorum exercitus inde se effundissent, aliis alio per Allemanniam, Belgium, Italiam, septentrionem dissipatis, nec alibi disciplina Monastica magis florere videretur. Sed Numinis postea instinctu se retulit in Galliam, via à priore diversa.

Cogitat in Hiberniam.

Etenim relectis alpibus ad montem Iurensem contendit, ubi Monasterium, cui Romanis nomen, positum erat, à rigore percelebratum. Putem ego potius à SS. Romano & Lupicino Abbatibus habuisse nomen, qui pridem Monachos illa in solitudine contractos summa austeritate imbuerant. Sagacissimus censor VVandregisilus jam domo receptus, animadvertit vix quicquam obedientiæ, paupertati, in Deum pietati, mutuæ fratrum charitati, posse addi: nullam disciplinæ labare partem: incolas hominum numero exemptos, & Angelos potius videri. Quocirca majorem in modum rogavit Abbatem ut sibi se se adjungendi, faceret potestatem. Antistite sua sponte annuente, vitam durissimam egit, ingeniosis in pœnas, quas ab immerenti corpore sumeret, neque sedem post decennium hic absumptum mutaturus fuisset, nisi cœlestis genius convasare, ac domum reverti imperasset, quod ipsius opera vehementer patria indigeret. Extemplo se movit Sanctus Clodoveo sceptra tenente, Rothmagensi vero Ecclesiæ S. Audoeno jura dante, quocum S. VVandregisilo magna familiaritas intercesserat, in palatio Dagoberti Regis inita.

In Monasterio Iurensi decennium conterit.

Ab Angelo revocatur domum.

Ad S. Audoenum ex itinere divertit:

Ad hunc igitur ex itinere divertit cum veteri amico dexteram renovaturus, qui licet Monachus non fuerit, imprimis tamen charos eos habuit, cui aliquot Monasteria debet Ordo. Iam vero incredibile dictu est, quanta amoris significatione salutem mutuo dixerint reddiderintque! Officiis amicitiæ utrinque persolutis, considunt: sermones cædunt, nihil ex veteri mamoria, hoc est, ex aula, ut alias fit, repetentes, sed annos æternos, nec non cœlestia gaudia, ad quæ adspirabant, volventes. Porro, quamvis tam bonum Sacerdotem præstare se posset VVandregisilus, ad alia tamen consilia se contulit, hoc gradu indignum se ratus. Institit renitenti Archiepiscopus: ad ultimum induxit, ut se à S. Audomaro, Antistite Taruanensi, Monacho Luxoviensi, sacris initiari passus sit. Iam demum multo acrius innocentiæ, integritati, corporis afflictationi, incubuit, ut ipsum quoque S. Audoenum rapuerit in admirationem, qui veritus ne longius secederet in Eremum, Monasterium extruere illumque præficere decrevit. Non nesciebat quantum positum esset in Erchinoaldo, majore domus, cui Clodoveus nec non S. Batilda (an Baltilda?) crediderant, negotiis in ipsum fere inclinatis quocirca quid animo versaret, ei commodum suggessit. Bonum factum. Etenim haud procul qua Sequana, nobilis fluvius, ... mare subit, pagus olim ædibus frequens stabat, cui Fontanellæ nomen: bella tamen, quibus sæpe versa Francia est, vix quicquam præter nomen quod à rivo acceperat, ipsi reliqui fecere. Hunc pro novo Asceterio designavit Erchinoaldus, qui S. Audoeno vehementer arrisit, quod videretur natus ad hanc rem, quam moliretur quippe à conspectu amotus; præterea quod Rothomago prope abesset, ut accire inde amicum, vel adire nullo negotio liceret S. VVandregisilo in mentem venit id, quod angelus ipsi quasi in aurem dixerat, fore multorum Monachorum patrem, ideoque lætus cepit possessionem. Sub hæc Godo nobilissimus juvenis, viro sancto sanguine conjunctus, advolat: habitum Monasticum flagitat. In tempore profecto venerat. Sic enim sociata opera, nimirum Majoredomus, Archiepiscopo, amicis aliis auxilium ferentibus tempore non multo ingens spatium virgultis obsitum, perpurgatum fuit. *Perfectum est Monasterium cum tanta solertia, diligentia, & industria, ut etiam illo tempore, seu à principio egregia Monasteria æquaverit*, auctore vitæ S. VVandregisili teste. Multa in id beneficia contulit Rex Clodoveus, quæ Clotarius filius auxit, extentendo prædiorum fines: multa quoque alii Principum dedere, unde ditissimis Cœnobiis hoc proximum evasit. Ego tamen opes alias amo, opes argento, auro, anteponendas. In diversa S. VVandregisilus Monasteria se penetraverat. Quicquid recti, quicquid sinceri invenit, domû secum abstulit: imitandum sanxit. Fama rectissimæ disciplinæ totum brevi Galliam pervagata est, quamobram se multitudo tanta qua nobilium qua ignobilium obtulit, ut bonus Antistes admirabundus numeraverit trecentos Monachos opere vix dum absoluto. Diem hi non solum contemplationi, orationi, lectioni, psalmodiæ insumebant, sed etiam hortum, agros, vineam colebant, aliaque hoc genus opera exequebantur, quam legem nobis S. Benedictus tulit, ne unquam usquam otio locus esset.

Initiatur sacris.

Condit Fontanellensa Monasteriū trecentorum Monachorū.

Quibus etiam Godo, S. VVandregisili nepos, se addidit.

Extructum recens Monasterium Clodoveus Rex opibus auget.

I. Reg. c. 45.

Cæterum templum unum posuit S. Petro, alterum S. Paulo, tertium S. Laurentio, quartum S. Pancratio: Godonem interea Romam dimisit, à Vitaliano Pontifice

S. VVandregisilus sacras ædes 4. Cœlitibus ponit.

Max.petitum facras reliquias, templa postmodum dedicaturus. Eidem quoque negotium dedit, quam plurimos libros comparandi, ad bibliothecam iustruendam. Vtrumque ex fententia confecit Godo. Tum igitur vir fanctus fupplex accerfivit Archiepifcopum Rothomagenfem, ad bafilicas novas confecrandum, quo nihil lætius ipfi contingere potuit. Crebro animadvertimus Monafteria noftri Ordinis infigniora duo, tria, quatuorve templa nonnunquam habuiffe, quod tanta Monachorum multitudo divina officia in uno commode perfolvere haud poffet. In diverfas proinde centurias digerendi erant. Quidam etiam in Cellas privatas fecedebant, vitam in ijs anachoreticam acturi.

Extruit Monafterium Butioncafe.

Hartbamus homo illuftris, accenfus fama quæ Monachos Fontanellæ per provinciam ferebat, locum cui Butioni nomen, S. VVandregifilo dono dedit, qui mox Cœnobium ibidem condidit, cui ipfe quoque Fundator fe intulit. Ab Hartbami patre Erimberto prædium Virtlaicum dono accepit, apud quem ut viciffim beneficium collocaret, ardenti ex febri laborantem periculo exemit. Afceterium quoque exiguum propter VVitlanam fluvium excitavit, & D. Petro dedicavit, quod cum anguftum effet, Monafteriolum appellavit.

Et Monafteriolum.

Quidam infuper VVaningus opibus potens, ut virtutem ante nummos poneret, omnibus bonis fe exvens, Monafteriis ea adjecit: unifilium quoque fuum Defideratum credidit, à S. VVandrigifilo inftituendum. Valde deditus erat orationi: nonnunquam arcana cœlitus accipiebat, quæ cum Sancto Antiftite communicare confueverat, veritus ne quandoque Satanas fumeret ora angeli lucis, incautoque imponeret.

Molan. Addit. ad ufu ard. 9. Ian. VVaningus Monafterii fui Fifcanenfis Converfus. Kalendar. Benedict. 9. Ian.

Demum Sanctis eft additus, quem Molanus ad v. Id. Ian. ab Ecclefia coli ait. Hic ille VVaningus eft, quem nonnulli præclarum Monafterium Fifcanenfe condidiffe ferunt, in quo Sanctus Maurilius Rothomagenfis Archiepifcopus Monachum profeffus eft; quod deinde temporibus in pejus lapfis Clemens vi. antequam Pontificatum iniret, vulgato more poffedit. Non tamen fententiæ hujus auctores fimilitudine veri captos credimus, quibus venia danda quod fæpe ex eodem nomine duobus impofito nafcatur error. Duo enim Monafteria Fifcanenfia habuit Nordmannia: unum illuftre, admodum copiofum, quod jam primulum oculis objecimus, fed à Richardo Nordmanniæ Duce fub annum nongentefimum nonagefimum fundatum, & SS. Trinitati facratum, ubi is quoque poft fata conditus fuit. Alterum ducentis annis ante S. VVaningus S. VVandregifili amicus, ædificaverat, in qua S. Hildemarcha Abbatiffæ munus functa eft. Illius meminit quidam, qui S. Leodegarii acta cópofuit. Etenim fortiffimus Martyr quoties infidias fibi imminere notavit, ad S. VVaningum receptum habuit, non procul hoc Parthenone latitans. Dum igitur nonnulli hiftorici duo hęc Monafteria confuderunt, tantum errorem pepererunt, quem nemo non videt. Etenim inter utriufque fundationem multum temporis interjectum eft: deinde alterum viris, alterum fæminis affignatum: denique primum SS. Trinitati dicatum fuit, fecundum S. Eulaliæ, quantum conjectura affequi poffumus: nam hanc Divam imprimis coluit VVaningus. Hoc monialium Afceterium Fontanellæ fubditum erat, quod non fugeret ejus Fundatorem plurimum referre à quo quis regeretur. Ab eodem Fontanellæ Monafterio dependebat Dufeda, Abbatia non ignobilis, in Provincia fita, quam olim Saraceni folo æquârunt: itemque alia (Antro nomen erat) infulæ Liguris à S. Hermelando impofita. Sanctus quoque Ansbertus Antiftes Fontanellæ tertius, hofpitia tria, quibus pauperes ægrotique exciperentur, conftruxit, ut non injuria mireris quænam annona tot faucibus fufficerit. Ansgardus, qui Ansberti acta confcripfit, tam multos tamque divites nomina Monafterio dediffe afferit, ut iftorum copia illorum inopiam facile levârit.

Anfgardus apud Sur. 9. Febr.

Si viros Sanctos, quos Fontanella eduxit, defideras, plurimos dare promptum effet, folens tamen meo more fecero, fi præcipuos tantum adduxero. Poft S. VVandregifilum primus fe profert S. Godo ejus nepos, deinde Abbas Augienfi in Comitatu factus, cujus vitam miraculis infignem Renatus Benedictus edidit. Deinde S. Lambertus, proximus à S. VVandregifilo Abbas, diverfus à S. Lamberto Epifcopo Trajectenfi, quem tamen fua quoque virtus cum eruditione conjuncta in Archiepifcopalem fedem Lugdunenfem Galliæ extulit. Non modo rem Monafterii auxit, fed difciplinam quoque ftabilivit. Adeft infuper S. Hermelandus, primus infulæ Antri Antiftes renunciatus. Item S. Herimbertus, Tolofanus Archiepifcopus: S. Condedus facerdos, gente Anglus, qui poftea vitam in Eremitorio pientiffime traduxit. S. Ansbertus, tertius Abbas Fontanellæ, cujus rebus geftis pleni funt libri. Creatus Rothomagenfis Archiepifcopus è vivis fublato S. Audoeno, facra

Fontanellæ ornamenta S. Godo. Renat. Benedict. 16. Maj. S. Lambertus Abbas. S. Hermelandus. S. Herimbertus. S. Condedus. S. Ansbertus.

Comitia sub annum sexcentesimum octogesimum secundum habuit Rothomagi. Patres & Proceres qui confluxere, nominatim exprimit Angradus Monachus. Sanxit ne quis Fontanellæ Cœnobitis suffragia pro novo Abbate ferentibus intercederet, cum hujusmodi electionem ipse quoque S. Benedictus penes religiosum Monasteriorum cœtum esse voluerit. Simul Clodovei & Clotarii III. ipsius filii edicta producit. Aliud quoque statuit, æternæ memoriæ incidendum: videlicet ut à Regula S.P.N. Benedicti nunquam desciscere fas esset Monachis Fontanellam colentibus. Quod si olim viam aliam inire molirentur, ad veterem tramitem revocandos: & obstinatos pœnis Ecclesiasticis percellendos. Ex Monasterio Fontanellæ etiam prodiit S. Vulfrannus, Senonensis Archiepiscopus, qui postmodum comitantibus aliis Monachis illius Monasterii expeditionem sacram in Frisiam suscepit, ubi cruda idololatria regnum tenebat. Sed de primis istis Frisonum Apostolis rectius agemus alibi: hic solum addo S. Vulfrannum post multos annos in Archiepiscopatu & gentilium conversione positos, reversum Fontanellam, ibique supremum diem obivisse.

S. Vulfranus

Etiam inde prodiit Sanctus Bainus Abbas, quem postea Morinensis Cathedra excepit, in Cœlitum album ad vicesimum Iunii diem ab Ecclesia relatus: insuper Ansgradus & Ionas, qui aliquot Sanctorum istorum vitas litteris mandàrunt. Sed agedum, visamus nunc ad S. VVandregisilum, variis laboribus distentum.

S. Bainus.

Fuit ut cum magna parte Monachorum in valle prope fontem qui Monasterio nomen fecit, nescio quid moliretur. Betta sylvarum regiarum præfectus indignatus tantum loci spatium illos sibi vindicare, nec aliter accepit, quam si ipsi totum detractum esset.

Betto telum in S. VVandregisilum vibrat, obstupescente dextera.

Acuit iras conspectus VVandregisilus, cujus auspiciis omnia geri videbat. Impotens jam animi hastam corripit: in sanctum virum summa vi emittit, quæ ante vestigia humi defixa hæsit. Facinus abominandum, quod auctor non impune tulit: subito enim juris cacodæmonis factus, dire vexatus è; demum humi fusum sanctus Antistes Fontanellam asportari jussit. Postridie sub primam lucem ad se perductum stygio hospite liberavit.

Cacodæmon scelesto animam adimere conatur.

Etiam spiritu prophetiæ præditum fuisse, id quod narrabimus documento sit. Multorum liberorum parentes alias beati, alias miseri sunt. Tres filios numerabat Sancta Bathilda Franciæ Regina. Quid singulis futurum esset incertæ prædixit VVandregisilus duos brevi morituros: tertium Galliæ Monarchia potiturum, quod eventus affirmavit. Clotarius enim quatuor duntaxat annis sceptrum tenuit: Childericus septimum haud excessit: unde Austrasia & Neustria in potestatem Theodorici concesserunt, quos Reges novisse, interest Lectoris.

S. VVandregisilus divinorum consiliorum conscius.

Quamvis autem gravissimis laboribus, perpetuis vigiliis & jejuniis vires frangere poterat, vitam nihilominus ad nonagesimum sextum annum produxit, cujus tædio sæpe *dissolvi & esse cum Christo* optabat. Morti proximus sacro viatico migraturam animam instruxit: discipulos suos ad virtutem gnaviter persequendam cohortatus est: successores Sanctum Lambertum & Sanctum Ansbertum designavit.

Rebus ad hunc modum compositis, oculos in cœlum sustulit: inde animo extasi triduum totum suspenso cœlos patentes, angelos in classes distinctos, seque invitantes conspexit. Cum vero jam animam ageret, suavissimus horum concentus auditus est, quo personante ad superos evasit.

Moriturus angelos in cohortes digestos videns nullo negotio ad superos evadit.

Extremo conflictu cum dæmone suscepto, quasi parva res essent septuaginta anni, vigiliis, jejuniis, continuis laboribus consumpti, spem victoriæ ac præmii in solo Christi sanguine posuit.

Monachi longe mœstissimi in templo Sancti Pauli amantissimum patrem sepelierunt, quem Sanctus Bainus Abbas post quadraginta annos è tumulo exemptum in summam Basilicam Divo Petro sacram transtulit. Corpus incorruptum erat: nec vestes post tantum temporis violatæ. Ad XI. Kalend. Augusti annuum ipsi cultum instaurat Ecclesia.

Corpus humatum post 40. annorũ spatium de vermibus & putredine palmã tulit.

Religiosissimæ disciplinæ, cujus auctor Sanctus VVandregisilus, magnus diu locus Fontanellæ fuit, ac inde velut è fonte ingens Monachorum copia in Britanniam minorem, Frisiam, ac Flandriam, effusa est, qui Ecclesiam Dei majorem in modum auxerunt.

Martyrolog. 22. Iulii.

Fontem hunc obstruxere Nordmanni, gens barbara, quam Dania, Suecia, Gothia sæpe exoneraverant. Præter tyrannidis vestigia etiam nomen provinciæ adhæsit.

Nord enim idiomate Germanico septentrionalis Orbis terrarum plaga: Manu, vir: Nordmanna Terra Franciæ, viris eò ab Septentrionali ora, vel arcto orbe ex Dania

Atlas minor.

Nortvvi-

Nordvvegiaque profectis ad habitandum data, inquit Atlas minor Getardi Mercatoris. Unde quosuis piratas Galli olim Nordmannos inviso nomine appellabant. Quid verbis opus est? *ab Aquilone pandetur omne malum*: vel cedo quid mali olim in Europa fuerit, quod barbaræ illæ nationes non intulerint? Heu nostro sæculo antiqua vulnera recruduerunt! Ceterum reddenda nobis erat ratio, cur Francia occidentalis, quam veteres VVestriam, deinde Neustriam appellarunt, Nordmanniæ nomen ferret, cujus Metropolis Rothomagum, unde prope Fontanella abest, quod Monasterium etsi è ruderibus postliminio emerserit, detrimentũ tamen quod accepit, reparare nunquam deinceps potuit. Crudis namque barbaris omnia terrore complentibus, Monachi anno nongentesimo quadragesimo quarto cum SS. VVandregisilo, Ausberto, & Vulfranno, trepidam fugam capessentes, venere Bononiam: inde Gandavum, ibique suum thesaurum in Blandiniensi Monasterio deposuerunt; sed domvitionem post tempestatem discussam parantes, frustra (ita ajunt) eundem repererunt. Gens autem aquilonaris inculta & barbara situ loci capta sedem id loci fixit, atque barbariem paulatim exvens, Christianis legibus se dedidit: Monasteria evastata instauravit: alia funditus erexit: cum Regibus Galliæ pacem sanxit.

Aquilo infestus Aquilæ nostra etiam ætate.

Monachi Fontanellenses SS. VVandregisili, Ansberti & VVulfranni ossa Gandavum transtulerunt, acti fuga.

Molan. verb. Ansbert.

Ad extremum, tibi aurem iterum vellicamus, ut animum advertas discipulos S. Columbani Ordinis fuisse D. Benedicti. Testes adstant S. VVandregisilus & cæteri Monachi Fontanellæ. Quadam nocte, inquit auctor vitæ illius, juxta morem cilicio obvolutus in cella dum ad refocillandum membra quieti dedisset, angelico ductu in Monasterium quod vocatur Bobium, situm in Italia, perducitur, ostensæque sunt ei ejusdem loci habitationes. Expergefactus autem à somno, intellexit se ad hoc commoneri, ut ob gratiam vitæ contemplativæ atque arctioris continentiæ seminarium explorandam talia inviseret loca. Igitur valedicens fratribus, cum tribus pueris & asello dispositum arripuit iter, alpiumque juga transgreditur, atque Italiam ingrediens ad Bobiense Cœnobium, veluti revelatione didicerat, accedit, quod B. Pater Columbanus Scotici generis, laudabilibus gestis florens, ædificaverat. Hunc ergo locum B. VVandregisilus adiens, qui à discipulis B. Columbani tunc temporis incolebatur, aliquantisper ibi commoratus est. Itaque S. VVandregisilus à discipulis S. Columbani disciplinam Monasticam didicit, eamque quam didicerat in Fontanellense Monasterium à se ædificatum introduxit. Cum autem palam fecerimus Fontanellæ jus dixisse S. P. N. Benedictum, ejusque leges observatas (nam S. Ansbertus, Abbas tertius, postmodum Rothomagensis Archiepiscopus, coacto plurimorum Episcoporum Concilio gravissimis verbis edixit, ut ad Regulam S. Benedicti in Monasterio Fontanellæ viveretur) cæcus plane sit oportet, qui non videt, discipulos S. Columbani ad familiam D. Benedicti pertinere. At obsecro ne moleste feras, quod hanc unam rem sæpius inculcemus. Plurimum enim Ordinis nostri interest; ut liquido constet, discipuli S. Columbani in cujusnam ducis vestigia juerint: aliter ingens nobis gloria decedet.

Discipuli S. Columbani de Ordine fuerunt S. Benedicti.

Sur. 22. Iul.

Nam S. VVandregisilus disciplinam Monasticam ab ijs Bobii cotam didicit.

Velaque domum vertens Fontanellæ intulit, & hoc Monasterium tabulis S. Benedicti inditum ab origine fuit.

ANNUS CHRISTI 660. AN. S. BENEDICTI 180.

CAPUT I.

Floriacense Monasterium conditur: eo translatus S. Benedictus: S. Aigulphus martyrio affectus.

Nonnunquam uno componimus anno quæ pluribus gesta sunt, eo quod subinde res ipsæ connexæ sint, neque tu eventuum expectatione suspendendus videaris. Floriacensi Monasterio secundum Sigebertum anno sexcentesimo quinquagesimo primo fundamenta jacta sunt. S. Aygulphus anno sexcentesimo sexagesimo quarto martyrium subiit: translationem sacrorum ossium Divi P. N. Benedicti (quæ laus ad ipsum pertinet) quidam ad annum sexcentesimum duodecimum referunt, sed à vero perquam aberrant, cum id temporis de Floriaco nondum cogitatum fuerit. Matthæus Palmerius annum septingentesimum quartum affert, sed post festum venit. Nos persuasum habemus hanc translationem regnante Clodoveo II. factam, quod appendix Frodoardi prodit. De anno nihil statuere ausi fumus, donec in Bibliotheca Floriacensem incidimus, opera Iohannis Bosci Monachi Cœlestini editam. Is enim Capite 2. hæc verba, ex Martyrologio Floriacensi prompta, in medium ferit: *Anno Domini sexcentesimo sexagesimo, sub Clodoveo, filio Dagoberti, translatum est corpus Beati Benedicti Abbatis à Monte Casino apud Monasterium Floriacense per Aygulphum Monachum.* Huic profecto Martyrologio nos fidem habemus; vel cedo unde

Floriacense Monasterium an. 651. conditum.

Sigeb. Chron. an. 651.

Regino Abb. an. 612.

Matthæus Palmerius ab 704.

An. 660. S. Benedicti ossa ex monte Casino sublecta, & Floriacum translata sunt.

unde nam certius tu ista hauseris, quam ex ipso fonte? Consilium igitur est, ex una fidelia tres dealbare parietes, sive hoc anno moliri Floriacense Monasterium: eo transferre S. Benedictum: gerulum producere Aygulphum.

Quod Monasterium S. Leodebodus ædificavit. Script. xxxvii.

Floriaci parens ac Fundator Sanctus Leodebodus fuit (*alii Leodebundum vocant*) sanguine illustris: opibus, paucis concedens: Monachum in S. Aniani Cœnobio, proxime Aureliam sito, professus. Locus ligeri, fluvio nobili, adjacet, quem Floriacum dixere. Cupido incessit animo Leodeboldi, eum pro Monasterio capere; quocirca Clodoveum adivit: locum sibi poposcit. Petitionis compos factus, insigne Asceterium illuc posuit, quod S. Petro dedicavit. Postquam P. N. lipsana illata sunt, Sanctus Benedictus Floriacensis appellari cœpit. Quidam comminiscuntur Floriacum à Floro, alti stemmatis viro nominatum, qui Sancto Mauro religionis sacramentum dixerat. Sed hic annis centum ac amplius rebus humanis ante exemptum est, quam huic operi manum adhibuit S. Leodeboldus. Quapropter nemo hominum, sad ipsius loci amœnitas id nominis imprimis pago, deinde Monasterio imposuit, quod etiam vocatur San Benito de Loyre.

Trithem. l. 3. vir illust. c. 502.

Trithemius Abbatem primum Floriacensem S. Leodebodum facit: alii S. Mummulum seu Nũmolum: sed nodus in scirpo quæritur, quando compertum habemus Mummolum à Leodebodo fuisse rebus præfectum: deinde Mummolo ad clavum sedente ossa S. P. N. Benedicti è Monte Casino Floriacum allata. Sed nefas est hæc obiter præterire.

Mons Casinus evastatur. Greg. Mag. l. 2. Dial. c. 18.

Gloriosus Patriarcha cœlo acceperat, Monasterium suum Casinense à gentilibus dirutum iri, quod prolixe Gregorius Magnus narrat. Post annos non oppido multos Longobardi (quam fœdam tempestatem Septentrio effuderat) invasere Cœnobium: Monachi spe omni salutis adempta, qua poterant fugam per diversa intenderunt: ultimo Romam petiverunt, & in Laterano pedem fixerunt. Interea Sancti Patris nostri, & S. Scholasticæ, ipsius sororis, corpora ruinæ ac rudera collapsi Monasterii indigno, eheu, ruderum cumulo absconderunt, id quod omnium consensu dicitur, & scribitur.

Num S. P. N. Benedictus ex Italia translatus sit in Galliam, certatur sententiis.

Quid autem porro his sacerrimis lipsanis sit factum, studia in contraria scinduntur Itali Gallique; nec est ut speres litem te compositurum. Ipse Baronius, summo vir ingenio præditus, in utram se partem verteret incertus, è sylva tot opinionum se se eiiciens sententiam haud pronunciavit, contentus eo quod conjectura bonisque argumentis cõsequi potuit. Quid enim fecisset? Hinc stant Itali, illinc Galli, testib', tabulis, libris, Bullis æque suffarcinati. Accedũt miracula, in utroque Monasterio patrata. Ægre, fateor, me cõmitto huic pugnæ, in qua clarissimus historicus prope terga dedit. Ego tamẽ absque mala nota me subducere non queo, si partes probi Historici Ordinis S. Benedicti agere velim. Quid sentiam, & cur sentiã, in medium proponam, pace, ut spero, utriusque partis. Nimis enim audax facinus ausim, si etiam sententiam feram.

Baron. tom. 8. an. 664.

Negant Casinenses S. Benedictum aliquando in Galliam ablatum.

Primi ergo, ut par est, prodeant Casinenses. Hi S. Benedictum una cum S. Scholastica gleba & ruderibus sepultũ affirmant, donec urgente Numine arma Longobadi atque Imperator posuissent. Tum enimvero Monachos, quos fugæ impetus Romam tulerat, quosdam suo de cœtu Casinum dimisisse, debito cultu amantissimum parentem ejusque sororem deinceps prosequuturos, cũ nemo amplius esset, qui ab hac pietate ipsos arceret. Morem socios gessisse: proinde pace revocata sacro loco nunquam deinceps Monachos defuisse. Tandem integrum cœtum eò se contulisse: novum Monasterium è ruderibus eduxisse: veneranda corpora nunquã loco mota esse. Hujus sententiæ caput Leo Ostiensis est, cujus auspicia Itali sequuntur. Sententiæ confirmandæ Bullam Urbani II. è sinu profert, qua Põtifex Translationẽ S. Benedicti è festis expunxit, ejusque corpus in Monte Casino asservari, idque constare miraculis, gravissimis verbis enũciavit.

Leo Ostiens. hist. Casin. l. 2. c. 45. & 48.

Affirmant Galli. Breviar.

Omnia alia Galli. Nam Casino in solitudinem redacto, S. Benedicti & S. Scholasticæ ossa è tumulo ab Aygulpho Monacho eruta, atque in Franciam deportata, ferunt, idque negotii à Mummolo Abbate ipsi datũ, ut ne tantus thesaurus intercideret. Cæterum Floriacense Monasterium sibi S. Benedictum vindicasse: S. Scholasticam Cœnomanis cessisse, hocque factum Clodoveo II. Dagoberti filio Frãcis imperante: nec postea hos Cœlites unquã mutasse locum. Quisquis contra alterutram partem hiscit, aut mutit, periit, occidit, adeo tenax suæ sententiæ utraque natio est. Sed huc concede Adrevalde Floriacensis Monache, libri de Translatione S. Benedicti conditor; simul populares alios tecum cie. S. Nummolus (alii Mũmolum vel Mumoldum nominant) pariter inquiunt, cum Dialogos Gregorii Magni sedula manu versaret, ecce tibi, in S. Benedictum lachrymis manantem incidit, quod suum Casinum à barbaris evastandum prævideret. Perculsus hac lectione eò curam intendit, ut quæ fortuna montis Casini esset,

Adrevaldus lib. de Translat. S. Benedicti.

certo

Nummolus Abbas Floriacensis Aygulphū Monachum in montem Casinum misit, petitum ossa SS Benedicti & Scholasticæ.

Sur. 3. Septemb.

certo sciret. Non modo versum, sed insuper funditus eversum, certis auctoribus didicit. Alta imo de pectore ducuntur suspiria, tantum Orbis lumen incumbentibus ruderibus prorsus extinctum esse. Sub hæc monetur cœlitus S. Benedictum è tenebris vindicaret: Floriacum transferret. Aptus huic negotio visus Aygulphus est, quē Ecclesia III. Non. Septemb. veneratur. Et certe ad famam Ordinis pertinebat, Monachorum patriarchā finibus unius Italiæ non includi, sed etiam amplissimum Galliæ regnum adire.

Aygulphus Floriacensis Monachus.

Vitæ integer à puero.

Si autem de Aygulpho quæris, oppidum stetit in Gallia Blesium, Ligeri vicinum; hujus ille civis erat. Labore vitam tolerabant parētes, quod res angusta domi esset. Quod si nobilitas sola atq; unica virt⁹ est, nobilissimi fuere. Ille à puero specimina non pauca præsentissimi Numinis dedit. Perpetuo enim palmulis sublatis preces fundebat: templa frequentans sacerdotib⁹ operā navabat: pauperes qua poterat prompte adjuvabat. Dū hęc ab eo gerebātur, in Monasteriū à Deo se duci sensit. Effuso pene gradu fertur Floriacū: à S. Mummulo habitū Monasticum capit, cui tā virtutē suam, quam eruditionē, brevi affatim probavit. Quamvis autē adhuc tyrocinium poneret, Regulæ tamen observatione nulli quicquam concedebat.

Igitur huic Aygulpho S. Mummolus negotium dedit, inquiunt SS. Benedicti atque Scholasticæ ossa in Monte Casino legēdi, indeq; Floriacum deferendi quæ uno tumulo condita erant. Sunt qui affirmant Aygulphū in mandatis accepisse, ut solum S. Benedictū auferret: alia deinde vice impulsū à Deo Antistitem servos submisisse, qui etiam tollerēt S. Scholasticam. Vt ut sit pro certo habemus S. Aygulphum imprimis contendisse Romā: sacra loca pie obivisse: supplicasse Numini, ut susceptū iter felix faustumque juberet.

Exhausto S. Benedicti & Scholasticæ sepulchro domum contendit.

Vbi porro viam, ut aiunt, omnem emensus in Casinum Montem evasit, quod eo loco potitus esset, quem suus pater coluisset, factisque admirandis nobilitaset. Inde summum in mœrorē lapsus, querebatur templum, cellas, officinas, verbo, Monasterium totum procumbere humi. Incertus quoq; sepulchri anxie circūspiciebat, rimabatur, indagabat: verū cum se operā perdere intelligeret, denuo cœlū precibus invasit, ut aliquo indicio sepulchrū sibi proderet. Nocte intempesta clarissima lux cœlo demissa, tumulo bene diu insedit. Notavit locum Aygulphus: primo mane ruderibus disiectis humum aperuit: effracta tumba tremulis præ gaudio manibus ossa exemit: in sportula, quā attulerat, composuit domum asportavit.

Postquam in Galliam ventum est, novus hospes S. P. N. Benedictus statim de incolis bene mereri cæpit. Etenim duobus infantibus primulum extinctis, animulas restituit dum sacris ossibus admoti sunt: cæcis duobus, & uni manco, opem implorantibus, oculos ac manum reddidit. Plura naturæ vim excedētia edidit, quę Adrevaldus memorat. Porro sanctissimo Patriarchæ Andegavensem agrum ingresso, jamq; Floriaco imminenti, Abbas, Monachi, populus, justo agmine obviam procedentes, eundē pro se quisq; singulari cultu exceperunt. Ossa quidē majora à minoribus distinxerat Aygulphus, scrupulum tamen non exemit popularibus, cum sæpe vir magnus etiam exiguo in corpore habitet. Optimum factu visum est, miraculo rē explorare. Ergo ossa quæ diximus majora, & quæ S. Benedicto adjudicari poterant, demortuæ admoventur puellæ: hæc nil moveri, aut ullum vitæ signū edere. Eadē adhibētur extincto puero: hic lumina statim explicare: hianti ore circumspicere; corpus demum attollere atq; vivere. Capessunt postea ossa minora & cadaveri alteri applicant: mox id quoq; animatur, puella in vitam redeunte. Obstupuere omnes. Quocirca bene subducta ratione ossa robustiora S. Bened. tenuiora S. Scholasticę assignarūt, simulq; fidē fecit S. Aygulph⁹ se Gallię nō imposuisse.

Adreval. l. 2. c. 6 de Translat. S. S Bened.

Ossa S. Benedicti ab ossibus S. Scholasticæ miraculo prodidit.

Fatigatus precibus S. Mummolus, lipsana S. Scholasticæ Cænomanensibus muneri dedit.

Insuper quando idem iter fecit in Italiā, in Cenomanenses incidit, qui pariter tendebant in Montē Casinum, S. Scholasticā abducturi. Acuit habendi desiderium tam novū miraculum. Majorem igitur in modum orarunt S. Mummolum ut insigni hoc beneficio suā civitatē afficere, eiq; sanctissimæ Monialis istius lipsana munus dare vellet, ut sui itineris aliquē fructū caperent. Valuere tā calidę preces apud Antistitē, etsi sororē à fratre avelli ægre pateretur. Cives de Abbatis liberalitate certiores facti, festa pompa adventātem accepere, atq; pecunia publica templū erexerunt: Divæ suæ Tutelari dedicarunt, quod cū ob creberrima miracula admodū frequētaretur, Monasteriū sacrarū virginū Ordinis D. Benedicti ei additum est. Iam Mummolus præ gaudio sui vix cōpos, multa agitavit animo, quo potissimum loco thesaurū suum deponeret. Dum ambigit, cœlestis radius in sacellum B. V. dicatū incidit: locū notavit. Ex innumeris miraculis quæ postmodū S. Patriarcha patravit, multa excepit Adrevaldus, & Aimoin⁹ multa, quę Io. de Bosco Bibliothecę suæ Floriacēsi intulit. Hęc Gallis in ore sunt.

S. Scholasticæ à Cænomanis Monasterium conditum.

Adrevald. l. 2. Aimoin l. 3. & 4.

At demus ipsis, hæc non esse vana, quid si Floriaci contritis aliquot annis vel etiam sęculis, gloriosus Pater in Montem Casinum relatus sit, & suis restitutus? Negant Galli, pernegant. Immo hodie etiam digito monstrant arcā, qua Divū conditum ferunt, toto regno cultum ei exhibente. Quin hoc quoq;

S Benedictum Casinensibus redditum, inficias eunt Galli.

evenisse ajunt, ut Carolomannus lapidē omnem moveret ad auferendū: adhibuisse opē Pipini fratris, nec non operā Zachariæ Papę. Tribus Episcopis negotiū datum sacra ossa eximerēt. Hos, omnes Ecclesiæ portas clausisse, ne quis negotium facesseret, quamvis armato milite completū esset Cœnobiū. Tū irato Numine manus operi admoventes luminibus captos fuisse. Territos tam præsenti supplicio, Episcopos Monachorum fidem implorasse, qui in preces, lachrymas, jejunia, triduum incūbentes, amissa lumina iplis annuente Deo reddiderint. Nec aliam quempiam deinceps S. Benedicto manus admoliri ausum: Ita Galli, in quorum sententiā multi aliarū gentiū auctores pedibus eunt. Ne vero sæcula futura memoriā rei gestæ delerēt, Festum Translationis S. P. N. Benedicti in v. Id. Iulii decreverunt, & in hunc usq; diē celebrant, quod etiam aliarum terrarū Monasteria faciunt. Cum enim Floriaco multa alia subjecta essent, divina officia cum aliis legibus ab eodem Cœnobio acceperunt.

Festumque Translationis S. P. N. v. Iulii celebrant.

Olim sancti, verno jejunio lesa in sacris fastis offerentes, in aliud tempus differri solebant, Ecclesia in unicum suum sponsum patientem intenta. Concilium x. Toletanum ut Annunciationis festum ad xv. Kal. Ian. ageretur, sanxit, quod ab instāte exoptatissimo portu Expectationis nomen habuit. Ita S. Gregorius ex xii. Martii die in iii. Septemb. remotus fuit, quo Pontificatū inivit. S. Ambrosio colendo sextus Decemb. assignatus. Ita quidam putant etiā cum S. Benedicto actū, qui Sabatho sancto concessit: atqui somnia narrant. Nam Bedæ venerabilis Martyrologiū ad xi. Iulii hæc verba recitat. *Trāslatio corporis S. Benedicti Abbatis* Num intelligis non festi sed corporis translationem signari? Clarius hoc canit Vsuardi Martyrologiū *Translatio S. Benedicti Abbatis de Italia in Floriacum, Galliarum Monasteriū.* Accedit Ado Episcopus, à quo nil amplius exigere queas: *Postquam enim, ait, sicut ipse vivens prædixerat, Monasterium ejus à gentibus est vastatum, Domino revelante repertum est corpus ejus, & in Gallias est translatum, atque in territorio Aurelianensi in Monasterio, quod vocatur Floriacum, condigne sepultū.* Hem tres testes antiquos, ab ipsa Ecclesia admissos! novis supersedemus, ne multitudine fatigeris. Multarum etiam Ecclesiarum Cathedralium Breviaria, quorum usus ante Pium v. erat, designato diei hæc verba adscribebant: *Translatio corporis S. Benedicti* Lectiones matutinarum precum rei gestæ seriem exponebant. Dicta, facta hæc sunt non modo in Gallia, sed etiam in Hispania. Quis via? Multa nos Breviaria contraximus, unde acta singulariū Sanctorū peteremus. Quæ in Ecclesiis S. Iacobi, de Biq;, de Taraccona, de Valladolid, de Allorga de Burgos, de Salamanca prodierunt, à Gallorum relatione nihil desciscunt.

Beda Martyrolog. 11. Iulii.

Vsuard Martyrolog. cum additamb. Molani.

Varia de translato S. Benedicto testimonia.

Neq; inter argumenta hujus translationis hoc extremum est, Congregationem S. Benedicti Vallisoletanam in Hispania eam à multis retroactis annis in Choro decantare instituisse, neq; huc usq; mutasse morem. Si testib' istis quos produximus addamus alios qui supersunt, inficias haud quisquam iuerit Gallorū causam meliorē esse, quam Italorū. Libet saltem eorum nomina ciere, quos per otiū adire queas. Hugo Floriacensis. Theodoricus, Abbas in Germania. Sigebertus Gemblacensis: Vincent. Belvacens. S Antoninus: Martinus Polonus: Anastasius Bibliothecarius: Paulus Diaconus: Matth. VVestmonasteriensis: Florentius, Monachus VVigorniēsis: Bocius: Surius: Robertus de monte: Petrus Episcopus: Aquilinus: alii. Ergo cum Gallis Germani, Hispani, Angli, in medium prodeunt, eadē opinione imbuti, quæ mens etiam quibusdā Italis est, veluti Sabellico, S. Antonino, Volaterrano, Platinæ, Bozio. Sed age istos omittamus, cum historiā condiderint universalem, nec ad singula potuerint æq; esse intenti, hoc nobis certe maximam admirationē movere debet, Anastasium Bibliothecarium, & Paulum Diaconū Italos, Casini Montis alūnos, exertis verbis affirmare, S. Benedictum ex Italia translatū fuisse in Galliam. Etsi Anastasius non translationem sed furtum appellet, qua tibia Platina quoq; cum aliis canit. Anastasium postea, nunc Paulum Diaconum audiamus: Circa hæc tempora cū in Casino Monte, ubi Beatissimi Benedicti sacrum corpus requiescit, jam aliquot annis elapsis vasta solitudo existeret, venientes de Cenomanorū vel Aurelianensium regione Franciæ, dū apud venerabile corpus se pernoctare simulassent, ejusdem venerabilis Patris pariterq; ejus sororis venerandę Scholasticæ ossa auferentes, in suam patriam asportarunt, ubi singulatim duo Monasteria in utriusq; honore, hoc est, Beati Benedicti & Sanctæ Scholasticæ constructa sunt. Sed certum est nobis, os illud venerabile & omni nectare suavius, & oculos semper cœlestia contemplari solitos, cætera quoque membra, quamvis defluxa, remansisse. Solum enim Dominicum corpus singulariter non vidit corruptionē: cæterorum omnium Sanctorum corpora, in æterna postea gloria reparanda, corruptioni subjecta sunt, his exceptis, quæ ob divina miracula sine labe servantur. Testem hunc reiicere non potes. Nam antiquiorem

Paul. Diac. l. 6. c. 2. S Benedicti Translatio confirmatur.

in hac controversia nemo unum adduxerit. Archivum in manu habuit: evoluit, legit: & quamvis ageretur honor, gloria decus sui Monasterii, quid tamen verum esset, in medium profudit: remittens doloré, quod saltem os, oculi, caro reliqua in pulveres facescens, Casiui mansissent. Tanta vero auctoritate pollet Paulus Diaconus, præsertim cũ res Italię vel sui Monasterii memorat, ut unum ipsum cæteris omnibus aliud sentientibus non injuria anteponerem. Alii enim testes auriti, ipse propemodum oculatus est. Quare, cum Galli, Angli, Germani, Hispani, primæ notæ Itali, Martyrologia, Breviaria, usus, S.P.N. ex Italia in Galliam illatum esse affirment, nec quisquam plures aut graviores testes desiderare queat, Congregatio Hispanica istam S. Benedicti Translationem suis Breviariis inserit, annuaq; memoria prosequitur. At at, cavere interest Pontificiam Bullam, *nequis ulterius falsam D. Patris Benedicti translationem celebrare præsumat*, prohibentem. Nodum hunc alibi explicabimus absque negotio: nunc alia nobis dirimenda lis est.

Bulla Urbani 8.

Quidam Italorum S. Benedictum è Galliam in Italiam revertisse asserunt.

Exuti hoc thesauro Itali S. Benedictum sua cum sorore in Montem Casinum revertisse in hæc verba memorant. Zacharia Pontificatum Maximum gerente, Carolomannus Pipini frater posito Austrasiæ regno, Deo & S. Benedicto in Casinensi Monasterio sacramentum dixit, sceptra & imperia post cucullum habens. Petronius Abbas ac Monachi etsi Monasterium instaurassent, abesse tamen suum Patrem, impatientissime ferebant. Ergo Carolomannum appellant circumfusi, subiguntq;, Pontificé adiret, eiq; ut SS. Benedictum & Scholasticam ex Gallia revocare vellet persuaderet. In Pipino quoq; fratre magnam spem esse, si ab ipso solicitetur. Facile induci se passus est Carolomannus. Extemplo profectus est Romã: effecit, ut Papa à Floriacensibus sacra lipsana repeteret. Moram traxere Floriacenses alia atq; alia prætexentes, donec Stephanus III. inivit Pontificatum, quem Aistulphus Longobardorum Rex Italia exactum, Parisios ad Pipinum profugere compulit. Tum Longobardus etiam atq; etiam rogavit Carolomannum, ut itinere Parisios suscepto, animos utrinque componeret, quo sublatis dissidiis tandem pace frui liceret. Iuit ille simulque toro utens Abbatis sui jussu Pontificem fratremq; Regem exoravit, ut S.P.N. Benedictum ejusq; sororem S. Scholasticam Floriaco Parisios afferri imperârint. Floriacenses haud ignari vanam esse sine viribus iram S. Benedictum restituerunt. Ergo sacra pignora vehuntur Parisios; à summo Pontifice & Rege ingenti apparatu atque pompa excipiuntur: Parisiis viâ domum relectâ, in Montem Casinum, tota Italia applaudente, referuntur. Interea Pipinis Aistulpho signa intulit, qui pede collato aliquandiu depugnans, cum nec arcere Gallorum impetum, nec sustinere posset, terga dedit. Hostili exercitu deleto, Pipinus duobus filiis comitantibus prosequutus est Pontificem, simulq; omnes Casinum iter intendentes, prid. Nov. Decemb. incredibili omnium lætitia S. Benedictum suis aris ac focis Anastasii Bibliothecarii relatio restituerunt. Hisce Anastasius Bibliothecarius libro MS. quem Casinense Monasterium in promptu habet addit, Carolomannum adscitis simul duodecim Monachis à Stephano III. in Galliam proficisci jussum SS. Benedicti & Scholasticæ corpora repetitum. Proxima vero nocte quam litteræ Pontificiæ fuissent allatæ astris lapsos fratrem ac sororem Carolomanno quiescenti negotium dedisse, ut se pararet itineri, sua corpora à Gallis recepta veteri sepulchro, ut olim fuissent, collocaret: ita edicere supremum Orbis Numen. Præterea Pipinum addito juramento Pontifici promisisse, vim se adhibiturum Monachis Floriacensibus, alieno thesauro incubantibus, in sponte, quod deberent reddere velint. Hæc ubi Floriacum nunciata essent, Monachos evoluta è priore loco ossa in cista clanculo composuisse, inque Ecclesiæ ambitu summo silentio occultasse. Paulo post Regem denso aulicorum globo stipatũ advolasse: dolum Monachorum iniquissimo animo tulisse: mox ut omne solum templi ligionibus verteretur, imperasse. Hoc quidem pacto cistam fuisse repertam, at vestigantes extemplo spissa nebula omnes conditos ut inter se non amplius noscerent.

Etsi Galli contendant hanc ob rem relicta esse sacra lipsana, miraculũ tamẽ eam in partem accipit Anastasius, quod Remigius Archiepiscop. Rorhomagẽsis S. Benedicto collocârit insidias, è sua Archidiœcesi, nõ dimissurus, si eũ quoquo modo retinere potuisset. Itaque prodigiosa caligine deferrendum fuisse: unde Carolomanũ ad Regẽ cõversum, Domine, dixisse; Domine, num intelligis invitum hic servari S. Benedictum, & insidias quibus appetitur, nec Deo nec Divo probari? Ergo singuli quasi ore uno votum nuncupemus, fideliter nos ejus ossa in Montem Casinum relaturos. Simul ac verba solennia Rex fecisset, nebulis dissipatis clarissimam lucem successisse, quam oculi vix ferre potuerint. Remigium Archiepiscopum prodigio isto perculsum, ad se raptasse cistam: aperuisse: explorato

vero & comperto cujusnam ossa essent, denuo clausisse: denique regio sigillo munitam Carolomanno tradidisse Casinum ferendam. Inde ad Cenomannos itum esse, qui magnam S. Scholasticæ partem possidebant, eamque lipsanis S. Benedicti adjunctam fuisse. Rebus sic compositis vestigia domum esse conversa. Multa autem, qua iter cunque fecissent, miracula fuisse patrata: immo cœlestem lucem fere perpetuo sacris ossibus affulsisse. Stephanum Pontificem Max. cum septem Cardinalibus revertentes hospites excepisse, certosque abesse imposturam, sub ara summa condidisse.

Porro Theodoricus Monachus qui sub annum millesimum quadragesimũ floruit, librum integrum de Duplici *Translatione S. Benedicti* conscripsit, cui præter alios Italos adhæret Volaterranus. *Ossa vero Benedicti*, inquit, *ex ea calamitate ad Floriacense Cœnobium translata; post annos vero centum & decem Casinense Cœnobium à Pauo quodam*, (non nemo Petronium nominat) *erve Brigiensi potentissimo, ut ait Sigebertus, restitutum est, & eadem ossa rursus eo ex Gallia relata sunt, ubi ante hos annos à Cardinale Arragonensi* (fuit Abbas Commendatarius Casini) *retecta multis videntibus fuere. Tres erant arcæ: in duabus Benedictus & soror: in tertia ad pedes eorum Carolomannus, Caroli Martelli filius, Caroli Magni patruus, qui Monachus fuit.* Huic accedit Platina cum aliis: sed nolo sæpius eundem tibi rhombum ponere. Quamvis autem pleræque Ecclesiæ Hispaniæ Translationem S. Benedicti ex Italia in Galliam celebrent, & quando facta sit, memorent, Burgensis tamen Ecclesiæ & Astorgensis antiqua Breviaria abitum & reditum eo modo quo nos hactenus, prolixe recitant: neque Congregatio Vallisoletana Ordinis S. Benedicti latum unguem discedit.

Raph. Volaterr. Anthropolog. l. 25.

Platina in Zacharia.

Congregatio Vallisoletana agere solet festum translationis S. Benedicti.

Non omnia negant Galli. Zachariam Papam, à Monachis Casinensibus interpellatum, in mandatis dedisse Floriacensibus ut S. Benedictum Casino restituerent, confitentur. Episcopos etiam & sacerdotes, ne suas partes desiderari paterentur, admonuisse. Habitam quoque magnam Carolomanni rationem. Pipinum insuper Monachis Floriacensibus præcepisse, Pontifici ut parerent. Carolomannum deniq; nihil quod ad rem faceret, prætermisisse ultro, dant: atqui Ossa S. Patriarchæ cum sociis vestigantem spissa nebula involutum impeditumq; fuisse, contendunt: quibusdam etiam lumina adempta, sed Abbate Monachisque Floriacensibus Numen propitiantibus iisdem restituta esse. Ne vero tantum itineris frustra suscepissent, Floriacenses, paucis ossiculis donatos, missos fecisse: corpus cætera integrum sibi vindicasse, servasseque. Rei veritatem infinita miracula testari, quæ Adrebaldus & Aimoinus litteris mandárunt. Adhæc confirmanda Johannes de Bosco Monachus Cœlestinus, Pontificias Bullas producit: Regum privilegia: diversorum Abbatum dicta, quæ omnia Floriacensis Bibliotheca te docuerit. Dum ita calide quasi pro aris & focis ab utraque parte pugnari, & Bullis, tabulis, idoneis testibus alteram alterius rem inclinare vidimus, laudavimus iterum Baronium quod calamum hic sustinuerit, facilius initurum labyrinthum, quam inde evasurum. Nos tamen facere non possumus quin momenta utriusque sententiæ in medium afferamus, neutram erroris damnando.

Append. Script. xii.

In hac lite Galli multa dant Italis.

Adrevald. l. 1 c. 12. & 16.

Iohan. Bosco Bibliothec. Floriac.

Ne mireris tam calide hac in arena pugnari à Casinensib. & Floriacensibus. Neutris enim suus pater vilis esse debet.

Fas tamen fuerit ei accedere, quæ propior vero videbitur, dum certi nihil habetur Quod si igitur, quid tandem censeamus, requiras, S. P. N. Benedictum & S. Scholasticam in Monte Casino esse, censemus, non Bullis, maximè miraculis, aut libris inductі, cum hujusmodi testimonia utraque pars magna copia promat (sub finem tamen producemus) sed fundamento in causa, ratione, & plurium confessione posito.

Submotis illis paucis Italis, qui nescio quo affectu acti, negárunt SS. Benedictum & Scholasticam unquam in Galliam migrasse, inter cæteros omnes profecto, qui translationi assentiuntur, convenit, Carolomannum omne studium, curam, diligentiam in repetendis obtinendisque illis adhibuisse. Visum eorum gratia, potentia & opera, qui Floriacenses cogere poterant & volebant ad reddendum. Zacharias Papa jam primum lapidem moverat. Stephanus III. pro viribus institit: Floriacenses Pontificia Bulla ursit, & ussit. Pipinus rogatu amantissimi fratris Carolomanni, Monachi Casinensis, Floriacenses Papæ morem gerere imperavit: quod Galli ipsi non inficiantur. Atqui an non ineptum, absurdum, alienum à ratione fuerit, Pontificem Max. in Gallia id temporis degentem, & gladium Ecclesiasticum stringentem: tum etiam Pipinum, potentissimum Regem, sceptra torquentem, rerum dominum, ossa S. P. Benedicti imbellibus Monachis Floriacensibus extorquere nequivisse?

Similius vero est, SS. Benedictum & Scholasticam in Galliam ussetin Italiam redusse.

An nescis longas Regibus esse manus?
An nescis armatas esse Regum preces?

Carmen Regum est: *Sic volo, sic jubeo.*

Preces. Cedo nunc, sodes, quid erunt nutus? quid mandata? quid imperia? Neq; vero

simile

simile est S. Benedictum redire domum noluisse. Montem Casinum pulsis idolis excoluerat: Monasterium ei imposuerat: sedem ibidem fixerat: ætatem ibidem exegerat: eodem loci sepulchrum sibi fodi jusserat: inferri voluerat: & quisquam sibi persuadeat, Pontifice & Rege id agentibus ut Casinum referretur, & Carolomannus petitionis compos fieret, Monachos fumos vendere, aut fucum facere esse ausos? Ne dixeris. Apage cum nebulis. Non merebatur nebulas summorum capitum Christianitatis pietas. Immo S. Pater boni se consulere illam in Montem Casinum vetusque sepulchrum revocationem, miraculis in via patratis sat superq; indicavit. Atqui Galli miracula ista in rem conficta inquiunt, ideoq; inter fabulas putant; insuper miracula alia apud se facta bona, quod fide recensent. Nos vero nondum intelligimus, cur Gallis narrantibus potius credamus, quam Italis. Adeone S. Benedictum à patria & Monasterio suo, quod Religionis caput designaverat, abhorruisse putas, ut Episcopos summam diligentiam adhibentes quod deprehensus Casino restitueretur, oculis mulctârit? Cum subditi obedire teneantur majoribus, isne pœnas exegerit ab Episcopis, jussa Pontificis Max. exequentibus? & Floriacenses spreta Pontificis imperia illusaque fulmina impune tulerint? Quanto verborum pondere Sanctus Pater obedientiam nobis commendârit, palam est. Si præterea Reges Galliæ & ex ea gente Imperatores fuere certi, se se habere corpus S. Benedicti, cur in Montem Casinum suscepere peregrinationes? Nemo quærit foris, quod domi suppetit. Sed quid Galliam huc solam adduco? Orbis totus Montem Casinum hactenus frequentavit, ossa S. Benedicti ejusque sororis veneraturus, quæ tertium post istam restitutionem in hoc mundi theatro omnium oculis publice exposita fuere. Semel enim Desiderius Abbas. (Postea Victor III. Pontifex Max.) meridianam in lucem ea protulit: altera vice Cardinalis Aragonensis sub annum millesimum quadringentesimum octagesimum quartum, Volaterrano teste: vice tertia Hieronymus de Placentia, loci Antistes: Volvebatur tum annus millesimus quingentesimus quadragesimus quintus. Quid habes quod nobis hic respondeas? Testimonia certa, clara, submurmuranti ante ora obiicimus, explicata visa lectaque, quoties arca aperta fuit.

Si Pontifex, si Rex potuere, ac voluere, sub manus successisse negotium, existimandum.

Hic orbis prope universi sensus est.

Volaterran. l. 21.

Ossa S. Benedicti postquam è Gallia relata sunt, tertiò ostensa sunt.

Interest etiam miracula afferre, ab historicis ac Monachis Casini memoriæ prodita, quæ maximum pondus habent, quotiescunq; ab auctoribus fidei plenis proficiscuntur. An. millesimo sexagesimo sexto, V. Kal. Aprilis, qui dies Casino monti festus est, quod sit octavus à natali S. Benedicti, Desiderium Abbatem non parum fregit ingens mœror, excidium Monasterii secundum à Mauris illatum, ossa S. P. Nostri & S. Scholasticæ confudisse: humo jam mersa jacere: locum certum memoria excidisse. Iuvit sedulo indagare, ut est apud Leonem Cardinalem Ostiensem; fieri enimvero posse sperabat ut quærentibus se sua sponte offerent tam præsentes Cœlites, frater, ac soror. Non vanus labor fuit: nam ministri non multo negotio invenerunt. Libet aliquid è Petri Diaconi Casinensis Monachi Sermone excerpere. Desiderius Abbas, inquit, in Ecclesia Catholica magnarum virtutũ ingens exemplum, Casini templũ cum forte instauraret, corpus S. Benedicti in quodam sacello reperit, ignaris omnibus ubinã hic thesaurus absconditus esset. Simul insolenti motu terra concussa fuit, quã fateretur se deprehensam esse. Quid vis amplius? decies septies Mons Casinus eo die intremuit, omnibus incolis incredibili admiratione suspensis. An quia agnovit suum dominum, nec alios in lucem redeunti honores persolvere potuit? Cum David in memoriã revocaret antiqua Maris rubri, Iordanis, Montis Sinai, prodigia, stupore nimio subactus exclamavit: *Quid est tibi mare quod fugisti! & tu Iordanis, quia conversus es retrorsum! Montes exultastis sicut arietes: & colles sicut agni ovium. A facie Domini mota est terra: à facie Dei Iacob.* Ad hunc modum edito in lucem S. Benedicto, Casinus mons, quod ab eo coloniam ac Monasterium, accolæ Catholicam fidem accepissent, præ gaudio se se sustulit, vicissim subsidens: aer quoque ambrosium odorem sparsit. Cæterum sacra lipsana profundo hiatu condita erant. Apparebat sacellum olim & sepulchrum fuisse. Lapis proximus S. Benedictum una cum sua sorore & tumulo humatum, incisis litteris indicabat. Multa admiranda primis diebus acciderunt, populo undique confluente spectanteque. Voluit enim Deus Opt. palam facere, servum & amicum suum coram adesse. Unum relatu maxime dignum affero. Quidam energumenus Como oriundus sub idẽ tempus iter in Montem Casinũ intenderat, excitus fama. Simul ac ventum ad sepulchrum est, ecce tibi, cacodæmon quatere miserum & excruciare: sublato deinde ejulatu hæc verba jactare: *Benedictus me possessione expellit: Benedictus me fugat: nec plura vociferatus, erupit.* Præterea quidam civis Bariensis ab integra legione insessus, tunc quoque se admovit:

Pet. Diac. Sermon. quem refert V Vion ad 28. Martii.

S. Benedictus à Desiderio Abbate inventus.

Psal. 113.

Petrus Diac. ibid.

Sacra D. Benedicti lipsana cacodæmones possessione exuunt.

liber fœdissimis hospitibus abivit. Hujusmodi indiciis ac testimoniis didicere Monachi, eum revera locum esse, ubi S. Benedictum quiescere à majoribus acceperant. Rem ita se habere, ex Bulla Alexandri II. cognoscere licet, quæ locum primum in Appendice Leonis Ostiensis obtinet: in nostra vero locum XVII.

Script. XXI.

Sed ut vetera quoque repetamus, anno millesimo vicesimo integerrimæ vitæ Monachus degebat Casini, ut auctor est Leo Cadinalis Ostiensis. Adamo nomen erat, quem Abbas crebro Romam negotiorum conficiendorum causa mittebat. Intercesserat ipsi magna familiaritas cum Abbate ad Sanctum Paulum, ubi hospitari consueverat.

S. Benedictus Adamum Casinens. Monachum de sua præsentia certiorem facit.

Ostiens. l. 2. c. 41.

Cum aliquando ultro citroque verba fererent, mi frater Adame, inquit Antistes, nihilne explorati habes, num Sanctus Benedictus penes Casinenses, an vero penes Floriacenses sit? Multa profecto miracula Floriaci ab ipso edi ferunt: nullum in Monte Casino. Tum frater Adamus, obsecro te, ait, concede mecum! injectaque manu se duxit in templum, ubi aram Sancti Pauli dextra tangens, juro Deum, dixit, & corpus Sancti Pauli, quod hic adest, vera me relaturum. Vehementer ego quidem dubitavi, utro in loco Patriarcha noster esset, quod animadverterem multos quoque alios ambigere. Hinc ego quidem nonnihil de cultu remisi. Aliquando vero cum Monachi nostri peracto Completorio è choro excessissent, ingens me desiderium cepit sancti sepulchri visendi. Suspenso gradu accessi: omnia circumspexi, pendens animi amantissimus noster Pater an ibi, vel ubinam terrarum esset. Fessus anxia cura hac genibus innitens solito ardentius me Divo commendavi, non mea virtute, sed vi quadam divina incitatus.

Bono temporis spatio inter orandum & meditandum extracto, ecce! conspectum meum subivit venerabilis Pater: quid es tam tristis, Adame rogans: cur deinde fluctuas quis me locus teneat? Hic commoror mea cum sorore, vestrisq; precibus, cum fervent, intersumus, iidemque causam vestram apud Deum agimus. Neque ante supremum orbis universi diem loco nos movebimus. Cæterum ne imponi tibi putes, cum ex more tuo primus ad Matutinum officium tendes, è meo sepulchro virgam fragrantissimos odores fundentem, erigi videbis. Inter extrema hæc verba mihi elapsus est, qui præ gaudio in lachrymas solutus vix apud me fui. Tandem animi jam bene compos gratias habui

Adamus Casinensis Monachus, inter gemitus de lipsanis S. P. Nostri fit certior.

Opt. Max. Deo quod me sic beasset: & S. P. Nostro quod ei non omnino indignus sim visus quocum sermones fereret, deque suis venerandis ossibus certiorem faceret.

Incredibile vero dictu est, brevis ante matutinas preces mora, quæ expectando trahenda erat, quam longa mihi visa sit. Dato signo, pleno gradu me tuli in templum: confestim oculos sepulchro adjeci unde splendidam virgam tendi conspexi, cœlestesque odores late spargentem senti. Præterea nulla hunc Divum miracula in Monte Casino patrare, quam longissime à vero abest. Omitto ea quæ senes nostri narrare solent: unum affero cujus testis oculatus egomet sum. Andream Barensem malo genio occupatum, adduxere sui parentes, & collocarunt ante sepulchrum sancti viri, nobis omnibus quid ageretur ignaris. Quid fit! Dum laudes Dei decantamus in choro, energumenus tollere ingentem ululatum: miscere lamenta: aures obtundere. Ego sine mora advolavi, exploraturus quam rem ad sepulchrum gererent.

S. Benedictus in Monte Casino colapho expellit dæmonem.

Dum oculis suspensis omnia contemplor, superi! S. Benedictus cultu Monastico indutus prodit: energumeno colaphum ducit: extemplo in fugam se diabolus conicit: mox Pater etiam è conspectu abiit. Hæc omnia Adamus Monachus Casinensis, Abbati S. Pauli recensuit, majorem in modum orans, ne se vivo evulgaret.

Ne autem dicta in dubium voces, quasi vir ille suæ causæ consultum iverit (etsi domesticis major habenda fides) exteros adducemus. Anno millesimo centesimo decimo, ut est apud Petrum Diaconum, Hugo, bellicosus homo juxtaque moderatus, ac ideo ducibus, sub quibus stipendia fecit, charus, cum primis vero Raonio Racheli Comitis filio. Convenit inter ipsos sacrum Pascha in Monte Casino agere. Dum angusto tramite paulatim monte difficilem superant, fallente vestigio collabitur Hugonis equus: sessor implicitus utrumque crus frangit: insuper in deliquium incidit, ut manibus vectandus fuerit in Monasterium. Res non parva erat, alterum heri Herculem, spe rerum gerendarum plenum, sequenti luce non potuisse pedibus consistere, quodque amplius est, sibi excidisse. Collocatus miser ante altare, quo conditus est D. Benedictus, sensim ad se rediit, tum precibus lachrymas admiscens integros pedes à Patre optimo repetivit, quos eundem visitando corruperat. Inter hæc lamenta dies exiit. Ingruente nocte negotium suis dedit

Pet. Diac. l. 4. c. 46.

Hugo miles S. Benedictum ex urna prodeuntem videt.

æditus, infirmos abscedere juberent. At ubi ad Hugonem ventum est, concusso capite negavit, Is enimvero passurum se, ut è templo ante acceptam salutem auferretur. Cum illi nihilominus militem urgerent, jurejurando se obstrinxit non cessurum loco: sed perseveraturum, lachrymas & preces ciendo, donec ope S. Benedicti, cujus gratia non absque magno animi devoti fervore, infaustum iter suscepisset, integro abire liceret, hîc mori ingeminans vel sanum discedere, stat sententia. (Verbis jusjurandum interposuit.) Veni equidem visitatum Monasterium: salutatũ S. Benedictum: faciam quod constitui. Abirent famuli: æditus pessulum foribus obvolveret. Dictum, ac factum. Iam summa nox orantis oculis incumbebat, cum gravi somno oppressus ex ara, qua S. P. Nostri ossa componuntur, senem canitie venerandum, amictu insectum qualem Abbates in publicis supplicationibus ferre solent, prodire conspexit, qui manu per utrãque tibiam fractam blande ducta, ore renidenti salvus sis, dixit: satis vero minarum est: posthac bona verba: simul ægro pedes restituens, ex oculis evanuit. Hugo ex grabato corpus subito attollens, præ lætitia, identidem examinavit crura num revera confirmata essent, herumque solide ferre possent: vel num profundo somno mersus, huic lodibrio opportunus fuisset. Ad extremum sanitatis certus, reliquũ noctis Deo & S. Benedicto gratias agendo contrivit. Mane Monachis, quid secum actum esset, retulit. Hebdomade sancta feriisq; paschalibus ibidem exactis, Theanum urbem petens, militia se abdicavit, totoque mundo valere jusso, vitam vere Christianam coluit. Nam excitato valetudinario publico, pauperibus serviebat: suum vero corpus asperrime habebat. Quindecim annis inter hæc ministeria consumptis, rectius se facturum putavit, si reliquos in Monte Casino poneret, ubi tanto beneficio à D. Benedicto affectus fuisset. Igitur hic habitum religiosum sumit, miraculi perpetuus testis: vita pie exacta sanctissime moritur.

Hugo receptis à D. Benedicto pedibus, perquam piam & asperam inivit vivendi rationem.

At sublata manu silentium nobis indicis; forsan enim hæc admiranda non ossibus D. Benedicti præsentibus, sed aliorum spei, amori, cultui denique, quo sanctum prosequuti sunt, in acceptis ferenda dictitans. Idem Gregorio Magno visum. *Vbi in suis corporibus*, inquit, *sancti Martyres jacent, dubium Petre non est, quod multa valeant signa demonstrare, sicut & faciunt, & pura mente quærentibus innumera miracula ostendunt.* Sed quia ab infirmis *potest mentibus dubitari, utrumne ad exaudiendum ibi præsentes sint*, ubi constat quia in suis corporibus nõ sunt, ibi necesse est eos majora signa ostendere, ubi de eorũ præsentia potest mens *infirma dubitare. Quorum vero mens in Deo fixa est, tanto majus habet fidei meritum, quanto illic eos novit non jacere corpore, & tamen non deesse ab exauditione.*

D. Greg. l. 2. Dial. c. 38.

Ergo ad vacuum Sancti Benedicti sepulchrum plura, eaq; insigniora miracula, Numine annuente, fieri poterant, quam dum certo constabat sacris ossibus plenum esse. Vt tibi hoc demus, aliud tamen est facere miracula: aliud edere certa quoque indicia, ex quibus intelligas Sanctum esse præsentem.

Quæ nos attulimus ejusmodi sunt, ut testentur D. Benedictum suum sepulchrum incolere. Qui enim id supplices frequentárunt, S. Patriarcham in eo conditum crediderunt, ipseque se præsentem monstrans, beneficia hac de causa apud clientes collocavit. Si testes illustriores desideras, S. Henricum Imp. & Vrbanum II. habe.

Idem Divus Casini sua ossa composita esse, S. Henricum docet.

In montem Casinum venerat Henricus, D. Benedicti sacra lipsana veneraturus, diro calculi malo ad opem implorandam subactus. Dubitabat vero num adessent, quod multorum ore ferrentur, esse in Gallia. Ergo fluctuanti Sanctus Pater se obtulit: in Monte Casino sedem se cepisse ac tenere, affirmavit. Vt vero dubium hoc poneret, primo mane tres calculos cum urina profusurum. Nocte inter dolores ducta, tres lapillos bene magnos ad primam lucem emisit. Non mora, coactis in Capitulum Monachis rem omnem ordine exposuit. Facile profecto statuere jam potes, utram sententiam sequaris.

Leo ostiensis lib. 2 c. 44. 45. 46. adi & tom 1. ad an. 543.

Vrbanus II. gente Gallus, cui virtus singularis, eruditio, modestia, terra sancta recuperata, magnum fecere nomen, cum S. Benedicto se dedere constituisset, Cluniaci Monachum induit; gradatim deinde ascendens, demum in Pontificium fastigium evasit. Tanto honore auctus contendit in Montem Casinum, culturus suum Patrem. Quantis ab eo beneficijs fuerit onustus, ipse in quodam *Motu proprio* recenset, cui post ducentos annos Clemens Papa his pæne verbis subscripsit:

Vide append. hist. Casin.

Clemens servus servorum Dei dilectis filiis Abbati & Monachis Monasterii Casinensis sedi Apostolicæ immediate subjecti, salutem & benedictionem. Vrbani Papæ antecessoris nostri privilegium quod nobis exhibuistis, diligenter legimus; id vero cum vetustate consomptum sit, & vos ut renovetur cupiatis, declaramus tale esse. Vrbanus Episcopus servus servorum Dei, omnibus

Vrban. PP. II diploma litem.

filiis Ecclesiæ Catholicæ precioso sanguine Christi redemptis, salutem & Apostolicam benedictionem. Scriptum est, Deum nunquam pœnitere beneficiorũ in nos collatorum: quocirca fieri non potuit ut gratiarum momenta quæ in S. P. N. Benedictum, & propter ipsum in Montem Casinum contulit, perierint, aut mutata sint.

E pectore hujus Sancti tanquam ex fonte qui paradisum irrigavit, Religio fluxit: ex miraculis & sanctitate Monasterii, fama & nomen. Cum igitur festo ipsius die secundum consuetudinem antecessorum nostrorum in Montem Casinum me contulissem, lateris dolore correptus & prope ad mortem actus sum.

Quocirca singulari devotione opem Sancti imploravi, ita tamen ut de præsentia corporis ejus dubitarem.

Is vero ea nocte mihi apparuit dicens: Quare dubitas an ego hic loci sim? Roganti mihi quis nam esset? *Benedictus*, respondit: *hujus Monasterii Fundator. Ut vero te dubio absolvam num ego meaq; soror in Ecclesia ista sepulti simus, lateris dolore cum signum ad Matutinum dabitur, liber aberis.*

Quamprimum pulsata campana fuit, dolor non modo sedatus sed etiam sublatus est, festum vero summo gaudio & gratiarum actione celebravi, Cardinalibus, Episcopis, Monachis multum de suo addentibus. Hæc cum ita, severe mandamus ne quisquam translationem falsam S. Benedicti celebrare ausit. Porro, cum nostræ obligationis sit ab omnibus gravamina avertere, & beneficium à S. Benedicto acceptum agnoscere, ut discipuli ipsius atque Religiosi quiete vivant, divino cultui intenti & sanctæ contemplationi, nosque suis orationibus juvent quanto magis sæcularibus curis erunt vacui; Monasterio Casinensi per præsentes confirmamus quicquid à piis personis collatum est, à Iustini & Iustiniani Imperatorum temporibus, & quicquid legitime possident. Confirmamus ipsi quoque privilegia à Romanis Pontificibus accepta, & donationes Imperatorum, Regum, Marchionum, Ducum, Principum atque fidelium, quas S. Benedicto fecerunt, ejusque Monasterio. Si quis huic constitutioni nostræ contradixerit, si post unam & alteram admonitionem non emendaverit, à dignitate & officio deponatur, & à sanctissimo altaris sacramento arceatur, seque in districto judicio Dei graviter castigandum sciat. Qui vero dictæ constitutioni nostræ obedierint, pax Iesu Christi super illos, ut tam in hac, quam in altera vita bonorum operum fructus percipiant. Datum Capuæ Kalend. Aprilis per manum Iohannis Cardinalis, indictione XIII. Pontificatus Vrbani II. anno nono.

Pondus ista habere debent ad persuadendum, Montem Casinum possidere ossa Sancti Benedicti, hoc tamen etiam addamus ex Petro Diacono. Cum Paschalis II. ante id Monachus Ordinis Sancti Benedicti, versaretur Floriaci, incolæ V. Id. Iulii translationem ejusdem Patriarchæ annuis honoribus instaurabant: unde gravis controversia inter Monachos Gallos Italosque tum præsentes coorta est. Ad eam componendam Pontifex insomnes horas ducens, in preces incubuit, orans Deum & obtestans, hanc litem ut indicio aliquo dirimeret. Capta nonnulla quiete in chorum convenere Monachi, jamque per sua loca quisque digesti, festivo cantu Translationem Sancti Benedicti celebrare pro Matutino volvere, sed ecce! vox omnibus hæsit, tantusque horror invasit universos, ut ore hianti frustra primam syllabam molirentur. Mutato igitur consilio Matutinum de Feria recitare instituunt. Quid fit? linguas & verba facile explicant: stupor incussus evanescit. Quid deinde? Prompti jam ore, repetunt Matutinum de Translatione: iterum intenti ora pariter tenent: voces edere nequeunt.

Pet. Diac. l. 4. cap. 31.

Floriacenses translati S. Benedicti laudes decantaturi, obmutescunt.

Tum victoriam Italis cesserunt. Cum Pontifex prima luce intellexisset, quid nocte gestum esset, Deo gratias meminit: acscitis postea Monachis in mandatis dedit, aram S. Benedicti ut auferrent, ne deinceps ansam errandi præberet. Insuper iisdem retulit corpus gloriosi patris sub Alexandro II. qui se antecessisset, in Monte Casino defectum esse.

Paschalis II. ossa D. Benedicti Casinensibus adjudicat.

Addit Petrus Diaconus Monachos ad vestigia Pontificis humi fusos, majorem in modum orasse, ne aram Divo Benedicto positam tollere cogerentur.

Fore enim ut regnum veterem devotionem exuat in Sanctum, & ipsi vero contemptui habeantur, ac bona Monasterii à cupidis accidantur. Annuisse Paschalem, itaque pronunciasse, corpus S. Benedicti non esse Floriaci.

Credo tot auctores claros, famam à majoribus ad nos profectam, totius Italiæ vocem publicam, non modo incolarum, sed etiam exterarum gentium susceptas in Montem Casinum peregrinationes, Bullas insuper Pontificias, longe notissima miracula, Congregationis Hispaniæ sensum, sufficere ad fidem faciendam, Sanct. P. No-

strum

In hac controversia Hispani causas assentandi procul habent.

strum una cum sua sorore frustra Floriaci quæri: in Monte Casino inveniri. Neque ægre ferre debent Galli, credere Hispanos hæc lipsana Floriaco domum relata esse, cum plane notandi forent, in severis Pontificum Bullis sese submitterent.

S. Bened. nō totus deservit Floriacum.
Sur. 23. Apr.

Denique Hispanis hic nec seritor nec metitur, proinde absque partium studio quod vero est simillimum, sentiunt. Porro tantum abest ut hoc thesauro Floriacum penitus exutum suspicentur, ut aliquid ibi adhuc reliqui esse, pro certo habeant. S. Adelbertus Martyr, Pragensis Episcopus, cujus acta Monachus coævus memoriæ prodidit, multos annos postquam è Gallia domum revertit S. Benedictus, Floriacum cōcessit, saltem ejus aliquam particulam veneraturus. Præterea rerum Odonis Abbatis Cluniacensis auctor, mentionem facit Gallorum corpus nostri Patriarchæ adeuntium, atque venerantium. Refert etiam VVestmonasteriensis multitudine ingenti in Galliam ruentibus Nordmannis in fugam actos Monachos Floriacenses corpus S. Benedicti secum subduxisse. Idem facit Robertus Ganguinus dum barbarorum istorum incursionem sub Carolo simplici memorat, additque Divum hunc cum Sigiloso Comite expostulasse, quod Monasterio bene non fecisset: tum vero ad signa cū hostibus conferenda incitasse, eidemque victoriam à Numine obtinuisse.

Sur. 18. Nov.

Matthæus VVestm. an. 882.

Adrebaldum & Aimoinum adi, qui miraculis prolixe incumbunt ad fidem faciendam, etiamnum hodie S. Benedictum Floriaci commorari, quam vocem omnes Galli emittunt. Quippe ni vero, cum in miraculis, fama à majoribus accepta, auctoribus, & peregrinis sepulchrum frequentantibus, etiam Itali præsidium quærant.

Molan. in Martyrol. Vsuard. l. 23.

Recte Molanus, quantum judicare possumus, in Vsuardi Martyrologium scripsit: *Vt clausulam hanc imponamus operi, te rogo, candide Lector, ut Sanctorum vitas volvendo ne subitas aut præcipites censuras feras, aliud ex alio culpando ex ingenio hæreticorum*, qui secundum Apostolos Petrum & Iudam quod ignorant, blasphemant Neque in vestigia Antichristi eas, cujus erit proprium nomen Domini blasphemiis lacessere: Cælites traducere S. Augustini in mentem tibi veniat, asserentis à censuris abstinendum si necessitas nulla subigat. Idem de reprehensione existima. Exemplum cape. De S. Sebastiano VVandelbertus canit:

2. Pet. 2. Epist. Iud.

S. Aug. l. 2. de serm. Domini in monte, c. 30

Roma quem vectum, nunc Suessio læta frequentat:

Quod ad totum Sebastianum referri non potest, sed aliquam ejus partem. Ita Ado Viennensis nonnullique alii totum subinde accipiunt pro parte, nimis pii Rhetores, quod qui nescit, ideoque ipsos aliosque falsi postulat, in caute atque in consulte judicat Parum proinde honori suo consulunt, qui indignis modis à se dissentientes accipiunt, cœlo terraque eos proscrioentes: qua parte Itali Gallique de hac translatione scribentes, æque peccarunt. Vtinam ad Molani dicta animum adverterent potius, quam certarent injuriis, & cavillis. Præterea multi integrum corpus alicujus Sancti habere se putant, quando vix sextam ejus partem possident. Si viginti vel triginta ossa numerent; ingenti voce illius Sancti, quem voluerint corpus penes se esse clamabunt. Nimis audacter: nimis imprudenter.

Historici quandoq; partem pro toto accipiunt.

Nam anatomistæ qui totum hominis corpus vertunt, versant, explorant, omniaque considerant, trecentis amplius ossibus id constare affirmant.

Tom. 2. an. 583.
Corpus humanum 300 amplius ossibus cohæret.

Floriaci aliquid S. Benedicti remansisse, quod postea toti Galliæ venerationi fuerit, non dubitamus. Quis enim credat tot viros doctos, graves, bonos, orbi imponere voluisse, asserendo Floriacenses habere gloriosi Patris reliquias, si nihil ipsis fuisset relictum?

Superesse aliquid Floriaci de S. Benedicto, persuadet incolarum prudentia & industria.

Sed juvat nunc præterire historicos: supersedere Bullis, peregrinationibus, publica fama, per aliquot secula ad nos deducta, quibus telis tam Galli quam Itali sunt instructi: neque enim litem expediunt, sed implicant: juvat, inquam, rationem & prudentiam humanam jam nunc ad consilium adhibere. Faciamus S. Benedictum ex Italia in Galliam translatum fuisse, id quod à principio satis ostendimus: voluerit etiam Pipinus Rex hoc insigni beneficio fratrem suum Carolomannum prosequi & Casinensibus suum thesaurum reddere: Vel igitur invitis Monachis ablatus est, vel annuentibus. Si Floriaco vis à Rege allata, quod quidam ajunt, verosimillimum est Monachos eodem stratagemate usos, quo Patriarcha Iacob qui sibi metuens ab Esau fratre suo, noluit omnia simul discrimini objicere, *Sed divisit populum qui secum erat: greges quoque & oves & boves & camelos in duas turmas dicens: si venerit Esau ad unam turmam, & percusserit eam, alia turma quæ reliqua est, salvabitur.* Demas ergo verum esse quod fertur, S. Benedictum in templo Floriaci fuisse conditum: regios ministros captis ligonibus humum aperuisse: ad extremum repertum Divum sustulisse; quis tamen affirmare ausit, os nullum defuisse? nihil à quoquam sublectum esse? Ca-

Gen. 32.

sinenses omnes, Carolomannum ante alios, Regem, Pontificem, huic thesauro imminere non solum à fama acceperant Floriacenses, sed ex litteris didicerant, & adeo obesæ naris fuerint, aut ita iacuerint omnium animi, ut uno tumulo totum composuerint? nihil sibi detraxerint; Nondum tanta dementia cepit Gallos.

Quod si incolæ æqui bonique fecere Pontificis Regisque consilium, & sua sponte D. Benedictum obtulere, nisi ab insanis credi haud potest non esse, non officulo fuisse donatos, tot annorum thesauri istius non indiligentes custodes. Neq; nobis persuademus Pipinum Regem, & Carolomannum regium Fratrem, suam Galliam & tunica & pallio exuere voluisse, ad ornandam Italiam, idque egisse ut nihil etiam pro regni solatio reliqui fieret in sepulchro. Quin ipsum S. Benedictum pro hospitio & servitio longævo sic solvere Floriacensibus voluisse, in animum inducimus.

V[illegible] S. [illegible] vel p[illegible] loca divisus.

Ne vero intolerabilis hyperbole tibi videatur, unum corpus duobus locis asservari, qui fieri possit, advertetis. In quodam Hispaniæ Monasterio brachium cujuspiam Sancti, magnæ venerationi erat. Mirum hujus obtinendi desiderium è proceribus quédam tenuit, quocirca accitum ad se Antistitem etiam atque etiam rogavit, ut ejus sibi faceret copiam. Etenim animum sibi esse novum templum, quod moliretur, hoc munere conspicuum reddere. Si quidem per me unum staret, excepit Abbas, annuerem, petitioni: atqui brachium quod me poscis, non in mea unius, sed insuper cœtus mei manu est. Meminero tamen mearum partium esse, eum in hanc mentem impellere. Venitur domum: itur in Capitulum: quid petatur, in medium proponitur. Facilis Præsul nihil viro negari debere putavit, quod in ejus ditione situm esset Monasterium. Rugas ducunt senes, præsidium, fulcra; decora Monasteriorum esse tam præsentes Divos, dictitantes. Consilio huc illuc diu versato, demum in sententiam Antistitis inclinantur senes, in quam sine mora concesserant juvenes. Usi tamen hoc pio dolo sunt.

Pia fraus.

Brachio argenteo ossa duo inserta erant, de quibus non plus apparebat, quam objecta fenestella in conspectum dabat.

Aurifabro negotium dederunt, ut brachium ex argento conflaret alterum, priori quam simillimum. Is admovit manum operi: pondus, altitudinem, speciem, ad unguem assequutus est. Tum Monachi ossa æqua in partes fracta tanta arte distribuerunt, ut jam vix ipsi hoc brachium ab illo internoscere potuerint. Gaudebant senes non integrum thesaurum submotum: nobilia fraudis ignarus, integerrimas gratias egit. Viden' ut ex uno alicujus Sancti brachio plura fieri queant? Quocirca qui obtusa pectora gestant, neque ex uno facere duo possunt, in jus eos obtorto collo raperent, alicujus Divi corpus penes se esse dictitantes, si idem à fama feratur esse alibi.

Ut tandem longam controversiam, quæ tam Italos quam Gallos fatigavit, paucis componamus, S. Benedictum cum S. Scholastica sub hoc tempus à S. Aygulpho Monacho & Martyre Floriacum fuisse translatum, Abbatis munere S. Mummulo obeunte, nos pro certo habemus. Item hoc quoq; eadem sancta lipsana à Carolomanno in Montem Casinum relata, Floriaci tamen aliqua parte relicta quam incolæ corpus Sancti Benedicti appellarint, & quorum gratia Deus miracula patraverit. In hanc sententiam tota id Hispania quam Casinenses merito æqui bonique facere debent, cum ipsi majorem partem trahat. Non igitur Floriacensibus fratribus suis pauca ossa; neq; Vallisoletanis in Hispania os coxendicis integrum, neque incolis Monasterii S. Dominici de Silo os aliud invidebunt, quæ lipsana toti regno venerationi sunt.

Vallisolet. Mon os coxendicis S. Benedicti asservat.

Nunquam committemus, inquiunt Casinenses, *ut Patrem nostrum dividamus: vel aliquando hinc ablatum, concedamus. Bulla Urbani II. in manibus est, qua cavit Ne quisquam falsam translationem S. Benedicti celebrare auderet.* Itane vero? Cur ergo multos non unam duntaxat translationem, sed etiam alteram celebrare passim audere, ultro fatemini? Hispani cur eum diem tam festivo apparatu obeunt? Scrupulum hunc præter alia quamplurima, Clemens VII. Bulla penitus exemit. Quid deinde si Urbani II. Bulla non fuit vulgata? vel vulgata nihil promovit? nunquam ad rem redacta?

Lege P. Diac. de gest. Longobard. l. 6 c. 2. Rober, Cenal. l. 2. perioch. 4. Mijer, anno 1302. Vincent. Belvac. l. 23. c. 122. & 155. Matth. Palm. an 704. S. Antonin tit. 15. c. 6. § 32. Chron. Adon 5. Id. Iul. Sur. 5 Sept. Petr. Diac. l. 4. c. 31. Arnold. l. 3. 2 Iul. & 4 Dec. Pet Vener. l. 5 ep 29 Mart. Polon. an. 671. & 740. Tepiam. c. 39. Petr. de Nat. l. 6. c. 21. Bar. an. 664. Bonifac. Simonett l. 4. c. 52. Sigebert. an. 46.

Viris enim compertæ sanctimoniæ & eruditionis in Gallia hic dies festus fuit annis non paucis: hanc translationem integris libris cecinerunt? Quod si Urbani II. Bulla non modo promulgata sed insuper accepta fuit, vera Pontificis mens spectanda erat. Is enim S. Benedicti, jam è Gallia reducis, solennem diem in Monte Casino peragens, multos dubitare animadvertit, ubi locorum hoc decus Italiæ esset, tum vero maxime, quod Galli ejus translationem quod annis solenni cultu instaurarent, sibique vindicarent. Quocirca non absq; stomacho allocutus est pertinaces, eosque de oblato sibi illa nocte S. Benedicto, deque ossium ipsius sacrorum præsentia fecit certiores. Quid

VVasimon. an. 681. Fascicul. temporum an. 664. Martyrol. Vsuard. Galesini, Maurolici. Breviar. Cluniac. Vitonis, Salmantic. Burgens. Asturicens. Vallisoletan. Leo Ostiens. Hist. Cas. li. 2. c. 45 Baron. anno 1007.

deinde vetat falsam ab eo vocatam translationem, quod historiæ veræ nugatores nonnulli quædam falsa attexuissent; veluti *Aygulphum* cœlestis genii jussu S. Benedicti corpus asportasse, & ab eodem Summum Pontificem impulsum, ut audacem cum sociis è fuga retraheret, pœnasque temeritatis ab ijs exigeret: quæ fabula risum movit Ostiensi. Vt ut sit, Bulla hæc absque nervo est, quam aliqui negant à Papa profectam, etiamque Baronius nigro lapillo notat, quam nos illi labem nec impingimus, nec abstergimus. Argumentis igitur adversis ita penitus exossatis, non est cur festum traslationis S. Benedicti è Breviario expungamus.

Scrips. 21.

Iam nunc Bullam aliam ab Alexandro II. acceptam, à nobis vero in Appendicem rejectam, proferunt Casinenses, in qua Pontifex de Abbate Desiderio hæc versa facit: *Sanctissima corpora intemerata & indiminuta invenimus.* Ergo nec minutum quidem officuium de S. Benedicto & S. Scholastica desideramus, inquiunt. Atqui Summum Ecclesiæ Caput alio collimavit: videlicet neminem amplius ausum hisce corporibus admovere manum aliquid inde sublegendo, postquam Monti Casino restituta sunt, sicque Desiderium Abbatem ea legatis suis ostendisse. Hanc Pontifici mentem fuisse, Desiderii litteræ ad Floriacenses datæ, quas Appendix nostra exhibet, suppeditante Iohanne Bosco, clare docent. Etenim amicitiam atque societatem singularem inter Casinenses Monachos & Floriacéses intercedere, scribit: deinde magis in eam quidem sententiam se ferri significat, ut credat S. Benedicti corpus Casini esse, addit nihilominus: *Sive illud habere vos, qualibet occasio fecerit, sive quid illius habere, gratulantes speratis*: adeoq; Floriacum non penitus hoc thesauro exuit, cujus causam nos hactenus egimus.

Alex. II. Bulla, à Casinēs. ante oculos exposita, paucis explicatur. Scrips. 24.

Script. 25. Io. Boscus in Bibliotheca.

CAPUT. II.

Monasterii Floriacensis ornamenta.

Cum S. Bened. multa ornamenta in Floriacense Monast. collata sunt.

PRincipia Floriacum à Sancto Leodebodo Fundatore, & S. Mummulo Abbate duxit. Præter sanctos & integerrimæ disciplinæ Monachos, ei quoq; S.P.N. Benedicti corpus obtigit, cujus hodie partem haud exiguam possident, adeo ut multi totum Patriacham ei adjudicent. Poterat notum illud carmen sibi occinere Floriacum: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illo.* Nimirum filii perfectionis studiosissimi, publica fama: pro rei pondere æstimatio atque gloria; opes insuper tam ab Ecclesiasticis quam sæcularibus collatæ. Vnde præter Monachos, quamplurimos egenos alere consuevit, charitate omnia effundente. Diebus Mercurii & Veneris solus panis cum olusculis ponebatur Religiosis, qui duobus vel tribus, è turba pauperum accersitis, lavabant pedes, quotiescunque jejunabant: tum lotos convivlolo accipiebant. Solennibus vero Nativitatis Domini, Resurrectionis & Pentecostes festis pauperes non minus centum simili beneficio afficiebantur. Tritas Monachorum vestes nudi, quam si suam hæreditatem adirent, capere solebant, submotis famulis Monasterii, quod tamen alicubi contra Sanct. Regulam ferebat consuetudo.

Lex S. Benedicti. Accipientes nova, vetera semper reddātur in præsenti reponenda in vestiario propter pauperes S. Reg. c. 55.

Porro Monasterium hoc nemini Episcoporum, sed Summo tantum Pontifici fuit subjectum, quod ex privilegiis apparet. Illi autem quam plurimi Prioratus parebāt, quam ob causam Arnoldus VVion id aliquot annis à fundatione Congregationis (Floriacensem vocat) fuisse caput affirmat. Sed pridem ostendimus, errasse hunc auctorem. Neq; enim nostra olim cohærere Monasteria, aut unum alteri jus dicebat: neque vero simile est, Cœnobia S. Dionysii, Sancti Germani Parisiis, S. Medardi, S. Martini Turonensis aliaque longe illustrissima sacramentū Floriacensi dixisse. Quot VVion ex Prioratibus & Asceteriis minoribus Floriaco annexis & subjectis conflare vult Cōgregationem, nihil agit: neque auctorem antiquum habet quem in testem producat.

Omnia Monasteria in fœdus olim coivisse putat, quasi non plura libertati suæ renunciare noluerint, quam per Galliam, Italiam, Germaniam, aliasque provincias Cōgregationibus nomina dederint. Operæ pretium fecerimus, si Prioratuum Floriaco subjectorum syllabum ex Iohanne Bosco subjiciamus, ut intelligas Monasteria quædam Congregationi Floriacensi falso à VVione fuisse inserta. Immo Congregatio Floriacensis nulla unquam fuit.

Prioratus de Regla.
Prioratus de Salio.
Prioratus de Patriciaco.
Prioratus de Diaco.
Prioratus de Castronovo.
Prioratus de S. Cæsare.
Prioratus de Castilhon.
Prioratus de Valiaco.
Prioratus de S. Bricio.
Prioratus de Aniciana.
Prioratus de Greicio.
Prioratus de Mariniaco.

Prioratus

Prioratus de Castellucio.
Prioratus de S. Gervasio.
Prioratus de Martiniaco.
Prioratus Diensis.
Prioratus de Lauriaco.
Prioratus Villæ Abbatis.
Prioratus de Castronovo secundus.
Prioratus de Vitriaco.
Prioratus de Yeura.
Prioratus de Estampis.
Prioratus de Ancurth.
Prioratus de Giriaco.
Prioratus de Mitinga.
Prioratus S. Iacobi de Buroto.
Prioratus S. Hilarii.
Prioratus de Chesa.
Prioratus Aurelianensis.

Hæc domus si Congregationi sufficiunt, tot medius-fidius in Hispania numerabimus, Congregationes quod insigniora Monasteria, à quibus plures Prioratus, quam à Floriacensi dependent. Cœnobia S. Æmiliani, S. Martini, S. Iacobi, S. Salvatoris de Onna, Sancti Benedicti de Sahagun exemplo sint.

Inter Academias Ordinis nostri non ultimum locum tenuit Floriacensis. Papirus Masonus, auctor quidem novus, attamen gravis, diligens, & qui res multas in pauca verba concludit, dum sub Roberto Rege, nec non Hugone Capeto, Galliam gnaviter in litteras incubuisse scribit, *Verum Rhemensis schola*, inquit, *cæteris antestare videbatur propter Gerberti autoritatem, præstantiamque, cui ob eam causam Otho & Robertus in disciplinam dati sunt. Nec hoc loco prætereunda videntur illa Helgaudii verba: Robertus à patre scholæ Rhemensi traditus, Domino Gerberto ad erudiendum est datus qui eum sufficienter liberalibus instruxit disciplinis. Hic est ille Gerbertus, qui ex Monacho Floriacensi Othonis Cæsaris ac discipuli sui beneficio Romanus Pontifex tandem designatus est. De Floriacensi Monasterio sæpe loquuti sumus id in Diœcesi Aurelianensi ad Ligerim situm; hodie Benedicti nomen habet, fuit olim omnium bonarum artium sedes certumque domicilium.* De Philippo vero agens, *Rex*, ait, *aliquanto post decessit Meleduni Senonum, cum annum ætatis sexagesimum pæne attigisset, ac Floriaci ad Ligerim ubi tunc liberalium artium studia florebant, uti mandaverat, sepultus est, hodieque tumulus ejus cum effigie visitur in templo, civilibus bellis deformato.*

Baronius Gerbertum pro Monacho Auriacensi habet an. 991.

Floriacum bonarum artium domicilium.

Philip Rex ibidem humatus.

Magnum Floriaci totiusque Galliæ ornamentum Gerbertus fuit, qui cum Rhemis juventutem excoleret, eam Academiæ famam peperit, ut Hugo Capetus Rex Robertum principem, qui olim ipsi in regnum successit: Otho I. Imperat. filium suum Othonem, miserint ibidem imbuendos, qui cum litteris etiam amorem erga magistrum imbiberunt, annisque labentibus egregium el διδακτρον persolverunt. Roberto namque Archiepiscopalem mitram Rhemensem: Othoni, qui post patrem imperavit, Ravennatensem, ac tandem Pontificatum Romanum in acceptis referre debuit Gerbertus. Neque hoc absque nota abire sinimus, tria R.R.R. homini litterato obtigisse, tanquam Antistiti Rhemensi, Ravennatensi, Romano.

Mathematices peritissimus fuit, in cujus fundamentis clepsydram invenit momenta temporum guttis dimetiendo. Hujusmodi arcanorum non capax vulgus aliquandiu pro præstigiatore virum tulit, grandi quidem errore, sed tamen usitato. Quid enim tam pronum, quam auctores rerum invadere; de magia postulare, si inaudita, si invisa in conspectum dent? Pontifex. Max. creatus, Sylvestri II. nomen sibi sumpsit. Et vero ad famam Monasterii Floriacensis pertinet, Vicarium Christi habuisse.

Gerbertus Monachus Floriacens. clepsydræ architectus.

Creatus Pont Max. & Sylvester II. dictus.

Digni etiam qui subeant memoriam SS. Leodebodus & Mummulus Abbates, quos supra celebravimus; Theodulphus Episcopus Aurelianensis, celebris Hymni *Gloria laus*, nobilissimus auctor. Sanctus Odo Episcopus Cantuariensis, cui septimus Februarii dies sacer est. Sanctus Osvvaldus, ipsius cognatus, Episcopus VVigorniensis in Anglia, magnum per totam insulam nomen. Quasdam Ecclesias cathedrales adduxit, ut se submitterent Regulæ S. Benedicti. In Cœlitum fastis decimum quintum Octobris diem sibi vindicat. Sanctus Abbo gente quidam Gallus, operam tamen navavit Anglis docendo publice. Tandem eum in Guasconia tenebras cæcis incolis abstergeret, martyrio confectus est. S. Aygulphus qui pariter cum sociis vitam pro Christo profudit.

S. Theodulphus auctor Hymni: *Gloria laus.*

S. Odo Episc. Cantariens.

S. Abbo Abbas Floriacens. & Martyr. *Martyrol. Benedictin. 15. Novemb.*

Adrevaldus, quem etiam Adelbertum vocant, cui libri conscripti famam peperere. Miracula à S. Benedicto edita, nec non ejus translationem composuit. Helgaudius historicus, etsi ejus lucubrationes typis expressæ non sint. His tamen palmam præripuere Hugo Floriacensis, & Aymoinus quē omnium doctorum manus versant. Nuper vero Iacocus Breul Monachus S. Germani, hominem Parisios atque in suum Monasterium trahere conatus est, cui liti admiscere

Adrevald. miracula S Bened. litteris mandavit.

Trithem. de script. Eccles. & l. 1. viror. illust. c. 51.

Hugo & Aymoin. duo sidera Floriac. Monasterii.

Iac. Breul in prolego.

meno-

Trith. vir. ill. l. 2. c. 58.

miſcere me nolim. Trithemius aliiq; Floriaco eum adjudicant, ad cujus Monaſterii decus hoc etiam accedit, quod Philippus regiis virtutibus quondam celebris, ibi condi voluerit, quamvis parentes & majores ſuos ad S. Dionyſii ſepultos non ignoraret. Tantum potuit amor quo in Sanctum Benedictum, cujus oſſa Floriacum poſſidebat, ferebatur. Præterea hîc loci S. Pauli Monachi Leonenſis Epiſcopi, nec non S. Mauri Martyris corpora aſſervabantur, miraculis clariſſima, quæ tamen Calviniſtarum inſania anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo cum aliorum Divorum lipſanis in cineres redegit. Pari furore etiam Sanctus Martinus Turonenſis, Sanctus Ireneus, S. Abianus, S. Franciſcus de Paula in rogum ſunt rapti. Digna hac fæce ſacrilegia. Singulari Numinis beneficio evaſit Sanctus Benedictus. Licet enim ipſi inſidias tetenderint hæretici, & in aurea arca deprehenderint, nihilominus Aventinus, ſceleſti agminis ductor, rogatu Antonii Fourberti Prioris, jam jam imminentes certatim manus pro viribus abſtinuit: nimirum contentus auro, ut ſacrilegio modum ponere videretur.

Calviniſtæ Sanctorum corpora, hic loci quieſcêtia, rapuerût ad rogum.

Io. Boſc. in bibliotheca.

At S. P. N. Benedicto, Numine id agente, parſum eſt.

Anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo primo Claudius Sebleſius Abbas, Calviniſtis antea tota Gallia volitantibus utcunque repreſſis, occulta euſque lipſana in lucem & novam arcam publico gaudio intulit, adjectis litteris rem geſtam narrantibus, quas Appendix noſtra exhibet. Nunc ad Aygulphum ex longo intervallo redeamus. Hic ſe S. Mummolo in diſciplinam tradidit, à quo in Montem Caſinum ad auferendum S. Benedictum miſſus eſt, quo egregio facinore non vulgarem gratiam à Rege aulaque univerſa inivit, partaque prudentiæ & induſtriæ opinione Lerinenſi Monaſterio impoſitus eſt. Quemadmodum enim nocentes blattæ promptius ſubtilem pannum ſubeunt, paulatim eum depaſcendo, ita ſanctiſſimus iſte cœtus ſtudia in contraria Deo permittente ſciſſus eſt, quibus nobile Monaſterium peſſum ivit. Remedium malis S. Aygulphus attulit, verbis, exemplis, in viam aberrantes revocando, tum benigne omnes habendo: quibus rebus effecit, ut illi quoq; qui diſceſſerant, inſulam repeterent. Novam ita ſubito Monaſterii faciem tota Gallia mirabatur.

Script. 20.

Aygulphus Lerinenſis Abb. juſſus, Monachos deſciſcentes ad frugem revocavit.

Diſciplina recte compoſita, igniculos iterum injicere diabolus: tentare nodum, quo animos Monachorû devinxerat Aygulphus: Arcadium & Columbum primos factionum duces impellere, ut novum claſſicum adverſus Abbatem canerent.

Diabolus novas diſcordias ſerit in cœtu.

Brevi tantum incendium inter Monachos ortum eſt, ut flamma late fuſa quævis opera ad vana futura crederetur. Quid vis? ſceleratiſſimi anteſignani contracta manu non modo Sanctum Aygulphum, ſed etiam partes ipſius ſequentes alios armis expellere. Columbus rem intus gerebat, Arcadius foris, plures ſibi adſciſcêdo: interea bonus Antiſtes pacê laudabat, rogabatq; ſuos, ut ea nil antiquius haberent. Sopito parumper incendio, Arcadius ſe retulit ad Monaſterium, quaſi imperata deinceps facturus: ſed non feſellit Aygulphum ſcelus, vertiſſe pellem, nec alia de cauſa ſe ſe ſubmittere, quam ut admiſſus graſſari ulterius poſſet: idcirco geſtientem vulpeculam à primo limine rejecit. Ergo impotens animi ad nobilem quemdam (Mummolo nomen erat) curriculo rapit pedem, multum auri argentique in Monaſterio conditum eſſe, dictitans, quodque eo potiri poſſet ſua opera, ſi tamen ipſe mutuam dare paratus eſſet. Rem enimvero in eo ſitam eſſe, ut manus manum lavet. Facile perſuaſit homini avaro. Hinc itur Lerinum: accipitur tecto ab Aygulpho ſicarius nobilis, menſaq; ſimul. Nam ejuſmodi nuces ſparſerat vaſer, ut crederes pictatis, nec non viſendi S. Antiſtitis cauſa eo actum. Aperta jam via facinoroſorum hominum manus irrumpit: inſontem Abbatem oculis ardentibus una invadunt; arreptum in vincula cum Monachis, ejus cauſam ſuſcipientibus, conjiciunt: verbis in ultimam contumeliam compoſitis indigne proſcindunt: & ne verba perdere viderentur, fudibus pulſant.

Arcadius atrox conſilium adverſus Aygulphum capit.

Cum in ſonte ſtipitibus agitur.

Arcadius ad vexandum & lacerandum Abbatem ſuum ſe adeſſe diſſimulans, carceri ſuccedit: amicis dictis Aygulphum ſocioſque ſolatur, multaque de latronibus, quod injuriam intuliſſent, quæritur carnifex. Eadem larva frontem induit nobilis prædo Mummolus. Poſtridie poſita perſona pecunias exegit à ſingulis captivis, quamvis ſciret ærarium Monaſterii penes nullum privatum eſſe; deinde à pumice aquam ſe petere. Hac ſcena peracta ſpeque ſua fruſtratus obvia quæque invaſit, diripuit, tectiſque omnibus ex hauſtis, prædam una cum S. Aygulphu ac ſocis navi impoſuit, ſupplicium de innocentibus ſumpturus, ſicubi locum nactus eſſet, ab oculis & garrula fama remotum.

Mali nunquam ſunt pejores, quâ dum ſunt boni. Exemplo Arcadius ſit.

Quadraginta dies vela fecit, quamvis in portum invehi potuiſſet: deinde ne in littus expoſiti linguis indulgerent miſeri, non faciendum aliter putavit, quam ut ſummos apices deſecaret. Vbi vidit

Aygulpho atq; ſociis præſcinduntur linguæ. demum excinduntur.

Sur. 3. Sept. è Codicib. MSS. Lerinenſ.

quod linguis etiam non integris laudarent Deum, eos radicitus exſcindi juſſit, quaſi vero non etiam prius verba vi divina feciſſent.

Elingues tamen laudibus Deum celebrant.

Elingues jam Numini ſupremo pariter gratias inter ſe habuere. Poſt tantum temporis ſpatium navigando conſumptum tenuère portum inſulæ Caprariæ: ſed negotiis neſcio quibus à Columbo confectis, rurſus è portu ſolverunt tyranni. Poſtquam in Amathinam, infrequentem inſulam, perventum eſt, famæ ſe ſecuros rati ſingulis capita ademerunt; niſi quod Briconius in proximam carinam ſe ſubito conjiciens, remoque gnaviter incumbens elapſus ſit, triſtemque cædem Lerinum renunciaverit.

Capitibus plectuntur.

Ingens mœror omnes cepit, quem tamen id temperavit, quod pro Dei gloria & diſciplinæ inſtauratione occubuiſſent. Intereà temporis Incolæ de Sancti Aygulphi reditu incerti, Rigomirum rebus præfecerunt. In eadem inſula Angariſma Monialium Antiſtitem agebat, quæ inito cum Abbate conſilio quid opus facto, è re fore putavit, ut Briconio duce cæſæ hoſtiæ Lerinum perferrentur. Æqui bonique hanc Antiſtitis mentem fecit Rigomirus: quocirca negotium Briconio dedit inſulam repetendi, & SS. Martyres adducendi. Venientibus paulo poſt inſignis honor ut illorum temporum habitus erat, ab omni ætate delatus eſt. Pro Sancto Aygulpho non leviter inter duo Monaſteria certatum fuit; ultimo caput & è brachiis alterum Monialibus ceſſit, è quarum cœtu cum una luminibus caſſa noctem inſomnem ad ſacra lipſana extraxiſſet, mane ſolem orientem læta conſpexit.

Lerinum portantur.

Quo fato Arcadius extinctus ſit, non conſtat: Columbanus infelix commilito, comprehenſus, nec non publico ſupplicio regnante Clodoveo affectus eſt.

Martyrol. Rom.

De S. Aygulpho hæc ferunt Cœlicolum faſti ad III. Non. Septembris: *Eodem die natalis SS. Martyrum Aygulphi Abbatis Lerinenſis & ſociorum Monachorum, qui præciſis linguis oculisque effoſsis, gladio truncati ſunt.* Hæc cum ita, nimis temere quidam in S. Aygulphum invecti ſunt, nimirum quod S. Benedictum cultoribus deſtitutum è Monte Caſino ſubmoverit, facti pœnas dediſſe Arcadio.

Munſter. l. 3. Coſmograph. Buching. hiſt. Eccleſiaſt.

Porro adhunc annum etiam ſpectat antiquitate, ſanctimonia, nobilitate, nec non opibus inſigne Monaſterium Gregorianæ Vallis, in Alſatia ſitum. Id Munſterus anno D. XXX. fundatum ait: Buchingerus D. XXXIV. Ferventibus poſtmodum bellis humi proſtratum ab Auſtraſiæ Rege iterum erectum eſt. Digniſſimorum publica luce monumentorum copiam nobis promiſerat Divus Gregorius Blarer de VVartenſee, Abbas longe religioſiſſimus, & qui omnes virtutes complexus eſſe vicinis viſus eſt. Stetiſſet ſane promiſſis, niſi fatali nuper telo ictus, heu! cecidiſſet.

Monaſterii Gregor. Vallis.

Vacuum fere Monachis Cœnobium, ac ultimum in diſcrimen adductum fortiſſime propugnavit, & contracto aliunde Monachorum cœtu cultum divinum inſtauravit, ut merito hocce ipſi Epitaphium ponamus: RESTITUIT REM. Bonum factum. Libet ſaltem unam tabulam, è triſti naufragio raptim interceptam, in medium afferre.

Hominum temporumque vertigine huc illuc mutati.

Origo & Fundatio Monaſterii Vallis S. Gregorii in Münſter.

Celsa MS. Monaſterii.

Hildericus, Dagoberti Magni ex Clodoveo filio nepos, Auſtraſiæ ſeu Francorum Rex, de nobiliſſimæ conjugis ſuæ Erinhildis, materteræ Divæ Othiliæ, conſilio, atque puritate & ſanctimonia vitæ eorum Monachorum permotus, qui Romæ Divo Gregorio adhuc vivente, ſub ejuſdem Regula Monaſticæ operam dederant, atque poſt dicti ſanctiſſimi Patris ſui obitum Eremiticam ſeu ſolitariam vitam acturi, relicta Roma tranſcenſis nivoſis alpibus in Alſatiam, ac tandem in hanc vallem, tunc penitus incultam, circa Dominicæ Nativitatis annum ſexcenteſimum triceſimum quartum deducti, extructis è frondium & herbarum materia tuguriolis ad torrentem Fachinæ Mulbach confluentem conſederant: hoc Benedictinæ Profeſſionis Abbatiale Cœnobium pro famulorum Dei ſuſtentatione regaliter dotatum in Chriſtiparæ Mariæ, Petri & Pauli Apoſtolorum, Divi quoque Gregorii Magni honorem, ſuis impenſis erexit anno à Virginis partu ſexcenteſimo ſexageſimo, &c.

Conditorem habuit Childericum Auſtraſiæ Regem.

Habuit complures cum ſanguinis generoſitate, tum doctrina & moribus præcellentes Monachos: quinque etiam Abbates in Cathedram Epiſcopalem Argentinenſem evecti ſunt veluti Sanctus Iuſtus, vir ut inter omnes ſæculo illo conſtabat, innocentiſſimus, rectique tenaciſſimus, cui proximus à S. Amando, Epiſcopo primo, locus obtigit.

Eccleſia Argentoracenſ. hinc quinque Abbates in ſuam Cathedram acceſſivit, velut S. Iuſtum.

Bernhard. Herzog. l. 4. Chr. Alſat. S. Maximinum.

S. Iuſto ſuffectus eſt S. Maximinus, qui prius Monaſterii Vallis Gregorianæ præfecturam gerens, tam in colenda diſciplina, quam rebus quærendis tuendiſque operę plurimum conſumpſerat. Attentam quoque

vitam

Ansoaldum. vitam domi agebat Ansoaldus, prudentia & vi animi notus Alsatiæ.

Vnde cum res verterent Argentorati, Pontifex summo consensu octavus creatus est. Porro inter laudatos Monasterii istius viros etiam Ettoni seu Hettoni, Babonis, primi Comitis Provincialis Alsatiæ fratri, locus dandus est, qui Aobaris munere io Augia divite aliquamdiu functus, postea in Vallem Gregorianum excitus est, ubi cum Annos septem ex commodo Monasterii ad clavum sedisset, tiaræ, Argentinensi caput submittere jussus est, factus Episcopus XXII. Celebratur laudibus maxime, quod diem otio non fefellerit, sed oculis qua parte laboraret Episcopatus, sollicite circumlatis, per errores minores gradum fecerit ad abolendam turpem simoniam. Octavo quam hos honores adiverat anno, à nato autem Christo septingentesimo octogesimo concessit. Elatum Argentorato, atque in Ettenheim Münster terræ mandatum, fama est. Imaginem pii Patris, manu Cœnobium Beatæ Mariæ Virginis sustinentis, fenestra à dextro latere cum hac inscriptione exhibet: HEDDO PRAESUL ARGENTINENSIS ECCLESIAE, RENOVATOR HUJUS LOCI.

S. Remigium. S. Remigius Ermantrudę, Hugonis Comis Alsanæ uxoris frater ex Abbate Monasterii Vallis Gregorianæ creatus Pontifex Argentinensis XXV. Pro sacris Virginibus, ad Regulam S. P. N. Benedicti vitæ rationes dirigentibus, condidit Monasterium Eschavv, illatis SS. Sophiæ, Fidei, Spei, & Charitatis venerandis lipsanis. Immo sacro lipsanorum incensus studio, S. Sophiæ ossa, quibus ab Adriano Papa donatus fuerat, tergo suo imponens, Eschavium vectavit: ibidem condidit. Ad plures ipse quoque abiit anno DCCC. III.

AN. CHRISTI 661. AN. S. BENEDICTI 181.

S. Amandus molitur Monasterium Elnonense in Hannonia.

Eccl. an. 661 Ecclesiæ Dei lumen S. Amandum senio gravem, & immensis laboribus pro animarum salute susceptis exhaustisq; fractum, hoc anoo in Monasterio Elnonensi quiescentem deprehendo.

Ad res magnas gerendas non animus seni, sed vires deerant: ne tamen nihil ageret, curiose circumspexit locum quo monasterium poneret, ubi reliquum vitæ consumeret: tum etiam unde ad finitimos laltem populos concionandi gratia prorepere anhelæ senectuti liceret. Igitur semetipsum intendens ad Childericum, Clodovei ex Sancta Bathilda filium, qui demortuo nuper Sigeberto, Australiæ regnum adiverat, iter suscepit, & novi Monasterii condendi potestatem sibi fieri, enixe petivit. Milo ap. Sur. 6. Febr. c. 16. S Amandus Monasteriū excitare cogitat, in quo ætatis extremum consumat.

Rex haud gravate annuens petioni, locum designavit cui Nanto nomen, quem Milo Monachus Ozidinsi urbe prope absuisse asserit, ibique Pontificatum gessisse Mummolum, de quo parum nobis suppeditant veteres auctores. Forsan urbe versa, sedes Tornacum translata est.

Incolæ vel erant idolatræ, vel scelerati Christiani. Quocirca ne possessione sua exueretur diabolus, Mummolum excitavit, qui igneus ac rabioso similis negavit se passurum, ut quisquam in proximo Monasterium ædificaret. Quosdam postea de sua familia subornavit, qui Sanctum Amandum varie lacesserent, donec solum verteret: quod si persisteret, mactarent. Pejores domino famuli Sanctum Amandum adoriuntur, quid hic moliris, bone vir? exporrecta fronte eminus clamitantes. Salve, nosque sequere. Si fundamenta Monasterio jacis, locum monstrabimus alium, quo non commodior alter habitationi Monachorum est. Fistula tam dulce canente trahitur senex: post crebra suspiria & stationes tandem io editum mentem anhelus evasit. Perditissimi duces jam jam respirantem impulsuri, atque præcipitem acturi erant, vel certe caput ei ademturi, cum subito capiuntur oculis. Cœlum insuper fœda tempestate contractum tonabat insolentius: crebris ignibus micabat æther, & cita fulmina quaquaversum vibrabat. A cacodæmone obex ei ponitur. Perducitur in insidias.

Facile intexerunt miseri, sua capita peti: quapropter majorem io modum Sanctum Amandum rogârunt, noxia pectora identidem plaudentes, ut Numen iratum sibi propitiare dignaretur. Exoratus ille lachrymas & verba fudit: Bonus Deus in serenitatem denuo explicuit cœlum: cadentia fulmina revocavit: cæcis lumen reddidit. Insidiarum architecti luminibus capiuntur, & fulminibus petuntur. S. Amandus immemor injuriæ tantis eos malis eximit.

Posthæc in valle quadam Monasterium ædificavit, cui Elnonis proximi rivi nomen imposuit, spatio Tornacum inter ac Valencenas capto. Non mora, quamplurimi nomina ei dedere, ut Monachis veteranis, qui operam ipsi apud infideles navaverant, nec non tyronibus plenum esset novum Asceterium. Illi tamen jam rude donati, etsi annis fessi essent, tamen senectuti plus æquo haud indulgebant. Invitis omnibus diabolis, Elnonense Monasterium condit.

Domi enim vitam asperam degebant: pro-

prodeuntes vero nonnunquam ad vicinos gentiles, arma contra idola sumpserunt modo côciones habendo, modo singulos sigillatim instituendo Sed paulisper mane. Elnonensis Monasterii cunabula, & quos fecit progressus, ex M. S. Chronico Elnonensi tibi dabimus.

Miræus orig. Monast. Ord. S. Bened.

Anno incarnati verbi DC. XXXIV. Dominus Amand' Trajectens. Epis. à Dagoberto, Clotharii II. filio Francorũ Rege Christianissimo pro Monasterio construendo locũ, vulgo à circumfluente fluviolo, Elnone vocitatum, supplex petiit, & cum sylva, aquis circumjacẽtibus & pascuis munificentiæ regiæ beneficio obtinuit. Donatio ipsa Parisiis civitate facta est Kal. Maji an. XI. Domini Dagoberti, cujus tenor in archivis nostris usque in præsentem diem conservatur. Loco igitur prænominato inter duos fluvios Scarp & Elnonnem sito, obtento, mox Pater Sanctus Monasterium inchoavit.

Ecclesiam igitur, licet parvam, ad honorem D. Andreæ Apostoli erexit & consecravit, in qua ante altare Divę Virginis post plura lustra idem vir Dei Christo spiritum reddidit. Primus igitur Abbas fuit ipse Amandus, genere Aquitanus, Traject. ad Mosam, vir sanctissimus, gemina scientia divina & humana præditus, elegantia plusquam Tulliana, Deo & hominibus dilectus.

Pastes suas committit. Urso. Huic suffecit S Ionatum.

Inchoato ergo à B. Amando Elnonensi Cœnobio, de grege sibi commisso solicitus, Trajectensem suam Diœcesin visitare disposuit: antea tamen Elnone vices gerentem suas in Abbatem suum ordinavit discipulum nomine Ursum, qui annis aliquot laudabiliter rexit, ac tandem Beato fine quievit: cui à B. Amando ordinatus successor S. Ionatus, vir modestissimus, ipsius Monasterii Monachus quem pridem Marchianis instituerat idem B. Amandus primum Abbatem. Verum cum Episcopalem curam renunciasset, & limina Apostolorum pro tertia vice, adjũctis sibi SS. Huberto de Maricolis, & Nicasio Elnonensi Monacho & discipulo, petere decrevisset, prædicto Ionato Marchianensi Elnonense Cœnobium similiter duxit commendandum. Deinde Amando liminibus Apostolorum visitatis, Elnonensem repetente locum Marchianas Ionatum repetiisse reperimus, ubi post mortem etiam S. Amandi aliquot lustris regulariter vivens, diversos utriusque sexus ad religionem induxit, & castitatem. Ejus festivitas agitur Kalend. Augusti.

S. Ionato successit B. Andreas.

Ionato successit Beatus Andreas. Beatus namque Amandus cum Roma tertio rediisset, & aliquot annis curam Elnone Abbatialem gessisset, sentiens corporis sui defectus, evocatum ad se Beatum Andream, quem in cella Apostolorum Barisiaci primum Abbatem instituerat; ut Elnonem repedaret, imperat, eumque ad se venientem constituit super familiam suam, quam Elnone collegerat successorem. Revocare tamen decrevit in jus Monasterii Elnonensis, in possessionem perpetuam quicquid Barisiaci antea possederat, Munificentia Regis Hilderici, quod usque in hodiernum diem juxtà viri Dei dispensationem irrefragabiliter observatur.

Anno eodem quo idem Andreas Abbas Elnonensis est effectus, scilicet DC. LXI. idem Beatus Amandus sub Vitaliano Papa post multiplices atque felices certaminum cursus sciens sibi imminere obitus sui diem ad dedicandam Ecclesiam Apostolorum Petri & Pauli, quam construxerat, convocatis Episcopis in Elnone sanctis Reolo Rhemensi Archiepiscopo, Mommoleno Noviomensi, & Vindiciano Cameracensi Abbatibus etiam sanctis Bertino Sitiensi, Adelberto, Sancti Bavonis, & Iohanne Blandiniensi, testamentum de corpore suo, ne ab aliqua Ecclesiastica secularive persona ab eodem Monasterio unquam auferretur, attestantibus & subscribentibus eisdem, anathemate confirmavit.

S. Amandus cineres suos transcripsit Elnonensi Monasterio.

Et post nonagesimo ætatis suæ in anno Ecclesiam Divi Andreæ ante altare gloriosæ Virginis Mariæ VIII. Id. Februarii, spiritum Deo reddidit, & in Ecclesia BB. Apostolorum, quam recenter dedicaverat, ab obitu die quarto honorifice sepelitur, in qua annis fere XVI. incorruptus & incontaminatus requievit: post cujus felicem obitum Beatus Andreas ejus successor & filius, duobus fere lustris in humanis agens, miraculis coruscus terram linquens, astra petiit sepultus juxta patris sui vestigia anno sexcentesimo septuagesimo. Post aliquot tamen annos cum corpore B. Amandi inde translatus est ad grandiorem Ecclesiam D. Stephano Martyri dedicatam, ad cujus sepulchrum divina clementia meritis ejus, languoribus plurimorum salutem contulit.

Gubernaculum post eũ capessivit B. Andreas.

Post hunc, B. Iohannes.

Huic successit B. Iohannes, à Beato Amando Blandinii Abbas constitutus. Hujus temporibus constructa est Ecclesia Beati Stephani major, propter crebra Beati Amandi miracula, & Beati Amandi corpus in eam transfertur per Beatum Eligium anno ab obitu ejus XV. Qui cum aliquot annis laudabiliter rexisset Ecclesiam bonorum studiorum ac piorum actuum fi-

nem faciens, sanctum Domino spiritum reddidit. *Hæc ex Chronico Elnonensi commendanda nobis visa immortalitati. Sed à mortuo efferamus pedem ad vivum.*

Harigerus vit. S. Amand.
Quæ manus aqua S. Amandus lavit, cæcus tenebras abstersit.

Aliquando Sanctus Amandus ad Episcopum quendam diverterat, qui lætus eum virum sibi obtigisse, clam negotium ministro dedit, ut aquam manibus ipsius infusam exciperet, deferretque in sacrarium. Limen templi nonnemo oculis captus premere solebat, stipem rogans ingredientes, cujus pium Episcopum misertum est.

Quocirca oblato vasculo ut oculos aqua ablueret, qua vir Dei Amandus abluisset manus, jussit. Cæcus guttulas vix paucas, tenebrosis cavernis admovit, cæcitatem abstersit.

Sur. 6. Febr. Harigerus in vita S. Amandi.
Fœmina quæ apud idola multa vota consumpserat, ideoque lumina amiserat, vero Deo exigente pœnas, à S. Amando lumina recepit.

Nec illud prætereundum putavi, inquit Baudemundus apud Surium, quod presbytero quodam nomine Erchengisilo narrante didici. Quadam die dum vir Domini Amandus in pago Beluacensi verbum Domini prædicaret, pervenit ad quendam locum, cui vocabulum est Rossunto, secus Aronnam fluvium, eratque ibi mulier cæca, quæ longo jam tempore amisso lumine nihil præter tenebras noverat. Iogressus autem vir Dei Domum illius cœpit percunctari ab ea, qualiter ei hæc cæcitas evenisset? Respondit illa quod non ob causam aliam nisi quod auguria & idola semper coluisset. Insuper ostendit ei locum, in quo prædictũ idolum adorare consueverat; scilicet arborem quæ erat dæmoni dedicata: ad quam vir Domini ait: non miror si pro hac stultitia cæca facta es, sed admiror clementiam Domni, qui te tam diu expectando sustentat, ut cum factorem & creatorem tuum adorare debeas, adores dæmones & idola muta, quæ nec tibi nec sibi prodesse possunt.

Nunc igitur accipe securim, & hanc nefandam arborem quantocyus succidere festina, per quam lumen amisisti corporis, & animæ perdidisti salutem. Confido enim quod si firmiter credideris, lumen pristinum à DOMINO consequi possis.

Deducta autem puellæ suæ manibus, ad arborem citius pervenit, atque eam excidere conabatur. Tum VIR DOMINI AMANDUS eam ad se advocans, signumque crucis super oculos ejus imprimens, invocato CHRISTI nomine, pristinæ reddidit sanitati: instructaque qualiter se agere deberet, omnibus diebus vitæ suæ caste atque sobrie se exhibuit.

Monachus S. Amando dicto non audiens, paralysi tactus est.

Hoc quoque ad cumulum laudis ejus DOMINUS ostendere dignatus est. Quodam tempore cum cuidam Monacho, videlicet Præposito Monasterii sui CHRODOBALDO nomine, per quendam missum jussisset, ut vehicula, ad vinum in usus fratrum Monasterio deferendum quantocius præparare deberet, dicitur is inobediens huic operi se applicando extitisse, & monitis superiorum non paruisse. Sed eum nocte eadem divina ultio subsequuta est, justa Numinis vindicta.

Nam eo iter agente ut ad VIRUM DEI pergeret, excusationis causa quod vehicula minime haberet, ita dicitur omni corporis compage paralysi dissolutus, ut nec manum quidem vel pedem posset movere, omnique jam carne velut mortua, in solo pectore vitalis anhelabat spiritus, tenuique flatu, ut valebat confiteri nitebatur quod ob inobedientiam hæc perpetimerebatur.

Igitur præfatum Monachum fratres mittentes in navi ad Monasterium cui vocabulum majores indidere Elnonem, ad VIRUM DEI adduxerunt AMANDUM.

Cumque jam vesperascente die finitis missarum seu vespertinarum solennitatis VIR DOMINI ad reficiendum juxta morem esset, subito ei nunciatum est, qualiter idem Monachus ægrotaret, leniterque subridens dixisse fertur; adhuc majora sustinebit pericula, quia valde jactantiæ & inobedientiæ deditus erat.

Atqui dum manu pectus pulsavit facti pœnitens ac panem vinumq; à S. Amando missum sumpsit, capta membra recepit.

Sed tamen presbyterum quendam ad se vocari præcepit, eidemque Monacho calicem vini & fragmen panis per eundem transmisit, eique mandavit dicens: vade & dic Monacho illi, ut sumat partem panis istius & vini, & cras jubente DEO cum ad eum visitandum perrexero, obviam mihi procedat, & in lectulo jacere non patiatur, quod ita factum est.

Accepta itaque Monachus Patris benedictione, ita totius corporis recepit benedictionem, ac si nullam unquam pertulisset, læsionem. Adveniente sancto viro, obviam ei processit, atque cum eo loqui cœpit. Vir autem DOMINI AMANDUS indultra fratri venia, ut mores deinceps in melius commutaret, admonuit.

Trith. l. 3. cap. 49. & l. 4. c. 115. Sigebert. in Chron. Baron. an. 661.

Cum annum ageret nonagesimum, de Ecclesia Dei optime meritus, nec non miraculis innumeris illustris terras cum cœlo commutavit, relictis quamplurimis discipulis sanctimonia claris.

Baudemund. ap. Sur. 6. Feb. auctor vitæ S. Adelgund. 3. Novemb.

Ob res egregie gestas triumphus ei decretus est, quod Baudemundus sic describit. Eodem tempore Beata Adelgundis inter reliquas visiones dum nocte Dominica vigiliis & hymnis in Ecclesia Malbodiensis Cœnobii (vulgo Maubage) ante altare S. Mariæ incuberet, in ipsa qua Beatus transiit hora, in ecstasi mentis elevata, & ab angelo peramœna jucundæ habitationis loca deducta, vidit virum senem cygneo capite reverendum, sacerdotalibus & præclaris vestibus indutum, baculum manu tenentem, ad superna quasi transire, turbamque copiosam albatorum ante & post eum iter habere. Cumque quis esset requisita, nescire se disceret, ab Angelo ita ei responsum est. Vir Dei Amandus migravit à sæculo: & quia sacerdos in vita extitit dignus, seque ipsum bonæ voluntatis obsequio, atque sanctarum virtum exercitio divinæ majestati sacrificavit, tam gloriosus nunc ad gaudia sui Domini transiit.

Beati qui in Domino moriuntur.

Turba autem, quam vides, albatorum, hi sunt, qui per instantiam prædicationis, ipsius ad exemplum tanti magistri feliciter informati, digni Deo & Sanctorum claritati judicantur adscribi in cœlestibus. Quibus pro eo quod pastor extitit idoneus in regno Sanctorum & terra viventium super eos princeps in æternum apparebit modis omnibus gratiosius. Vah inanes Romanor. Imperatorum triumphos, vana specie honoris & gloriæ adumbratos, si compares!

Sur. 9. Oct. in actis S. Gisleni.

Cæterum soluta ecstasi Sancta Adelgunda ocyus Sanctum Gislenum & Sanctam VValdetrudam accersivit, quibus rem gestam ordine exposuit.

Ille, mihi crede filia, subjecit, non procul à vitæ meta abes. Tu si aliter existimas, errabis. In paradisum paulo post admittenda es, quo ferme jam intulisti pedem, per amœna loca ab angelo deducta. Certe paucis intercessere dies, cum bona virgo à cancro exesa pectus animam edidit.

Milo in S. Amando 6. Feb. apud Sur.

S. Amandi discipuli, S. Florebertus, S. Iohannes, S. Ionatus, S. Vrsus, S. Maurontus, S. Andreas, S. Humbert. S. Vincentius. His accessere S. VValdetr.

Libet aliquos eorum qui Sancti Amandi signa presso pede sequuti sunt, ex Milone ac aliunde paucis attexere. Sanctus Florebertus, & Sanctus Iohannes Monasterii Blandiniensis Abbates: Sanctus Vrsus, Sanctus Ionatus, Monasterii Marchianensis Antistes: S. Maurontus, Sanctus Andreas, Sanctus Humbertus, *qui angelo revelante*, inquit Milo, *tam sibi quam Beato Amando coronam in cœlis præparatam cognovit, atque ad indicium rei certæ, eodem angelo imprimente signum crucis in vertice, ossi crucis in modum implicato, visibiliter usque ad mortem deportavit.* Sanctus Vincentius, Sancta VValdetruda, S. Adelgunda, S. Madelberta, Sancta Adeltruda, Sancta Gertruda vidua, quæ Alcetetium Amaticense fundavit, & Sancta Gertruda Nivellensis Parthenonis gloria, cujus fundamenta Sancta Iduberga ipsius mater posuerat, sacro velo à Sancto Amando, quo de agimus, capto. Sanctus Adebaldus; Sancta Rictruda cum sobole sua S. Clodesenda, S. Eusebia; Item S. Adelsenda, S. Allovvinus, vulgo Bavo: illustrissimus Rex Sigebertus: sed omnes adducere, res foret immensi operis. Nam quotquot fere Sanctos id temporis numeravit Gallia, vel habitu Monastico ab eo induti erant, vel ab eodem ad amandum Deum timendumque accensi. Adeo enim ardebat ipse, ut torpentes & jacentes si se vel parum admovissent, illico excitaret atque erigeret: frigidos non modo calefaceret, sed penitus inflammaret.

S. Madelberta, S. Adeltruda, S. Gertruda vidua, S. Gertruda virgo, S. Rictruda, S. Clodesenda, S. Eusebia, Adelsenda. S. Bavo. Item Sigebert Rex, S. Adebaldus, S. Landoald. Amantius, Vincianus.

Ita cum Romam contendens SS. Landoaldum Archipresbyterum, Amantium, Vincianum & Adeltrudam secum traheret, tantum egregii comites consuetudine ipsius profecerunt, ut postmodũ miraculo fuerint orbi multosque mortales cum cæteris, quos recensuimus, vel ad sinceram fidem, vel ad bonam frugem perduxerint. Neque hoc omisero, Dagobertum Regem ætate florenti sceleribus gnaviter velificantem, à S. Amando timore Domini imbutum, sanctissime vitam instituisse, ut postea optimus magister divinitus didicerit, discipulum cœlo receptum. Sed nunc funus efferamus.

Sur. 6. Feb. Ossa S. Amandi in Elnonensi Monasterio cõduntur.

Corpus sacrosanctum Beati Amandi, inquit Milo Monachus, in Cœnobio, quod idem Sanctus ædificaverat, atque Elnonis vocabulum indiderat, debito fidelium honore sepultum est, non tamen in ipsa qua nunc requiescit Basilica, sed in altera quæ adhuc superest, Principis Apostolorum Petri nomine dedicata. Quæ quoniam pro sui parvitate tanti Præsulis tumulo visa fuit incongrua, atque etiam secundo sexui propter Monachorum habitacula inaccessa, frequenti religiosorum cõventui visum est, aliam magnitudine præstantem debere ædificari, quæ & utrique sexui, & confluenti illo sufficeret multitudini populari. Ad quam venerandus Christi Confessor Eligius corpusculum Sancti Patris sextodecimo post transitum anno, integrum & omnimodis incorruptum VII. Kalend. Novembris transtulit, &, ut tunc moris erat, telluri commodavit, quod ibi usque ad annum sui obitus centelimum-

Plura de S. Amando narrant Baron. ad an. 661. Sigeb. in Chr. Trith. de viris illustr. l. 3. c. 4. & l. 4. c. 135. Gesta Pont. Tungrens. Sur. in vita S. Landoaldi 19. Martii. in vita S. Bavonis 1. Octobr.

tesimum quinquagesimum imis terræ visceribus occultatum longo temporis spatio jacuit; sed anno incarnationis Domini octingentesimo nono sarcophagum, in quo quieverat, Lotharius sacri templi æditimus, elevari faciens, reperit insperatum magni gaudii thesaurum, inviolati videlicet gaudii prodigium. Qui stupefactus, ut par erat, tam inopinata visione miraculi Omnipotentem Deum debitis laudibus benedixit, tantorumque bonorum largitori gratias egit. Congaudens etiam tanti inventione thesauri, non modico cœpit solicitudinis angore cruciari, multa volvens quid ex ipso ad commemorationem sequentium pro munere deberet auferri. Vbi vero fluctuantem animum ancora consilii stabilivit, casulam qua erat indutus, à sacratissimo ejus collo abstulit, eandemque in latus utrumque versans, cannos arundinum fluviales, quæ sub ipso olim positæ fuerant, propter humorem aquatilem, subduxit, idque suis desideriis minus esse perpendens, nisi etiam ex corpore aliquam tolleret inviolatorum portionem membrorum, vertit audaces, ut ita dicam, ad cadaver venerabile manus, unguesque spiritualis vituli cornua producentis & ungulas, secuit, qui post obitum illius contra naturam ita excreverant, ut etiam manicas manuum cremento suo penetrarent. Nec non & barbam Pontificis nostri Aaronis post sepulturam ipsius crescentem totundit.

Centum quinquaginta annos humi conditus, integer inventus est.

In tumulo promisit ungues barbam.

Hæc vero sibi omnia summo devotionis obsequio recondens, nec sibi tamen suisque desideriis sufficere credens, ad os sacratissimum per quod divinæ pietati crebræ orationum preces fuerunt fusæ, ac variis populis frequentes prædicationes directæ, ausus est manum mittere, atque si aliquem de dentibus illius posset eximere, studuit tentare. Sed cum hoc pro eorum firmitate non posset perficere, fabrili instrumento, tenaci videlicet forcipe, de gingivis pulcherrimi oris duos dentes eduxit, rubicundo ebore, ut credi decet, & antiquo Saphiro pretiosiores. Mirum dictu, fidelem quærens auditorem, de dentibus eductis stillæ fluxerunt cruoris, hujusque monumenti usque in hodiernum diem testimonium acerra præbet eburnea, adhuc eodem quo infusa fuerat sanguine, cum ibi servandi mitterentur, cruentata. Facta est igitur elevatio ista venerabilis xii. Kal. Octob. Signis etiam in ea per supernam virtutem patefactis, fideli populo est constituta ferialis. Hæc Milo. S. Amando humanis exempto, S. Andreas successit, de cujus rebus gestis hoc solum epitaphium accepimus:

Vellentem mannum secutus dens est sanguine stillans.

Hunc tumulum quinque non irreverenter adite.
Andreæ sancti locum, quia claudit & artus:
Qui pius & prudens, humilis fuit, & venerandi.
Discipulus Patris, simul & successor Amandi.
Hunc pastor caudæ, præsentis conditor aulæ,
Hugo levans, lymphaque luens, thecaque recondens.
Mundato tumulo solenniter hic relocavit.

Febri satiscentes ibi convaluere frequenter.

Epitaphium S. Andreæ Abbatis.

Præter integerrimam disciplinam à S. Amando ad posteros profectam, etiam litteræ hoc loco regnârunt. E virorum doctorum turba Trithemius ad annum octingentesimum septuagesimum septimum tres, ante alios, producit: Milonem, singulari eruditione præditum, S. Amandi Monachum, qui res à Divo gestas carmine cecinit: librum insuper alium, capto argumento à Sobrietate & Abstinentia, lucubravit, quem Carolo Calvo dedicavit. VVunibaldum, S. Amandi discipulum & cognatum, cui à septem liberalium artium singulari cognitione magna laus parta. Multos libros conscripsit, ingenio suo & publica luce dignos. Hugbaldum, Poëti & Rhetorica insignem. Festivam telam calvis texvit, fusis aliquot centenis versibus, singulis vocabulis à littera C. incipientibus, veluti:

Trithem. chron. Hirsaug. an 877.

Carmina clarisona Calvis cantate Camœnæ.

Laudibus tulit Calvos, captans Caroli Calvi gratiam, cui lepidum opus inscripsit.

Idem ad annum octingentesimum nonagesimum in Ordine nostro morem obtinuisse memorat, Monachos doctrina præstantes etiam aliunde accire, ad litteras in Monasteriis alienis, quæ à studiosa juventute frequentabantur, profitendum. Ita Milo Corbejam missus, ut easdem auditoribus ibi propinaret, unde postmodum egregii viri prodierunt, qui Alemanniam, Daniam, Sueciam, Gothiam, totumque septentrionem pervagati, barbaras (ita me Deus!) provincias Ecclesiæ adjunxerunt. Molanus quoque Milonem S. Amandi historiam tam versu quam oratione soluta condidisse, ait. Ante mortem Elnonem, (hodie Monasterium S. Amandi vocant) referens, sub annum, ut apparet, octingentesimum sexagesimum primum vita defunctus est, cui discipulorum aliquis hoc epitaphium posuit:

Molan. 6. Feb.

Porrum Miloni Monacho epitaphium.

Milo Poeta sophus cubat hoc sub marmore clausus.
Carmine dulciloquus, qui librum Sobrietatis.
Edidit, & Sanctum pulchre depinxit Amandum.
Floribus exornans, metro prosaque venustans.

Hugbaldus aliquot libros lucubravit.

Hugbaldus præter lucubrationes, Carolo Calvo dedicatas, compnsuit etiam librum de Musica, nec non SS. Adelgundæ & Rictrudæ, alumnarum D. Amandi, res gestas. Insuper Martyrium S. Quirici & Iulittæ, quod Episcopus Nivernensis eum corpusculo hujus sancti pueri donasset, de quo Molanus: *Paruus fuit puer, sed magnus Martyr.* (Molan. Indic.)

Hoc munere onustus Hugbaldus Elnonem revertit: Quiricus vero, dum ille iter faciebat, paralytico membrorum usum Dei nutu reddidit, quo miraculo excitata provincia, festa ipsum pompa in Monasterio S. Amandi excepit, cui Hugbaldus carmine accinuit. Inter Monachos Elnonenses etiam laudibus à viris doctis fertur Guntherus, qui tanto posterior cæteris (quippe sub annum millesimum centesimum Henrico IV. vel secundum alios, circa millesimum centesimum sexagesimum, Friderico Barbarossa imperante, in luce versatus, Monasterii sui famam non parum auxit. *Guntherus Monachus Elnonensis*, inquit Trithemius, *Ordinis Sancti Benedicti, in divinis scripturis jugi exercitatione peritus, & in disciplinis sæcularium litterarum nobiliter doctus, Theologus & Poeta clarus, ingenio subtilis & comptus eloquio. Scripsit & metro & prosa quædam præclara volumina, de quibus ad notitiam meam pauca pervenerunt. Extat ejus volumen eleganti metro De passione Sancti Quirici, & quædam epistola.*

Idem fecit Guntherus.

Trithem. de script. Eccles.

Cognomen ipsi Ligurino fuit, quod res à Friderico Barbarossa in Liguria & Insubria gestas, decem libris condiderit. Sunt qui affirment, inclinante imperio labentibusque litteris neminem post veteres Poetas ipso cecinisse elegantius. Iacobus Spigelius eum Poetam vocat clarissimum, cujus in libros scholia scripsit, anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto Francofurti typis expressa. Gente Alemannum facit, & à Gunthero Monacho Elnonensi diversum. VVion tamen Belga, qui in patria sua hospes esse non potuit, deinde qui non procul Elnone habitavit, eundem Elnonensi, hodie Sancti Amandi, Monasterio adscribit, & præter lucubrationes quas memoravimus, Res quoque Alemannicas ab ipso litteris proditas asserit, etsi prælum, quod sciamus, nondum subiverint. Porro Guntherus iste Ligurinus extremis libri 10. versibus hæc de se canit.

Guntherus Elnonensis Monachus res à Frid. Barbarossa gestas decem libris memoriæ prodidit.

Hoc quoque me famæ, si desint cætera, solum,
Conciliare potest, quod jam per multa latentes.
Sæcula, nec clausis prodire penatibus ausas.
Pierides, vulgare paro, priscumque nitorem.
Reddere carminibus, tardosque citare Poetas.

Ex Elnonensium Poetarum fonte sequens epigramma hausit Demochares:

Præsul amavit oves proprias & pavit, Amandus:
Idcirco superis semper amandus erit.
Ille Deum docuit ardenter Amandus amandum:
Et nobis igitur semper amandus erit.

Democh. l. 2. de sacrif. Missæ, catalog. Ep. Traject.

Quamvis hoc Monasterium etiamnum hodie opibus valeat, nos tamen religionem & litteras quibus pollet, pluris, ut par est, ducimus. Audi Molanum: Abbatia Sancti Amandi in Flandria, Tornacum inter & Valencenas, in Dioecesi Tornacensi est sita, cui merita Sancti Amandi, & Monachorum pietas, ingentes divitias pepererunt. Eam munitæ arcis speciem præbere, scribit Iacobus Marcantus. Antequam in Congregationem Bursfeldensem concessit, à solo Pontifice Romano pependit. (Molan. Indic.)

Iac. Marcant. l. 1. hist. VVion. 16. Ian.

Iste annus etiam Sancti Bercharii Abbatis Martyrio insignis fuit, Altavillariensis Cœnobii quondam Antistitis, Monachi imprimis Luxoviensis, & Sancti Nivardi quem Elnonenses recte sibi vindicant, discipuli. Hunc Nivardum sua virtus cum eruditione conjuncta in Archiepiscopalem sedem Rhemensem evexit. Cum igitur sub mitra Monachum exvere non posset, Altavillariense Monasterium in sua Archidiœcesi posuit, quod non modo fortunæ bonis implevit, sed insuper Iurisdictioni Ordinarii, ut vocant, exemit: Sanctum Bercharium imposuit: officibus denique suis illustravit, quem Ecclesia Kal. Septemb. anniversario cultu prosequitur.

S. Nivardus extruit Monast. Altavillariense.

Bercharlo statum ac certum erat, da

disciplina

Monachus disciplinæ impatiens animum induxit ut S. Bercharium Abbatem è medio tolleret.

disciplina nihil remittere : absque gravi causa nihil indulgere : suis ubique viam præire. Impatiens rigoris Monachorum quispiam, tam bonum patrem è medio sustulit, eumq; dies Octob. sextus Cœlicolis immiscuit. Multa ejus miracula Vincentius Belvacensis memorat. Præter SS. Nivardū & Bercharium hîc quoque reperias S. Madelupum, cujus translationem Molanus ad III. Non. Aprilis signat. S. Sindulphum miraculis celebrem ab Almanno Altavillariensi Monacho descriptum, Sigeberto c. 99. de viris illustribus teste, cujus idem Molanus XIII. Kal. Nov. meminit : & S. Helenam, Constantini Magni matrem ingentium lipsanorum compendium.

Vincent. Belvac. Spec. Hist. l. 24. c. 114. & 115.

Molan. Additiom. ad Vsuard.

ANNVS CHRISTI 662. AN. S BENEDICTI 182.

Caput I.

S. Bathilda Regina Franciæ, Clodovei II. Conjunx, Monialis Calensis.

DAgobertus Magnus duos suscepit filios: Sigebertum Regem Australiæ : Clodoveum Franciæ occidentalis Regem, S. Bathildæ maritum, fratris inter sanctos habiti dissimilem. Etsi enim nonnulla laude digna gesserit non pauca tamen culpanda admisit, unde historici stylis diversis in virum eunt. Cum Venere fœdus ab ipso ictum, plerique historicorum tradunt. Quod argentum è templo S. Dionysii sustulerit, quidam purgari posse putant, eo quod pauperibus sub veniendum fuerit : alii vituperant quod prius regio thesauro atque abaco, argento auroque onusto, manum iniicere debuisset. Insuper temeritatis notatur, quod à corpore S. Dionysii brachium avellere sit ausus, cujus facinoris pœnas dedit, privatus aliquandiu rationis usu. Nos tantum Regem uti non condemnamus, ita nec absolvimus, sed permittimus hominem fuisse. Nemo vitiis tam deditus fuit unquam ut nullam coluerit virtutem, Bonis favit : egenos fovit : à tyrannide abhorruit : Bathilda conjuge res in pauperes & templa effundente, tacendo annuit. Genus Reginæ longe optimæ pro certo haud affirmem, cum diversas in sententias eant historici : liquido tamen constat ab Hercunbaldo Majore domus interceptam, adductamque in Franciam. Bellforestius diligens auctor parentes ipsius silentio præterit : verum Elias Reusnerus Regio Saxonum sanguine ortam fuisse scribit, patremque habuisse Beringarium Arcimiæ &

Clodoveus modo bonus, modo malus.

S. Dionysio brachium adimere ausus.

Aimoni. l. 4. c. 41. & 43.

Bellforest. l. 1. c. 36. Elias Reusn. Genealog. in stirpe Pharamund. Vuiond. 4. c. 13.

Ascaniæ dominum, quem VVion Regem facit. Nos merito ambigimus, cum nullus veterum historicorum id memoriæ prodiderit. Vitam ipsius quidem coævus in litteras misit, nonnullarum rerum testis oculatus : Molanus vero ad VII. Kalend. Ian. in Monasterio, cui Rubea Vallis nomen, eam repertam fuisse, asserit. Eodem die Illius in suis fastis meminit Baronius. Tandem Mosander Carthusianus tomo septimo, quo Surium auxit totam historiam, quam è Rubeavalle MS. accepit, prolixe refert, lectu profecto dignissimam. Vbi genus tangit, solum illustrissimam fuisse, ait, regioque sanguine inter Saxones natam, nec non admodum adolescentem à Majore domus Galliæ abductam.

Molan. 28. Ian.

S. Bathilda illustri sanguine orta.

Nil suavius ipsius moribus fuit, nil humanius, quos cum honoribus, ut fit, ne leviter quidem mutavit. Benigne omnes habuit, singulis benefacere studiosa : comitatem vero modesta gravitate temperabat. Quamvis autem ore esse venusto, plures tamen animi submissio capiebat. In aula enim Erchinoaldi cum versaretur, calceos ancillis detrahere, tum pedes abluere solebat. Vxore extincta impatiens viduus Bathildam ducere constituit, quæ aversa thorum è palatio se se abstulit, à famulis imperio domini per omnes partes dilapsis, & nullum non angulum excutientibus, nequicquam vestigata, quod plane miraculi simile est. Illa igitur spe potiundi adempta, duxit aliam : nuptiis vero peractis Bathilda nescio unde se se evoluens, prodiit in lucem, cujus fugam æqui bonique faciens Erchinoaldus in aulam revocatam, deinceps filiæ loco habuit.

Ancillis ancillatur.

Erchinoaldi nuptias declinat.

Interea formæ præstantiam, affabilitatem, innocentiam virginis Clodoveus Rex fama accepit, cum deinde staret sententia connubio eam sibi jungere, Maiori domus negotium dedit ut rem conficeret, ubi consiliorum humanorum instabilem sortem videas. Heri ad vestigia ancillarum dejecta, servæ instar sedulo abstergebat sordes : hodie Clodovei uxor legitur, ducitur, corona Galliæ redimitur. Locata in hoc fastigio inferiores haud contempsit, neque supercilium altius quam antea suspendit, sed potius tanto submissius se gessit, quanto major evasit. Marito, inquit auctor vitæ ipsius, quasi domino paruit : proceribus regni matrem se exhibuit : filia sacerdotum : tenellæ ætatis nutrix : sacerdotes patrum, Monachos fratrum numero habens. Pauperes tanquam domesticos, peregrinos tanquam filios excepit, animo suo perpetuo subiiciens, etiam se peregre adductam. Viduas,

Eam sibi Clodoveus II. connubio jungit.

De omnibus bene meretur.

orphanos,

orphanos, adversis casibus oppressos, miseros denique omnes, qua poterat, juuabat, eorumque calamitates Regi suggerebat, cui etiam crebro sacras ædes commendabat: juvenes bona indole præditos ad studium religionis suavissime invitabat, ut multum Gallia ipsi debuerit.

Genesium Monachum, & Archiepiscopum, ærario pauperum præficit.

Id temporis Genesius Ordinis S. P. N. Benedicti Monachus, Monasterii Lugdunensis Abbas, ea pietatis ac prudentiæ specimina in aula edidit, ut Bathilda viam aperiente, ad Archiepiscopatum ejus urbis pervenerit, quo ipsa deinceps eleemosynario usa, tantum æris effudit, quantum vix animo capere possis. Neque solum egenis, ægrotis, in vincula conjectis stipem, cibos, vestes, lytron dedit, sed etiam templa quamplurima locupletavit: Monasteria pleraque superius descripta censibus auxit: alia funditus erexit, quibus prædia, pagos, villas, maximorum tractuum ditiones adjecit. Exemplo esse queant Asceterium Luxoviense, Gemeticense, Fontanellæ, S. Martini Turonensis, S. Medardi, S. Dionysii, S. Germani, quibus etiam privilegia à Clodoveo impetravit.

Monasteriū S. Dionysii jurisdictioni Episcoporū eximitur.

Indicto præsenti anno Clipiacum prope Parisios Concilio, Rex prolixe Patribus exposuit, quam multas ob causas D. Dionysio, tum ejus Monasterio ubi Dagobertus Rex suaque mater Nanthilda sepulti essent, deberet. Quocirca ut nomen liberaret, rogare se Episcopos, ut locum in libertatem assererent. Ore prompto omnes, præsertim Landericus Antistes Parisiensis, cujus maxime intererat, annuerunt. Hoc Regis beneficium majorem partem à Regina profectum, creditum fuit, quæ istum in modum de aliis quoque religiosis domibus meruit: maximum tamen nnmen ab æterna posteritate tulit, quod Calense S. Mariæ & Corbeiense S. Petri, Monasteria longe amplissima, condiderit. Illud hîc omnino præterire non possumus, quod S. Bathilda Clodoveo vita defuncto velum in eo sumpserit, cujus fundationem Sigebertus ad hunc annum refert. Olim S. Chrotilda sacellum non procul Parisiis & Matrona amne, loco cui Calæ nomen, posuerat, & S. Georgio dedicaverat. Situs majorem in modum S. Bathildæ arridens, fecit ut æde angusta solo æquata amplissimum ibi templum cum Parthenone non minus augusto statueret: opes ingentes eidem conferret, quibus recensendis abstinet auctor vitæ ipsius, causaturque fortunarum multitudinem.

Aimoin. l. 4. c. 41.

Sigeb. an. 662.

S. Bathilda Calense Cœnobium condit.

Vt magnitudini hujus Monasterii par esset disciplina, Monialis Yotro evocavit, Cœnobio sacrarum legum observantissimo, quod S. Ado, S. Audoeni frater, ædificaverat, & ad normam Luxoviensis Asceterii composuerat, ubi Regula S. Benedicti cum additionibus S. Columbani jus dicebat. In virorum & fæminarum cœtus & habitacula distinctum id erat ex more antiquorum sæculorum: illos S. Ado: istas S. Teutichilda imperio regebat.

Ex Monasterio Yotro, cujus Innoc. III. meminit C. Ex parte, de privil. accersit Moniales.

Molan. & Vion. 10. Octob.

Antistitis munere in hoc novo Parthenone primo functa est S. Berthilia, quæ disciplinę nervos adeo intendit, ut non modo per Galliam, sed etiam Angliam à fama celebraretur, indeque Reges & proceres filias suas transmitterent instituendas, quod Beda libro 3. de Historia Ecclesiastica tradit, ubi duo Galliæ Monasteria aliis anteferenda ponit: Brigense, in quo S. Fara Abbatissam egit: & Calense, in quod modo calamum expedivimus. Huc S. Hildam aspirasse, ait, at frustra: Reginam vero Heresvidam voti competem factam, & pervenisse, velumque hîc sumpsisse. Vnde eodem tempore duæ Reginæ Monasterium hoc incoluere, altera Galliæ, altera Angliæ, multisque sæculis illustres fæminæ Regumque filiæ hîc loci sese Numini dedicarunt. Sub annum millesimum quingentesimum octogesimum Renatam Borboniam, Parthenonis Antistitem, invenimus. Vivo adhuc Clodoveo S. Bathilda relicta sæpe aula eo secesserat religiosius cultura Deum, se Monialibus tā beatam sortē invidere, dictitans.

S. Berthiliā Calensis Asceterii Antistitem designat.

Beda hist. Eccles. l. 3. c. 8. & l. 4. c. 23.

Elias Reuss.

Clodoveus sexdecim annos sceptra tenens, tres filios ex ipsa sustulit: Clotharium, Childericum, Theodoricum, qui olim omnes ad regni clavum sederunt. Sed cum patre fato concedente teneros etiamnum annos ducerent, sanctissima mater clavum cepit, cui Erchinvaldus Majordomus egregiam operam navavit. Quamvis autem solitudini, orationi, jejuniis admodum dedita esset, simul tamen magna confecit.

De mortuo Clodoveo rebus pęgest.

Simonia, haud exiguum malum, invaserat regnum, actis jam passim radicibus: illa eradicavit, non passa Episcopatus aliosque honores Ecclesiasticos vænum exponi. Insuper conjugibus tributum in liberorum capita impositum erat: illa onus vix ferendum oppressis cervicibus abstulit.

Simoniam opprimit.

Litteras tam ad Monachos quam Moniales dedit, quibus animos ad disciplinæ Monasticæ studium blande acuit, quippe vulgus ab ipsis exempla in utramque partem capere.

Vt rem paucis exequamur, tanto amore in vitam Monasticam & animarum salutem ferebatur, ut omnibus quotquot posset, igniculos ad eum statum amplectendum injiceret. Præterea legem tulit, ne quis captivum

Ad vitam religiosam amplectendam multos impellit.

Christianum alias in terras vel insulas deportaret: deinde justum lytron pro talibus ipsa numeravit, quosdam in libertatem asserens ut eo se conferrent, quo liberet: alios Monachis admiscuit, ut servos Dei augeret. Puerorum insuper & puellarum ad se conciendo multitudinem, instar matris nutriebat, ut maturiorem in ætatem educti, nomina darent Monasteriis: viros quoque & fæminas domi suæ degentes inducebat, ut vitam religiosam complecti vellent, annuentes postea per diversa Monasteria digerebat, obsecrans ut animæ sui mariti cœlum: liberis salutem: regno pacem à Numine impetrarent. Linguam ipsius singulari eloquentia imbuerat Deus, quâ multos vanitate mundi captos, revocavit ad frugem: eam nimirum ad lucem vehementissime adspirabat, quæ æternum fruentur ij, teste angelo apud Danielem, *qui ad justitiam erudiunt multos.* Magna res profectò! Animas igitur cœlo inferendi desiderio vehementer arsit: & cum via tutissima atque expeditissima sit Religio, omnes huc pertrahere conabatur. Multi quidem stimulant boves, ut est in proverbio, sed pauci arant. Verum si per Bathildam stetisset, marito demortuo sine mora in Cœnobium se abdidisset, quod ei nec per proceres, neque per teneram filiorum ætatem, moderandis regni habenis nondum satis aptam licuit.

Regnum deponit, & S. velum sumit.

Interea quidam nobiles Sigebrandum Episcopum occiderunt, hominis superbia, ut prætexebatur, ad facinus perpetrandum provocati. Regina tam gravi casu perculsa, supplicia meditabatur, quæ de homicidis sumeret, virum sacrum violare ausis. Oportebat autem captare occasionem, quod illi ipsi in regno plurimum possent, quibus ubi Reginæ consilium suboluit, scelere dissimulato ei auctores fuere, ut regni molem, quam ita iniquo animo ferret, tandem poneret, ac Monasterium, ingentium curarum portum peteret. Tam præter expectationem fores sibi patefieri ad erumpendum è palatio, & velum capessendum, læta Bathilda, vindicta Deo commissa, rebusq; quà opus erat compositis, Calam contendit, ubi regio cultu exuta, religiosum habitum induit, inque S. Benedicti verba jurans Deo se devovit.

Quamvis porro quovis in gradu officium ad unguem fecerit, hoc tamen in statu seipsam superavit. Vt multæ aliæ Reginarum ad rectius vivendum relictis aulis migrârint in Cœnobia, pleræque tamen obedientiæ jugo cervicem non subjecerunt, sed Antistitum munus obeundo imperarunt, præsertim ubi ipsæ Fundatrices fuerunt. Atqui nostra S. Bathilda arbitrio S. Berthiliæ Abbatissæ haud gravate se permisit, in ejus potestate se semper fore pollicita. Quin è solio regio infra omnes sorores se demittens, universis prompte ancillabatur. Coquebat, lavabat, verrebat, egerebat, tam explicata fronte, quam si lautissima convivia agitaret. De cunctis sororibus bene mereri: pauperũ, ægrotorum, peregrinorum causam apud S. Berthiliam Antistitem agere, in deliciis ponebat. Soluta opere manuum, vel legebat, vel orabat, quibus vestigiis ad summas virtutes, denique in cœlum itur.

Infima officia omnibus numeris absolvit.

Ad superos evadit.

Cum in adversam valetudinem incidisset, colica, infesto morbi genere, intima carpente, intentis palmis Deo gratias egit quod tam acutis doloribus, iisque continuis lacesseretur. Postquam vota saturavit, tum medicorum, tum ministrantium cura, immo Dei beneficio, è cruciatibus emersit: nec longe inde morbo alio capta est, quo vivere desiit, finis sui præscia. Viderat enim scalas ex ara Sanctæ Mariæ in astra usque attolli, se vero angelis stipatam eniti, & gradatim scandere. Tum intra paucos dies vi morbi extincta est, vel doloribus animam perpurgantibus, vel præmia augentibus.

Forte id temporis etiam Sanctam Berthiliam tenebat quædam imbecillitas, quam proinde Sancta Bathilda nec de suis cruciatibus, nec de imminente sibi morte certiorem faciendam putabat, ne afflictam affligeret, qua de causa etiam, coram cæteris sororibus longius à letho se abesse, præ se ferebat.

Solutam corpore animam angeli excipiunt.

Cum jam ad extremam vitæ lineam promota, animam ageret, ecce tibi! cœlesti lumine collucere cubiculum: S. Genesius, morientis quondam eleemosynarius, cum angelorum agmine delabi: solutam corpore animam excipere, atque ad sidera subvectare. Festivam hanc pompam ducere debebat Sanctus Genesius, ut intelligeres quam gratum Deo faciant, qui pauperes stipe prosequuntur. Lachrymis prius manabant Moniales, sed insolenti splendore perfusæ erectæque, abeunti bona verba dicentes, fletum cohibuere, nisi quod Sanctæ Berthiliæ paucisque aliis doluerit, quod tanti spectaculi participes non fuerint. Exanime corpus in Sacello Sanctæ Crucis humatum est. Auctor vitæ ipsius cap. 10. stylum in miracula ab eadem patrata vertit: cap. 13. cum Chrotilda, Radegunda, & Vltrogoda Reginis eandem componit, & palmam ei tribuit. Nos autem committere non audemus ut censuram in-

Lipsana sepeliuntur.

ter Cœlites agamus, ſoli Deo notos. VII. Kal. Feb. è vivis exceſſit, ut Faſti Eccleſiæ ferunt. A Ludovico Pio Imp. ſub annum octingenteſimum viceſimum ſecundum in locum digniorem, teſte Renato Benedicto, translata eſt, Helgilbita, Sancta fœmina res adminiſtrante.

Martyrolog. 26. Ian.

Renal. Bened. in Bathilda.

Caput II.

Fundatio Monaſterii Sancti Petri de Corbeiæ.

Expunguntur errores, hiſtoriæ S. Bathildis miſti.

QVæ de Clodoveo Rege & Sancta Bathilda regina narravimus, non è trivio, ſed idoneis auctoribus hauſimus, quibus merito fidem habeas. Nonnnlli hiſtorici qui de magnis majora loquuutur, Clodoveum ajunt habitò delectu ingentem exercitum in Palæſtinam duxiſſe: Hieroſolyma, urbe ſancta, potitum: prædam immemorabilem per Orientem egiſſe: interea filios in Gallia adverſus patrem arma ſumpſiſſe: Bathildam matrem incautos in poteſtatem redegiſſe: cruribus ferventi aquæ immerſis, majeſtatis reos ultam eſſe: denique in Monaſterium ſubito excitatum, quod Enervatorum dici juſſerit, captos membris conjeciſſe, quæ Heraclito quoque riſum moveant. Non temporis, non rerum, non perſonarum ullam rationem ducunt lepidi iſti mortales. Certe hoc ſæculo, quod voluimus, nec Palæſtina capta fuit: nec Galli prius, quam quadringenti amplius anni hinc elaberentur, terræ ſanctæ infeſta ſigna intulere: neque Clodoveus II. bellicoſus fuit: nec militem ſcripſit, pace perpetua uſus, quod boni auctores tradunt. Liberi deindennndum virilem togam ſumpſerant, nucibus quam armis magis affines: nec matrem multo ſanctiſſimam Medeæ ſcelus in ſe admiſiſſe credendum eſt.

Tres filios ſuſcepit.

His igitur quiſquiliis ab hiſtoria excuſſis, tres illam filios uoamque filiam, ſed vix ſeptennem morte ſublatam, genuiſſe, certum eſt. Item à Clothario quatuor non amplius annis, à Childerico tribus (nam illos quos in Auſtraſia poſuit, non moramur) regnatum eſſe: tum enim vero Theodoricum natu minimum, in Sancti Dionyſii Monaſterium immiſſum, non captum membris, ut quidam nugantur, ſed corpore toto integrum, fatale ſceptrum excepiſſe. Potuit equidem Sancta Bathilda fundare domicilium, vulgo Sancti Petri Enervatorum nuncupatum, non quo liberos compingeret prius crura læſos, ſed ad quod infirmi, cæci, paralytici, manci, claudi diverterent. Nam olim (quis neſcit!) mos obtinuerat, ut Mooaſteriis hujuſmodi noſocomia adjungerentur, in quibus Monachi charitatem in Chriſti membra exercerent.

Monaſteriū Corbeienſe fundavit.

Alterum Monaſterium in Ambianenſi Epiſcopatu propter Matronam fluvium poſuit, quod etiam Sancto Petro dedicavit, indito à pago Corbejæ oomine, non à claudis vel inutilia membra trahentibus habitandum, ſed expeditis, qui in exteras nationes late effuſi, fidem propagarent, ideoque in Galliæ & Germaniæ inferioris confinio id collocavit. Ne autem Monachi tempus rem quærendo tererent, magnos cenſus intulit. Theodefredus, Cœnobita Luxovienſis, poſtmodum Epiſcopus factus, primus Abbas juſſus eſt, ut partam domi virtutem ac eruditionem Corbejæ depangeret.

Quod Clotarius auxit.

Surius. 2. Ian.

Clotharius matris exemplum imitatus, magnas ipſe quoque opes adjecit, quod ex Bulla quadam Nicolai I. coniicere licet. Idem fecere Reges poſteri, bona iſtius Monaſterii fama animos ſtimulante; unde ſub Sancto Adelardo Abbate, cui ſecundus Ianuarii dies ſacer eſt, in ſummum opum atque potentiæ culmen evaſit. Pipini nepos is erat: Caroli Auguſti conſobrinus: à puero Monachus, quocum Ludovicus Pius aliquandiu exercuit inimicitias, donec, ut ſolent amantium iræ, vetus amor redintegratus eſt, ipſe vero è Saxonia, ubi exilium agebat, in patriam revocatus. Nec interia nihil egit in Saxonia, quo exulatum jerat, ſed Corbeienſi Monaſterio alteri ad Viſurgim: ſundamenta jecit haud parvo Eccleſiæ Catholicæ bono. Vaſtiſſima enim illa regio, à Carolo Magno ſubacta, plena idolis erat, in quæ Monachi Corbejenſes impetum olim fecerunt, ſuderuntque. Inde longius progreſſi, ex toto ſeptentrione tenebras à ſtyge offuſas, ſubmoverunt.

Corbeienſis Monaſt. in Saxonia conditor S. Adelhardus.

S. Anſcharius veteris Corbeiæ Monachus, Bremenſis Archiep. in Septentrionem penetrans, legem Evangelicâ promulgavit.

Cæterum Corbeia vetus præter Sanctum Theodefredum, Abbatem primum & Epiſcopum, & Sanctum Adelhardum Pipini Regis nepotem, Orbi Sanctum Aoſcharium dedit, quem hiſtorici ſepteotrionis Apoſtolum appellant, quod virum animas juvandi ardor per VVandaliam, Daniam, Sueciam, Gothiam, viciaſque regiones rapuerit, idque Corbeia Saxoniæ nondum condita, ne hinc prodiiſſe putes. In annales quoque hujus Monaſterii referendi ſunt VValacus, & Bernarius, S. Adelhardi fratres; quibus accedit

Carolus Aquitanicus, quem Carolus Calvus patruus ab eo læsus, in Corbeiense Monasterium submovit. Is postmodum Pontificatum Moguntinensem septennio gessit.

Sed capiantur alii alto stemmate, vel fumosis majorum imaginibus, nos virtutem in nobilitate ac eruditione ponimus, quibus Milo excelluit, sacrorum voluminum in publica Corbeiensi Academia interpres: & Paschasius Ratbertus, tam Græcæ quam latinæ linguæ peritus, unde multa græcè scripta latinitate donavit. Threnos Jeremiæ & sacri altaris mysterium doctissime explicavit: vitam S. Adelhardi memoriæ prodidit.

Milo Corbeiensis Professor litterarum publicus: Paschasius Ratbertus Græcè doctus, libros non paucos latinitate donavit.

Insuper Christianus Drutmarus, pariter utriusque linguæ gnarus, ab insigni commentario in Evangelium S. Matthæi lucubrato, celebris. Hugo de Folieto, ob insignem eruditionem Patribus purpuratis additus, Claustri animæ & paradisi auctor. Hildemannus S. Adelhardi discipulus, postmodum Episcopus Belvacensis. Odo Abbas, inde ejusdem sedis Pontifex. Ingelranus, Episcopus Cameracensis & Attrebatensis: quique nostram fere ætatem attigit, Philippus de la Camera, Episcopus Bononiensis, Presbyter Cardinalis S. Martini in montibus, quem Paulus III. creavit Episcopum Cardinalem Tusculanum. Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo vitam cum morte commutavit. Hi satis sunt, etsi multi absint.

Hugo de Folieto Monachus Corbeiensis, in purpuratorum Patrum senatum adscitus.

Summi pontifices quasi prodendi exempli causa quantum religio & eruditio Monachorum apud se valerent, singulari favore hoc Monasterium prosequuti sunt. Innocentii III. librum I. epistolarum decretalium exige, omnem rem scies. Et ne te moremur, epistolam primam utraque manu in Appendice tibi porrigimus, qua Episcopus illud adimitur: Episcopo Ambianensi & Rhemensi Metropolitano in mandatis datur, ne quam sibi potestatem in id ejusque parochias & possessiones vindicent. Epistola Nicolai I. ad Trasulphum Abbatem data, priore multo antiquior, Corbeiæ omnia privilegia impertit, quibus vel liberrima Abbatia gaudere potest, quam totam prope in limine Appendicis posuimus. Hic tibi fragmentum porrigimus.

Pontifices Max. singularibus privilegiis instruxere Corbeiam.

Script. 26.

Script. 17.

Abbatem fratres ipsius Monasterii, inquit Pontifex, de se ipsis eligendi semper habeant potestatem, & eam personam eligant, quæ Monachi propositum & habitum Monachi profiteatur, non Canonicum aut laicum, nec alterius Monasterii Monachum, quoniam Monachico Ordine præficere vel Laicum vel Canonicum, non est servare Ordinis professionem, sed evertere, quod unusquisque Præpositus cujuscunque Ordinis ejus quoq; erit & propagator. Nec bene disponit aliquando cujuscunque militiæ vitam, cujus non fuerit ipse qui disponit æmilator. Sed neque Rex, neque potestas aliqua ullam Monasterio Corbejensi præponat personam, quam non fratres ipsius elegerint Monasterii. Debent enim mundi principes honorem præstare Deo, quem sibi volunt præstari à Deo: videlicet, ut quemadmodum cupiunt à Deo sibi collatum Regni honorem conservari, sic Ecclesiæ Christi suam non dedignentur servare legem. Non enim decet, neque justum videri poterit ut sibi militantibus de Ecclesiæ Christi possessionibus mercedem restituant, & quod de re publica sua retribuere debent, id reddere velint de his quæ collata sunt Deo. Qua de re præcipimus omnino, ut Monasterio Apostolorum Petri & Pauli, quod Corbeia dicitur, nullam præficiant personam vel ex sibi militantibus, vel ex alieno Monasterio sumptam, quæ non per electionem sumatur probabilem, sive de laico, sive Canonico, sive de quocunque fuerit Ordine, &c. Ante alia quæso animum advetre sis, grande nefas à Pontifice Max. censeri, bona Monasteriorum Deo semel dedicata, inde avelli à principibus vel sæcularibus aliis, de quibus pii Fundatores ne somniarunt quidem.

Nota bene.

Metuerat bonus pastor Corbeiæ à lupis, quippe opibus præpollenti Monasterio, id quod ex libro Romano, quem taxarum vocant, conjicias: hæc enim verba subiicit: *Petri Corbeiensis, Ordinis Sancti Benedicti, Diœcesis Ambianensis, florenos sex mille.*

Taxa Rom. Monast. Corbeiensis 6000. fl.

Parum igitur ditissimis nostris Monasteriis olim concessit, quod Chopinus confirmat. Dum enim illustres titulos dignitatibus Ecclesiasticis subinde annexos recenset istius Aiceterii Antistitem hæc verba litteris (tam privatis quam publicis) subscribere solitum ait: *Abbas & Comes Corbeiensis.*

Chopin. l. 1. tit. 1. n. 17. & l. 3. tit. 5. n. 28.

Missum facio quod addit, Abbates Monasterii Turonensis majoris, & Sancti Petri Corbeiensis regio ærario præfectos fuisse, ut nihil quod ad splendorem loci vel copiam pertinet, desiderare potuisses. Disciplina omnibus numeris absoluta, eruditio, tituli, opes, in promptu erant. Ignosces si iterum provolamus & discipulos S. Columbani Regulam S. Benedicti coluisse ostendimus Monasteriũ enim Corbeiense

Abbas Corbeiensis Comes, & præfectus regii ærarii.

Luxovio Monachos primos excivit, quorum Abbatem primum Theodefredus egit: Calense vero S. Berthiliam Yotro evocavit, ubi Regula S. Benedicti cum S. Columbani constitutionibus, à Regula haud alienis, vigebat.

AN. CHRISTI 663 — AN. S. BENEDICTI 183.

S. Florentius Monachus Scotus, Episcopus Argentinensis.

S. Florentium litteris mandarunt M. S. Codex apud Sur 7. Nov. Democh. l. 2. de sacrif. Missæ c. 35. VVimpheling. Regiovillan. Francisc. Gvilim. in de Episcopis. Argent. vita S. Florent. MS. Pantaleon in eorum ill. German. Bernh. Herzog. Chron alsatia.

IN S. Florentium vertimus stylum, quod hoc anno S. Arbogasto in sedem *Argentinensem* successerit. Cum Dagobertus Rex ad Regni Francorum gubernacula sederet, inquit conditor historiæ ipsius, *Sanctus Florentius cum Beato Arbogasto, Theodato & Hidulpho, è Scotia venit in Alsatiam: ubi cum S. Arbogastus Argentinensi Ecclesiæ datus fuisset antistes, B. Florentius in sylva quam Hasle vocant, ubi Bruscha fluvius è monte Vosago emanat, manibus suis cœpit terram colere ut victui necessaria pararet.* Cumque illic domicilium condidisset, cervæ & aliæ feræ eo advenientes omnem ejus laborem devastabant. Non aderant beato viro instrumenta venetoria, sed non deerat magna fiducia in Deum. Per id tempus Dagobertus Rex manens in palatio suo Kircheimensi, famulos suos misit, ut venationi operam darent. Abeunt illi cum canibus, perlustrant sylvas & montes amnes, feram nullam conspiciunt. Tandem ad beati viri domunculam perveniunt, frequentes illic præ foribus ejus consistere feras conspiciunt, nihil se loco moventes, perinde si vincula quædam eis injecta essent.

S Florentius in Alsatia studi opere domicilium ponit.

Feræ à venatoribus agitatæ apud eum receptum habent.

Rei indignitate (ut eis videbatur) permoti, cum virum Dei non cognoscerent, tunicam ei vi auferunt, & abeunt. Ille sequitur abeuntes, apportat securim sive bipennem, ut eam quoque tollant.

S Florentius Dagoberti Regis filiam & oculis & lingua donat.

Illis ergo recedentibus ubi ad paludem quandam ventum est, equi eorum progredi noluerunt. Adigunt illi calcaria: nihil efficiunt. Redeunt igitur redduntque quæ abstulerant. Redditur equis gradiendi facultas: veniunt ad Dagobertum Regem: quid acciderit, enunciant. Ille confestim mittit equum: orat virum Dei ut ad ipsum se conferat. Vir beatus equum non admittit, sed asello suo contentus ad Regis palatium proficiscitur. Vbi ad portæ limen accessit, Rotildis Dagoberti filia, ab ipso ortu luminibus orbata, idemque muta repente & videt, & loquitur, appellatque Florentii nomen, cum tamen id omnibus esset incompertum. Ascendente porro in palatium, & ad Regem ingredi volente, res accidit admiratione digna. Cum enim non haberet ministrum, cujus opera interim uteretur in servando pallio suo, ad Solis radium per fenestram se infundentem suspendit pallium, quod inhæsit non secus quam perticæ cuidam, donec vir sanctus cum Rege colloquutus fuerat.

Radio solis pallium suum imponit.

Explicato igitur ad incolendum sylvam spatio, cœtum sibi hominum adjunxit quos vitæ Monasticæ studium eo egerat Tytones mire quam avidos religiosa sedulo disciplina instituit: tum quæ cuivis arma in quacunque pugna expedienda forent, edocuit, ut siquid moveret diabolus, pedem conferre possent.

Quam vivendi rationem duxerit ipse, obsecro ne à nobis exigas, cum facile divinando assequi possis. Videlicet veterum Patrum Ægyptiorum more ruenti stomacho olera suggerebat, sitim in aqua deponens: contemplationi perdius & per nox inhærebat: hanc lectio, lectionem vicissim oratio excipiebat.

Asperam vitam exigit.

Parta non solum in aula, sed ubique locorum sanctitatis opinione, Sancto Arbogasto Episcopo Argentinensi, fatis extincto, suffectus est. Quidam Rotharium anteponunt, Ducum prosapia oriundum, à Childerico Galliarum Rege, cujus palatio præfectus fuerat, in hac sede collocatum.

Baron. in not. Martyrolog.

Brusch.

Nos veteres tabulas sequimur, quæ inter Argentinenses Pontifices Sanctum Florentium tertio loco notant. Cæterum incredibile dictu est quanta cura, vigilantia, diligentia, labore, munus hoc obiverit. Rupta enim mora, agros, villas, pagos, urbes, circumquaque lustrans, ad incolas verba fecit: templa dedicavit: vitia summis viribus excidit: plurimos sacris Ordinibus initiavit, non ullam operam gregi sibi commisso debitam, à se desiderari passus: unde vetusta monumenta *Fidei Doctorem*, & quendam velut *Abbatiæ Apostolum* cócelebrant. Ex intervallo positis negotiis Haslacensem in sylvam se se inferre, animumque sacra meditatione denuo erigere consueverat. *Inter hæc*, inquit Iodocus Coccius S. I. cum solicite expenderet, quæ essent ejusdem Asceterii ornandis ac provehendis initiis, ut bene inchoatum firmiores radices ageret, institit Dagoberto ut locum quem colendum possidendumque jam ante attribuerat, certis limitibus terminaret. At neq; hic se Regis benevolentia desiderari passa est: nam tantum ei possessionis ac fundorum

Argentinensis Episcop. creatur. Iodoc. Coct. in Dagoberto.

Locum Haselacensi Monasterio condendo capessit. Sur. 7. Nov.

addixit, quantum terrarum interea loci oberraret, quoad ex balneo, scuitum insistebat, corpus abluisset. Florentius asellum conscendens, saltum usq; fere totum, quem ad hoc tempus Haselacenses obtinent, & præterea patentem terræ tractum terminalibus bacillis defixis, qui limitis instar decumani ad quatuor cœli plagas eminebant, pererravit, venitque in tempore, ut Regem jam thermas egressum cæteroque cultu extra chirothecas ornatum deprehenderet, quas Regi bene precatus porrexit. Et mirabatur Dagobertus tantum locorum asello vectore tantillo temporis spacio peragratum, quantum vix citatissimo equo cæteroquin assequi potuisset, venitque in mentem hunc singularem Dei fervorem interpretari. Quare nec animi falsus est Antistes. Quicquid peragrando circumscripserat, id totum Regis munificentia obtinuit.

Non aravit litteras.

Fama fert, veterum constanti fide fundata, quam hodieq; ducta per manus incolarum opinio confirmat, lapidem, quem vestigio consistens asellus fundos disterminans, ceræ instar emollivisse fertur, ad hanc diem patentibus aruis Maurologium inter & Haselacum ijsdem vestigiis conservatum, quemque advenis passim Maurolegienses ostendunt. Tunc igitur Haselacensi Congregationi contributæ, præter agros sylvarum atque pascuorum abunde villæ coloniæque rusticæ variis locis complures; Mansos appellabant. Ipsa regia Kirchaimensis, quam recens magnis impendiis eduxerat, cum vicino Maurolegio Haselacensibus cessit, ut Dagoberti Diploma declarat, quod hodieque in ejus templi schedis conservatum, mox producemus. Exinde Florentio etiam tum superstite, Basilicæ Cœnobiique structuram, solo pratis pascuisque irriguo, amœnissima valle surrexisse constat, quorum amplitudinem tum cætera, tum frons Templi hodie superstes visendi operis retinet.

Dagobertus Rex palatio suo Kircheimensi excedit, S. Florentio succedere jusso

DOCVMENTVM REGIVM.

Fundationis Haselacensis.

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS, AMEN.

Iodoc. Coccius in Dagoberto c. 17.

DAGOBERTUS Divina favente clementia Francorum Rex. Omnib' Regni sui principibus, imo cunctis fidem Christianam profitentibus tam futuris, quam præsentibus, gratia vobis & pax ab eo qui est, & qui venturus est, omnipotens. Votum quo Deo & Sanctis se quis obligaverit, sine macula reatus irritú fieri non poterit. Et quanto major & dignior est is, cui vovetur, eo serietur graviori judicio voventis, & non reddentis, præsumptio. Debemus igitur & volumus nos quoque reddere quod vovimus Domino, *Deo terribili, & ei qui aufert spiritum principum: terribili apud omnes Reges terræ.* Qualiter in brachio suæ virtutis nos terruerit & qualiter percutiens & sanans rursus nos visitaverit, omnib' ad exemplum correctionis notum fieri dignum duximus; præcipue ut quisque fidelis audito periculo nostro, ab Ecclesiarum Dei vastatione se contineat, & honorem congruú rebus Deo dicatis exhibeat. Primum ergo de divina super nos habita terribiliter examinatione: postea de voto & voti nostri redditione breviter exponemus. Patre itaque meo Lothario Rege felicis memoriæ defuncto, patris regni curam suscepi. Sed juvenili ductus levitate, dominiiq; cupiditate distractus, Regalis officii debitum neglexi, nihil exhibens commissis solicitudinis vel diligentiæ, nihil faciens vel judicans mansuetudinis, aut Zelo justitiæ. Inter alios excessus meos Ecclesiarú destructor & dissipator esse cœperá, quarum defensor & sublimator esse debueram, vel fuisse: nec divinæ Majestatis oculos, nec miseram hominum veritus acclamationem. Tandem Dei benignitas obstinatæ mentis superbiam conterens, virga correptionis iniquitates meas visitavit, & castigato mihi veniam non denegavit. Nam raptus in sublime, divinæq; Majestati inter choros angelorum in habitu judicantis sedenti præsentatus austerissimis Ecclesiarum Patronis pro rebus Ecclesiasticis per rapinam distractis à me, & consumptis, graviter & constanter sum accusatus, & maxime à Sancti Dei Genitrice Maria, & à susceptore animarum S. Michaele Archangelo, atque à Beatissimis Petro & Paulo, Apostolorum Principibus. Cumque conscientia gravatus non auderem defendere, ex arbitrio præsidentis pænæ sum addictus, diuque cæso & pænis atrocibus confecto adest prædictus Archangelus, flammeo gladio super me extento, ultionem de usurpatis sibi, Sanctorumque quos prænominavit, & propter acclamationem pauperum & inopum in me volens exercere, quibus materiali gladio infestus eram, judicia non judicans recta. Tandem advenit specialis meus Patronus Episc. Dionsius, pro me satisfaciens S. Michaeli Archangelo, qui dilationem pænæ & pœnitentiæ in tempus obtinuit. Item ipse quasi

Rebus Deo dicatis caveas manus inicias.

Dagobertus Ecclesiarum quondam expilator à Deo in jus vocatus est.

Tergore pœnas dedit.

modum statuens pœnitentiæ, in hoc mihi spem plenæ indulgentiæ posuit, si ad honorem Dei, & Sanctorum prædictorum, quos magis offenderam, Ecclesias divinis servitiis aptas construerem. Qua promissione lætatus lubens vovi, dimissusque à superis redii. *Igitur* sub certa spe indulgentiæ, & remissionis peccatorum meorum, reddens alacri studio votum, quod feci, Monasterium in honore S. Trinitatis ac S. Mariæ perpetuæ Virginis, quod HASELAQUE vocatur, in meo regno ac Diœcesi Argentinensi situm cōstruxi. Sed honorabili Dei amico Florentio, ac tunc ibidem in solitudine commorante, divini instinctu spiritus à me impetrante jam dictum Monasterium sublimare, & regali munificentia ditare decrevi, dans prædicto Monasterio, & in perpetuum datum esse volo, de rebus fisci mei illic adjacentibus quicquid ad me spectat tam in villis, quam mancipiis, sylvis, vineis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarum decursibus, & omnia hæc in usum Monasterii antedicti, & fratrum ibidem Deo servientium seu famulantium, sub canonicali tamen Regula degentium, libera donatione redigo. Trado etiam venerabili Dei cultori Florentio suæque Ecclesiæ locum ac vallem terminorum Vosagi, quæ scilicet pro solitudine seu eremo, nec non pro requie & expectatione generalis resurrectionis, sibi suisque sequacibus fideliter elegit. Sed & ne servitores divini cultus ibidem, videlicet & loco & Ecclesia prædictis, penuriam aliquam, vel aliquem materialis substantiæ paterentur defectum, Regalem meam habitationem bene ordinatam seu procuratam KIRCHAIM, cum suburbijs MARLEY, Vallem coronæ, Virdenheim, villam Vene, castellum situm in monte juxta stratam Tabernensem usque ad rivulum Osellum, cum omnibus adjacentibus hubis, sylvis, vineis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarum decursibus ipsis trado. Locum autem sæpe dictum, quem singulari amplectimur dilectione, nunc & deinceps ab omni servitutis oppressione liberum sub regali tuitione esse volo, ita videlicet, ut nullus judex publicus ex judiciaria potestate quidquam potestatis vel negotii in ipsis marchis exercere vel habere præsumat, nec homines locorum ante dictorum adstringere, vel ad causas audiendas, freda vel tributa solvenda, postremo nihil penitus audeat ab ipsis exigere. Vt autem mea traditio, & juris & concessæ dignitatis institutio stabilis & inconcussa jugiter permaneat, chartam hanc inde conscriptam disposui adjectione sigilli mei, appensioneque roboratam signavi. Datum quod feci cum filiis meis, CLODOVAEO scilicet atque SIGEBERTO in dicto HASELACENSI Monasterio, Fratribus ibidem divino famulatui devote insistentibus.

Huic traditioni interfuerunt NANTHILDIS Regina Francorum mea legitima, cum filia nostra RATHILDE. *Affuerunt* etiam *Archiepiscopi*, Abbates, *Præpositi*, Duces, Marchiones, Palatini Comites, & plerique principes Regni mei. *Actum* hoc est anno ab *Incarnatione* Domini Sexingentesimo Tredecimo, mense Aprili, die sexta decima, in loco sæpe nominato. *Hæc Dagobertus.* Diplomatis annus à quibusdam ad limam vocatur. Cæterum Florentius præter Haselacum, etiam Divi Thomæ Asceterium *Scotis* accipiendis, intra urbem Argentoratensem condidit; quod veteres tabulæ affirmant. Gente enim Hibernus erat, quos id temporis etiam Scotos appellabant. At cum posteri à via, per Sanctum Florentium signata, deflecterent, utrumque Cœnobium in Canonicorum Ecclesiam versum est, quamvis Iohannis Trithemii sententia è malis Monachis haud fieri possint boni Canonici. Denique mortis suæ certior Florentius utrumque Monasterium cum Argentinensi Ecclesia Deo commendans anno D. C. LXXVI. beatam animam exhalavit, cujus memoriam incolæ & accolæ, præsertim ex hernia laborantes, cultu quotidiano prosequuntur. Rachio præsul Numinis jussu sacra ipsius ossa non absque prodigio Argentina Haselacum transtulit, quæ in summa templi ara hodie asservantur. *Ibidem* sibi quoque ipsi tumulum legit. Lapis sepulchralis hoc epitaphium, litteris fugientibus, exhibet.

Haselacense Monast à Dagoberto fundatum anno 6.5.

S Florentius honori S. Thomæ Cœnobium erigit.

Trith. de viris Ord. S. Bened.

Mortem obit an 676.

Guillemen. de Episcop. Argentinensib.

PER QVEM PRAELATVS FLORENTIVS ILLE BEATVS.
ILLVC TRANSLATVS, RACHIO IACET HIC TVMVLATVS.

Transfertur Haselacum.

Cum Ludovicus IV. tertio abhinc sæculo obiret *Alsatiam*, vetusti operis mausolea explorando, etiam Sancti Florentii mersa sepulchro ossa inspexit, quæ pannis bombycinis involuta jacebant. Id ipse confectis postea tabulis testatus est. Cæterum à Diplomate Dagoberti ægre me abstraho quin aurem prius tibi vellicem ut videas sacrorum direptiones nullius unquam Principis beasse ærarium, sed potius exitium attulisse. Sæculo insequenti Carolus Martellus intristius multo exemplum, quam Dagobertus ad tribunal summi

Iodoc. Coccius c. 17.

Nummis raptus, ivit. Epistola à Rhemensi & Rothomagensi pontificibus anno D.CCCC.VIII. ad Ludovicum Regem data, in promptu est, quam Baronius tomo x. & interpolate tomo IX. in hæc verba edidit.

Carolus Martellus ob res Ecclesiarum direptas, æterna supplicia persolvit.

Quia vero Carolus Princeps Pipini Regis pater, qui primus inter omnes Francorum Reges ac Principes res Ecclesiarum ab eis separavit atque divisit, pro hoc solo maxime est æternaliter perditus. Num S. Eucherius Aurelianus Episcopus, qui in Monasterio S. Trudonis quiescit, in oratione positus ad alterum sæculum raptus, & inter cætera quæ sibi Domino ostendente conspexit, vidit illum in inferno inferiore torqueri. Cui interroganti ab Angelo ejus ductore responsum est, quia Sanctorum judicatione, qui in futuro judicio cum Domino judicabunt, quorumcunque res abstulit ac divisit, ante illud judicium anima & corpore sempiternis pœnis est deputatus: & recepit simul cum peccatis suis pœnas propter peccata omnium, qui res suas & facultates in honore & amore Domini ad Sanctorum loca luminaribus divini cultus, & alimoniis Servorum Christi ac pauperum pro animarum suarum redemptione tradiderunt.

Erit qui litura hanc Epistolam inducat, ac moto capite imposturа carere neget, quod S. Eucherius anno D.CC.XXVII. vel certe D.CC.XXXI. mortem oppetiisse feratur: Carolus vero Martellus multo post, videlicet anno D.CC.XLI. Firmum argumentum, fatemur. At quoties in re vera certaque laborant anni, aliis alios numerantibus? sæpissime profecto.

Tursellin. Epitom. Historiar. Dekerius in Theoremat. de an. ortus ac mortis Domini. Baron Append. tom 12.

Horatius Tursellinus, & Ioannes Dekerius, viri de Soc. eruditi. IESVM CHRISTVM P. N. in crucem sublatum fuisse, certissimum est. Prior tamen affirmat id factum, cum Servator noster natus esset annos XXXIII. posterior, cum annum ageret XXXVI.

Grat. 16. q. 1. post. c. 59. ex Concil. Rothomag.

Epistola coætanei Sancti Bonifacii qua is Ethelbaldum Merciorum in Anglia Regem tragico exemplo isto à simili flagitio revocavit, intra manus est. Nec in mentem venisset Gratiano casum hunc in acta publica referre, & tam multis verbis explicare, si vel minimam fabulæ speciem vidisset. Insuper plumbeum gladium in eos, qui bona ab Ecclesiis auferunt, strinxisset, si illos territurus malo Caroli Martelli eventus, somnia narrasset. Verum res cogit, ut testes plures adducamus. Est igitur in conspectu Æmylius Probus, nobilis apud Francos historicus, quorum gesta memoriæ prodendo summam veritatis duxit rationem. Adest etiam author vitæ S. Eucherii, Gemmeticensis Monachi, postea Aurelianensis Episcopi. Item Flodoardus, historiæ Rhemensis Ecclesiæ conditor multo diligentissimus & perspicacissimus: quibus accedit Adrebaldus Floriacensis, gravissimus scriptor, qui addit Carolomannum, Caroli Martelli filium, Pipini fratrem, incusso à SS. Eucherio & Bonefacio metu, regni principatu abdicato cucullum occupasse.

Amyl. Prob. l. 2. rerum Francic. Sur. 10 Febr. Flodoard. in vita S. Rigoberti. Rhemens Epis. quã Sur. 4. Ian. exhibet. Adrevald. l. 1. de mirac. Iodoc. Cocc. c. 17.

Quod si denuo obmurmures, non convenire annos, en tibi Iodocum Coccium, virum fidei plenum.

Coccius in Dagoberto, c. 17.

Ex Sancti Trudonis vetustis annuis, inquit, *quos doctissimus Carolus Saussetus Aurelianensis Annalium suorum libro v. producit, manifesto convincimus, Sanctum Eucherium non sexto, ad decimo sui Episcopatus anno, qui cum anno Christi D.CC.XLIII. concordat, vita functum, quem anno D. CC. XLI. nimirum biennio ante Eucherium Carolus Martellus anteivit.*

Vt tandem S. Florentio finem imponamus, VII. Novembris dies ei festivus est, quamvis nonnulli XVI. Kal. Ian. notent.

ANNVS CHRISTI 664. | AN. S. BENEDICTI 184.

Sacra comitia in Monasterio Strenesbalcensi vulgo S. Hildæ habita, certusque dies Paschati celebrando assignatus.

Regulorum multitudo huc illuc rapit Angliã.

Gregorii Magni discipulis rem adhuc in Anglia gerentibus, sæpe eo vela fecimus. Postquam ad Superos abierunt, etsi aliquot è Scotia Episcopi, sancti doctisque viri, in Angliam excurrerent, insula tamen à tot Regulis, qui quovis novilunio nascebantur, adeo sursum deorsum versa fuit, ut vix parva scintilla relicta sit, quæ historiographis præluceret. Post SS. Augustinum Muellitum, Sanctum Paulinum atque socios cæteros, maximam industriam in Anglis excolendis Sanctus Aidanus, Huensis Monachus, postmodum Archiepiscopus Lindisfarnensis, posuit, cui S. Finanus successit, ejusdem monasterii cœnobita. Hic etiam vitam communem secundum Regulam S. Benedicti ex more insulæ illius sæculi, in Ecclesia Lindisfarnensi cum suis Monachis, Canonicorum vicem implentibus, egit. In sacro hoc cœtu nullam horulam ab otio sibi eripi passus, sed modo cœlum eminus aspiciens,

Ruenti regno succollant S. Aidanus, & S. Finanus

divinæ vacabat contemplatiooi inclusus: modo cum suis in publicum se promens, totam insulam pervasit concionando: neque perdidit operam. Etenim ipso duceote Sigebertus Orientalium Anglorum Rex cum Penda principe, Pendæ senioris Merciorum Regis filio, in leges Christianas concessit, ut plebejam multitudinem omittam quæ multo facilius se dedidit. Idola quæ incolæ horrore stolido perfusi, venerabundi adorabant, ubique dejecit: templa nova posuit: Deo vero dedicavit. Archiepiscopatum Lindisfornensem decem annos gessit, quem anno sexcentesimo sexagesimo primo cum vita posuit. Colomannus Scotus, ejusdem Cœnobii Monachus, S. Finano, à quo eductus fuerat, subrogatus est, morum atque rituum quos SS. Columba & Aidanus, nec non ipsorum discipuli, plerique Scoti insulam invexerant, tenacissimus. Vnde à Clericis & Monachis Roma venientibus, & non nihil aliter à S. Gregorio imbutis, parumper diffidebant, præsertim Paschali celebrando diem dicendo. Quamvis enim Dionysii Romani, vulgo Exigui, Computus Ecclesiasticus passim in Ecclesia receptus esset, quod sco pum tetigisse videretur, religioni tamen Scotis erat, à majoribus suis S. Columba, S. Aidano, aliisque sanctissimis viris, latum unguem discedere. Cum igitur Clerici & Monachi Romani Scotis nihil concedere vellent: neque his persuaderi posset, ut illis herbam porrigerent, gravissima controversia exorta est, & rerum ordo mirifice versus non modo una in insula, verum etiam in una domo, venerabili Beda teste. Maritus enim à Scotis sacro fonte tinctus, in supplicationem annuam manu ramum præferens, eum Scotis prodibat pullatus: uxor à Monachis Romanis lustrata, eodem die compta & exculta, Resurrectionis Dominicæ festa agebat: ille piscibus, hæc carnibus vescebatur.

S. Finanus Sigebertum ac Pendam ac Pendam Reges, instruit.

Subjectis humeris annos 10. Lindisfornensem Ecclesiam sustinet.

Pascha movet litem:

Beda l. 3. c. 25. hist. Eccl.

Osuvius id temporis in Northumbria sceptra tenebat, vir animo forti magnoque, Eanflendæ connubio junctus, quæ à Monachis Romanis baptizata, celebrabat Pascha, dum Rex à flagellis Domini, à corona, à cruce adhuc mœstus pendebat. Visum est ipsi amplius haud ferendum, ut idem festum ad dies diversos traheretur eo quod jam ventum esset ad publicum offendiculum: quocirca Concilium indici voluit, in quo Monachi & Clerici Scoti, cum Ecclesiasticis sui regni, à Romanorum parte stantibus, congressi, de certo die Paschatis celebrandi statuerent. Omnes probarunt hanc Regis mentem. Ergo confluunt hoc anno in Streaneshalchensi Monasterio, quod Hilda, compertæ sanctitatis fæmina, regebat, quæ cuidam Osuvii filiæ sacrum velum imposuerat.

Osuvius Northumbriæ Rex Concilium cogit ad litem componendam.

Sed ne tenebræ alicunde offundantur historiæ, ad annos præteritos animum nos referre oportet. Merciorum Regem Pendam, infensum Christianorum hostem, quinque Reges fudisse decretorio prœlio, vitaque exuisse, supra memoravimus. Osvvaldum: Annam, Sigebertum, Ægritlum, Edvinum. Elatus tot victoriis barbarus, omnes quotquot Christo nomen dedissent, è medio tollere, secum constituit. Venientes oratum pacem, vel petitum inducias, ingenti fastu rejecit. In Northumbriam aliquoties infesto agmine irrumpens, non modo regnum insigni clade affecit, sed insuper rem Catholicam majorem in modum afflixit. Osuvius Rex milite longe inferior, muneribus animum barbari tentavit, sed littus aravit. Toto enim regno Northumbriæ, ferro faceque armatus volitans, quicquid se obvium dedit prostravit evastavit. Osuvius viribus impar, cum se nequicquam Cerberd offam obiicere intelligeret, divinum Numen supplex adivit, ne suos cultores penitus deleri sineret, obtestando. Idem Clericis, Monachis, populo, in ore fuit. Addit Beda votum nuncupasse Regem, si Pendam, crudelissimum hostem, vinceret, Elfledam filiam suam Numini sacram fore, vitamque in ipsius servitio posituram, adjecta Monasterio *duodecim familiarum possessione*, quam ego pro luculentissimo censu accipio, quippe à Rege filiæ suæ gratia, & ad ultimam regni cladem avertendam, oblatum.

Penda senior Merciorum Rex; Northumbriam infestat.

Beda l. 3. c. 24.

Vtroque Regum exercitum suum lustrante, Penda triginta legiones, tam virtute quam felicitate feroces, numeravit: Osuvius unam solam, sed plenam spiritu, pugnæque avidam, quam à Deo animatam, haud dubitasses. Ergo canunt signa: concurritur: summa vi res geritur. Tandem acie hostium fluctuante, cũ Osuvius facto globo jã hos jã, illos ordines submoveret, singulæ legiones jactantes arma, viis diversis intenderunt fugã. Magna eo die edita strages est, Ipso quoque Penda duce cæso. Plures tamen amni, quem nando traiicere nitebantur, quam ferro hausti sunt. Victoria parta captoque hostis sceptro, denuo verticem sustulere Catholici Northumbriam colentes: Mercii Monachorum Romanorum & Scotorum concionibus ceu stimulis, arrecti, idolis terga verterunt: huic tamen moli sustinendæ ponendum fundamentum

Vincitur ab Osuvio.

erat. Quocirca Osuvius Alufredam gnatam suam Pendæ, cæsi Regis filio, nuptui dedit: deinde voto se exolvens, Elfledam unius anni infantem, Sanctæ Hildæ commendavit.

S. Hilda Regum stemmate orta.

Erat hæc Antistes Hererico Northumbriæ Rege, & Bregosuida insigni fæmina, edita. Postquam intellexit sororem suam Eresuidam Aidulphi Anglorum Orientalium Regis matrem in Monasterium Calense se submovisse, ex Anglia in Galliam se se ejicere statuit, eodem modo sibi consultura. Aidanus autem Episcopus abiturienti manus injecit, quod patria anteponenda videretur, cui ipsa magnum momentum asserere posset. Excitato deinde parvo Asceterio, sacrum velum tam ipsi quam aliis, hæc vestigia premere volentibus, imposuit. Post aliquantum temporis, Parthenoni, cui Heortheum nomen, præfecta est, ab Heja, Christi ancilla, ædificato, quam primam ferunt quæ in Northumbria se Deo dicârit, & Monasteria condiderit.

Sumit sacrum velum.

Monasterio Streneal censi præficitur.

Hic loci habitum sumpsit Elfleda, Osuvii Regis filia. Interea Streaneshalchense Cœnobium ultimam manum accepit, ad cujus gubernaculum collocata Hilda, tam Monachis seorsim habitantibus, quam Monialibus imperabat. Beda oraculi loco in Anglia habitam, affirmat, ideoque Principes & Reges maximis de rebus cum ea cõsilium capere consuevisse. Quanti viri inde prodierint, hoc specimen habe. *Quinque ex eodem Monasterio postea Episcopos vidimus*, inquit idem Beda, *& hos omnes singularis meriti & sanctitatis viros, quorum hæc sunt nomina: Bosa, Æda, Ostfor, Iohannes, & VVilfridus*. Labentibus annis accessit Trumberus Merciorum Episcopus, Hedvini Regis & Eanfledæ, Osuvii conjugis parens, qui publicum pertæsus in hoc Monasterium secessit, vitam secundum Regulam D. Benedicti exacturus. Si sepulchra decus addunt Asceteriis, hic Osuvius Rex, Eanfleda, Regina, nec non Hedvvinus cum aliis Northumbriæ proceribus conditi sunt.

Beda l. 4. c. 24.

In quo Concilium habitum est.

Hic insuper in S. Petri super Paschatis celebratione æde habitum Concilium est, cui S. Colomannus Archiepiscopus, Monachos quamplurimos secum trahens, adfuit: nec non Rex ipse Osuvius, cui imprimis chari fuere Scoti, quod tam ipse quam filius ipsius Alchfridus in Scotis fuissent educati. Hilda, religiosissima Antistes, etiam in Scotorum sententiam ibat, quod tyrocinium apud S. Aidanum posuisset. Agmen eorum, qui vestigia discipulorum Gregorii Magni persequebantur, ducebat Agilbertus, Saxonium Orientalium Archiepiscopus, cui se addidit VVilfridus, Abbas, morum innocentia & eruditione juxta clarus: Iacobus, qui S. Paulini vices in Eboracensi Archiepiscopatu (vulgo Yorch) non absq; sudore gesserat: Renanus presbyter, & alii quam plurimi. Patrum igitur frequenti cõcessu, incommoda Rex paucis exposuit, inde per insulam nata, quod de Paschatis celebratione eousque certatum sententiis fuisset. Gaudere se viros & bonos & doctos tãto numero convenisse, ad scissam Domini tunicam resarciendam. Compositis proinde animis huic malo medicinam facerent. Colomannus Scotorum causam: VVilfridus loco Agilberti, Romanorum, magno uterque animi ardore, egerunt, Osuvio suspenso vultu assidente. Venerab[illegible] Beda prolixe omnia narrat, quo labore nobis supersedere hic licet, cum eum alibi susceperimus. Solis Quartodecimanis, Iudæorum asseclis, hæreseos fœdam stigma inustum est.

Certatur sententiis.

Beda l. 3. c. 25. Tom. I. ann. 543.

Allata à Colomanno argumenta ita infirmavit VVilfridus, ut jam sine viribus esse viderentur: tum vero talibus infit. Quousque furtem contentiosum trahimus, Patres? Tota Italia, Gallia, Hispania, & quantum ubique terrarum Christianorum est, Dominicam Resurrectionem uno eodemq; die colunt, ad nutum Capitis, Romæ scilicet, omnibus intentis. Quid? Hanc ipsam Paschatis celebrandi rationem pro concione auditoribus suis inculcavit Apostolorum Princeps S. Petrus, cui dictum à Christo: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves regni cœlorum.* Avidis auribus extrema verba Rex imbibit: nec mora, Colomannum interpellans, rogavit num hæc vera essent, quæ modo VVilfridus tanto spiritu profudisset? Verissima, subjecit ille, quippe ipsissimum Evangelium esse. Si igitur res ita se habet, excepit Rex, mihi potius cum D. Petro ineunda gratia est, ne me olim cœli janua prohibeat, & ingredi luctantem arceat. Discipuli S. Gregorii id ad nos attulerunt, quod in tota Ecclesia Dei in more positum erat: Quid multis? normam à Pontifice Max. ductam sequi, mihi stat sententia. Quidam argumentis obruti: nonnulli exemplo Regis impulsi, ipsius in arbitrium pedibus ivere. Perstitit tamen Colomannus cum Scotis, tenacibus suæ opinionis.

VVilfridus Abbas pro consuetudine Ecclesiæ Romanæ pugnat, & triumphat.

AN. CHRISTI 665. AN. S. BENEDICTI 185.

CAPUT. I.

Res à S. Colomanno, S. Agilberto, & quibusdam aliis gestæ.

Scoti è Northumbria migrant, quod Pascha iis celebrandi consuetudo, à S. Aidano accepta, callum jã obduxisset in animis ipsorum.

CONcilio soluto, sententiaque Regis & Patrum fere omnium evulgata, Angli cum Romanis Paschatis festum obiverunt: Scoti plerique tamen adduci nequiverunt ut animum suum ac morem mutarent. Qui Northumbriæ regnum incolebant, indignati se causa cecidisse, solum verterunt, patriam repetentes, quibus etiam S. Colomannus abdicato Lindisfarnensi Archiepiscopatu sese addidit: Vilfridus autem lectus Episcopus est. Ceddus Anglorum Orientalium Præsul, qui prius studebat Scotis, postmodum lege cavit nequis suorum subditorum à consuetudine Romana discederet, aut dedisceret quod majores sui, à discipulis S. Gregorii Magni didicissent.

Isti vero Sancti cum ad nostrum Ordinem pertineant, vitio nobis vertendum esset, si pigeret, calamum in eosdem promovere.

Hect. Boeth. lib. 5. Leslæus l. 4. S. Colomannus magni pectoris.

S. Colomannum magnis laudibus ferunt historici Scoti, quod tam prudentia quam religione excelluerit. Cordatum quoque fuisse oportet: nam adeo Frecuardo Regi solutam vitam agenti, haud nectar propinavit, ut etiam è fidelium consortio expunxerit pertinacem: id demum hoc rigore cõsequutus, ut is melior sit mortuus, quam vixerit. Lesleus laudandi ipsius atque S. Finani, præsentem materiam occupans, duo lumina Reip. Christianæ appellat, quæ ad bonam frugem Scotiæ regnum adduxerint. Magni pendimus virtutem, cum is qui proponit venalem, toto pectore in eam incumbit. Quo pacto enim in lagena educatus, auditoribus suis persuaserit temperantiam? Hi duo viri vestigia S.P.N. Benedicti prementes, mensa pertenui vitam tolerabant: vilem vestem corpori circumponebant: notis cœlo vocibus Numen pro se, pro regno, assiduo compellabant, anglis simillimi.

Archiepiscopatu Lindisfarnensi se abdicat.

Colomannus ægre ferens SS. majoribus suis Columba & Aidano præteritis, in Agilberti & Vilfridi sentiam à Rege & Patribus Concilii itum, Archiepiscopatum Lindisfarnensem, quem triennium gesserat, deposuit, Beda teste. Scotorum aliqui persuaderi non sunt passi, ut stationem desererent Lindisfarnensis Monasterii, plerique tamen, relictis paucis de S. Aidano lipsanis, convasarunt, S. Colomannum prosequentes.

Inopem vitam cum sociis instituit.

Beda obviam iturus Colomanni & sociorum Monachorum contemptui, cui patebant eo, quod diem nefastum Paschati agendo designassent (non malitia, sed Computi Ecclesiastici ignorantia) integrum catalogum virtutum, quibus præditi erant, mordacibus objecit. Postquam enim solum vertissent, lustratus à curiosis habitaculis, quibus se tenuerant, non apparuisse nisi pauperrima prorsus tuguria, affirmat, neque casas alias Monasterium cinxisse, quam ad œconomiam necessarias.

Tam gratũ fuit Regi, ad tenuem mẽsam ab eo admitti, quã quod gratissimum.

Nunquam ipsos comisisse ut prædia vel censum ad vitam degendam, vel per speciem hospitum excipiendorum, admitterent, grege quem pascebant amictum & victum suggerente. Diffusa hac per regnum inauditæ inopiæ fama, proceres cum paucis famulis ad eos visere solitos: Regem certe quinque vel sex, non amplius, ministris stipatum venisse: neque convivia tum celebrata, sed de animæ salute actum. Quod si cum Monachis quandoque accumbere libitum fuisset, non modo magnates pauperum in modum, sed etiam Regem ipsum ita acceptum fuisse. Neque injuriam sibi fieri aut viles se Monachis esse credidisse, sed plurisquam antea unquam Monachos Scotos fecisse: forte fortuna obvios, ut bene sibi precarentur, submisse admodum rogasse: tecto iter facientes amantissime recepisse. Existimationis comparandæ optima hæc ratio profecto: nec magno constat. Hodie dum signa in culinam ferimus, plerumque in sylvam ferimus: & quanto melius condimus, tanto pejus remota mensa audimus. Ad summam, inquit Beda, qui Cœnobia tum frequentabant, divina colloquia cum Monachis inibant: viam quæ ad Superos ferret, indagabant: capto denique fructu è commercio, læti domum redibant. Neque Monachos cellulas deservisse, nisi idola sternendi, baptizandi, sacros cœtus habendi, ægros consolandi, vel aliquid hujusmodi moliendi gratia.

Villa Monachorum pabula, & lauta uncta que, fuci juxta carpunt, & traducũt.

Hoc pacto etiam vitam instituerant Scoti, quos nunc Hibernos appellamus, itemq; Hebridum insularum incolæ, ubi id temporis quam plurima Monasteria numerabamus, in quorum uno senectutem suam exegit Colomannus.

S. Colomannus Anglos & Scotos Monasteriis distinxit.

A principio quidem Anglos & Scotos nulla discrimine habebat, postquam vero ipsis non satis bene convenire sensit, singula utrique genti Cœnobia extruxit. Hos inter labores ipsi vita sancte peracta est.

Tres Colomanni.

Sed ne erres cum aliis, tres fuere Colo-

manni, quos sæpe in unum, neglecta temporis ratione, confundunt historici. Primus, Monachus Huensis, patria Scotus, Archiepiscopus Northumbriæ, cui Sedes Monasterium Lindisfarnense erat; quâ demum relicta reliquum vitæ domi, videlicet in Scotia, contrivit; morboque, non Martyrio, extinctus est.

VVolf. Lazius l. 12. de transmig. gent. Aventin hist. Bojor. l. 5. 10. Cuspin. in Austr. Ioh. Stabius apud Sur. 13. Octob.

Secundus atque tertius vitam pro Christo profunderunt. Horum prior quidem gente Hibernus, S. Chiliano Germaniæ Apostolo se addidit: posterior anno millesimo duodecimo, vel decimo quarto, (Baronius 1020 numerat) cum peregrinum præ se ferret, pro exploratore habitus; ab agrestibus infelici arbore suspensus est. Hodie Mellicum, insigne Monasterium; & laudatissimæ quondam Congregationis caput, ejus ossa habet; quem tota sibi Austria tutelarem legit. Ioh. Stabius, Maximil. I. historicus, Martyrium ipsius Saphico carmine cecinit: nec solius laquei, sed etiam ignis & virgarum meminit. En tibi strophum:

Cæditur virginis sine fine Martyr,
Vritur corpus, crepitante flamma:
Septies Christus probat hoc talentum,
Igne manuq;.

Ditmar. l. 7.

Ditmarius arborem, de qua suspensus est, diu exsuccam & aridam, deinceps floruisse, ait. Hastam Aristarchi non nemo intendit Arnoldo VVion, neque injuria. Colomannum Archiepiscopum Lindisfarnensem, & hunc Austriæ Martyrem, pro eodem habet. Insuper erroris Baronium notat, Colomannum hunc Fastis Sanctorum XIII. Octobris diei inscribentem. Qui res Austriæ tractant, à nobis nihil dissentiunt. VVion haud animadvertit non convenire tempus; sed Lesleum sequutus & lapsus est.

VVion l. 2. lig. vitæ

Adi Molan. l. de Martyr. c. 29. Iohan. Leil. l. 4. Trith. l. 4. c. 143. vir. ill. Beda l. 3. c. 27.

S. Agilbertus gente Gallus; professione Monachus; Trithemio teste, in Hiberniam trajecit sacras litteras discendi studio: à multis enim eæ in insula tum tradebantur, ut auctor est Beda. Hisce satis superque instructus, in Angliam vela fecit, ubi benevolos auditores invenit. Concilio de quo diximus, interfuit. Birinus inter Cœlites Illustris Saxones Occidentales, ad verâ fidê adduxerat Cynigilso Rege sacro fonte lustratos cujus filius CenVValchus à sacris Christianis abhorrens; regno exutus est. Inde receptum ad Annam, Anglorum Orientalium Regem, habuit; qui vanissimos Deos pridem valere jusserat; hospiti proinde prælucendo, effecit, ut avitâ is hæreditate se ideo prohibitum agnosceret, quod multis flagitiis designatis in veri Dei cultum concedere noluisset. His obicibus remotis, nutu Omnipotentis Numinis in regnum rediit; quem ubi

Cenvvalchus avito regno potitur.

S. Agilberti industria in re Christiana promovenda advertit; ab eo contendit ut curam omnium sui regni animarum suscipere vellet. Pro certo jam habebat vir Dei, subditos sibi dicto audientes fore; quam ob causam prompte subivit onus. Id autem permoleste ferebat, Episcopos vicinos ab Ecclesia Romana dissidere, die diverso Pascha exequendo.

S. Agilberto subditos suos commendat.

Redux è Concilio, in quo superior fuerat suffragiis, animum ad domesticas curas ex more applicuit: intercedente paulo post offensiuncula, Galliam repetivit. CenVValchus enim Rex cum solius linguæ Saxonicæ gnarus esset; Episcopum habere secum voluit, qui calleret idioma, & quocum verba serere posset: ideoque Episcopatus partem unam Agilberto adimere; & in VVinum, ex insula oriundum, inclinare, in animo habebat.

Hic dissuta cum Rege amicitia, Galliam repetit.

Hanc ob causam abiit Agilbertus: excessit: quem Gallia obviis brachiis recipiens, Episcopum Pariensem creavit.

Parisiorum Episcopus renunciatur.

CAPUT. II.

S. VVilfridus & S. Ceddus Angli, Ordinis D. Benedicti Monachi.

SANCTUM VVILFRIDUM præ multis aliis evehit laudibus Venerabilis Beda. Sub annum DC. XXXIV. natus est in Northumbria; quem dum mater in vitales auras explicabat, tota domus luculento igne conflagrare familiis est visa; qui proinde altis vocibus civium fidem implorantes, aquam clamabant. Officiosæ ancillulæ è penetralibus se se proripientes, neque cœleste incendium illud suis oculis haurientes; sospitibus palmis à perturbatis rogarunt, ut clamores ad ravim jactare desinerent: dominam videlicet jam in eo esse ut pariat. Cæterum octennio antequam decessisset S. Paulinus: viginti quatuor vero annis (secundû bonorum auctorum calculû) quam Honorius Catuariensis, Gregorii Magni discipuli, in lucem effusus est, ingenio ita polluit cum adolevit; ut omnibus esset admirationi. Si mores spectasses; gravitate annos anteverterat; unde Beda idem de ipso; quod Gregorius Magnus de S. P. N. Benedicto dixit, nimirum, *ætatem moribus transiisse.* Aulici ad Eanfledam Reginam perduxerunt scitissimum puerum, à qua curiosius observatus; visus est rem magnam animo agitare, sed tamen premere. Idcirco illa crebro instare verbis; ut erueret: ad ultimum polliceri, si diis ipsum auribus conditurum,

Beda l. 5. c. 20. l. 4. c. 12. & 13. l. 5. c. 20. Stephan. presbyter apud Sur. 12. octob. Malmesburiens. l. 3. de gest. Pont. Anglic. Clem. Reyn. Apostolat. Benedict. in Anglia. Baron. an. 674. & an. 679. 679. 680. etc.

S. VVilfrid. bona indole præditus.

modo pectore didncto promereret arcanum. Pertæsus puer toties de se haberi quæstionem, animum sibi esse, dixit, Deo potius quam hominibus servire.

Ex insula visa ad Lindisf. Monasterium trahit.

Quindecim annos natus Lindisfarnensi Monasterio se intulit, ubi per exempla perfectissimorum Monachorum iisse fertur. Forte Scoti nonnihil à ritibus Ecclesiæ Romanæ aberrabant id temporis: vetus quoque disciplina Monastica vel lapsa, vel nonnihil obliquata fuerat, unde mirum desiderium incessit VVilfridum petendi Romam, addiscendique majorum instituta, postmodum in Scotiam à se revocanda. Monachis Lindisfarnensibus consilium probantibus, Benedicto Biscopio comite, qui Venerabili Bedæ cucullum olim imposuit, in pedes se conjecit, quem Eanfleda Ercomberto Regi Cantiæ, patrui sui filio, majorem in modum commendavit, ut quibus rebus posset, ei operam navaret. Vbi Lugdunum Galliæ ventum est, Dalfinus Archiepiscopus oris venustate, morumque compositione captus, manum properanti VVilfrido injecit, dimissoque Benedicto invitum retinuit. Post aliquantum tamen temporis eluctantem perpetuo, & amoris vincula sibi injecta renodantem, pariter missum fecit.

Ecclesiæ Romanæ ritus cum disciplina Monastica addiscit.

Roma igitur potitus, curiose omnia circumspexit, diligenter notans quæ in rem suam facere putabat. Demum voti jam compos factus, præsertim rationem Cycli Paschalis à Bonifacio Archidiacono edoctus (rem non parvam pro illa ætate) Lugdunum revertit, quem Dalfinus, uti antea, summo gaudio perfusus, hospitio accepit: non tamen diu suavissima consuetudine frui licuit. Nam Brunichilda Regina, odio incitata, ut est apud Venerabilem Bedam, incautum Episcopum circumvenit: è medio sustulit. Tum VVilfridus constricta sarcina domuitionem parans, vertit infidum solum: in Northumbriam se ad Alfridum Regem contulit, à quo imprimis decem, postea triginta familiis donatus (quod munus Beda per magni æstimat) annum agens vicesimum tertium Monasterium Riponense ædificavit, in quo deinde Abbatem egit, ibidem ab Agilberto Gevissorum Episcopo, rogatu Regis, sacerdos initiatus, cum prius de Scotis nobilem victoriam in Concilio, cujus nuper meminimus retulisset. Virum æque doctum ac sanctum postquam Alfridus sibi plurimum profuturum intellexit, annuente patre Osuvio ingenti apparatu Parisios misit, ab Agilberto ad Archiepiscopatum Eboracensem auctorandum.

Creatur Eboracensis Archiepiscopus.

Etenim à Scotiæ Episcopis alienior erat, quod legibus Romanis in Paschate celebrando teneri nollent. Inaugurationi undecim Episcopi adsuisse, splendoremque intendisse, Beda memorat. A pulso forte Paulino triginta tres annos ea Sedes vacaverat, Iacobo Diacono vices hic domini explente.

Beda l. 5. c. 20

Dum vero VVilfridus lōgiores expectatione moras traxit in Gallia, Osuvius Quartodecimanorum artibus opportunus, adduci se passus est, ut Ceddam seu Ceaddam, virum cætera probum VVilfrido sufficeret. Vbi inter Episcopos Catholicos constitit Canones esse violatos, Cedda à Theodoro Cantuariensi Archiepiscopo post triennium gradu dejectus est, cumque nullam se injuriam accipere ratus, æquo animo subitum casum ferret, S. VVilfridum ejus misertum est, ideoque Licefeldensi mitra primo quoque tempore eundem ornavit: per suum vero Archiepiscopatum oculos circumferens, diligenter observavit, an interea temporis res Christiana aliquid detrimenti accepisset. In secundis habebat, ædas sacras vel excitare, vel sicubi vitium fecissent, instaurare. Basilica ab Edvvino, Sancti Paulini impulsu Eboraci erecta, negligentia curatorum sine tecto stabat, avibus & cœli injuriis patens. Afflicti crebra tempestate parietes, integram ruinam minabantur. Ingemiscens spectaculo Antistes, parietibus firmatis tectum imposuit plumbeum, ut totum templum adversus turbines, pluvias, nivem muniret. *Fenestris lucem dabant*, inquit VVilhelmus Malmesburiensis, *vel panni linei tenuitas, vel multi foratilis asser axis: ipse vitreas fecit.*

Malmesb. l. 3.

Afflicta tempestatibus templa reparat.

Malmesb. l. 3.

Demortuo Osuvio, & Egfrido ad sceptrum admoto, procellam ab Ermenberga Regina motam, sustinere non valens, quippe tribus Episcopis à Theodoro Cantuariensi Archiepiscopo Sedi suæ impositis, quasi tres ali possent, ubi unus tumeret, iter Romam suscepit. At postquam è portu solvit, à ventis in Frisiam delatus est, ubi Regis summa voluntate hyemavit, & primus ex ordine nostro, quantum nobis quidem compertum est, divinæ legis sementem ibi fecit, cui Sanctus Clemens, Sanctus Vulfrannus nec non è Monasterio Fontanellæ Monachi alii in messem successerunt. Hyeme igitur exacta Romam contendit, ubi rebus cum Agathone. S. Benedicti ante id Monacho, ex sententia compositis, in patriam se retulit: nihil tamen Pontificiæ litteræ moverunt Egfridum Regem: qui adulterinas esse dictitans, lumen Bri-

Cathedra sua pellitur.

tanniæ in cæcum carcerem conjecit. Vxor præfecti carceris, nec non Ermenberga conviviis indulgẽs, ac jocis bonas horas ducẽs, quod voti improbi cõpos esset facta, in potestatem cacodæmones veniunt, tamẽ Regi nihil horum cordi fuit. Pulsus denique solo patrio, receptum sibi ab Berthvvaldo, viro nobili, & in VVestsaxonia præpollente promisit. Paucis post diebus ab Ethelredo Merciorum Rege etiam inde proscriptus, ad Australes Saxones profugit: Regem ipsorum, cui Edilvvalch nomen erat, ab idolis ad Deum verum traduxit.

Beda l.4.c.13. Baron. anno 681.

Theodorum Archiep. facti pœnitet.

Theodorus Archiepiscopus cum ad ultimam vitæ lineam fatis urgentibus se trahi sentiret, VVilfrido & Erckenvvaldo Episcopo Londinum evocatis, injuriã se VVilfrido fecisse, fassus est, quam ut beneficio resarciret, successorem designavit, ipso tamen abnuente. Saltem data ad Alfridum Northumbriæ Regem epistola id effecit, ut Riponense seu Ripense Monasterium & Eboracensis Archiepiscopatus ei redderentur. Quinquennio vix dum elapso, iuxta suasu Theodori, amicitia denuo fatiscere cœpit, Alfrido Rege Ripensis Cœnobii fortunas avidente, ac novum Episcopatum meditante. Vt ex istis fluctibus se denique evolveret optimus Pontifex, injuriis laceratus ad Ethelredum Merciorum Regem, veterem amicum, se recepit, cui inter paucos charus fuit. Alfridus tamen Rex cum Berthvvaldo Archiepiscopo Theodori successore non destiterunt viro Dei insidias tendere. Indicto igitur Concilio per speciem ineundæ pacis ipsum invitarunt, qui cum illos ex sua indole æstimaret, se sistere non dubitavit. Varia mox crimina in eum conjecta sunt: ad ultimum convitiis quoque proscissum rogarunt, num Theodori decretis morem gerere vellet? Nisi à sacris Canonibus desciscerent, respondit. Rex iræ impotens, relato in Berthvvaldum Archiepiscopum ore, si per te licet Pater, dixit, involo in invisum caput. Iussus est sese reprimere. Nam inimici quoque vi abstinendum & artibus agendum censebant.

Adduci non potest, ut absq; culpa e Archiepiscopatu abdicet.

Itaque quasi pacifice suadere adorti sunt, inquit VVilhelmus Malmesburiensis, qui vitam S. VVilfridi à Stephano presbytero, antiquissimo auctore, acceptam in pauciora verba redegit, ut quia frequentissime discẽssiones in Ecclesia Dei ejus causa pullulabant, ipse voluntate sua possessionibus & Episcopatu cederet, & hanc renunciationem scripto firmaret. Hoc ejus commendaret famam: hoc accumularet gloriam, si privatus mallet sub quiete degere, quam pro suo Pontificatu vel per se, vel per alios procellas seditionum movere. Sensit Pater in his minis implicitum negotium, & respondit, nihil æque ad cumulum infamiæ homini valere, quam si se sua damnaret voce. Se primum fuisse, qui verum pascha in Northumbria Scotis ejectis docuerit: qui cantus Ecclesiasticos antiphonatim instituerit: qui Sanctissimi Benedicti Regulam à Monachis observari jusserit: pro quibus omnibus nũc senem, & septuaginta fere annorum Pontificem, hoc in munere recipere, ut cogatur seipsum scripto damnare.

Steph. presb. an 700. Malmesbur l.3. de gestis Pontif. Anglorum. Beda l.3.c.25 Baron. anno 664.

Regulam S. Benedicti per Angliã propagavit.

Vnum est quod hic præterire nefas sit: ac monitos eos velim, qui regulam S. Benedicti sero Angliæ illatam contendunt, ut animos advertant. Northumbria S. Paulino post Regis Edvini fata, quem sacro is fonte lustraverat pulso magna ex parte. Christianam fidem exuit, Episcopo qui facem præferret, triginta, non minus, annis destituta: nisi quod Aidanus, Finanus, Colomannus, gente Scoti, Pontifices Lindisfarnenses passim desudarent. Fide cum ribus Ecclesiæ Romanæ pessum eunte, disciplina Monastica remitti, labi, exitum spectare, quam tamen incolæ, à S. Aidano rudimenta fidei edocti, aliquo modo consistere passi sunt, quod eam vivendi rationem Divus ipse inivisset. VVilfridus jam Episcopus Romanæ Ecclesiæ cæremonias, à quibus alieni erant Scoti, summa contentione per Eboracensem provinciam vulgavit, S. Augustinum imitatus, qui gradum contra Britones intendens, pascha, baptisma, cantum tonsuram, ad normam Romanam tota Cantuaria redegit. Quam rem nunquam, inquit Clemens Reynerus, Congregationis Anglicanæ secretarius, in sui defensionem in Concilio æmulorum & adversariorum suorum protulisset, nisi in his tribus capitibus disciplina, nimirum Paschali observatione: Cantu Ecclesiastico: Monachatu Benedictino, Cantuariensis provinciæ, atque adeo totius Angliæ Prælatos, sive Abbates, sive etiam Episcopos, magno zelo & communi consensu unanimes cognovisset. Quæ enim, & quam absurda suæ causæ fuisset defensio, si corã Abbatibus & Episc. instituti Equitiani, Basiliani, (Augustiniani, quod Crusenius sibi vult dari) aut alicujus Alterius à Benedictini diversi professoribus & æmulatoribus, ipse se iisdem commendabilem reddere conaretur ob novitiæ recentiorisque Regulæ, ab earum, apud quos perorabat, professione differentis, imo & adversæ, propagationem, idque eodem pæne verborum pondere, quo Paschalem observantiam, cãtumque Ecclesiasticum Romanum (quorum proculdubio observantissimi erant Pa-

Clem Reyn. Apost. Anglico, tract.1. §. 8

Nicol. Crusen. Monast. Augustin.

tres

tres in Synodo illa collecti) à se Northumbris traditam, deprædicabat?

Si sapis & seotis, auctorem hanc rem acu tetigisse fateberis. Certe vineta ipse sua cæcidisset VVilfridus, si Regulam D. Benedicti à se promulgatam, jactasset apud eos, qui in aliam longe diversam jurassent, quamque recentior illa extinctum ivisset. An non tenaces potius suæ Regulæ Equitianæ, vel cujusvis alterius, vitio vertissent VVilfrido id, quod is sibi laudi duxerat? Non enim potest quis ulla ratione sibi persuadere, ait idem Raynerus, omnes illos Episcopos & Abbates, si antiquioris ejusdem Monasticæs professores extitissent, intra quadraginta duntaxat annos ab Augustini sociorumq; eius morte elapsos, in tanta primitivæ illius Ecclesiæ Anglicanæ sanctitate, & Monasticæ vitæ summa devotione ac pietate, tam facile laturos fuisse, ut novitia Regula sua, quam ipsorum Magistri, Angliæ Apostoli, intulissent, disciplinæ præferretur. Nec ullo modo credibile est, antiquam illam (si qua fuisset à Benedictina differens) seu Regulam, seu institutionem Monasticam intra tã paucos annos, inter tantæ sanctitatis cultores ita deferbuisse, aut defecisse, ut per Benedictinæ recentioris observantiã inductã debuerit reformari. Fuit ergo illa Monastica, quam Patres Cõcilii amplexi eousq; fuerant, Benedictina: ideoque tanta cum fiducia illis, utpote Benedictinis, meritum zeli sui exprobravit VVilfridus, quod nimirum Monasticam S. Benedicti observantiam, quam ipsi omnes profiterentur; quam cum hactenus non admiserant Northanhumbri, Scoticis ritibus ac religionibus addicti, ipse per totum eorum regnum, ejectis Scotis, propagasset: quam per Italiæ Galliæq; regna, ipse suis oculis ferventem florentemq; lustrasset. Sed facem accendam, si verbum addam.

Romam petit. *Baron. anno 765.*

Porro cum S. VVilfridus è laqueis à Concilio sibi tentis se se explicare haud posset, ad Pontificem Max. provocavit, potius omnia longæ viæ incom̃oda, quam turpem notam subiturus. Ergo senectute quasi deposita, qua potest celeritate Romam volat: Iohannis VII. opem implorat: ut Monasteria ab Ethelredo Merciorum Rege capta, Monachis reddi: sibi vero Cathedram Eboracensem, cui Alfridus Rex incumberet, restitui jubeat, vehementer etiam atque etiam rogat. Quod si mitræ jactura facienda esset, saltem Ripensi & Haguştaldeiensi (alii Hengesteldein) Monasteriis à se fundatis non exueretur. Accusatores à Berthvvaldo Archiepiscopo submissos animadversum est innocenti invidiam conflare velle, nec in

Reus agitur à Berthvvaldo Archiep. & à Pontif. absolvitur.

promptu habere crimina quæ seni objicerent, sed quærere: quocirca secundũ VVilfridum sententia pronunciata est. Is fractus annis & laboribus Romæ vitam ducere & effundere constituerat, sed intercessit Pont. quod afflictæ patriæ adhuc remediũ afferre posset. Interea Ethelredus Kenredo, VVifarii fratris filio, Merciorum Rege designato, Monachi se conjunxerat, qui Salutem & Apostolicam benedictionem à VVilfrido cum epistola allatam genibus depositis excipiens, facile à nepote, quod Pontifex petebat, impetravit.

Atqui Alfridus Northumbriæ Rex Romanas litteras sus deque habens, in adversum valetudinem incidit, qua cum premeretur, injuriarum conscientia, quibus virum Dei affecerat, ingenti horrore pectus implevit: sed frustra VVilfridi nomen ciens, eum adduci jussit, quocum in gratiam rediret. Vbi moriendum esse sensit, hæredem legitimis verbis adjurans, ut VVilfridum restitueret, obligavit.

Alfrido extincto Edulfus sceptro manum injecit, quo S. VVilfridus ante id amico usus fuerat. Ergo fessum ætate trahens corpus, adiit egregium Regem: salvum esse jussit; atqui stolidus salutem nihil apud se valere uti ostenderet, veterem amicum palatio, totoque regno exesse ocyus imperavit. Defuncto tot tempestatibus, VVilfrido, quatuor saltẽ annis licuit esse quieto: demũ morbo correptus Monachi lectulo affusi & luctu accensi psalterium volverent, ventumque esset adversum, *Emitte spiritum tuum, & creabuntur*: beatam animam efflavit. Cantus avium alas quatientium ac subvolantium auditus est, quas illi qui aderant, cœlestes ephebos non male interpretati sunt. Ædi in qua mortem oppetiit, cum nescio quis olim injecisset ignem, sponte evanuit. Ipsius ossa imprimis Ripense Monasterium, eoque destructo Cantia accepit, ubi inter Divos tutelares habitus est. Multa prætermissimus quod hoc capite id negotii maxime nobis datum esse existimaremus, ut ostenderemus S. VVilfridum antequam honores adiret, fuisse Monachum: more aliorum Episcoporum quos Anglia, illaque ætas ferebat, cum Monachis vitam traduxisse: denique Ecclesiam Cathedralium Monachos, Canonicos extitisse. Quod epitaphium Monachi viro sancto posuerunt, nos ex Venerabili Beda in hæc verba descripsimus.

Moritur.

Beda l. 5. c. 20

Epitaphium S. VVilfridi.

VVilfridus magnus requiescit corpore Præsul.

Hanc Domino qui aulam, auctus pietatis amore,

Fecit, & eximio sacravit nomine Petri,
Cui claves coeli Christus dedit, arbiter orbis,
Atque auro, ac Tyrio devotus vestiit ostro.
Quin etiam sublime crucis radiante metallo
Hic posuit tropheum; nec non & quatuor auro
Scribi Evangelii praecepit in ordine libros,
Ac thecam è rutilo his condignam condidit auro.
Paschatis qui etiam solennia tempora versus
Catholici ad justum correxit dogma Canonis.
Quem statuere Patres, dubioque errore remoto,
Certa suae genti ostendit moderamina ritus:
Inque locis istis Monachorum examina crebra
Colligit, ac monitis cavit quae regula Patrum
Sedulus instituit: multique domiq; forisque
Iactatus nimium per tempora longa periclis.
Quindecies ternos postquam egit Episcopus annos,
Transiit, & gaudens coelestia regna petivit.
Dona Iesu, ut grex pastoris calle sequatur.

S. Ceddus Monachus: postmodum Londinensis Pontifex. Beda l. 3. c. 22. 23. 25. & l. 4. c. 3.

Porro Concilii in S. Hildae Monasterio habiti pars quoq; magna S. Ceddus Monachus & sacerdos, postmodum Londinensis Pontifex fuit, cujus vitam Venerabilis Beda diligenter exequutus est. Gente Anglus erat, unaque in provincia reperti quatuor fratres docti, probi, sacerdotes, duo insuper mitra ornati, quorum etiam nomina edit Beda, quae sunt, Ceddus, Ceadda, Cymbilius, Ceulinus. Omnes magnam patriae operam navarunt. Ceddus in Lindisfarnensi Monasterio Monachum professus, quo tépore à Scotis habitabatur, quos inter omnibus numeris tam virtutem, quam bonas litteras absolvit, unde postmodum à S. Finano Archiep. qui pendam juniorem fide Christiana à se imbutum fonte sacro abluit, in regnum Merciorum cum tribus presbyteris missus est, ne quid detrimenti res Christiana caperet, postquam Gisbertum quoq;, Anglorum Orientalium Regem, ad fidem Archiep. adduxit, vices suos S. Ceddo, & cuidam sacerdoti commisit, certus officium facturos, praesertim vero Ceddum. Etsi enim Sanctus Mellitus capita divinae legis olim exposuerit Saxonibus Orientem spectantibus, quorum Metropolis Londinum habebatur, nihilominus Magistro adhuc superstite vanissima ingenia ad vetera piacula delapsa sunt. Haec cum ita, novo duce auctoreque idololatris opus erat, quibus excolendis tantum laboris exhausit Ceddus, ut difficile sit creditu. Fructus tamen non modo industriae respondit, sed etiam spem omnem superavit. Ergo Lindisfarnum contendit, Sanctum Finanum certiorem facturus, omnia ex voto, quin etiam supra votum, eousque successisse. Hic duobus praesulibus accitis, Ceddum Londinensem, adeoque Saxonum Orientalium Episcopum jussit, dignum S. Mellito successorem. Illi novus honor adeo divini cultus instaurandi ac fidei propagandae diligentiam non exemit, ut sine mora ad veteres labores se retulerit: adversus vitia idolaque regnum munierit, ne in splendido gradu vel cunctator, vel quod multo turpius, cessator esse videtur. Ne vero solus sub onere satisceret, Diaconos & presbyteros creavit: templa, Coenobiaque extruxit, ut sociata opera moli par foret.

Saxones Orientales excolit.

Beda l. 3. c. 22. Sacros Canones acriter propugnat.

Nunc audies fortem viri animum, hac historia à Beda explicatum. Duos regnum habebat juvenes, alto profecto sanguine editos quidem, sed non proinde probos. Alter uxorem duxit, quam per sacros Canones non poterat. Ceddus rationes secundum leges Ecclesiasticas secum putans, non in angulo timide mussitavit, sed in os objecit violatori Canonum turpe juxtaque temerarium facinus: cumque verba perdidisset, Ecclesiae aditu prohibuit. Sigebertus Rex ad clementiam natus, animos fratrum cum Episcopo conciliare studuit instituto cum iisdem colloquio, quos tamen Ecclesiastica censura notatos vitare debuisset.

Sigebertus Rex morte luit, quod excommunicato sermones miscuisset.

Permoleste id tulit Ceddus, Regiq; obvio cóceptam indignationem vultu expressit. *At Rex*, inquit Beda, *intuens eum, mox tremefactus desiluit de equo, ceciditque ante pedes ejus, veniam reatus sui postulans. Nam & Episcopus pariter desiluit: sederat enim & ipse in equo. Iratus autem tetigit Regem jacentem virga, quam tenebat manu, & Pontifici auctoritate protestans, dico tibi*, inquit, *quia noluisti te continere à domo perditi & damnati illius, tu in ipsa domi mori habes.* Stupescendum spectaculum, & oraculum.

Neq; facile expedias, digniorne admiratio-

ne sit Regis sit submissio, vel Episcopi magnitudo animi. Plus Sigeberto virium; plus Ceddo animorum erat. Multa tulere sæcula illa prisca, recta, innocentia, sancta, quæ hodie nec cogitatione, nec verbis assequi possumus, ideo pleraque in rusticam simplicitatem accipimus. Ne varius autem vates Episcopus esset, duo germani, homines hominum perditissimi, Regem domi suæ, pugionibus confecerunt.

Ita visum Numini est, ad affirmandam Pontificibus auctoritatem, sine qua tam ipsi quam leges Ecclesiasticæ multis ludibrio forent. Nihilominus simile vero est cœlo receptum, quod facti ipsum vehementer pœnituerit: deinde quod injuste cœsus sit. Post Sigebertum purpura se involuit Suidhelmus, quem flumine vivo, idest, sacro, idem Antistes abluit. Regibus deinceps Catholicis sibi invicem succedentibus, etiam multitudo lustraodam se præbnit.

In solium successit Suidhelm. qui in Christianas leges authore Ceddo juravit.

Etsi negotia sedulum Præsulem domi tenere potuissent, nonnumquam tamen in Northumbriam se eduxit, vel ideo gratum regnum qood ipse multis incolis iter ad cœlum expedivisset, nec veteres amici deessent, quibus cum dexteras renovare, perjucundum erat. Sic ultro citroque commeaodo, cum multis etiam necessitudinem novam contraxit: denique inter Regem quoque Edilvvaldum, S. Osvvaldi filium, ac ipsum, intima amicitia coaluit, Ceulino fràtre, qui aulæ à sacris concionibus erat, viam sternente.

Ceddus præcinctus Northumbriam visit.

Posthæc rationem Rex inivit hominem in escandi, ut sæpius rediret: tardius solum verteret. Itaque locum Monasterio ædificando capere jussit. Non fallebat Sanctum Celdum per magni referre, ut verbi divini satores prius agellum suum subigerent in solitudine, quam publice sementem facerent.

Littus arare illos, qui ante prorumperent ad multitudinem, quam Deum Opt. privatim convenissent. Igitur oblatam à montibus ansam corripiens, Monasterium excitavit, cui Lestinghen nomen imposuit, fundamento à jejunio, oratione, & lachrymis posito, quod morem tunc temporis obtinuisse, Beda asserit.

Lastingense Monasteriũ ædificat.

Tam multis & tam magnis rebus gestis, atque è sententia confectis, evocantibus angelis ad Superos abiit: cui Ceadda frater germanus successit, onere Monasterii fortiter excepto.

Concedit fato.

***

AN. CHRISTI 666. AN. S. BENEDICTI 186.

CAPUT I.

Monasterium Melrosense.

POstquam S. Colomannus, relicta Anglia Revertit in Scotiam, Tudas (quem alii Iudam vocant) vitæ cultu etiam Monachus, in Archiepiscopum Lindissarnensem lectus est. Monachus, inquam, uti vix aliquem cathedræ insidentem id ætatis reperias io Britannia tota, qui non fuerit ex Monasterio quopiam accersitus. Atqui pestilentia per insulam grassante, brevi extinctus est, cui vir quidam sanctus, Eata nomine, Melrosensis (seu Mailrosensis) antea Abbas, in Lindissarnense Cœnobiom Cathedrale successit, quód Abbatem habebat singularem qui cœtui Religiosorum præerat, parebatque una cum Monachis Archiepiscopo, qui vitam quoque Monasticam intus agens, hac quasi nota se Cænobitis adscribebat. Eata igitur Tudoni suffectus, cum non nesciret quanta virtus ac eruditio inesset Sancto Cuthberto, è Melrosensi Asceterio evocatum, Monachis Lindissarnensibus præfecit. Sed ut appareat tot inter spinas, quibus obducta erat Anglia, etiam natas esse rosas, ab ovo res repetenda est.

Eata Abbas Melrof. deinde Lindisf. demum Archiepisc. ibidem factus. Trub. l. 5 vir. Ill. c. 125.

MELROSENSE Monasterium, sanctitate, litterarum professione, opibus, nobile, prope Turinum fluvium in Zesalia posuere Fundatores: quæ provincia cum variante fortuna modo ab Anglis, modo à Scotis jura acciperet, & regionem qnam Bedæ Venerabilis ætate Northumbriam nominabant, partim Angli partim Scoti sibi vindicassent, Asceterium hoc aliquando inter Anglicana, aliquando inter Scotensia habitum est. Bella quæ vicina inter regna crebro gerebantur, etiam huic Monasterio, in confinio sito, offecerunt, ne ex tantis fundamentis ad par fastigium educere se posset.

Lesl. descript. Scotiæ. Situs Melrosensis Monasterii.

Viros pręclaros haud paucos numeravit: nos S. Eatam, imprimis Melrosensem, deinde Lindisfarnensem Abbatem, deniq; Archiepisc. S. Boisilum, Prioris munere sub ipso fungentem: S. Cuthbertum, qui postea idem officium obiit, cæteris anteferimus. Beda postremi acta & versu & oratione soluta prodidit. Versus interciderunt, absq; dubio digni quæ sæcula durassent.

S. Eata: S. Boisilus. S. Cuthbertus, decora Melrosensis Monasterii. Beda l. 5.

Igitur bono loco natus, ut BEDA verbis non ligatis narrat, prælitit,

qualem alterum, si miracula spectes Northumbria, vel terrarum alia, vix vidit.

S. Cuthbert, ad feria se dare à Numine per infantem jubetur.

Ingenio erat acuto: corpore agili: viribus robustis: cum æqualibus lucta, saltu cursu contendebat, ubique imminens victoriæ, donec ad seria se conferre à Deo per infantem jussus est. Crus quoque cursori intumuit, ut gradum facere non potuerit, nisi manibus alienis fultus. Aliquando juvenem ore insignem præter suas ædes equo ferri conspexit, colloq; obliquo rogantem, num tecto succedere liceret peregrino? Negavit is assurgere se posse, & quæ hospitem opotteret, præstare: quod ad vnluntatem attineret, promptissimam esse. Tum peregrinus, quin tu farinam, inquit, aqua calida subactam popliti circumpoois, certo salutem tibi allaturam? Nec plura loquutus, admotis equo calcaribus ex oculis evanuit.

Angelus ædes paternas prætervectus, medicinam ei suggerit curando cruri.

Æger ignoto medico morem gerens, captum pedem in libertatem vindicavit, nil dubitans hoc emplastri ab Angelo sibi suggestum.

Arctam posthæc inivit vivendi rationem orationi large indulgendo, insomnes horas trahendo, inedia corpus conficiendo, templa frequentandn, & siquæ alia humi repentem spiritum attollere solent, exercendo. Quantum pondus ipsius præces apud Numen habuerint etiamnum sæcularis, hæc res, quam narrabo ex Beda, indicabit.

Monachos marinis cũ fluctibus pugnantes, periculo eximit.

Monachi de vicino Monasterio cæsam sylvam imposituri navigio, Tino fluvio se se crediderant. Incumbentes subito venti aliquandiu habuere ludubrio vectores, pavore haud vano perculsos. Mox vi majore carinam proflantes, in Oceanum ejecerunt.

Cæteri fratrum qui premebant ripam, cum exitium suorum ferre non possent, navim solventes alteram, cæci in eam ruebant, correptisque remis vanis verberibus increpabant latera: tandem ventorum impetu pariter è Tino in mare sunt effusi. Sublato, ut fit, clamore exciti agrestes longa serie prætexebant littus, in in sinu ridentes invisa sibi capita insanis fluctibus hauriri.

Falsis enim adhuc opinionibus de Diis tenebantur: aversis insuper animis à Monachis erant, quod turbis se non miscerent, & publico abstinerent, quod ipsi in contemptum sui accipiebant. Vt primum inconditus clamor ad Cuthberti aures accidit, is nil cunctandum ratus, curriculo ad ripam contendit, ubi applaudentes periculo barbaros reprehendens, potius veri Dei auxilium implorandum, dixit, quam miseris insultandum. Positis deinde poplitibus, & fronte propemodum terram tangens, Numen perituris propitiavit. Nam venti consilio mutato utrumq; navigium in ripam mox retulere spectatoribus stupore defixis.

S. Aidanum ad Superos sublime abeuntem videt.

Porrn dum inter pastores degebat, illis stertentibus, nec sentientibus, arcanum in locum se abducebat, ubi contemplationi operam dabat, immensam secum misericordiam expendendo, qua Deus Opt. erga hominem uteretur. Aliquando oculis cœlo hærens, incredibilem lucem cum denso angelorum gestientium globo plane solo tenus defluere vidit: pauloque post festiva pompa ambrosios ephebulos repetere cœlum, cujusdam Episcopi animam mediam nimium quantum officiose ducentes. Postmodum certior est factus, eo ipso momento S. Aidanum beatam animam edidisse.

Percitus spectaculo Cuthbertus, fugam è mundo paravit, terrenam fæcem pertæsus, postquam purissima liquidissimaque cœli gaudia saltem primoribus, ut ajunt, labris hausit. Quo vero se reciperet, id secum volvebat. Trahi se sentit LINDISFARNIUM, ubi asperrimæ disciplinæ locus erat.

Trahebat etiam MELROSENSE Monasterium, ubi æque ad regulam vivebatur, Eatta Abbate & Boisilo præposito seu Priore, ducibus: si tamen opes in consilio habuisses aut famam, hoc Cœnobium alteri post habuisses. Facit CUTHBERTUS, ut mihi Sanctus Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis in mentem veniat. Huic enim postquam sententia stetit inter Monachos nomen profiteri, vincula injecit Cluniacum in Burgundia, fama celeberrimum Monasterium & ad se trahebat. Invitabat etiam Cadomense Asceterium in Nordmannia, quot S. Lanfrancus, vir doctissimus juxtaque sanctissimus moderabatur. Vtrinque illigatus, jam huc jam illuc rapiebatur, ancipitem animum inter duo Asceteria gerens. Ad ultimum minus Monasterium anteposuit majori; eo quod Sanctum Lanfrancum, cujus ductu Deo Opt. Max. militaturus esset, pluris æstimaret, quam aliarum rerum copiam, quæ Cluniaco erat.

Melrocensi Monasterio se dedit.

Ita Cuthbertus quod magistro S. Boisilo usurus esset, Melrosensi Monasterio se intulit. Gente is Northumber erat, deditus admodum orationi, & corporis afflictioni. Circumfusi Asceterio montes frequentissime habitabantur, cultoribus tamen sylvestrem vitam ducentibus.

S. Boisilus homines sylvestres excolit.

Quamvis autem ascensus difficilis esset, Boisi-

B. *B*oisilus nihilominus obvia quæque occupans, manibus & pedibus enitebatur, & robore natos cultores cum ad humanitatem, tum ad fidem Catholicam formabat. Aliquando duos prope menses in hoc negotium incubuit, contentus mensa quam infæcunda juga præbebant.

Cum Sanctus Cuthbertus se admoverat Monasterio, *B*oisilus eo conspecto, *Ecce verus Israelita*, dixit, *in quo dolus non est*. Vbi intellexit summa serviendi Deo cupiditate affectum, per varias rimas in juvenis indolem penetrans, spem magnam concepit, in summum virum evasurum.

Cuthbertus tyrocinium ponit.

Admissus in tyrocinium incredibile dictu est quantum studium in virtutibus comparandis posuerit, quam diligentiam factus Monachus supra fidem intendit. Si enim sancte vitam in mundo instituit, quid egerit in Monasterio, facillime potes existimare. Inter prima habuit, à Regula non latum unguem discedere: majoribus se prompte submittere: imperata sedulo exequi: rigorem disciplinæ non remittere: nihil penitus sibi indulgere.

Quamvis vino abstineret, tantum cibi tamen adhibere solebat, quod *B*eda indicat, quantum stabiliendis viribus annisque promovendis opus erat; nimirum ut jugum, quod volens lubens acceperat, ferre posset. Multi intempestivo quodam impetu in varias pœnas, quas de se sumunt, feruntur, nimia inedia, vigilia, chameunia, & quicquid imprudentibus in mentem venit, corporis robur frangentes, id solum consequuntur, ut valetudine temere afflicta non modo fungi officio haud queant, sed conducendi sint qui ipsis lecto decumbentibus, serviant. Itaq; Cuthbertho nostro consilium fuit, non servire corpori sed corpus in servitutem redigere.

Hospitum curam suscipere jubetur.

Cum *A*lchfridus Osvvini seu Osuvii Regis filius condidisset Ripense Monasterium (alii in *R*ipis, & Inrhypum appellant) è Melrosensi Cœnobio deduxit coloniam, cujus nobilis pars S. Cuthbertus erat.

Tum enimvero ut quæque officia bene peragerentur, ab *A*ntistite inita ratio est. Cura hospitum Cuthberto commissa fuit, provincia in nostro Ordine præclara, cum Divus Benedictus sanxerit, ut *Omnes supervenientes hospites tanquam Christus suscipiantur.* Quantis obsequiis hospites acceperit: quantis beneficiis pauperes & peregrinos sit prosequutus, referre verbis frustra conamur. Præcinctus enim verrebat cubicula: sternebat lectos:

c. Reg. c. 53.

ponebat mensas cœnaturis: sordida vestigia lavabat, ad omnia paratus, quæ res monebat.

Angelum hospitio excipit.

Fuit ut albescente adhuc die juvenem in Xenodochio conspiceret. Solicitus ne leges violaret, manibus laticem purum infudit pedibusque: mantili humorem obsequiose abstersit: calfecit: ne ante horam tertiam in viam se conjiceret, oravit: tum enim remissurum frigus: jentaret prius ut commodius proficisceretur: nam noctem superiorem non ex sententia traduxisse videbatur, ningente nimirum cœlo rigenteque. Teneri se passus est peregrinus, quod sibi propemodum vis afferretur. Cuthbertus, ejus securus, ad furnum citato gradu properat, panem inde prompturus, quem suo hospiti apponeret, jam discumbenti.

Sed hic interea se subduxit. Ille venit anhelus: circumspicit: frustra est. *A*mbiguus quo se verteret, impressa nivi vestigia per famulos indagat: operam perdit. *P*ostremo in penetrale tendit, ubi is fuerat diversatus, prô, ut te Superi! ambrosium id odorem afflavit exploranti: tres panes, de flore farinæ pisti, mensam instruebant. *M*axima Cuthbertus & plurima cœlesti hospiti suo debere se, dixit, à quo prius accepisset, quam dedisset. Hinc calcaria sibi profundius admovit, ad celerem operam hospitibus navandam. Præsente namque domino, & studium approbante, quis tergiversetur; Sæpius deinceps ab angelis familiariter conventum, *B*eda affirmat.

Ex peste laborat.

Forte per id tempus tota *A*ngliæ insula laboravit pestilentia, quo malo tactum quoque Melrosense Monasterium fuit, & notatus pustulis Cuthbertus. Oculos & manus in cœlum tollit religiosus cœtus: pacem Numinis poscit: salutem Cuthberto suo rogat. Primo mane Monachus, cui major cum ipso amicitia intercesserat, preces à cœtu pariter fusas, ei retulit. Quid refers? æger dixit.

Præcipitatus in mortis insidias, publicis fratrum precibus evadit.

Publica à nobis vota pro tua incolumitate suscepta, respondit alter. Hoc audito, spem tantam in *P*atrum suorum meritis & supplicatione posuit, ut vestes ac scipionem firmando gradui postulaverit: è lectulo se se evolverit: sanus evaserit. Ne vero beneficii immemor esset, nonnullus remansit dolor, qui memoriam, forte callum obducturam, refricaret.

Incerto illi quidnam se futurum posthæc esset, denunciavit Boisilus, non amplius è peste laboraturum: deinde in Sedem Lindisfarnensem ascensurum. Idem

Boisilus cœlo afflatus.

vates Eattæ Abbati canam senectutem promittens, dysenteria moriturum prædixit se autem post septennium oppeiturum. Fato vicinus, Evangelium SANCTI IOHANNIS CUTHBERTO exposuit, ut hac quasi hæreditate se sustentaret. Elapsis septem annis vita exutus est, ut à Trithemio fertur, viris sanctis insertus.

Trith. l. 3. c. 146. vir. ill.

Cuthbertus Boisilo præposito seu priori suffectus. Effigies & imago veri Prioris.

Ingens mœror incessit Monasterium ob tanti viri jacturam, quam tamen abstersit in id munus lectus CUTHBERTUS, qui provincia suscepta mox documenta dedit, quid singulis agendum esset. Criminis loco putabat, non ante alios tetigisse limen Chori: Regulam vel minimum flexisse, aut loca parumper voluptati tetendisse. Fronte exporrecta bonos confirmabat: malos coercebat: omnes ad maxima audendum animabat. Hoc officio aliquandiu functus in Monasterio Melrosensi, idem postea in Lindisfarnensi obivit.

Tres noctes vigilias tolerat, idq; non raro.

Animadversum à curiosis, virum nunquam, neque ad temporis momentum vacare negotio, sed vel intentum esse lectioni, vel contemplationi, vel cantare in Choro, & rem divinam facere: vel manibus quippiam moliri, quasi ære fusus esset, qui lassari aut frangi non posset. Nulla tamen res magis admirationi fuit, quam cõtinuæ vigiliæ. Nam quandoq; duas quandoque tres noctes insomnes duxit: eos vero qui moleste ferebant se expergefieri, irridebat, se magni beneficii loco habere, dictitans, quoties somno excuteretur, quod id temporis ad Dei gloriam, & suam salutem collocare posset. Adeo non crasso filo telam suam texunt Sancti.

Monticolas in viam revocat.

Cum pestis jam hos jam illos de monticolis carperet, quidam suggestu dæmonis culpam calamitatis in fidem CHRISTIANAM, in quam concessissent, retulere, auctoresque vulgo fuere, ut certis præstigiis ac devotionibus malum propulsarent. Cuthbertus non ulterius domi sibi sedendum ratus, prorupit; in summa montium culmina, pedibus alas addente charitate, evolavit: cum tartaro signa contulit: obnoxios errori lustravit; tactosque stygio veneno pristinæ integritati restituit. Parta ipsi jam pridem ea existimatio erat, ut crederent montani nihil virum fallere quicquid designassent. Proinde peccata pro se quisque sua absque fraude in aures ipsius instillabant. Diu hic duravit labor: cadenteque sole, quasi non desudasset, propere domum relegit viam. Quoties rei sacræ operabatur, uberrimis lachrymis sparsit aram: concionanti nequicquam pressi erumpebant singultus, quibus saxea quoque pectora emollivit: quid verbis opus est? voce, oculis, vultu, facultate orationis, omnes traxit vel ad fidem, vel frugem, Deo miraculis verba præconis sui augente.

Ebbe Oluvini Regis soror, Kodlingensis Parthenonis Antistes religiosissima, forte exciverat virum, ut sibi suisque Monialibus verba faceret, spe freta fore, ut vel unico doctrinæ cœlestis, qua is pollebat, haustu plurimum promoverent.

Multum enim refert, dum alia agis quam debes à viro religioso interpellari. Sine mora adfuit: aliquot diebus de divinis rebus ad illas dixit fecitque ut olim animo magno pro CHRISTO mortem oppetiverint, sublimesque in cœlum abiverint. Vt vero sibi quoque consuleret, in omnes occasiones è publico se auferendi contemplaudique, intentus erat. Quando animadvertit alios incumbere lecto & somno, corpus è vili strato corripuit: in angulum secessit Superis se se admovens meditando: dato postmudum ad matutinas preces signo, conniventibus aliis se se pervigil obtulit, fraude pia ita tecta, ut nemo senserit. Quando silendum erat, ipse prorsus obmutuit. Quando æs companum Monachos civit ad Chorum (nam si nondum tibi excidit, Monasteria ab ipsis Monialibus fundata, etiam habitarunt Monachi) velis ac remis ille contendit in Chorum. Cum aliquando se nescio quo ferret noctu quidam Monachus id sentiens, actus curiositate illius vestigiis suos pedes imposuit, arbitraturus quonam iturus, quidque facturus esset.

Ne oculi succumbant somno, mare ingreditur

Beda c. 10. hist. S. Cuthberti.

Cuthbertus sui securus ad mare quod prope aberat, se se ejecit: in ora mento tenus corpus immersit, nimirum ut incumbendum somnum pelleret metu collabendi. Nam undis illico haustus fuisset.

Tum oculis cœlo sublime hærens, disposita per ingentes plagas sidera contemplabatur, opificem Deum summis laudibus prosequendo. Vbi plurimum noctis jam effluxerat, ille è mari sese eripiens, quasi nectare divino potus & sui compos non esset, antequam vestes sumeret, in genua se composuit, iterumque oravit. Interea duæ lutræ è mari se promentes, littus capiunt, stillantem adhuc undis Cuthbertum officiose detergunt.

Magnum documentum quam cordi suos amicos habeat Deus. Monachus jam dudum in insidiis collocatus, hoc spectaculo perculsus è latebris prorupit, obortisq; lachrymis suæ curiositati veniam petivit. Attonitus Cuthbertus ignovit quidem insidiatori,

sed juxta gravissimis verbis silentium ei indixit, donec ipse fato concessisset.

Beda c. 11. Penum precibus instaurat.

*A*nnona aliquando laboratum est, quod ingens maris tempestas facultatem navigandi ademisset. Cuthberto ac sociis res redierat ad famem, quam tamen Bonus Deus objecto in ripa Delphino, in tria frusta secto, in tempore levavit. Vice alia cum etiam premeretur commeatus inopia, ecce aquila suspensis demissa leniter alis subito in flumen se præcipitem agens, piscem tam magnum corripuit, atque in littore destituit, qui non solum ipsi, verum etiam agrestibus ad quos tendebat eos instituendi gratia, in mensam sufficeit. Fuit ut verba faceret ad populum; quod inique ferens diabolus ut averteret auditores, igni fatuo involuit circumjectas ædes: quo ludibrio oculis objecto, jam dilapsuri, jamque curriculo domum quisque suam properaturi erant ad incendium extinguendum, nisi Deus à præcone suo exoratus, fraudem detexisset. *A*lias vero igni conflagrarunt ædificia, quem Sanctus suis precibus oppressit. *D*æmonem quoque ex fæmina profligavit, quæ omnia multis exponit Venerabilis Beda.

Cap. 12. Aquila Numinis impulsa decumanum piscē exundis rapit: S. Cuthberto apponit.

Cap. 13. Fumos pro igni venditantem diabolum apud concionem confundit.

Cap. 14. Cap. 15.

CAPUT. II.

Viri præclari Melrosensis Monasterii.

FELIX arbor quæ poma sua numerando fatigatur. Hoc evenit *M*elrosensi *M*onasterio, quod virorum magnorum copia plane abundavit. Post SS. *B*oisilium, Eatam, Cuthbertum, etiam Sanctus *A*dilvvaldus adest, ex *M*onacho factus Lindisfarnensis Archiepiscopus. Item *A*lfridus, Northumbriæ quondam Rex, qui tædio sceptri captus, ac purpuram cum cucullo circa annum D.LI. commutavit. Sanctus Gualtherus quoque, Davidis Scotiæ Regis filius, quem sub annum millesimum centesimum septuagesimum antiqua monumenta producunt. Venerabilis quoque Beda non raro in hoc *M*onasterium concessit, bonis se se addens. Mota enim controversia inter Italos & Anglos, utra gens haberet isti' Sācti ossa, *Verum*, inquit Hect. Boethius, *undecunq traxerit originem, & ubicunq diem clauserit satis constat ex ejus & aliorum scriptis adolescentē eum in Italia, senem in Northumbria frequentius inter piorum cœtum Mailros* (*Abbatiæ, Monachorumque Cœnobii id est nomen in Scotorum agro*) *pientissimis viris, & religione devotis semper insigni, habitasse, diversatumque esse.* An vero adiverit Italiam, nos alibi indagabimus.

Melrosense Cœnobium nobilitarunt, Boisilus: S. Eata: S. Cuthbert. S. Adilvvaldus Abbas. Alfridus seu Alchfridus:

S Gualtherus Abbas Davidis Regis Scotiæ filius. Hect. Boeth. l. 9. hist. Scot.

Nunc Melrosense *A*sceterium obeuntibus se quoque Drithelmus offert, compertæ sanctitatis Monachus. Olim conjugii vinculis impedito, finem gravissimus morbus attulit. *A*biit igitur ut redux docere mortales posset, quidnam in mundo altero ageretur.

Drithelmus rerum alterius mundi spectator. Beda l. 5. c. 13. hist. Anglic.

Imprimis ductu Angeli Cœlitum gloriam eminus conspexit: volui deinde piacularibus in flammis purgantes animas vidit: denique damnatos imo terræ hiatu reconditos, aversus contemplatus est.

Quamvis autem terrificos ederent ululatus tormentis non ferendis subacti, hoc tamen cruciabat maxime, esse penitus depositos, & nullam posse sperare salutem. Post hæc anima rigidū cadaver denuo subeunte, uxore, liberis, amicis obstupescentibus caput extulit, spectaculis infernalibus adhuc attonitum: nec diu cunctatus fortunarum partem unam in consortem tori: alteram in charam sobolem: tertiam in pauperes effudit, exutusque rebus omnibus in Monasterium *M*elrosense profugit, ubi vitam longe asperrimam duxit, calamitate aliena edoctus post fata exedendum esse mortalibus, quod sibi ante fata inirivissent.

Ad se redit.

Iam ante diximus, propter *M*onasterium volvi flumen cui Tino nomen (aliis Tuedo:) in hoc hyemante cœlo penetrare DRITHELMUS, mediisque in in undis psallere solebat quandiu pedibus consistere licuit.

Monachus noctu amnem subit, atq; psallit.

Tum enimvero è thermis (heu frigidis!) se se educens, madidas vestes haud posuit ut occuparet siccas, verum glacie obductus novas sibi pœnas dedit, stiriis per laciniam dependentibus ac sonitum edentibus quacunque incessisset. Sua dentibus ut mitius haberet corpus, *frigidiora se vidisse*, respondit. Quando tormentum aliud, quod tu horreas audiendo, sibi adhibuit, dehortantes amicos submovit, *diriora se vidisse, frigidiora se conspexisse*, dictitando.

Inter tanta supplicia in ultimam senectutem produxit vitam, cui multum debuit exactissima disciplina *M*elrosensis, Beda teste.

Iohannes Lesleus Episcopus Rosensis, hoc Monasterium ab hæreticis quidem dirutum, non tamen deletum, hisce verbis significat: *Monasteria hic libentius commemoro, quod nusquam apud nos illorum annui redditus ullo regni jure sint hactenus violati, quantumvis eorum ædificia*

Io. Lesl. ad an. 1578.

fícia

ficia insanorum hominum furiis ante sexdecim annos pleraque fuerint per totum regnum exscissa. Hæc Lesleus anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, Abbatiæ istius possessiones definiens. Namque Angliæ Monasteria etiam cum bonis versa esse affirmaverat, ut nec vestigium amplius appareret, & Monachis spes redeundi penitus adimeretur, Scotiæ vero Cœnobia solo quidem æquata, sed prædia ab hæreticis nequaquam rapta, verum neque lupis barathro toto hiantibus, objecta, sed Ecclesiis adhuc annexa esse. Alexander Rex Scotiæ anno millesimo ducentesimo quadragesimo nono in Melrosensi Cœnobio sepultus est. Lesleus quatuor magnæ molis Abbatias Scotiæ celebrat, quibus hæc fuere nomina: Melros, Chelsoo, Condelgamo, Sancta Crux. Rex ambiguus quo pacto tantas opes suum in ærarium derivaret, quatuor filiis vitio susceptis (similes autem liberos numeravit plures) singulas Abbatias tradidit, quibus tamen ipse dum viveret, frueretur; illi vero parente orbati eadem in patrimonium verterent. Si è tantis colossis fragmen Monachis relictum est, in lucro deputabimus. *Eorum fructus*, inquit Lesleus, historiæ Scoticæ conditor, *quamdiu viveret, ad se transtulit, ex quibus non minor forsan pecunia, quam ex patrimonio regio facile ad eum pervenerat.* Quamvis autem Scotiæ Reges divitiis haud æquent Reges Hispaniæ, regio tamen titulo pares possident, ut admiratione profecto dignum sit, quatuor Monasteria ad regium ærarium proxime accessisse. Piam in Deum gentem fuisse oportet, quæ res suas tantopere accidit, ut quamplurimos Dei servos aleret.

Lesleus l. 9. Alexander Rex Scotiæ quatuor ditissima Monasteria sibi vindicavit.

Sed è Melrosensi Monasterio efferamus pedem, atque ad S. Cuthbertum visamus, qui se in Lindisfarnensem insulam contulit, ubi non modo Monachis, sed etiam recens conversis gentilibus consulvit: vestigia trivere posteri. Plantas non modo depangere, sed insuper frigida excitare ut radices agant, diligentis hortulani est. Gravis jam annis Prioratum, quem diu gesserat, deponens, in solitudinem secessit, more Monachorum illius ætatis. Dæmones frequenter exegit: multos etiam diversis morbis implicitos expedivit. At vero ne periculo se committeret novam vivendi rationem ineundo, priusquam excessit ex Monasterio, in Cellulam privatam se recondens, de animo deque viribus suis non tyro, sed veteranus cepit experimentum. Eos enim pro veris Eremitis habet S.P.N. Benedictus, *Qui non conversionis fervore novitio, sed Monasterii probatione diuturna, dedicerunt contra diabolum, multorum solatio jam docti, pugnare, & bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam Eremi, securi jam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio contra vitia carnis, vel cogitationum, Deo auxiliante, pugnare sufficiant.*

S. Cuthbertus totum se ad vitam eremiticam confert.

S. Reg. c. 1.

In ora Oceani positum est Lindisfarnense Monasterium, quod proinde exciti à luna crescente fluctus ita circumdant, ut speciem insulæ præbeat. Peninsulam verius appellaveris, quod undis in mare revocatis, sic cis gradibus obambulare liceat. Nono inde lapide parva insula exstabat ex Oceano cui Farne nomen, vacua cultoribus, quod nemo se tam longe ab hominum cœtu removere vellet: immo nec auderet quidem, manante fama à styge locum infestari. Neutrum horum coercere Cuthbertum poterat. Igitur ad littus contendit: navi se cum paucis Monachis imponit, eorum opera in Eremitorio, oratorio, & tugurio altero, quo visentes subinde hospites acciperet, struendis usurus. Sub hæc animadvertit aquam dulcem deesse insulæ. Negotium igitur Monachis dedit, ut dura in rupe cellulæ scrobem molirentur, qui vas repandum imitaretur. Illi instant operi, quo absoluto, Deus fontem perennem infudit.

Fontem è rupe elicit.

Rebus sic compositis fratres dimisit, supra sortem mortalem contentus è domuncula, alta de rupe pendente, spectare Oceanum, & liquidum cœlum. In rabiem actus dæmon, antiqua sede se pelli, ulcisci contumeliam statuit: proinde insidias novo incolæ parans, aliquando innumeros lapides quam potuit tumultuosissime in ipsum jactavit: nonnunquam summis viribus eundem invadens, ex edita rupa præcipitem dare conatus est, quæ stygia tela haud salvus & integer evasisset aliquis tyro. Atqui Cuthbertus non nescius vanam esse sine viribus iram, risit informem belvam, tanto nisu aera verberantem: neque plus negotii obstrepens orcus illi facessebat, quam si in Monasterio inter elingues fratres sederet. Tempus legendo, preces fundendo, contemplando, hic traxit, succumbentem stomachum parco commeatu instaurans, quem per temporis intervalla Lindisfarnio accipiebat. Indignatus postmodum alieno sudore penum se suum instruere, instrumenta ruri colendo apta sibi afferri jussit, nec non semina quæ glebæ proscissæ mandaret. Primo triticum sevit: sed sementem in arena fecit, agello nec usuram, neque creditum reddente. Ergo hordeum sparsit, terra iterum versa, & quidem post tempus: nihilominus herbescens viriditas brevi in culmos erecta, ipsi spem

Beda c. 19. 20.

Tendentem retia diabolum irridet.

Aves segetem carpentes, in jus vocat, atque fugat.

messis fecit; sed minutæ aves, quæ hominum insidias vitantes insulam incolebant, tam lætas segetes depopulatæ sunt.

Non se amplius tenuit voto dejectus agricola, sed citato gradu agellum petens, *quas ego?* exclamavit, pascentes volucres appellans: *heus vos, cur messores fundi mei estis, cum satores haud fueritis? Num fortiores vobis angustior est, quam mihi? Quod si Bonus Deus hanc vobis prædandi copiam fecit, etiam per me licet. Pace quoque mea jentate hic: prandete hic: cœnate hic. Aliter, imperfectas aristas ocyus relinquite: sat comesum est. Avolatote confestim, extemplo, sine mora: nec amplius advolatote.* Vix bene desierat proscribere, cum dicto audientes aves terque quaterque concussis levibus alis in aera se librarunt, & trepida fuga saturæ se abstulerunt. Hinc Venerabilis Beda Cuthbertum ad S. P. N. Benedictum comparat, pellucidam aquam è rupe exprimentem; tum etiam ad Sanctum Antonium, cui aves pariter obsequutæ sunt. Negat Gallonius istos Angliæ Monachos & familiam pertinere D. Benedicti, quem Beda In Sancti Cuthberti actis ter Sanctissimum & Reverendissimum Patrem vocat. Sed cum induciæ, quas Gallonio dedimus, nondum exieriot, justam ipsi litem alibi intentabimus.

Gallon. apolog. adversus Constan. in. Bellonum.

Ad existimationem Gallonii interest, scilicet, non pati ut nostros Sanctos nobis vindicemus.

Nunc Cuthbertum valere jubemus, redituri ad illum, cum ad Archiepiscopatum Northumbriæ evocabimus.

ANNUS CHRISTI 667. AN. S. BENEDICTI 187.

Vitalianus Pontifex Max. Cantuariensi cathedræ SS. Adrianum & Theodorum, D. Benedicti alumnos, imponit.

MAgnum monumentum Angliæ ut incrementum sumeret, hoc tempore S. Theodorus, & S. Adrianus Afer unus, alter Græcus, attulere, tam litteris quam virtutibus conspicui, in Italia Monachos professi. Discipulis Gregorii Magni vita defunctis, Deus dedit, Cantuariensem mitram exceperat, quem tamen pestis è medio sustulit, miseram stragem tunc per Angliam edens. Post Deodatum suffragiis in VVighardum itum est, quem Osuvius seu Osvvinus Northumbriæ & Egbertus Cantiæ Reges Romam misere, à Vitaliano Summo Pontifice initiandum. Ubi ventum in urbem est, libatis osculo Pontificis pedibus, & redditis litteris atque muneribus, VVighardus paulo post cum familia ex peste oppetiit. Papa de tristi fato Osuvium fecit certiorem, munera sacris reliquiis compensans. Cunctantibus æquo diutius Anglis quem designarent Archiepiscopum, solicitus Pontifex inquem onus inclinaret, fama accepit quendam Adrianum Monasterii Niridani prope Neapolim siti Monachum oneri esse ferendo: quippe litteris latinis, græcis, virtute, æque excultum. Igitur virum accivit Romam: Archiepiscopum Cantuariensem esse jussit. O sæcula aurea! Adrianus ceu fulmine ictus nil intentatum reliquit, ut errorem Pontifici, quo eum duci putabat, detraheret. Quanto vero ambitu mitras ferrea nostra sæcula affectant captant, involant! Hoc genus candidatorum æq; stolide quam gnaviter prænsantium, antecellere vitiis, non virtutibus, certum est. Cum Adrianus intelligeret frustra se impares vires excusare pontifici, quendam è vicino Monasterio Monachum (Andreæ nomen erat) oratione composita ei commendavit, rebus quidem gerendis aptum sed affecta plerumque valetudine. Quocirca repulsam à Pontifice passus est, atque Adrianus Archiepiscopali infulæ caput submittere denuo jussus: non tamen destitit tergiversari: inducias petere, pollicendo hominem se inventurum, in quo Paps nihil penitus desideraturus esset. Adeo ægre Monachi id temporis adibant honores, cellula sua contenti.

VVighardus Cantuariensis Archiep. Romæ moritur.

Beda l. 5.

Beda l. 4. c. 1. Adrianus Monachus mitram detrectat.

Commendat Pontif. Andream Monachum, sed nihil agit.

Forte tum Romæ versabatur Theodorus Monachus, sexaginta sex annos natus: arduo corpore conspicuus: divinis humanisque litteris excultus: aliquot linguarum peritus: imprimis autem vitæ integer. Adduci quidem se passus est Vitalianus, ut Archiepiscopum Cuntuariensem crearet, si tamen Adrianus se comitem proficiscenti adderet. Bonos enim progressus faciebat Ecclesia Anglicana, quos ille tam eruditione quam dexteritate sua poterat promovere. Galliæ quoque, qua erat iter faciendum, gnarus, magno usui Theodoro futurus videbatur. Accedit subtimuisse Pontificem ne Theodorus, quamvis longe doctissimus, Romæque eductus, errore quopiam aspersus esset, cum multis tunc temporis laborarant Græci, à quibus ipse genus ducebat. Adrianus anxia mitræ cura solutus, pedibus, velis, remis, ventis Angliam se petiturum promisit. Memorabile exemplum, labores honoribus ante ponendos.

Invitatus Theodorus & capescit mitram.

An. Christi 668 — An. S. Benedicti. 188.

SS. Theodorus & Adrianus iter faciunt in Angliam.

QVæ hactenus narravimus, annis superioribus gesta sunt. *Præsenti* vero, ineunte Aprili Vitalianus *S.* Theodorum Cantuariensem *Archiepiscopum*, totiusque Angliæ legatum creavit, sequentique mense discedendi cum Adriano copiam fecit, quorum nos vestigia paulo post legemus: nunc autem Leo Cardinalis Ostiensis per manticam nos ducit, & litteras porrigit, quibus Siculi Monachis Casinensibus, hoc tempore in Laterano degentibus, *Monasterium* S. *Placidi* à saracenis iterum solo æquatum esse, significant. Cape: lege: non multa verba, sed caput rerum dabimus.

Leo Ostiens. Append. Siculi Casinensibus Monachis instant, ut Monasteriũ S. Placidi instaurent.

Sanctæ Congregationi Casinensi, Deo dignæ, in Laterano commoranti filii ipsius & servi degentes in Sicilia felicem navigationem in hac vita, & portum quietis in altera. Afflicti & oppressi miseriis & ærumnis innumeris ex earum profundo ad Paternitates vestras voces emittimus, rogantes ut nos misereścat desolatæ calamitosæ & desolatæ Siciliæ, in qua nos sine spe salutis demersi sumus. Etenim Saraceni venientes *Alexandria* irruperunt in insulam, ferro & igni totam vastarunt: deprehensos in S. Placiti Monasterio *Monachos*, prius variis tormentis excruciatos, decollarunt. Terram vero ante id frequentem redegerunt in solitudinem, ut jam sylva, & ferarum non hominum habitatio sit. Possessiones quoq; Monasterii nonaginta octo pariter destructæ funditus sunt. Summam in *Sacerdotes* quos excipere potuerunt crudelitatem exercuerunt: templa & altaria profanarunt. Quocirca nunc lamentatur Sicilia se ludibrium orbi factam, nec esse qui tristissimam se consoletur. Consumptis carnibus ossa sua adhærere pelli, labia gingivæ. Pietatem proinde vestram ceu amicorum implorat, in quibus spem unicam salutis habet manu Domini tacta, vobis assiduo per S. Benedicti & S. *Placidi* merita supplicans ut brachium misericordiæ sibi porrigatis mittendo *Monachos*, per quos restituatur ac reparetur Monasterium cum bonis eversis, addendo nummos quibus caput iterum erigere liceat. S. Placidum cogitate denuo esse martyrio affectum in suis filiis: Eutychium, Victorinum, *Flaviam* iterum capita acinaci subjecisse. *Fusus* est sanguis *Monachorum* Casinensium, & eorum qui cum illis vivebant, nec erat qui sepeliret, ac terræ mandaret.

Igitur sanctitatem vestram vehementer oramus, non semel sed millies, ut opem feratis tam afflictis & prostratis Siculis.

Monachi Casinensis acceptam epistolam tulere summo Pontifici qui *Monasterii* S. Placidi vicem dolens, coloniam ex Laterano illuc misit additis litteris, quibus novos colonos majorem in modum Siculis commendavit, S. Benedicti & S. Placidi filios eos nuncupans, quod in ambos Divos singulari studio universa terra ferretur.

Pontifex Monachos in Siciliam mittit.

Baronius Siculorum epistolæ fidei nihil habet, eo quod tam multas civitates Monasterio S. Placidi adscribat: deinde quod Bibliothecarius videatur *Saracenorum* incursionem ad annum sexcentesimum sexagesimum nonum referre, quo clavum S. Petri Adeodatus tenuit. Persacilis & expedita responsio, quam ex Tomo primo repetere, propemodum piget.

Baron. anno 669.

Ad annum enim quingentesimum tricesimum septimum affatim ostendimus, principes & patricii ordinis viros, opibus præpollentes, ambobus brachiis sua bona congessisse in Monasteria. Tertullus S. Placidi genitor in exemplum ire queat. Si Monasterium hujus Martyris nonaginta octo civitates numerasse, assereret epistola, non injuria hæsitasset Baronius (quis enim hunc numerum non vocaret in dubium?) atqui illa pagos, villas, vicos, prædia, urbes, ad hanc summam redegit, quæ fidem non superat. Vel quis adeo hospes est in historia Ordinis S. Benedicti, ut nesciat & multas & magnas civitates uni quandoque Monasterio fuisse subjectas? Mons Casinus, Folda, VVeissenburgum, *Augia* dives, S. Galli Ascetterium, documento sint. Deinde non stare vult à nobis Baronius, quod Bibliothecarius Saracenos non isto, sed insequenti anno Siciliam occupasse suggerat: verum semel in esuatis barbaris integrum erat, quovis anno invehi in patentem insulam; præsertim Messanam littori impositã, atq; in *S* Placidi monasterium extra urbem situm & præsidio nudum, Fac quoq; semel duntaxat *Siciliam* eos invasisse, potuere tamen cives Messanenses de clade accepta apud Vitalianum Papam conquesti esse; barbari vero aliquot menses in insula traxisse, eam penitus exhauriendo & evastando, atque ultimum exitium in annum sequentem extendisse, quo Adeodatus *Pontificatum* inivit. Bibliothecarius enim funditus eversæ Siciliæ cum Paulo Diacono meminit, ut nesciam cur Baronius Lectorem involuat. Amittamus tamen annum, quo Saraceni classe

Tom. I. an. 537. Baronius hisce epistolis fidem male abrogat.

Bibliothec. in Deodato.

advecti

advecti insulam cepere, mihi certum est, Monasterium eos diruisse: Monachos obtruncasse, quod epistola refert. Habes omnem rem; pergo ad Pontificem Adeodatum.

AN. CHRISTI 669. AN. S. BENEDICTI 189.

Adeodatus, Ordinis S. Benedicti Monachus, & Pontifex Max.

CVm Ordo D. Benedicti natus sit in Italia, nos vero hactenus Sanctos non paucos (nam ferax hæc ætas fuit) ex Hispania, Gallia, Anglia, terrisque aliis produximus, miraberis Italiam à nobis præteritam. Etsi enim Monasterium Casinense, caput rerum, id temporis humi procubuerit, Monachi tamen morabantur Romæ, erantque alii per alia Monasteria sparsi, tam litteris quam sanctitate clari. Vnde igitur tam altum de istis silentium? Obsecro te, duas causas cognosce. Nonne ita comparatum est agricolis, ut rus longinquum colant, neglecto eo quod ante casam est? Sanguis etiam è corde prorumpere, membroque affecto succurrere solet. Nimirum, Monachi Itali cum oculis circumlatis alias nationes præ Italia laborare vidissent, eo curam, industriam, viresque contulerunt, bonos corroborando, malos ad virtutem invitando, alienos à fide, ad fidem traducendo: & quemadmodum S. Maurus, S. Placidus Itali relicta patria concesserunt alio, ille quidem in Galliam, hic in Siciliam: S. Leobardus in Alsatiam, S. VValfius in Belgium, ita fieri potuit ut alii quoque studio divini honoris promovendi, & Regulæ propagandæ, in viam se dederint: exteras provincias legibus Christianis atque Cœnobiis impleverint, parta foris potius, quam domi, gloria. Deinde non caruit quidem Italia Monachis cum doctis, tum Sanctis, sed historici deerant, à quibus proderentur posteritati. Bella enim inter Longobardos & Cæsarianos assiduo gerebantur, quocirca major cura hastæ tunc animis insidebat, quam calami. Immo, sequentibus decem, non amplius, annis, duo Monachi in Pontificiam sedem evecti sunt, sanctitate conspicui. Si terra promissionis racemos prægrandes tulit, quis non credat tulisse quoque minores? Itaque historicis potius scribenda dica est, quam viros egregios Ordini in Italia defuisse putandum.

Tempus, & historicorū silentium, multas res preclares aboleverunt.

Tom. 1. an. 583. & an. 600.

Num. c. 13.

S. Adeodato Iovianus pater fuit, domo Romanus. Monachum in S. Erasmi Cœnobio puer induit, quod Tertullus, S. Placidi genitor in Cælio monte construxit, propriis ædibus Deo dedicatis. Cum virtus eruditioni juncta jam sufficeret honoribus, Diaconus Cardinalis jussus est: quatuor deinde mensibus à morte Vitaliani elapsis, à Clero Populoque Romano in summum Ecclesiæ Antistitem, urbe tota applaudente, lectus est. Enimvero cœlo delapsum esse, nomen ipsum indicabat. Quibusdem autem Adeodatus, aliis Deus dedit appellatur. Mitem, moderatum, affabilem, liberalemque Pontificem fuisse, tradunt, qui neminem justa petentem rejecerit; humanissime autem dimiserit quos voti compotes facere non poterat. Pauperes precantes dexteras protendentes, jam ære juvit, jam veste beavit. Quando annonæ caritas vel calamitas alia, premebat populum, Pontifices Max. ut multitudinem eo malo levarent, pecuniam, cui Roga nomen distribuere solebant. Huic stipi Adeodatus aliquid adjecit. Quos perperam facti pœnitebat, venia facillime dignabatur.

Tom. 1. an. 330.

Adeodatus fit Monachus in S. Erasmi Cœnobio:

Postea Cardinalis:

Denique summo consensu Pontifex Max.

Bibliothecar.

Opera publica etiam atque curabat: S. Erasmi Monasterium, ubi religionis vota nuncupaverat, è fundamentis eduxit, cui ædificia novosque redditus addidit, ut copioso cœtui alendo esset. Templum S. Petri, via Portuensi situm, quod ruinam minabatur, nec non S. Euphemiæ ædem, magna impensa instauravit. Dum igitur & privata: & publica ipsius beneficia oculos Romanorum quotidie subibant, ab omnibus loco patris habitus fuit. Quatuor annos & aliquot menses clavum tenuisse scribunt, cui Baronius septem tribuit, quo tempore documenta dedit fortia agare & fortia pati, Romanum esse. Etenim Archiepiscopi Ravennates se se pro summis Pontificibus gerebant, veros Christi vicarios nil pensi habentes; è quibus Maurus nec moriturus quidem injuriis temperans, Clericis suis edixit, Pontificibus Romanis uti ne se dederent. Vita defunctum Adeodatus Ecclesiastica sepultura prohibuit, atque ad profanos procul facessere jussit. Mauro successit Reparatus, qui se Papæ submittendo, aliorum errores resarsit. Ante id etiam Imperatores Constantinopolitani graves erant Pontificibus Romanis, favendo Monothelitis: atqui deinceps animum infensum deposuerunt, Constantino Pogonato Adeodatum plurimum colente ac observante. Insuper illo naviculam S. Petri gubernante, Concilia habita sunt: Ansforcianum in Anglia: Toletanum XI. in Hispania.

Publica opera molitur.

Baron. in Adeodato.

Sedem supremam defendit contra Archiepiscopos Ravennates.

Quin multas Bullas, Brevia, epistolas, quoquoversum miserit, nullus dubito, verū, ut paulo ante dicebam, breves tunc duxere

Adeodatus PP. interius Monast. S. Martini Episcoporum jurisdictioni exemit. *Papir. Masson in Adeodato.* *Morales l. 12. c. 20. hist. Hispan.*

fulcos Italiæ historici. Apud exteros quædam vestigia deprehendi, unde viri diligentiam coniicias, quæ tamen in jure Canonico non apparent. Papirus Massonius Gallus, Bullam ex archivo Monasterii S. Martini Turonsensis profert, qua Adeodatus jurisdictioni Episcoporum id exemit. Ambrosius Morales alicujus ipsius epistolæ meminit, in vetusto quopiam Conciliorum volumine à se ad S. Æmiliani de la Cogolla inventæ, qua Gratiano Episcopo percunctanti respondet quidnam agendum sit parentibus, qui nimirum quantum imprudentes proprium filium sacro fonti admoverunt, atque patrinorum vices exequuti sunt. Disjungendos, respondit, unaque quæstiones alias de matrimonio explicavit. Hujusmodi ejus litteræ ac decreta cum in Hispania & Gallia è tenebris in lucem edita sint, non est cur ambigamus adhuc plura in archivis esse sepulta. Aliquando leproso tulit osculum, & attulit simul salutem. Sed hic rúpendum filum est, alibi redintegrandum.

Leproso aliquando cum osculo restituit.

AN. CHRISTI 670 • AN. S. BENEDICTI. 190.

Sanctus Theodorus & Sanctus Ceadda pontificatum in Anglia gerunt.

Hyems, & Ebreinus Major domus, morantur S. Theodorum in Angliam tendentem.

S. Theodorus proficiscendo cum sociis in Angliam, totam hyemen contrivit, moram iniiciente rigido frigore, nec non Ebroino Majore domus, sine cujus nutu è portu solvere haud licebat. Suspicionem versuti exploratoris S. Adrianus homini movisse visus est. Dum sic in anchora hærendum fuit, Iohannem Arelatensem, Agilbertum parisiensem, Faronem Meldensem, eximios Antistites, salutârunt. Ad ultimum ubi Ebroinus comperiæ innocentiæ omnes esse intellexit, navigandi copiam fecit: Cantuariam salvi & incolumes delati sunt. Capta igitur Cathedra nil potius Theodorus habuit, quam obire Archiepiscopatum: in vitia, in abusus quærere: infelix lolium undique vellere: ut cum Ecclesia Romana omnes Pascha celebrarent, statuere.

S. Adrianus succollat S. Theodoro, Archiepiscopatum gerenti.

S. Andrianus semper stipabat latus partim Pontificis Max. jussu, partim quod vir esset consultissimus. Ne igitur quandoque discedere longius posset, Archiepiscopus adduxit habenas, Monasterio Sancti Petri extra Cantuariam sito, cujus conditor Sanctus Augustinus fuit, eum præficiendo. Itaque tam domi quam foris prudentissimi viri consilio est usus. Deinde cum non tantum Archiepiscopum sed insignper Primatem Angliæ, tum etiam Summi Pontificis Legatum ageret, nemo erat qui sancienti quidpiam intercederet, sed omnes velut vicario Papæ pariter morem gerebant. Reges Angliæ id ætatis jam ad nostra sacra transierant, idololatriæ tamen reliquiæ adhuc per angulos sparsæ erant.

Unà scholas aperiunt.

Porro cum S. Theodorus & S. Adrianus non nescirent ad salutem regni pertinere litteras, quibus exculti rudes animi barbariem exuerent, scholas aperuerunt. Sed Venerabilis Beda rem narret, quando nos non satis oris habemus. S. Theodorus inquit primus omnium Archiepiscopus fuit cui tota Ecclesia Anglicana obedientiam præstitit: & cum tam ipse quam Adrianus non modo sacris, verum etiam profanis litteris essent instructissimi, quotidie illorum è pectoribus rivi profluebant salutaris sapientiæ, quibus discipulorum multitudinem rigabant qui convenerat ad illos audiendum. Dum sacra volumina explicabant, Geometriam quoque & Astrononiam admiscebant, ut has quoque artes imbiberent qui ipsis operam dabant. Etiam hodie aliqui ex discipulis ipsorum supersunt, tam periti Latinæ linguæ atque Græcæ, quam maternæ.

Beda l. 4. c. 2. hist. Anglic.

Neque unquam ab Anglorum in magnam Britanniam ingressu visa sunt tempora feliciora; cum enim Reges haberent fortes atque strenuos, terrori ac formidini barbaris nationibus erant, & omnes novæ doctrinæ de regno cœlorum adhærere cupiebant.

Beda & Alcuinus hic litteras haufere.

Fidem profecto Bedæ habere debemus, Theodoro atque Adriano admodum vicino: nam horum discipulos audivit. Ex istis scholis ingentia postmodum commoda non tantum in Ecclesiam Anglicanam, sed in totam Remp. Christianam profecta sunt. Beda enim & Alcuinus è puris hisce fontibus bibentes, ut longe lateque proscriberent ignorantiam, Academiæ Parisiensis auctores fuere, quæ deinde omnium ingenuarum artium atque scientiarum mare capacissima sua concha propinavit Orbi.

Beda l. 4. c. 6.

Cum igitur Theodorus ponere leges, Concilia indicere, Episcopos suo arbitrio creare posset, optime consultum Angliæ est. VVinfridum Merciorum Episcopum, cum dicto audiens esse nollet, gradu movit: ut in Ebearnense Monasterium se se recondere, jussit, suffecto Seulpho Medesanzedi Abbate. Eandem fere sortem subiit S. Ceadda, vitio Episc. creatus. Sed cum sui purgandi causa diceret æquissimo animo se Episcopatu abiturum, quod nunquam se tali honore dignatus esset: vi tamen ab aliis al-

Ceadda sponte vult abire Episcopatu.

ab aliis allata Cathedram insedisse permotus tam profunda viri submissione Theodorus, eum gradu non dejecit, sed denuo ad insulam auctoravit. Ejus prolixe meminit Beda.

Non impetrat missionem. Beda l. 3. c. 28. & l. 4. c. 2. & 3.

Gente Northumber erat: retentantia mundi fræna admodum adolescens excussit petito Lindisfarnensi Monasterio, ubi se S. Aidano in disciplinam dedit. Exactis hic aliquot annis, in Hiberniam se contulit, quod Monachi illic nec minimum exspatiarentur à linea, sibi à S.P.N. Benedicto rectissime ducta, sed se ipsos superarent arctissime vitam instituendo. Ibi Herberti, sanctissimi viris, cõsuetudine usus est, quocum facile coaluit amicitia ob morum similitudinem: fugaces autem horas sacra lectione, contemplatione, psalmodia præcipitabant. His alii quoque Monachi se addiderant. Postquam in Angliam revertit, junctis cum Ceddo fratre viribus conciones passim habuit, aliaque sacerdotum munera obivit. Demum ad clavum Monasterii Lestinghen, ab eodem, ceu Fundatore, admotus est.

Volante per insulam magni nominis ipsius fama, Saxonum Occidentalium Episcopus renunciatus est. Memor itaque officii, non urbem, non pagum, non villam præterivit insalutatam. Quidam enim recens ad fidem conversi, vacillabant: nonnulli vibrante supercilio male ipsi dicebant; ut remedium utriusque fuerit adbibendum.

Cum in hunc modum suam industriam Theodoro ex Italia venienti probasset, non modo Episcoporum numero exemptus haud est, sed denuo legitime initiatus, & equum à Theodoro conscendere jussus, ut tanto plus viæ conficere, pluresque brevi temporis intervallo adire posset, quam si pedibus, id quod consueverat, ita faceret. Interea iterum ei solitudinis ac Monasterii Lestinghen desideriũ injectum est; non tamen sivit Theodorus Archiepiscopus ut secederet, sed Merciorum Episcopum dixit, quibus cum biennium cum anni demidio operam navasset, fractum laboribus vita destituit.

Posuerat illi quidem obicem Theodorus, Lestinghen cogitanti, inhæsit nihilominus animo secedendi & contemplandi desiderium, ideoque in suo Episcopatu (Lindisia provinciæ nomen est) condidit Cœnobiũ, ꝙ Cibearutũ Appellavit, cui VVilfridus Rex quinquaginta familiarum fundũ adscripsit: ꝙ apud Beda plurimum valet. Præterea proxime templum Cathedrale excitavit oratorium quo se cum septem vel

Extruit Monasterium.

octo Monachis recipere solebat, meditandi ac Numinis propitiandi causa. Sæpe se solum intulit, nullum arbitrum, præter Deum, passus. Cum aliquando hic loci quam maxime intentus esset orationi, supplex brachia cœlo tendens, ecce tibi angeli astris effusi, mortem ipsi post septem dies oppetendam, denunciârunt; proinde se ad iter fatale accingeret: brevi se redituros. Individuus comes ipsius VVinus fuit ante id Major domus Ediltridæ Reginæ, qui opes ac honores Numini longe postponens, aulæ elapsus Lestinghem contendit: à Ceadda cucullum flagitavit. Petitionis compos factus statim ea quæ ad verum Dei servum pertinent, summa cura obivit, ut tanta charitate apud omnes esset, quanta nullus alter, cæterisque à Ceadda anteferretur, & crebrius ad secretum orationem adhiberetur. Hic etiam beatissimi Episcopi animam à cœlestibus Geniis toto cubiculo collucente ad superos invitari suismet oculis vidit.

Horam fatalem cœlites dicere.

VVinus Monachus angelos Ceaddam motu vicinum invisentes videt.

Porro Ceadda diem supremum sibi imminere sentiens, accitis per VVinum Monachis, certiorem se de sua morte factum, dixit, & quidem ab eo qui etiam alios ipsorum fratres ante se extinctos submonuisset. Videlicet grassante id temporis pestilentia, benignus suum designabat fatum, ut sibi tanto melius consulere possent abituri. Post hæc ac virtutis & disciplinæ religiosæ studium extremis verbis accensos, dimisit, lachrymis plane diffluentes. VVinus cum se avellere non posset humi procumbens, Pater, ingeminavit, Pater, cedo obsecro, quidnam delapsi nuper cœlo angeli cantârunt? Antistes ubi conscium arcani intellexit, septem post dies, respondit, se concessurum, atque cum angelis in cœlum evolaturum: nec fefellit VVini expectationem.

Suos valere jubet.

Oppetiit autem VI. Non. Martii, quem Trithemius in album virorum illustrium his verbis retulit: *Ceadda ex Abbate Lestigabensis Cœnobii in Anglia Archiepiscopus Lindisfarorum, & gentis Merciorum, vir doctus & Sanctus, ac divini verbi prædicator Zelosus, in vita magnis effulsit virtutibus.*

Martyrolog. 2. Mart. Trith. l. 3. c. 177.

Sub hunc annum etim Osuvius Rex vivere desiit, auctore Beda, cujus favore atque opera Theodorus Archiepiscopus multum in insula promovit. Sepultus est in S. Hildæ Monasterio, in quo filia vitam religiosam degebat. Sceptrum excepit Egfridus, natu major filius.

Beda l. 4. c. 4.

* * *

ANNUS CHRISTI 671. AN. S. BENEDICTI 191.

S. Præjectus seu Projectus Arvernorum Pontifex & S. Amarinus Abbas.

Civilia bella geruntur in Gallia.

Robert. Gaguin. Paul. Æmil. Papir. Masson.

Belforest.

Dagoberto & Clodoveo regnantibus, multum temporis absumpsimus in Gallia, Australia & Neustria, quod in multos sanctos Monachos & nova Monasteria inciderimus. Magnis istis Regibus fato defunctis, Gallia civili sanguine natavit: in ultimis curis Cœnobia & Cenobitæ fuerunt. Ansam adeo funestis bellis Clotarius, Childericus, & Theodoricus præbuere, quos Clodoveus & S. Bathilda imperio nondum aptos è vivis remoti, sceptro reliquerunt. Clotario, qui major natu erat, Francia Occidentalis, cujus metropolis Lutetia, obtigit, Childericus à parentibus Austrasiam acceperat. Quid Theodorico datum, equidem nescimus. Clotarius imprimis bona spe omnes implevit, cum adhuc in S. Bathildæ mattis potestate esset: qua ad Superos evecta, diversus omnino à se fuit. Vtenim vitam solutiorem juventuti ipsius demus, nemo recte factum ab eo putavit, quod inconsultis regni proceribus Ebroinum ex Austrasia oriundum, cujus ingenio profecto crudelitas insita erat, Majoremdomus instituerit. Post annos quatuor sceptrum cum vita deposuit: unde studia in contraria Galli scissi sunt. Hi ad partes Childerici absentis accesserunt, quod multa boni Principis specimina in Austrasia edidisset: alii potius favebant Theodorico, duce Ebroino, qui ne potentia & honore, quibus jam captus erat, excideret (quod futurum putabat si Childericus regno potiretur accito suo Maioredomus ex Austrasia) omnem machinam adhibuit Theodoricũ ut ad sceptrum promoveret, spe plenus si succederet, se proximum à Rege futurum.

Classicum canit Ebroinus Maiordomus.

Varios casus quibus deinde agitata fuit Gallia, non est nostrum huc attexere, nisi quod Childericus fratrem suum Theodoricum triumphaverit, inque potestatem redactum, resectis capillis, quos Regibus tantum Regumque liberis promittere fas erat, in S. Dionysii Cœnobio Monachum induete compulerit, ut hoc pacto non tantum regnandi spiritus, quibus intumuerat, tempestive opprimeret, sed spem soli penitus adimeret, quod insolens: factum annum sexcentesimum sexagesimum octavum insignem fecit. Ebroino belli civilis anctori non jam capillos, sed caput abscindere, stabat Childerico sententia, sed intercedentibus amicis ea vitæ conditio lata à Rege est, ut cucullum Luxovii indueret. Flandum & sorbendum simul his duobus Monachis fuit. Sed quæ cito fiunt, cito pereunt. Nam biennio elapso cucullum facilius posuerunt, quam sumpserint. Rex enim spem bonam, qua omnium animos imbuerat, fefellit, ad tyrannidem flectendo, ne quis nesciret regna docere scelera. Fuit ut aliquando primi sanguinis palatinum rapi & crudelem in modum flagris proscindi juberet. Nobiles fœdo spectaculo in iras versi, uno ore jurant, necem se regi molituros. Ille feras fixurus venationem indicit: conjurati pone dumetum conditi tyrannum cum præterveheretur, occupant: mucronibus conficiunt. Neque Reginæ quidem, uterum fetenti, parsum est: adeo non durant violenta.

Theodoricus compingitur in Monasterium.

Ebroinus periclitatur capite.

Childericus exercitam tyrannidem capite luit.

Cæde patrata concurritur ad Sanct. Dionysium: ex cultu religioso Theodoricus excutitur: tonsi in coronam pili demuntur, tantoque consensu, quanto haud quisquam alius ante regnare jubetur, proceribus certatim sacramentum dicentibus. Agebatur tum annus Domini sexcentesimus septuagesimus primus. Cæterum Leudesius, magnarum opum altique vir sanguinis Erchenualdi, cujus meminimus, filius Majordomus est declaratus. Hoc fortunæ ludibrio ad Ebroinum perlato, ex umbra claustri in publicam lucem provolans, ad pristinos honores adspirando causa fuit, ut multum humani sanguinis per Galliam hauriretur. His procellis etiam aliquot Monachi nostri Ordinis, sanctitate præstantes, involuti sunt. At nobis in præsens cum solis Præjecto & Amarino negotium est.

Proceres Theodorico regnum afferunt.

Præjectus claris natalibus apud Arvernos ortus, matri nondum in has auras edi tus, sanguine lustrari visus est, quod spectaculum absque dubio Martyrium ipsius portendit, idque à quodam Dei servo, cum rogaretur, responsum est.

Sur 25. Ian. Petrus in Catal. l. 3. c. 22.

Postquam ex ephebis excessit, Scholis apud Iciodorenses apertis excolendus traditur. Ingenuis litteris arteq; canendi tinctus, parentes Genesio Archidiacono, postea Arvernorum Episcopo, commendarunt, qui elegantia ingenii, nec non indolis innocentia captus, ærario pauperibus destinato eum præfecit: ubi vero maturuit, etiam gravissimis consiliis adhibuit. Lividis dolebant oculi, quod tam bono loco apud Præsulem esset, sibi decedere existimantibus quicquid Præjecto accederet. Quidam Clerici etiamnum puero apud Cantorem

S. Præjectus litteris imbuitur.

Æmuli puerum verberaturi, acrem verberant.

(Martino nomen erat) conflarant invidiam, qui cætera non indiligentem discipulum, pensum ante tempus reddere, ore tumido imperavit, cædendi ipsius causam quærens. Puer insidias sibi tendi sentiens, neque ita subito se succinere posse id, quod Martinus paulo ante præcinuisset, anxius, Numinis opem ac Sancti Iuliani fidem demississime invocavit. Interea instat Cantor, urget hæsitantem: non mora, vocem puer explicat: ex memoria promptissime canit quæ exigebantur: omnibus miraculo est: verbera evadit.

Porro, cum bonis polleret moribus inquit, auctor historiæ ipsius apud Surium, ab eo quem jam diximus Antistite Iciodorensibus præfectus est. Itaque licebat videre eum castitatis studio perspicuum, charitate eximium, incubentem precibus, jejuniis, deditum, scripturis lectitandis intentum. Ipsis autem S. Quadragesimæ diebus hominum sæcularium declinabat commercia, & cum domesticis fidei duntaxat victus parsimoniæ, humilitati, & eleemosynarum largitati vacabat.

Precando conflat nummos.

Vt autem quodam die multi ad eum eleemosynæ petendæ causa pauperes accesserunt, didicitque vir sanctus ex ministro suo non nisi duos nummos aureos ipsi superesse, ad se crumenam apportari jubet, lesumque intra se tacitis precibus pulsans, mox se sensit non frustra illius benignitatem implorasse. Nam intra crumenam paucissimi illi nummi cœlesti benedictinne usque adeo aucti sunt, ut toti ad fores consistenti pauperum catervæ sufficerent.

Capit piscem non absque miraculo.

Cum aliquando frugale celebraret convivium, accumberentque qui obductis vultibus carnes aspicerent, nec pisces præ manibus essent quos apponeret, anxiæ curæ plenus huc illuc se vertit. Interea puer correpto vase avolat; aquam unaque piscem, stomacho convivarum majorem, haurit. Profecto Numinis munus fuit! Forte Pascha agebatur: Præjectus, qui semper curabat ut Episcopo esset conjunctissimus, ad eundem se tulit. Ille aliquando mensam in superiore cænatione instrui jubens, tam seculares quam Clericos adhibuit.

Tres è convivis avertebant à carnibus ora, quos alii sale facetiisque asperserunt. Rogavit Præjectus ne tam indignis modis haberent tam bonos: nihil egit. Immo igni oleum instillasse visus est, dum illi colla altioribus cachinnis suspenderunt: sed mox pœnas persolverunt. Subito enim dehiscens pavimentum, effudit sellis irrisores haustosq; graviter imo solo afflixit.

Candidinensis Monastery clavū tenet.

Porro SS. Martyrum Cassii, Victorini, Antoliani, Austremonii agones ab oblivione vindicans, publicas in tabulas stylo luculento retulit. A Felice Episcopo Candidmensi Monasterio impositus, non modo laborantia ædificia, restituit, sed etiam disciplinam Monasticam provexit. Cujusdam ædis paries, quadraginta pedes altus, vitium fecerat, quod dum cæmentarii correxere, imis è fundamentis paries collapsus, unum ex operariis oppressit, sepelivitque. Intolerans doloris Pater, magnam vim lachrimarum profundit: mox integris ut rudera amolirentur, negotium dedit, inane corpus terræ, more Christiano, mandaturus. Illi divellunt lapides: disiiciunt, dissipant cæmentum: alta mole conditum operarium perquam salvum & incolumem eruunt.

Felice Arvernorum Pontifice vita defuncto, Giroaldus ejus civitatis archidiaconus, neglectn Clero, largitionibus nec non favore sæcularium ad Cathedram grassari ausus est. Quadraginta, non amplius, dies quam in eam se collocaverat, intercesserunt, cum inflatam animam efflavit. Post hanc Genesius, senatorii vir ordinis, adduci non potuit, ut insideret: auctor tamen suffragatoribus fuit, ut S. Præjectum deposcerent. Cives Clerici, Rex, rerum summæ consulturi, Episcopum dixere, nec illos unquam suffragii pœnituit. Ipsa enim natura finxerat affabilem, hilarem, blandum, sceleris purum, corporis habitu gratiosum, quique solis oculis tenere poterat intuentes. Genesio opum diviti persuasit, ut obvelandis Deo virginibus, quando ipse liberis careret, Parthenona, ædificaret. Ita cameli per foramen acus eunt sublimes ad astra. At Pauci hodie prægrandes suas sarcinas deponunt apud sacros Ordines, nescio qua privata vel aversa porta in cœlum ingressuri. Aliud etiam Monialium Cœnobium idem Sanctus in Arvernensi agro extruxit, quod ante id nullus locus esset, quo piæ fœminæ receptum haberent. Insuper nosocomium ubi viginti ægroti non modo bene haberentur, sed etiam à peritis medicis curarentur excitavit.

Legitur Arvernorū Episcopus.

Amarinum Abbatem à febri depositum saluti impertit.

Inciderat quandoque negotium, inquit auctor vitæ ipsius, cujus causa adeundus esset viro Dei Childericus II. Rex. In ipso autem itinere pervenit ad locum qui Claroangus dicitur in Morago, ubi milites Christi studio beatæ paupertatis Monasticam degebant vitam: à quibus cum esset hilariter acceptus, Patrem Monasterii Amarinum invenit febre vexa-

tum acerrime, ita ut nec pedibus ingredi, nec quicquam alimenti, præter solam aquam, posset admittere. Ibi vir Dei ad solita se recepit arma pietatis, crucisque signum in ægrotum edens, mox pulsa febre incolumem illum reddidit. Surrexit itaque Amarinus lætus, & noctem in sequentem in psalmis & hymnis exegerunt. Deinde ubi ad palatium Regis Præjectus pervenit, clementer ab illo susceptus est, impetravitque quæcunque petiit & voluit. Postea vero Regi & Reginæ, dignæ Christi famulæ Blitildæ (aliis Belechildæ) valedicens, ad Arvernos redire maturauit. Audiens autem vir Domini Amarinus, Pontificem Præjectum ad sua incolumem revertisse, ad illum invitante charitate Arvernos profectus est. Cum autem aliquanto tempore sancte & religiose inter se conversati essent, malignus dæmon suos administros in eos concitat. In ijs vir erat quidam primarius Agritius nomine, qui suis persuasionibus Arvernorum proceres in sanctorum virorum necem inflammavit.

A sicariis cum Amarino & Elidio ministro interficitur.

Erant autem pariter Præjectus & Amarinus in loco quodam, quem Volonicum appellant. Ibi in eos simul irruunt homines nefarii cum multo fremitu & clangore tubarum. Cumque id audire cœpissent viri Dei, in terram postrati ad excipiendam mortem æquis animis se se præparârunt: at ministri eorum repentino timore perterriti, quo quot evadere potuerunt, fugæ præsidia captârunt, demptis duobus solis, qui Sancto Præjecto constanter adhæsrunt.

Et alii quidem omnes, quos illa perditorum hominum fæx invenit, ab illis nudi dimissi sunt. Porro Amarinus foras volebat egredi, & oratione illorum lenire furorem, quod ubi sensit vir Domini Præjectus, eum compescuit dicens: Noli Pater clarissime præparatam differre coronam, quam si modo non obtinueris, nunquam fortassis postea consequeris. His auditis, ille mutata sententia substitit, & duobus sicariis ingredientibus primus, ab eis interfectus est: & illi quidem Præjectum trucidasse putabant, jamque rursus ad suos socios volebant egredi: ad Sanctus Præjectus ex loco illo, ubi orationi incumbebat, his vocibus eos compellat: Ecce hic est, quem quæritis. Facite quod optatis. Tum vero unus ex illis, natione saxo, Radebertus nomine, Sanctum virum gladio percussit in pectore, qui rosea sui sanguinis unda perfusus Dominum attentius precabatur, ne statuas eis, inquiens Domine, hoc peccatum, quia nesciunt, quid faciunt. Hæc ille. Cædis origo Hector, Massiliensis patritius, fuit, quem Childericus Francorum Rex, quod Ecclesiæ Arvernensis res invasisset, è medio sustulit. Hunc igitur primores civitatis ultum ibant. Bodo atque Placidus senatorii ordinis, qui calculum quoque suum adjecerant, cum scelerata hæc consilia agitarentur, patrata cæde tres stellas ædibus funestis imminere, quarum una cæteras duas luce anteibat, conspexerunt. Gloriam Sanctorum Martyrum indicari, interpretati sunt: tum vero à clementissimo Deo se admoneri, ut tantum piaculum pœnitentia à se removerent. Quapropter quam primum pectora & dolendo & vindictam de se sumendo, exonerârunt. Radebertus, qui vulnus lethale S. Præjecto imposuit, vermibus in pabulum cessit. Fama volans mox sacerdotes quam plurimos contraxit, qui Sancti Præjecti Episcopi, Sancti Amarini Abbatis, & Sancti Elidii, famuli individui, corpora extulere. Incredibile vero dictu est quod cæcos, claudos, à dæmone infessos, leprosos, captivos, è tumulis damnarint votis, quibus miraculis erectus Avitus Episcopus, loco ubi fuere cæsi, Monasterium ac templum imposuit, cui Godonem Abbatem præfecit.

Tres stellæ fastigio domus incumbunt, in qua nefas patratum.

Quidam febri ardens, vasculum vini Martyribus vovit, suis humeris ad ipsorum sacra lipsana vehendum. Vbi æstus parumper remisit, liquore onustus in viam se conjecit. Progressus jam usque ad montis pedem, lassus fractusque cœpit sub non magna mole fatiscere.

Vacuam lagenam implent SS. Martyres.

Quid ageret voti reus, anxie secum disputabat donec, eminus conspexit mendico, qui eadem habebant iter. Ergo præstolor, dixit, donec se se admoveant. Tum vero gradum figere jussis, lagenam propinavit: hi ad extremam guttam responderunt. Quid fit? Refectis viribus denuo se attollit: ad SS. Martyres, qua potest, properat: inanem lagenam ad templi fores deponit: orat: febri absolvitur. Actis gratiis vestigia domum relecturus, lagenulam apud fores expectantem repetit: prô Superi! nectare plenam recipit. Sed ne justo simus longiores, ad metam flectamus. Ceciderunt istæ sacræ hostiæ ad vtri. Kal. Februarij. Sancti Præjecti Trithemius sub Marini nomine meminit, eumque merita palma donat.

Martyrolog. 25. Ian. Trithem. vir. ill. l. 3.

***

ANNVS CHRISTI 672. AN. S. BENEDICTI 192.

Recesvindus Rex vitam exuit: VVamba subrogatur.

Recesvindus Rex mortuus:

FLavius Recesvindus viginti tres annos, sex menses, undecim dies sceptrum Hispaniæ tenuit, domi belliquę clarus. Hoc anno egregii regiminis fructum cepit, in quodam prædio (Bambæ nomen erat) fato extinctus. Dum enim Gothi rerum potiebantur in Hispania, Reges non nascebantur, sed suffragiis Episcoporum atque procerum legebantur: evecti autem ad solium mox fundos possidebant proprios, regio fisco minime subjectos, quos filii defuncto patre jure hæreditario adire solebant.

Cindesvindus Rex ejusque filius Recesvindus in tractu terræ de Campos fortunas sitas habebant. Ille rerum prope Torum dominus, Monasterium, quod à S. Romano nomen accepit, nobis ædificavit, hodieque durat. Recesvindus in vestigia patris iturus, apud Gertigos Parthenona sacris virginibus extruxit, Reginæque virginum dedicavit, sibi post fata futurum mausoleum. Cum aliquando hanc suam ditionem obiret, aditurus etiam Cœnobium quod extruxerat, in Gertigos à fato præter expectationem exceptus, vitaque exutus est, quem palatini non absque funebri pompa illi, de quo dicebamus, Cœnobio intulere. Incolæ etiamnum hodie Mausolei locum digitis signant, ac passim oculis antiquissimi Monasterii obiiciuntur vanescentia vestigia, quod tandem vertit in Ecclesiam Parochialem.

Sepelitur in Monasterio, cui Gertigos nomen.

Morales l. 12. c. 40. Mariana l. 6. c. 11. Paul. Diac. l. 6. c. 20.

Historici Hispani ossa regia ab Alphonso x. Toletum in Sanctæ Leocadiæ templum translata esse, ferunt, quod etiam populus hodie digito notando sepulchrum constanter jactat. Forte lis hæc ad eum modum componi queat, quo Paulus Diaconus alteram quandam, Casinensibus super corpore Sancti Benedicti à Floriacensibus intentam, diremit, Videlicet carnes in cineres versas penes Monasterium in Gertigos esse: ossa penes Toletum. Quamvis enim illustrium virorum aut Sanctorum ossa è tumulis eximantur, memoria tamen haud deletur, remanentibus plerumque pulveribus, in quos oculi, genæ, ora, brachia, pectus, cæteraque membra redacta sunt: hec est cur pluris facias ossa, quam carnes. Laude proinde sunt digni, qui hujusmodi sepulchra etiam ossibus ablatis sarta tectaque conservant.

Inter palatinos Regi parentantes eminebat VVamba, natalibus illustris, gente Gothus, domo Portugallus, Igeditaniæ (hodiæ Idaniæ) natus. Sunt qui genus viri deprimant, sed à Iuliano Archiepiscopo Toletano, qui sapientissimi juxtàque fortissimi hujus Regis acta in publicas tabulas retulit, erroris rei peraguntur: à Concilio xi. Toletano illis adnumeratur, qui plurimum poterant in aula, ut non immerito pro Milesia fabula habeas, situ & squalore obductum, ab aratro per proceres regni ad solium pertractum. Etsi neque hoc vitio ipsi aut probro verti posset, cum Romani exemplum præjuerint. Cæterum jam id ætatis VVamba tum erat, ut viribus cum annis militiæ atque in palatio consumptis, quietem, non secus quàm portum, spectaret.

Iulian. in vita VVambæ. VVamba sanguine clarus:

Quocirca rogavit primores regni, ne suffragiis in se irent. Quid hoc autem? si jus violandum sit, regnandi causa violandum esse, Cæsaris vox est, ut mireris VVambæ animum, à sceptro tam aversum. Celebrent alii Cæsaris dictum, ego VVanabæ factum potius laudavero. Myropolæ quidem aliud in titulo habent, aliud in pyxide: sed candidus iste senex quod pectore conclusum habebat, ingenue edixit: in medium protulit: ac verbis accessere lachrymæ, sua sponte cadentes, quibus regnum deprecatus est. Ferunt quendam vidisse diadema regium otiose jacere humi, & prætereuntes quasi invitare, ut capiti imponerent: sed adeo illum non subtitisse, aut sustulisse, ut potius obliquis luminibus, *Tollat te*, dixerit, *qui te non novit*. Hæc mens etiam VVambæ fuit. Lapilli quibus coronæ distinguuntur, si feras, saxa sunt. Quid multis? Rex bonus, est servus publicus. Malus, publicum odium. Quocirca VVamba adduci se diu non passus est, ut regnaret.

Sceptrum à se summis viribus removet. Cogitur regnare.

Ad extremum cum se dedere omnino nollet, nec tanta virtus in æde privata perdenda videretur, quidam è proceribus ira plus æquo accensus, gladium duxit, inque calvum caput libravit, certo fissurus, nisi totius regni annueret petitioni. Aliquandiu inter sacrum & saxum cogitabundus VVamba stetit: ultimo non assuetus vinci, tamen victus est, an precibus, an præsenti periculo, incertum. Ne vero regiis honoribus ante afficeretur, quam Toleti more majorum inungeretur, etiam aque etiam rogavit. Ergo rapitur potius, quam du-

citur

citur Toletum: à Quirico Archiepiscopo ad regnum Hispaniæ auctoratur: in templo SS. Apostolis Petro & Paulo sacro pace belloque officium se facturum, conceptis verbis jurat. Hæc dum gerebantur, ut appareret divino consilio Regem factum, animique submissionem inprimis gratam esse Deo, Archiepiscopo caput sacro oleo imbuente, vapor speciem columbæ ferens, una cum vaga apicula, è summo vertice surgentes, cœlos petivere, omnibus in spectaculum defixis, quod miraculum alii ore, Sanctus Julianus calamo promulgavit. Summo applausu omen acceptum est. Nam in promptu erat interpretari, subditus suaviter habiturum: telis hostes propulsaturum. Posthæc sacri Antistites atque proceres fidem ipsi jurato promiserunt.

An. Christi 675 — An. S. Benedicti 193.

Belli duæ Paulus fallit fidem VVambæ datam.

Magistratum ostendere virum, veteri proverbio fertur. Etsi VVamba senex magno honori atque oneri ferendo se amplius haud esse putaverit, postquam tamen sceptro manum injecit, maximos Reges aut æquavit, aut superavit. Nostrum quidem non est, arma virumque canere; cum tamen susceptum argumentum exigat, ut præclaros Ordinis Sancti Benedicti viros, quibus demum se VVamba quoque adjuxit, à capite ad calcem describamus, quid ab ipso belli sit gestum, premere non debemus. Vix bene in solio se collocaverat, cum Navorræ & Cantabriæ populi bellum aperte moliri cœperunt. Ne scintilla viribus majus excitaret incendium, Rex ipse advolavit, restinxitque.

VVamba res magnas bellò gerit.

Id temporis Gothi non tantum Hispaniæ, sed etiam parti Galliæ dominabantur, quam ideo Gothicam vocabant. Longe autem lateque tendebatur, Narbonam, Magalonam, Nimes, celebres urbes complectens. Hilpericus Comes ventis vela danda ratus, accitis auxiliis, tyranni in modum vexavit provinciam. Rex Paulum, virum bellicosum, cum copiis misit, qui hostibus obviam iret: sed lupo commisit ovem. Paulus enim ferocior ad rebellandum quam ad bellandum, omnes vires eo intendit, ut sceptrum in suam redigeret potestatem.

Paulus quidam, regii agminis ductor, sceptro imminet.

Ideoque bellum traxit lente exercitum movendo, sæpe stativa habendo, ut interea animus cresceret hostibus viresque. Spes ipsi maxima in Hildegiso Gotho, totius provinciæ Tarraconensis præfecto, paucisque aliis, ad scelus concitatis, sita erat, quos inter convenit non prius publica via ad regnum grassari, quam Hilpericus Comes de consilio fieret certior, qui Galliam Gothicam jam ex arbitrio versabat.

Magna profecto tempestas incumbebat VVambæ, ut multi, an evasurus esset, addubitarint. Etenim Navarra, Aragonia, Catalunia, & quicquid terrarum ultra montes Pyreneos sceptro contingebat, quasi dato signo, pariter rebellarunt. Paulus non ignarus quantum momentum in silentio positum esset, densis palliis quod moliebatur scelus obtegebat, sed per varios id finus emicabat. Imprimis Argebaudo Narbonæ Antistiti fraus suboluit, qui rem ad amicos, ut credebat, deferens, ut coacto globo repagula, portas, & quicquid arcendo superbissimo hosti esset, obiicerent, etiam atque etiam rogavit. Hi omnem operam polliceri: Pontificem spe bona inflare, & abire. Ubi ventum ad rem est, portas ipsi aperuerunt: viam ambitioso ad affectatum regnum munierunt. Tam levi sæpe momento fides pendet.

Fidendum: sed cui, videndum.

Paulus potibus hoc proximo ad coronam limine, sibi ultro personam detraxit cupiditaris regni notam subire, sus deque habens. Tam etiam pro victore se gerens, summis infimisque convocatis, in concionem ascendit, quanta potuit voce, VVambam esse asinum ad Lyram, clamitans stygemque jurans, male sceptrum seni creditum: absolverent inutile silicernium: inirent alia consilia: non sufficere VVambæ vires, ad regia munera obeunda.

Grata hæc in vulgus fuere: subornata rerum capita plenis follibus suggesserunt multitudini, nec non exercitui, Paulum Regem ut salutarent. Usque ad ravim salutatus est: nam mel quod propinavit, omnibus placuit. Invitis quibusdam, vox expressa est. Ille æqui bonique acclamationem facien, ut quanto valeret apparatu ad regnum auctoraretur, coronam à Recaredo, Gothuorum Rege S. Felici Gironensi olim dono datam, afferri imperavit. Nec illud memoria excidit, Hildericum Comitem cum alios conjuratos ad fidem dandam avitos, qui nodum quo ante juncti erant, arctius adduxerunt, eo jam pridem oraculo imbuti, concordia res parvas crescere.

Auctoritate paucorum magnatum, jussuque populi, creatus Rex.

Porro cum Paulus corona multo lætior, quam canis reperto osse inter poma se natare videret, ad VVambam Regem litteras dedit, *Flavius Paulus Suindus*, inscriptas, nihil excelsum, nihil quod supra cætera

VVamba capit arma.

emineret præter se, existimans. Illustrissimæ Flaviorum genti, nec non duobus Regibus Gothis in Thrasonis gloriam eundum erat. Perculsus hoc nuncio VVamba, ut ne malum per longum moram invalesceret, Paulum quamprimum exigere regno, collato cum illo pede, constituit. Non unquam alias ante tantus terror amicos invasit, rem Regis non satis validam esse, cernentes, itaque multo minorem. Copiarum enim suarum ducem Paulum fecerat. Itaque pro se quisque Regem prensare, monere, abtestarique, ne impetum tyranni parva manu excipiendo, ultimum adiret discrimen: potius contenderet Toletum, ubi novum conscriberet exercitum: tum enimvero recte prœlium initurum. Ille principiis obstandum drititans, rapuit, quæ ad manum erant, copias in Navarram: inde in Aragoniam & Catalauniam. Rebus hic brevi spatio compositis (nam minuit præsentia rebellium animos:) viribus auctus superavit montes Pyreneos, ubi ad terrorem latius circumferendum, in tres partes distribuit agmen, postremam ipse ducens, ad succurrendum laborantibus. Subditorum imprimis habuit curam, ne solutâ militari disciplina violarentur; aut agri, villæ, pagi urerentur, vel prædæ ex illis agerentur, quod mallet servare unum civem, quam perdere mille hostes. Qui militum aliquam hujusmodi culpam in se admiserant, graves pœnas dabant. Mussitantibus ordinum ductoribus habenas bellatoribus remittendas: cur ergo arma cepi, respondit, adversus hostes, si rectis oculis aspicere possum, ut subditi mei opprimantur? rebus suis cum contumelia exuantur? ad incitas redigantur? Deinde, nisi ultum eam injurias quæ Deo fiunt, quo ego pacto in animum inducam ut credam, illum à mea parte staturum, & vindicaturum injuriam mihi factam? sæpe deinceps infestis armis concursum est: vicapta Narbona, locaque alia: in fugam actus rebellionis auctor Paulus, qui cum sociis, & liquos alios pudor tenuit, Nimes fortissimam quondam urbem, receptum habuit. Hoc audito, eodem cum exercitu ruens VVamba, nefaria capita in theatrum (nobile Romanorum opus) conjecit: quibus cum victor miles, sublato alacriter clamore, strictis gladiis immineret, vitam pacti se se dediderunt. Conjuratis vincula indita sunt. Hæc cum ad VVambæ Regis gloriam pertineant, à nobis prætereunda non fuerunt.

Hostes in triumphum ducit.

* * *

ANNUS CHRISTI 674. AN. S. BENEDICTI 194.

VVamba res alias in Hispania gerit.

VVAMBA actis Deo gratiis ob victoriam partam (maxime quod non multo sanguine stetisset) negotium dedit ut templa ac Monasteria, (quæ milites plerumque deprædantur & evastant) restituerentur: exercitu deinde in Hispaniam reducto, Toleti more Romanorum triumphavit, multis hostium vinctis, rasis barbis capitibusque, viliq; veste de humeris pendente, in triumphum ductis.

Paulus, Hildericus, cum cæteris antesignanis, camelis sublimes ferebantur, ut magis conspicui essent. Vanissimus Rex Paulus corium, in diadema ridiculæ sinuatum, arduo vertice gestabat. Triumpho peracto, in singulos quæsitum est. Iudicum calculis omnis condemnati: nemo absolutus est. Quod si Rex vitam adimere reis nollet, huc judicum sententia redit, ut oculis privarentur, usitato id temporis supplicio. Crediderunt posteri non modo vita, sed etiam oculis ad humanissimo sene donatos esse.

Dignum patella operculum.

Rebus in Gallia Gothica compositis, alibi alia procella erupit. Alarabes & Saraceni longe lateque vexantes mare Mediterraneum, ducentarum & septuaginta navium classem Hispaniæ adpulerunt, fusique per oram maritimam, non modo ingentem terrorem incolis intulere, sed insuper tristi clade homines obviaque loca affecere.

Sebastian. Episc. Salmant.

VVamba rerum terra nuper gestarum memor, summa celeritate classem adversam instruxis: quid fieri vellet, præfectum edocuit: (ipse enim cum exactæ jam ætatis esset, nolebat se mari credere valetudinis causa:) arrectumque oratione militem vela dare jussit. Concitatis utrinque navibus initur prælium: animis, sed non viribus æquis res geritur: nam nostrates numero multo inferiores erant) cæduntur hostes: tam flammi quam fluctibus hauritur classis quæ pestem Hispaniæ ferebat. Vnde conjicias quantum arte bellica valuerit VVamba, quandoquidem Saraceni annis posterioribus minore longe mole Hispaniæ incumbentes, victores evaserunt.

VVamba navali pugna Saracenos vincit.

Pacis artes pari studio Rex iste coluit, bonos præmio, malos supplicio afficiendo, tum etiâ salutares regno leges ferendi Tole-

tum incolis nimium quantum stipatum, latius exparrexit: verbo, nisi ingrata velit esse Hispania, fateatur oportet multum se debere VVambæ.

An Christi 675. | An. S. Benedicti 195.

Caput. I.

Sacra Comitia habentur in Hispania.

Toleti celebratur Synodus.

Octodecim annorum spatio nullum Toleti Concilium celebratum fuit, quo Patres ut plurimum confluere consueverant. Hoc igitur anno in summo templo Quiricus Archiepiscopus, suffragandi ipsius, nec non Abbates, convenientes, lapsam per bella disciplinam restituerunt. Hæc nomina Abbatum exhibet Concilium:

Iulianus Abbas Monasterii S. Michaelis.
VValderus, Abbas Monasterii S. Leocadiæ.
Gratindus, Abbas SS. Cosmæ & Damiani.
Absalius, Abbas Monasterii S. Crucis.
Florentius, Abbas Monasterii S. Eulaliæ.
Avila, Abbas Monasterii Agaliensis ad S. Iulianum.
Gudila, Archidiaconus sanctæ Ecclesiæ S. Mariæ sedis regiæ civitatis.

Hinc apparet nobile Cœnobium Agaliense à SS. Cosmæ & Damiani Cœnobio esse diversum (quod alibi affirmavimus) cum eodem tempore diversos habuerint Abbates, & Agaliense S. Iuliano fuerit dedicatum. Deinde cum hoc Concilium pro sola ista provincia fuerit indictus, hæc Monasteria intra ditionis Toletanæ limites sita fuisse. Quamvis igitur Asceterium S. Petri de Eslonza aliquando nomen S. Eulaliæ tulerit, illius tamen Abbas longissime Toleto remotus (tertio lapide abest Legione) huic Concilio non subscripsit. Immo cum una S. Eulalia civis fuerit Barcinonensis, altera Meridam coluerit, plura religiosa domicilia huic nomini fuisse sacrata. Memoria quoque dignū est, Abbates una cum Episcopis hac Synodo leges condidisse, quod ex hisce verbis constat: *Iulianus, Ecclesiæ Monasterii S. Michaelis Abbas, hæc gesta Synodica, à nobis definita subscripsi.* Ita etiam cæteri.

Anno à Christo nato sexcentesimo septuagesimo quinto, à VVamba vero Rege creato anno quarto, Concilium Bracari habitum est, & forte alibi alia à tam bono Principe coacta, quod Patres Concilii XI. Toletani indicant, dum inquiunt: *VVambano Regi gratiarum actiones persolvimus, cujus ordinatione collecti, cujus etiam studio aggregati sumus, quia Ecclesiasticæ disciplinæ his nostris sæculis novus reparator occurrens, omissos Conciliorum ordines non solum restaurare intendit, sed etiam annuis recursibus celebrandis instituit.*

Concil. XI. Tolet. c. 3 [illegible]

Limites Episcopatibus etsi Constantinus Magnus designarit, perpetuis tamen bellis Hispania versa, confusi sunt. Ad lites igitur, quæ hac de causa inter Episcopos fervebant, componendas, suum cuivis Antistiti Diœcesin circumscripsit toties jam laudatus VVamba, adhibito Concilio nationali, ut vocant. Accedit quod ipse novos quoque Episcopatus condiderit, ac pro suo erga Monachos amore, in Monasteriis cathedras Episcopales posuerit: qui bonos olim Dumiensi, & alteri de la villa de Aquis, nec non Pretoriensi, celeberrimis Asceteriis, obtigerat. Sceptrum VVamba novennium summa subditorum voluntate tenuit: vitæ vero extremum in Monasterio consumpsit, quam rem alio rejicimus.

VVamba cathedras Episcop. in Monasteriis ponit.

Caput II.

S. Valerius Abbas.

Acta Valerii Abbatis apud Ambrosium Moralem invenimus, quæ ipse ex libellis ab ipso Valerio scriptis, & ab insigni Monasterio Carracedo suppeditatis, excerpsit: Quocirca cum nobis auctor alius non sit oblatus, à nobis verba, sed à Morale rem cape.

Moral. l. 12. c. 51.

S. Valerius Astorga oriundus, cum adhuc primam duceret juventutem, negotia sæcularia, quibus se jam tum premi sentiebat, rejicere, & in Complutensi Monasterio, Astorgæ vicino, Deo se devovere statuit. Repulsam passus, Astorgam rediit: inde in sacram ædem non procul arce, cui Petræ nomen, secessit, vitam anachoreticam sectaturus. Aliquot annis ibidem contritis, à fama vulgatus cœpit conveniri. Etenim orationi graves corporis afflictationes adjecerat, quæ accolas rapiebant in admirationem. Sacellum illud quidam Clericus (Flaino nomen erat) curare jussus, in postremis id negotiis habuit: at ubi animadvertit multos propter Valerium inferri: larga etiam stipe

Valerius vitam Eremiticam colit.

virum sanctum cumulari, actus avaritia, simulque invidia, tam acerbe eundem vexavit, ut loco cedere compulerit. Imposita igitur humeris sarcinula, altius in desertum penetrans, sedem inter montes fixit. Flainus presse subsequutus, libris eum sacris, quos manu suæ descripserat, nec non volumine alio, Sanctorum gesta referente, spoliavit, forte causatus ad Ecclesiam pertinere. Latrones insuper latibulum ipsius vestigantes, non modo suppellectilem, curtam illam quidem, diripuerunt, sed deprehensum ipsum pessime acceperunt.

Ab hominibus dæmonibusq; infestatur.

Populus cum absentiam Valerii jam ultra ferre non posset, retractum ex Eremo cuidam Ecclesiæ, in prædio Ebronantensi sitæ, imposuerunt. Hic respicare sibi visus est, sed diabolus brevi alias machinas intendit, quibus dies noctesque novum incolam exercuit.

Gravissimis enim tentationibus animũ ejus occupans alastor, fessum corpus quietem capere non sivit. Ne deinde ullis induciis frueretur, Recemirum, nobilem quendem, Ebronanti dominum, concitavit, qui tuguriolo dejecto, eo sibi loco aram statuendam prætexuit, qua tamen nondum bene posita mortuus est. Rem divinam ibidem obire, officium Iusti sacerdotis erat, sed nihil ipso injustius. Etenim injuriam ex injuria ferens, nullibi consistere Valerium passus est, quem omnibus angulis pulsum Simplicius Diaconus excepit: domi suæ fovit: in Ecclesia, cujus meminimus, simul Deum colere soliti. Neque in parvo ego posuerim, quod Valerius Iusto se submiserit inimico. Non enim intra verba injuriæ steterunt, sed aliquando ventum ad verbera est: ille tamen æquissimo animo tulit. Sub hæc fiscus regius prædium invadens, domunculam una cum Ecclesia solo æquavit: Valerius spe illic habitandi incisa, postquam viginti annis stabilem sedem indagarat, ætate quam sarcina gravior, in Viercensem Eremum secessit, in qua S. Fructuosus oratorium excitaverat, quod S. Petro dedicavit. Hodie insigne Monasterium S. Petri de Montibus locum occupat. Angustum is S. Fructuosi Cellulam subiens, non procul arce Rupiana dissitam, reliquum vitæ contemplando vigilando, jejunando pœnasque alias sibi pendendo consumpsit, cacodæmone perpetua bella veterano militi movente, quibus etiam has insidias adnumeres. Isidorus Astorgæ Episcopus, Toletum secum, veluti virum sanctitate ac litteris celebrem, trahere conatus est. Senex à vana gloria sibi metuens, majorem in modum oravit Numen, ut aliam in mentem Episcopum inclinaret.

Honores deprecatur.

Pondus habuere preces: nam Isidorus jam properat ut negotium conficeret, cum vita excessit.

Hæc valerius ipse in litteras misit, cui lucubrationem actorum S. Fructuosi tribuunt ob magnam styli similitudinem, & quod in libro perantiquo, cujus mihi copiam nobile Cisterciensium Monasterium (ei Carracedo nomen) benevole fecit, operibus ipsius adjuncta sit. Idem volumen etiam epistolam bene longam exhibet, qua res à S. Eucheria gestas Monachis Viercensibus narrat.

Miracula quoque Dona Dei Abbatis conscripsit. In sancta Ecclesia Ovietana alium in librum incidimus, qui tam has quam alias ipsius locubrationes ad numerum Poëticum redactas complectitur. Porro cum Isidori Astorgensis Episcopi, qui Synodo Bracarensi proxime superiori subscripsit, faciat mentionem, coævos fuisse oportet. Item quod Monasterium S. Petri de Montibus S. Fructuosum condidisse ferat, seque unum ex ipsius famulis novisse.

Sanctum hucusque appellavimus, quòd S. Gennadius Cœlitum hunc titulum lapidi ipsi posito inscripserit, ac alibi miracula viri celebrans, assiduo vocet sanctum. Apparet ab ipso ædificatum Monasterium, & Monachos contractos: aliter cur præter consuetudinem dicerent Abbatem? Lapis tamen, prætererita Abbatia, solam Ecclesiam ejus opera ampliorem factam memorat.

AN. CHRISTI 676. AN. S. BENEDICTI 196.

S. Audomarus Episcopus Tarvanensis, & S. Bertinus Abbas.

Etsi S. Audomarus ipsiusque discipulus S. Bertinus, clarissima Franciæ lumina, annis posterioribus concesserint, consilium tamen fuit hoc anno ipsorum gesta referre, quo maximum incrementum S. Bertini Monasterium in Audomarensi urbe (vulgo S. Omer) situm accepit. Septem Asceteria Ordinis S. Benedicti numerat Artesia: Aquicinctense, Atrebatense, Blangiacense, Montense, Hammense, Aciacense, Audnmarense. Termini Artesiæ hodie sunt, à Septentrione Flandria, à qua discreta est fluvio Lisa, & nova Fossa: ad Austrum & occasum Picardia: ad Orientem Flandria Gallia & ager Cameracensis. Ita eam Gerardus Mercator circumscribit.

Septem Monasteria Ord. S. Benedicti in Artesia.

Aliquando Flandriæ juncta erat; totam enim Baldvino Arduennati Carolus Cal-

vus dotis loco cesserat, quod is Iuditham duxisset: Postea Philip. Alsatius cum neptem suam Isabellam locaret Philippo, Ludovici VII. Galliarum Regis filio, dotem ei dedit Flandriam Occiduam, hoc est, tractum eum, qui est à nova Fossa usque in Picardiam exporrectus. Eum Philippus anno M.C.XCV. fecit Comitatensem, deditque filio suo Ludovico, qui primus Artesiæ Comes fuit, postea Galliæ Rex, & Pater Ludovici Sancti. Anno vero M.CCC.XXCII. Ludovicus Molanus Comes Flandriæ, post matris obitum factus est Comes Artesiæ, atque ita rursum uterque Comitatus conjunctus est. Obitu autem Caroli Audacis Burgundiæ Ducis, Ludovicus XI. Galliæ Rex iterum Artesia potitus est, quæ postremò pacto & fœdere Caroli VIII. Galliæ Regis, & Maximiliani Imp. cessit Philippo Austriaco, Maximiliani Filii patri Caroli V. anno MCCCC.XCII. Ita Mercator. Caput provinciæ Atrebatum est, cui magnum decus addit Monasterium S. Vedasti. Sed fama æque celebre S. Bertini Asceterium magnificentia sua exornat Audomaropolin, quæ civitas originem à Monasterio duxit: nomen vero à S. Audomaro.

Nobilibus hic parentibus non procul Constantia natus est. Patri Friulpho, matri Domitæ nomina fuere. Vt bene eveniret educatio, pietatem uterque parens puerulo instillavit, non ignari spem sæpe initam cadere, si tenella ætas credatur alienis. Matre fato extincta, filius auctor patri fuit, ut abjecta fluxarum divitiarum gravi sarcina, secum Luxovium tenderet: Deo Opt. se dicaret. Hic suasu gnati inductus, bonis omnibus se abdicavit: illumque Monasterium petentem prosequutus est. S. Eustachius benevole exceptos cum intentis oculis arbitraretur, Audomarum toto vultu innocentiam, timorem ac amorem Numinis præferre, animadvertit; nec aliud spirare Friulphum: quapropter nunc singulatim, nunc simul ambos ad magnas res gerendas animavit, quod ardua ad astra via mortales duceret. Postquam jugo Christi colla non modo non subduxerunt, sed expectationem superarunt, S. Eustachius utrumque suo cætul lætus inservit. Audomarus ut fidem Deo datam persolveret, corpus media magis jam tenuare: maciem adducere: vigilibus horis horas addere: à nutu majorum totus pendere: omnibus se subdere: virgineum pectus sartum tectumque diligentissime servare: quæ res fecerunt, ut omnibus charus esset.

Ioh. Iperius Chronic. MS. Bertinensis. Sur. 9 Sept. Iac. Meyer. an. 661. Aubert. Miraeus origin. Benedictin.

S. Audomarus cum patre Luxovium tendit.

Dant nomina S. Eustachio.

Audomarus sumpto habitu sanctissime vitam instituit.

Interea fama ejus longe lateq; diffusa, inquit Folchardus Bertiniensis, usque ad Dagoberti Francorum Regis notitiam pervenit. Multis inde labentibus annis ab eodem Rege & omni populo vocatus & electus, S. Achario Noviomensi Episc. agente ad instituendum & gubernandum Tarvanenensis urbis populum cum multa animi humilitate Episcopi Sedem & dignitatem suscepit. Tum vero divini verbi semina in credentia pectora dejiciens, animarum & corporum languores sanans, captivos & vinctos redimens, viduarum ac inopum vel maxime curam gerens, plebem sibi à Domino commissam, ad æterna promerenda præmia incitabat.

Renuntiatur Episcop. Tarvanensis.

Populus quidem Tarvanensis multo antea à SS. Fusciano & Victorico, Beati Dionysii discipulis, ad fidem Christianam traductus fuerat: verum magistris suis in agro Ambianensi interfectis, multi ad idola retulere pedem, etiam quos ipsi Martyres salutari unda perfuderant: ut cæteros qui potestate dæmonum non exierant, omittamus. Itaque S. Audomarus aras & infames statuas vertit, ac incendit: vero Deo locum fecit: divina verba serendo ingentem fructum tulit, adeo ut prostratis delubris ubiq; sacræ ædes surrexerint. Fuere id temporis plures viri Apostolici in hanc messem acciti, quos Miræus à vetustis tabulis fere sic memorat.

Idola omnibus viis invadit.

Clotarius Rex & filius ejus Dagobertus vicem rei Catholicæ per bella afflictæ indignantes, delectu virorum magnorum habito, Adoëno & Philiberto Rothomagum: Lupo & Amato Senones: Pharoni Meldos: Aichario & Eligio Noviomum: Autberto Cameracum: Amando Flandros & Menapos: Remaclo Trajectum: Richario & Iudoco Pontivum: Agilo Briam: Gisleno & Landelino Hannoniam: VValarico Vimiacum: Audomaro Tarvanam, aliis alia loca excolenda commiserant.

Chron. MS. Bertin. Aubert. Miraeus Orig. Benedictin.

Porro cum S. Audomarus solus hanc molem ferre non posset, timor virum incessit, ne multi gentilium pessum irent, nisi alicunde suppetias accerseret. Itaque Mummolinum, seu Mommulum, Bertramnum, & Bertinum, in agro Constantiensi natos, sibique sanguine junctos, Luxovio evocavit. Venientes humanissime salutare, amplecti, operum iis dividere sedulus Antistes: quilibet hospitum suam capere provinciam: contra idola atq; vitia movere arma: triumphare. Adroaldus tam nobilitate quam opibus clarus, S. Audomaro, tanquam duci, debebatur, à quo ad fidem Catholicam perductus (quam tamen ante alios aversabatur) villam Sithiu omnemque suum fundum ac fortunas Deo ac ipsi contulit.

Suppetias Luxovio accersit.

Molan. Indic. V. Bertinus.

Folchard. in vita S. Audo. ap Sur. 9. Sep. Sithiense Monasteriũ extruxit.

Porro S. Audomarus, inquit Folchardus, *dum extirpatis spinis & veperibus mundat Christi messem, etiam horrea præparare volens egregium templum in Sithiu magnis sumptibus extruxit in sanctissimæ Dei genitricis, perpetuæ Virginis, honorem, Sanctorum patrociniis illud muniens. At sancti illi divinæ religionis cultores Mummolinus, Bertramus & Bertinus in Domino conspirantes Cœnobium condunt, quod vetus templum dicitur. Atque fraterna concordia Angelicam instituit Monachorum vitam, & cœlestem adunavit in Christi laudibus fraternitatem.* Iam mos obtinuerat nostro in Ordine ut viri Apostolici excitarent Monasteria in paganorum provinciis, quamprimum imposuissent pedem; videlicet ut inde non secus, quam ex munitissima arce arma adversus stygem expedire liceret: insuper ut fessi milites Christi eo se reciperent: vires reficerent, paulo post iterum in arenam prodituri. Immo hæc ipsa Asceteria fidei Catholicæ candidatis, aut recens imbutis, gymnasiorum loco esse solebant.

Locus alius Monasterio quæritur: duce Deo inventus.

Cæterum non ita multo post animadversum est, hoc quo de agimus Monasterium multis patere incommodis, nec removeri posse adversos Monachis tumultus; quocirca egregii triumviri alibi situm capere statuerunt. Ergo navem nullo remo instructam, nec quidem commeatum ferentem, conscendunt: psallunt, ex composito illic novo Cœnobio fundamenta jacturi, quo carina, duce Deo, pervenisset, cum ipsi ex ordine psalmos decantãtes, in versum: *Hæc requies mea in sæculũ sæculi: hîc habitabo, quoniam elegi eam*, incidissent. Quid fit? Vagatur navicula erratque ludibunda in flumine velut temporis fallendi gratia, donec Monachi designatum versum attigerũt, in quem dum ora solvebant, illa citius mentis in ripam invecta est, hæsitque immota, tanquam duabus anchoris fixa. Non mora, conducuntur operæ, accersuntur architecti: priusquam imponeretur manus ultima, jam ingens cœtus Monachorum confluxerat, quibus à Sancto Audomaro Mummolinus præfectus est; etsi Iohannes Iperius eum jam tum Episcopatum Noviomensem gessisse, affirmet, in quo viginti sex annis consumptis, ad Superos concessit, cujus prolixe meminit Trithemius. Bertramnum, (quidam Ebertramnum appellant) comitem tertium, Sancti Quintini Cœnobium Antistitem accepit. Distractis hoc pacto sociis, Sanctus Bertinus novi Monasterii habenas capessere jussus est, quas sapientissime rexit, tantumque sui post fata desiderium reliquit, ut locus non amplius Sithiu, sed S. Bertinus ore publico appellaretur. Quis enim huic Monasterio invidisset Sancti Bertini nomen, cujus sacra ossa habebat?

Psal. 131.

Io. Iperius Chron. MS. Bertinensi.

Trith l. 4. c. 161. vir. ill. Et à S. Bertino nomen accipit.

Cæteris domiciliis nostris imprimis res parva fuit, quæ non nisi multorum annorũ tractu crevit: at vero istud Cœnobiũ etiam à cunabulis magnum fuit, in quo vix dum nato Sanct. Bertinus brevi tempore centum quinquaginta Monachos cõscripsisse fertur à Chronico MS. Bertinensi. Quapropter recensere libet unde tam opimæ opes statim à principio ei sint partæ.

Io. Iperius ap. Aubertum Miræum.

Comitatu Arquensi augetur Monasterium.

VValbertus Arquensis Comes, divitiis ingens unũ susceperat filiũ, tanti patrimonii futurum hæredem. Vbi is adolevit, animum ad vitam religiosam adjecit: Deo se dicavit. Eandem viam ingressus pater, ad Monasterium venit: cucullum induit: omnes fortunas suas Sancto Bertino cessit, velificante quoque S. Audomaro, cui in animo erat ibidem sepulchrum legere. Auctor est Iacobus Meyerus Gobertum virum illustrem signa sæculi deservisse: S. Benedicto nomen dedisse: Vergam, Ostendam, Stenlandiam, Lampernaiam, Scuerdam, Sempionem, denique triginta tres pagos Monasterio transcripsisse. Nec prętereundus nobis Balduinus est, Flandriæ Comes, qui beneficiis quamplurimis etiam Poperingam adjecit, mercatorib' olim frequentẽ. Sed ad S. Audomarũ iterum visamus, qui inter res tot sibi secundas (nam conversio infidelium è voto successerat) subito lumina perdidit. Incredibile dictu est quam æquo animo invisas tenebras pertulerit, quod hinc cognosces.

Meyer, anno 812. Aliisq; possessionibus.

Ossa S. Vedasti loco non satis digno cubare ratus, diu secum volvebat quonam alio reponeret. Anxie hæsitanti tumulum alium notavit Deus: quocirca is corpus erui jussit; deinde ne quidpiam prætermitteret quod ad pompam spectaret, è proximo virum illustrem evocavit, luculentam lucem pompæ allaturum. Ipse quoq;, quantumvis oculis captus, in viam se conjecit. Ventũ Atrebatũ est: dicto die festa põpa procedit: Audomarus præter expectationẽ à bono Deo donatur luce, nimirũ ut translationis S. Vedasti testis oculatus esse posset. Põpa peracta manus ad sidera tollens senex, Numini supplicavit ut lucem denuo sibi adimeret; qua oratione omnes rapuit in admirationem, cũ mortalibus luce nihil gratius esse soleat, qua etiã Tobias, magnũ patientię exemplũ ægre caruit. Sed is jam senserat arctius à Deo pendere, cęcos, ac propius videre clara sidera: esse oculos malorũ duces, ac mentẽ à cœlo avo-

Fulbert in S. Auberto. S. Audomarus captus oculis.

Æquo animo fert. cæcitatem.

Tob. 5.

çare

care du per mille loca & formas spargerentur. Ita Antonius Magnus luminibus non æquis, solem orientem aspiciebat, quo à luce majore, quam contemplando hauriebat, abstraheretur.

Extinguitur febri. Baron. anno 695.

Postquam S. Audomarus triginta annos in Tarvanensi Cathedra cõtriuit, mors sen[i] classicum cecinit immissa febri, qua graviter laborans anno sexcentesimo nonagesimo quinto, ad v. Id. Septembr. extinctus, & in Sithinensi Monasterio, quod ipse primo condiderat, sepultus est, S. Bertino cum mœstis Monachis justa persolvente. Cum animam ageret, cœlestis odor nares: cantilena aures imbuit. Lampas ad ejus sepulchrũ suspensa, sua sponte ardere cœpit: sacra lipsana quamplurimos variis morbis tentos, explicârunt.

Strata circum sepulchrum sui infirma corpora sanat.

Per S. Audomari nomen perjurium concipiens, valetudine, denique vita mulctatur.

Vafer quidam homo ab homine simplici æs mutuum acceperat, stato die reddendum. Elapso tempore nomen, quod fecerat, liberare admonitus, negavit se quicquam debere. Ergo eamus sodes, subjecit creditor ad S. Audomari Mosoleum: ibi si per patriæ nostræ Divum tutelarum jurare ausis in ære te meo non esse, haud committam ut vel teruntium amplius à te exigam. Annuit pseudologus. Dum tendunt ad sepulchrum multa altercantes, sustine gradum, inquit creditor: non est cur inquietemus sacra lipsana: nullo non loco Deus justus judex est: nec vis Beati Audomari, tumulo inclusa est. Mihi satisfeceris, si vel hîc loci juramentum per illius nomen edideris. Alter ora templo obvertens, dexteramque sublime tollens, molitur juramentum, verbaque imperfecta relinquens, collabitur. Insuper exoculatur: membris omnibus capitur: tertio post die miseram animam ebullit.

Captivus dum templũ ejus transit, vinculis expeditur.

Facinorosus alius in vincula indutus, præter fores sacræ ipsius ædis tractus, subito manicis catenaque, cui collom insertum erat, exutus est. Assertus hoc pacto in libertatem, præcipiti cursu ad Divi sepulchrum se recepit, ubi pronus in laudes & gratias, ne denuo ad quæstionem raperetur, lachrymas rogavit. Lictores insequuti perculsiq; miraculo, non ausi sont absoluto à S. Audomaro iterum manus injicere.

Puellam in puteũ delapsam præstat incolumem.

Sub festum Dominicæ Ascensionis, ait Fulchardus, cum more recepto triduanæ fiant supplicationes, siva Rogationes, & sacrosanctæ crucis vaxilla totius Ecclesiæ plebs devoto pectore sequitur, nudis pedibus incedens, ubi maxima populi multitudo decora processione peractis officiis ad sanctam reversa fuit ædem in qua Beatissimi Audomari ossa quiescunt, quædam mulier cum filiabus duabus adfuit, è quibus minor natu intolerabili sitis ardore vexata, cum lachrymis id indicat sorori, ut solet ætas puerilis. Illa vero dolens vicem ejus, ducit eam ad puteum S. Audomari, qui in ejus crypta est, altitudine pedum sexaginta. Sed cum restis deesset, qua hauriret aquam, puella tam diu siti cruciata, hærebat ad os putei, seque genibus volutans, suave ducebat vel vidisse, diu concupitam aquam. Interim præceps ruit in puteũ. Id cernens ejus soror, magno clamore & ejulatu totum populi cœtum eò pertrahit. Inquirunt omnes quæ tantarum sit causa lachrymarum? Respondet illa: Huc ego accessi cum sorore mea & matre. At soror siti æstuans, male cauta in medias labitur aquas, & nunc sitibunda mortem bibit sub aquis. Tractant inter se omnes, qua possint ratione extrahere è puteo, & mandare sepulturæ. Immittitur restis eaque puer illigatur, qui è profundo educat puellam, & puteum à futura cadaveris putredine servet, quem Beati Audomari præclara virtus sanctificet. Sed cum fons ille morbis omnibus salutarem afferret medicinam, nullis sordibus inquinari potuit. Denique inventa est puella viva instar anseris natare supra aquas. Eam puer secum attulit capillis quidem ejus prorsus ab aqua intactis, sed limbis vestis nonnihil madefactis. Pauca hæc miracula, ut de multis aliis existimare posses, attulimus.

Corpus S. Audomari à S. Bertino Abbate in Monasterium S. Lythimi translatum esse, invenimus apud Iacobum Manlium, Doctorem Brigantinum, Chronici Episcopatus Constantiensis auctorem: at nos calculum nostrum sustinemus.

Vrbs [cond]itur indito e[j]us nomin[e].

Etsi vero Sithivenses ante id obscuri essent, fecere tamen beneficia, quæ S. Audomarus in ægrotos conferebat, ut tumulus ipsius accensis studiis admodum frequentaretur: multi penaribus suis alibi relictis, ibi domicilia ponerent; denique conglobati circumfusiq; urbem nobilissimam conderent, eique S. Audomari nomen imponerent, cui magnum accessit ornamentum quando Philippo II. Hispaniarum Rege id moliente, Tarvanensem Cathedram accepit.

Aimoin l. 4. c. 29.

Positos ab illo fasces. S. Bertinus excipit abs[que] Episcopatu[m].

Sanctissimo Præsule demortuo, tam Christianorum quam infidelium, nec non Cœnobitarum, curam accipiens Sanctus Bertinus, rem Ecclesiæ cum discipulis suis mirifice auxit, populo undique confluente. Verberârat viri hujus fama etiam Britanniæ minoris aures, unde S. VVinocus, Iudicaëlis Britanniæ Regis filius, advolavit, Quadanocum, Ingenocum, & Madocum, nobili stirpe editos, secum trahens, qui se se Bertino, eximio magistro, in discipli-

Sur. 6. Nov. in vit. S. VVinoci MS.

nam tradidere. Quem vero vivendi modum hic Cœnobiarcha tenuerit, à gravissimo auctore, qui S. VVinoci vitam litteris mandavit, petere juvat.

S. VVinocus una cum sociis religiose instituit ad normam D. Benedicti

Igitur post lóga viarum spatia regioni tādē appulere Morinorū, ubi fama vulgante sanctorum hominum tunc florere religionem compererant. Per id tempus in ea Morinorum sive Tarvanensium regione Beatus Bertinus in ornamento Ecclesiæ Dei erat lapis pretiosus, in Sithiu Monasterio merito & officio Abbas. Hic sanctitatis suæ aromata longe lateque spiraverat, & in militam Christi suo exemplo permultos invitaverat atque pertraxerat, cujus laudabilia gesta nosse qui velit, ex libello, quo ejus actus plenissime continentur, perspicue discere poterit. Tanti ergo Patris regimini viri illi, quos diximus, devoto se obsequio subdiderunt, & egregiam omnino duxere, à doctrina Sancti animo pervigili pendere. Eorum vero laudabili devotioni gratulans Beatus Bertinus, sub norma pii Patris Benedicti docuit eos ferre suave jugum Christi, Monasticisque parere sanctionibus, & verbis & factis instituit. Cumque eos inter ipsa conversionis primordia culmen perfectionis jam attigisse miraretur, locum eis, in quo singularius Domino vacarent, attribuit, utque cellam illic sacris occupationibus congruentem, extruerent, imperavit. Parent imperio, construendo incumbunt ædificio. Locus ille in Morinorum territorio situs, usque in præsentem diem Mons S. VVinoci vocatur, ubi illi viri Dei aliquandiu degentes, & se mundo, & sibi mundum crucifixerunt.

Mons S. VVinoci.

Discipuli S. Columbani jurarunt in Regulam D. Benedicti

Præter alia ex his quoque intelligis, Sanctum Bertinum una cum suis Monachis vitam secundum S. P. N. Benedicti Regulam instituisse: quidam nihilominus errore manifesto acti, inficias ire sunt ausi, audentque etiamnum hodie, discipulos S. Colmbani in legis gloriosi Fundatoris nostri unquam jurasse. Ponerent absque dubio, quem semel imbiberunt, opinionem, si animum adverterent, SS. Audomarum, Bertinum, & Mumolinum, omnium historicorum calculis D. Columbani ac D. Eustasii fuisse discipulos: religiosa vota Luxovii (vulgo Luxcul, & Luxon) emisisse: S. Bertinum suos Monachos D. Benedicti Regula imbuisse, quam nimirum ipse Luxovii doctus fuerat. Prætereа S. VValbertus, Comes Aquensis, qui in S. Bertini Monasterio sumpto religioso habitu, Regulam S. Benedicti coluerat, postmodum Abbas Luxoviensis lectus est, quod haud usu venisset, si hæc duo Cœnobia diversorum Ordinum extitissent. Adhæc anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto Henricus Colterus, rerum Artesiæ gnarus, arborem Sanctorum hujus Monasterii typis exprimens, à radicibus imis S. Bertinum, S. Audomarum, S. Benedictum depanxit, primoque inscripsit *Fundator Domûs*: alteri, *Patronus civitatis*: tertio: *Patronus Ordinis*. Profecto si quis in Artesia post tot sæcula jactaret, ad S. Bertini aliam aliquando Regulam principalem, à D. Benedicti Regula diversam, fuisse cultam omnium sibilis acciperetur. Nec mihi aures obtundas, ad S. Bertini, ingeminando, Regulæ S. Columbani imprimis locum fuisse, postea cum Regula S. Benedicti commutatam; quasi leges domesticæ à Sancto Columbano sancitæ (quas aliqui Regulam appellant) Ordinem novum constituerint: aut S. Columbanus à Regula à se condita vulgataque, quod quidam fingunt, vel ipsius discipuli, ad conspectum Regulæ Divi Benedicti illico defecturi fuissent. Alia Monasteria, principali quapiam Regula destituta, & ex arbitrio cujusvis Antistitis sui viventia, id fecisse, minus dignum admirane est.

Henric. Colter.

Tom. 2. an. 6. 6.

Atqui tollis clamorem alium: S Patrem Columbanum suis discipulis spoliandum haud esse. Ohe! si lapis, & sentis, hac ignominia virū afficiunt, qui Regulam ipsum scripsisse jactitāt, à Francia, Alemānia, Italia, receptam: paulo post ab Italia, Alemannia, Francia rejectam. Sed agedū, Monasterium ab octingentis amplius annis cōditum nobis indica, quod se Ordinis S. Columbani fuisse asserat. Quis deinde animum inducat, non saltem unicum post S. Benedictum superfuturum fuisse, quod à S. Columbano avelli non potuisset? quodve illius Regulam sibi eripi haud passum esset? Sed hanc controversiam Tomo 1. ad annum sexcentesimum decimumsextum multis exequuti sumus.

Prioratus nostri Sancti Patres olim instituebant, quos Cellas vocabant, ut si cui animus esset Regulę aliquid addere, orationes, jejunia, vigilias intendendo, severius, quam leges exigant, corpus mulctando, haberet quo secederet.

Prioratus olim Cellæ dicti.

Cum enim vires mortalium sint impares, nec idem pectus ad magna audendum omnibus insit, communis Regula singulis attemperanda erat. Hinc sapientissimus Pater Capite 20. statuit, *ut in conventu omnino brevietur oratio*. Videlicet ne debiles forte animus ac vires ad prolixius orandum deficerent. Nec alia de causa magnæ animæ ad cellas privatas, insulas, deserta, dimissæ sunt, quam ut fratribus post se relictis, passibus am-

S. Re. c. 20.

bus am-

bus amplioribus ad cœlum contendere possent. Ita S. Bertinus potestatem S. VVinoco ejusque sociis fecit, è Monasterio in locum secretiorem sese abducendi, ac *Cellam sacris occupationibus congruentem ædificandi.* Nugantur proinde lepide, qui hujusmodi Prioratus vitæ durissimæ destinatos, Domus respirationis fuisse somniant, ubi Monachi Monasterio se extrahentes, cutem sudantem detergerent, ac molliter ungerēt.

O aurea sæcula, quibus tanto nisi noster Ordo ferebatur ad cœlum! In cœtu enim frequenti alter alteri igniculos injiciebat, quæ flamma totum Monasterium pervadens, tepidos quoque corripiebat. In Prioratibus & tuguriis, per valles, montes, deserta sparsis, oppositis humeris prompte excipiebatur quicquid ferri ab hominum genere poterat. Negotiosa Martha ex esse jussa, locum contemplanti ac ploranti Magdalenæ cedere debuit.

Vtramq; vivendi rationem inivere Bertinienses, à quorum Monasterio Ascetetium Voronholt dependebat, à S. VVinoco erectum; nec non S. Sylvani Cœnobium Asciatense, cujus Cœlestinus III. in Decretal. meminit, referturq; in tit. De verborum significatione, Cap. 25. quo Pontifex sanxit ut Abbates S. Sylvani ex Monasterio S. Bertini legerentur, quod in eo disciplina staret incorrupta, neq; minimū Regula violaretur.

Cæterū qua ratione apud Bertinenses, inquit Miræus, à Lamberto ejus loci Abbate XL. institutum seu Reformatio Cluniacensis, consilio Iohannis Episcopi Morinensis, & Roberti Frisii Flandriæ Comitis, sit introducta, narrat Iperius anno CIƆ.C.I. Iohannes Morinensis Episcop. (*verba Iperii do*) Romam ad Papam tendit, cum quo Lambertus noster Abbas se proficisci simulans, iter arripuit, & Monachum quem secum assumpserat, sub custodia reclusit in quadam Cella Cluniacensi. Idem vero Lambertus Cluniaci remansit, pfessionem fecit, & eorum ordinem didicit. Tandem Episcopo Roma sine Abbate reversū, Monachi nostri semel, iterū, ac tertio Abbati Lamberto mādant, ut veniat. Redeunti quidam obediunt, sed major pars obedire recusat. Tunc ipse clam vocatis militibus suis, rebelles cepit, & in diversis Ecclesiis dispersos inclusit. Regebat tunc Cluniacum vir sanctæ memoriæ Hugo Abbas, per cujus licentiam Lambertus de diversis Cluniacensium Monasteriis religiosos viros huc adduxit anno Domini millesimo centesimo primo. Quibus strictè & religiose viventibus, residui Sithienses, metu rigoris disciplinæ fuga lapsi, per diversa sparguntur. Necob hoc cessavit hic opus Dei. Nam novo religionis fervore plures huc affluxerunt, ita ut in brevi plusquam centum viginti fratres adessent. Hæc Iperius. Addit Miræus: *Ius mitræ Gillebertus XLIX. Abbas Bertinensis ab Alexandro Papa IV. impetravit, Pontificatus ejus anno primo.*

Calamum à Sanctis hujus Monasterii abstinere nefas fuerit, cum plures numeret, in Cœlitum album ab Ecclesia relatos, quam Ordo quispiam universus. Si vis, syllabum habe.

S. Bertinus, Fundator Monasterii Sithivensis, Abbas, & Patronus, ibidem sepultus. Non. Novembr. colitur.

S. Mummolinus, primus Cœnobii istius Abbas, postea Noviomensis Episcop. Mortuum ferunt anno sexcentesimo nonagesimo primo, XVII. Kal. Novembr.

S. Bertramnus, cōpertæ innocentiæ Monachus; inde S. Quintini Abbas.

S. VValbertus, Comes Arquensis, postmodum Luxovium evocatus ad tenendum clavum VI. Non. Maij Ecclesiæ celebris.

Bertinus, S. VValberti filius, cui junioris notam addunt, ne cum S. Bertino Fundatore, ut fit, confundatur.

S. VVinocus, S. Iudicaëli senioris, Britanniæ minoris integerrimi Regis, filius: S Iudicaëli junioris, & S. Iodoci frater: postea Voronholti Antistes. Sua manu molam pro religioso cœtu alendo egit, viraq; summa asperitate ducta, anno sexcentesimo decimo sexto VIII. Id. Novembris ad Divos abiit.

Quadanocus ex minore Britannia oriundus, S. VVinoci comes, omnium calculis Divis additus.

Madocus, S. VVinoci popularis: virtutibus similis.

Ingenocus S. VVinoci socius tertius, de quo optime existimarunt.

S. Erckembodo, ad S. Bertini Abbas, postea Morinensium Episcopus, qui vita sanctissime exacta anno sexcentesimo quadragesimo secundo prid. Id. Aprilis clarus miraculis diem obiit.

S. Folquinus, Hieronymo Gallo & Erchisinda Gotha, illustribus parentibus, natus, Episcopus Morinensis, fama & admiratione hominum celebris, anno octingentesimo quinquagesimo quinto mortem oppetiit.

S. Hunfridus, Monachus quondam Prumiensis, deinde Abbas Bertinensis: deniq; Episcop. Morinensis, qui rebus Nordmanorum populationibus defluentibus ingentes labores exhausit, anno octingentesimo septuagesimo octavo, Id. Martii fato defunctus.

Aubert. Miræus Orig. Benedict.
In vestigia Cluniacensium Bertinenses.

Viri illustres hujus Monasterii, S. Bertinus.
Henr. Cellet Arbore Bert. in. Mejer. Ann. lib. Fland. VVion. l. 3. cap. 68.
S. Mummolinus.
S. Bertramnus.
S. VValbertus.
Bertinus junior.
S. VVinocus.
Quadanocus.
Madocus.
Ingenocus.
S. Erkenbodo vel Erchonbodo.
S. Folquinus.
Iac. Mejer. anno. 855.
S. Hunfridus.

S. Fulco. S. Fulco, Archiepiscopus Rhemensis, qui Ecclesiæ suæ immunitatem defendendo, indigna morte, anno salutis parte circiter nongentesimo decimo septimo Iunii occubuit.

S. Grimbaldus. S. Grimbaldus, Prior ad S. Bertini, qui ab Antistite VVintoniensi evocatus, Alfredum Regem instituit, adiutamque sibi ab eo Cantuariensem Cathedram aversus removit. Anno nongentesimo tertio VIII. Id. Iulii mortuus est.

Iohannes. Asserus. Iohannes S. Grimbaldi socius.

Asserus, duorum superiorum comes, virtute ac eruditione nihilum ab iisdē distans.

S. VVocard. S. VVocardus, à Nordmannis cæsus.

S. VVinedbaldus. S. VVinedbaldus, ab iisdem Nordmannis mactatus.

S. Gervvald. S. Gervvaldus Diaconus, cum proximis sacerdotibus ad Martyrium actus.

S. Regenard. S. Regenardus, Martyr.

S. Gerhard. S. Gerardus ad S. Dionysii religionem professus: Prumiensis Abbas: multorū Monasteriorum à barbaris eversorum instaurator, præsertim Bertinensis, in quo Abbatis munus gessit. Anno nongentesimo quinquagesimo octavo superis infertus.

S. Lambert. S. Lambertus, circa annum millesimum centesimum vicesimum quintum sanctimoniæ fama percelebratus.

Simon, Abbas, qui dignitate se abdicavit, ut animum in cœlestium rerum contemplationem altius efferre posset. Anno millesimo centesimo quadragesimo octavo vitæ telam pertexuit.

S. Ioscio. S. Iosius, seu Ioscio, magnū istius Monasterii ornamentum, cujus innocentiam sagacissimus Orbis hoc prodigio deprehendit. Oculis auribus, ore, rosas emisit. Postquam animam exhalaverat, corpus insolenti splendore circumfusum, duas rosas ex auribus, totidem ex oculis, unam ex ore edidit, felicis Arabiæ odores facile extinguentes. Stetit, & obstupuit hic patria, novo & vix viso vel audito spectaculo defixa. Hac rosas Beatissimæ Virgini in acceptis referendas censuerunt nostri Patres antiqui, eo quod litteris initialibus à nomine MARIA petitis, Canticum unum & quatuor Psalmos ipsius honori quotidie recitare consuesset veluti:

M *Magnificat anima mea Dominum.*
A *Ad dominum cum tribularer clamavi.*
R *Retribue servo tuo.*
I *In convertendo Dominus captivitatem Sion.*
A *Ad te levavi oculos meos.*

Has laudes, reddito penso Matutino, Magnæ Matri persolvere cōsueverat. Anno millesimo centesimo sexagesimo tertio in astra sublatus est. Vbi Monachi roseum cadaver conspexere, Andream Episcopum Atrebatensem accersiverunt, qui funus duceret, futurus etiam rei tam admirandæ testis ocularis. Tabella etiamnum hodie Mausoleo ipsius imminens, & penicillo, & calamo, miraculum inauditum refert.

S. Bernhardinus pœnitens. S. Bernhardinus, cui à vitæ asperitate pœnitentis cognomen inditum. Miraculis quamplurimis conspicuus, anno millesimo centesimo octogesimo tertio cœlum petiit.

Leonius. Leonius (quem nonnulli Leonem vocant) è Monasterio Loviensi ad clavum S. Bertini capiendum evocatus, à Theodorico Flandriæ Comite pauperum ærario præfectus est. Monachos Cluniacenses, instar fluminis suas supra ripas effusi, omnia Monasteria Congregationi suæ involvere connitentes fortiter rejecit, cujus causam suscipiens S. Bernhardus, Petrum Venerabilem, Abbatem Cluniacensem, à conatu litteris revocavit. S. Bernhard, ep. 102. Etsi enim sæcula tum fere quinq; a S. Bertino elapsa essent, rigor tamen disciplinæ nihil remiserat, nec ulla parte laborabat, ut Cluniacenses frustra suam operam obtulerint. Incendio correptum nec non absumptum Monasterium restituit Leonius. Meyer. anno 1152. hist. Fland.

Bertinenses bene merentur de Cisterciensibus. S. Bern. ep. 341. 342. In proximo Cœnobium posuere Cistercienses, quod *Laudis* dixare. Eos Leonius ipsiusque subditi pro virili juverunt: quam causam Divus Bernhardus datis epistolis utrisque gratias egit, Leonium charissimum amicum appellans, utq; benevolentiam prosequatur, majorem in modum orans; se enimvero haud aliter accepturum, quam si iis beneficiis ipse affectus fuisset. Laudat deinde Bertinenses vir Sanctus, silentium, fugam sæcularium, aliaque disciplinæ decora extollens: simul Monachis universis gravissimis verbis instat, ut non tantum boni, sed quam optimi esse studeant. Verum cum nos melleum Doctorem assequi non possimus illius verba dare animus est. Ep. 341. Scio quia diligitis nos, non verbo & lingua, sed opere & veritate. In argumentum quippe dilectionis & gratiæ quam fratres nostri invenerūt in oculis Vestris, nō verba procedunt, sed opera, eo utique puriora apud Deum, & gratiora apud homines, quo de sola gratia dantis proveniunt, præter meritum accipientis. Pro his igitur gratias agimus universitati vestræ: pro his omnibus debitores sumus vobis, si quid sumus, si quid possumus & nos, & fratres nostri. Sed ne parum vobis

Matth. 25.

sit acceptos esse hominibus, accepti estis & Deo meo. Nam quod uni ex minimis ejus fecistis, ipsi fecistis. Quid? quod non uni tantum, sed pluribus ex minimis ejus fecistis. In omnibus his penes me non retributio multa, quoniam inops & pauper sum ego: sed Dominus retribuet pro me: Ipse qui retributor est omnium bonorum retribuat nobis, quod pauperes ejus prævenistis benedictionibus dulcedinis & in exemplo charitatis. De præteritis gratias agimus: de futuro precamur, &c.

Benedictinis cum Cisterciensibus magna necessitudo.

Hinc apparet inter Monachos nigros & Cistercienses summam necessitudinem intercessisse. Ego vero Sanctum Benedictum cœlo despexisse putem, vehementer læium, se ex vinea veteri, quam multa ante sæcula ipse coluisset, nec non è nova quam S. Bernardum fodere jussisset, nigras albasque uvas legere, supremo Numini apponendas.

Parta huic Asceterio Bertinensi ingens fama est à religione singulari: eruditione: opibus: exemptione: aliquot Flandriæ Comitum Mausoleis, quos inter Balduinus I. cui Ferreo cognomen, quod robore præpolleret, celebris est. Vivere desiit anno octingentesimo septuagesimo nono, postquam Comitatus habenas sexdecim annos moderatus est, quas postea Balduinus II. cognomento Calvus, Caroli Calvi nepos, excepit. Hic anno 902. mœnibus Audomaropolim cinxit, incluso Sancti Bertini Monasterio, non ut de eo bene mereretur, sed ut opes ipsius in suum ærarium, avaritiæ barathrum, simul includeret. Vt tamen impium factum probaret orbis, titulum Abbatis sibi quoque adscivit, quo amplissimas fortunas jure merito capere videretur. Vicesimi primi Abbatis locum implevit. Aureus profecto Præsul, quippe cui religio in marsupio erat.

Baldvin. II. egregius Abbas ad S. Bertini, scilicet.

Quæ quis fecit, merito patitur.

Nutabat per id tempus Carolingorum corona, quæ permittente bono Deo tandem capite defluxit, quod è redditibus Monasteriorum munera, stipendiaque conflarent: mel non suum lingerent: oves alienas tonderent, an degluberent? Quemadmodum enim ante id S. Germani Monasterium in Hugonis & Roberti, Comitum Parisiensium, potestatem abierat, ita Regibus Franciæ annuentibus Baldvinus Calvus Comitatui Arquensi nō suo, haud secus quam Gallina ovis incubabat: albumen ac vitellum rapiebat, testa Monachis objecta; scilicet ne minus calvuum esset Monasterium, quam ipse. Porro, ut omnia ordine fierent, egregii isti Abbates Comites vel Comites Abbates, Vicarium Monachis imponebant, quem Decanum appellabant, qui disciplinam non minus, quam ipsi reditus, curarent. An non hoc est cum ratione insanire? Acti hoc dominandi & æruscandi modo aliquot anni in Sanctissimo Divi Bertini Monasterio; nam Arnulphus I. Balduini Calvi filius, exemplo patris id emunxit, rapto vel mutuo accepto Abbatis titulo. Postmodū Adolphus Caroli Calvi filius, Arnulphi frater, partis per hæreditatem Comitatu Bononiensi ac Abbatia Sancti Bertini, nulla prole suscepta, SS. Audomaro & Bertino opes mobiles ab Arnulpho mala fide corrasas, bona reddidit. Tactum religione esse autumamus ne profano thesauro suo admisceret rem sacram.

Item Arnulphus.

Alisa, lectissima conjunx, malo laborabat, cui medici oppido diu irrita remedia attulerunt. Cupido fœminam incessit sacram Divi Bertini ædem visendi, quo penetrare fœminis nefas erat. Agebatur tum annus nati Servatoris nongentesimus tricesimus octavus, à fundatione Monasterii longissime remotus, nec tamen seu lex seu mos, fœminas arcendi atque aditu prohibendi, exoleverat. Et quamvis Monachi cæteras injurias à Comitibus Flandriæ, pro Abbatib' sese gerentibus, utcunq; ferrent, hanc tamen à se pro viribus à templo amoliebantur: ideoq; Eltruda Baldvini Calvi uxor alibi sepulchrum sibi legit, indignabunda suo sexui crimini esse, si Sancti Bertini templo inferret pedem. Aliquid nihilominus sine exemplo ausa est Alisa, Abbate (suo marito) connivente, Vifrido Morinensi, & Fulberto Cameracensi, Episcopis comitantibus. Pace Numinis factum crede, quod non fœminea curiositate, sed fervido valetudinis desiderio acta, ingressa sit. Dubium ipsa salus quam impetravit, discussit. Perculsus miraculo Comes ditionem Arquensem, & quem maximi faciebat, Abbatis titulum Monasterio restituit. Ei successit. S. Gerardus. Hic vir hic est, qui restituit rem.

Fœminæ à templo S. Bertini arcentur.

Meyer. ad. 9 8.

Alisa Adolphi Comitis Fland con jux irrepere ausa, salutem retulit.

Baldvinus III. Arnulphi Comitis filius, domi bellique clarus, in S. Bertini Monasterio ossa sua componi voluit, cui se Arnulphus III. Baldvini VI. filius, qui nondum sexdecim annos natus in prœlio cecidit, adjunxit. Sequutus est Baldvin. VII. vel ideo silentio non prætereundus, quod bene Monasterio fecerit. Dictus Securicula fuit, quod vitia radices agere, aut tollere capita non permitteret, sed tempestive securi percuteret. Vbi animadvertit patum spei in opibus, honoribus, luxu, quæq; alia mundus amplectitur, reponendū, in Monasteriū

Baldv. VII. tem Monasterio restituit, factusque Monachus.

S. Bertini, quasi à tergo urgeretur, confugit: Numini se dicavit, bonis abalienatis ad priores Dominos remissis.

Id vero permirum est, post tot sæcula durare locum, religionem, divitias. Libet expedire versus quos Iacobus Meyerus, avorum nostrorum ætate nobilis historicus, de hoc Asceterio cecinit:

Huc quicunq; subis Rhodios jactare colossos,
Stultaq; mirari desine fana Iovis. (tur
Inclyta Bertini potius monumenta canan-
Sacro Sith prisco condita templa loco.
Hæc est sancta domus per sanctos facta colonos.
Hic colitur pietas relligioq; viget.
Hæc etenim servās Benedicti Ecclesia ritꝰ,
Tantum Romano est subdita Pontifici:
Quæ post Tarvanam primam tenet ipsa cathedram,
Princeps in Morinis conspicienda locis.

Hos versus quasi vicatim hinc & hinc è Meyeri historia collegi. Codex MS. quem habemus, dum Monasteria exempta enumerat, Sancti Bertini Asceterium octingentos florenos pro Bulla solvisse, indicat. Tempore laxatam fuisse disciplinam, ut sunt humana, & à Cluniacensibus restitutam (uti per Galliam & Hispaniam quamplurima, etsi Cluniacensi Congregationi non inserta) Iohannes Iperius sic narrat: Anno millesimo centesimo primo Iohannes Episcopus Morinensis Romam ad Papam tendit, cum quo Lambertus noster Abbas (XL.) se proficisci simulans, iter artipuit, & Monachum, quem secum assumpserat, sub custodia reclusit in quadam Cella Cluniacensi. Idem vero Lambertus Cluniaci remansit, professionem fecit, & eorum ordinem didicit. Tandem Episcopo Roma sine Abbate reverso, Monachi nostri semel, iterum, ac tertio Abbati Lamberto mandant ut veniat. Redeunti quidam obediunt, sed major pars obedire recusat. Tunc ipse clam vocatis militibus suis, rebelles cepit, & in diversis Ecclesiis dispersos inclusit. Regebat tunc Cluniacum vir sanctæ memoriæ Hugo Abbas, per cujus licentiam Lambertus de diversis Cluniacensium Monasteriis religiosos viros huc adduxit, & hic ordinem introduxit, anno Domini millesimo centesimo primo. Quibus stricte & religiose viventibus residui Sithienses metu rigoris disciplinæ fuga lapsi, per diversa sparguntur.

Collapsa ad D. Bertini disciplina revocatur.

perius apud Mireum Orig. Benedict.

Nec ob hoc cessavit hic opus Dei. Nam novo religionis fervore plures huc affluxerunt, ita ut in brevi plusquam centum viginti fratres adessent. Hæc Chronicon Bertinense.

Itaque lapsa disciplina revocata quidem à Cluniacensibus fuit, non tamen Monasterium subditum Congregationi Cluniacensi, quod Arnoldus VVion, errore ductus, affirmat.

Tarvana à Carolo V. excissa, Philippus II. Sedem Episcopalem Audomaropolim transtulit, nihilominus Monasterio Sancti Bertini sua dignitas & exemptio salva constitit. Primus Episcopus Gerardus Hamericourcius, Bertinensis Abbas, à Rege designatus est. Narrat Molanus anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono Paulum IV. instante Philippo II. loco quinque Ecclesiarum Cathedralium tres Archiepiscopatus per inferiorem Germaniam erexisse, ac tredecim Episcopatus addidisse, quæ res plurimum accidit Monasteriorum nostrorum redditus, ut merito laudes veteres Fundatores, qui ex suo in Deum, Deique servos fuere liberales ac pii. Cathedra vero Tavarnensis nova non in Bertinens: Cœnobio, sed in Sancti Audomari templo (hic enim postea Divus conditus est) collocata fuit. Etsi autem opulentiæ Bertinianæ Comitatus Arquensis documentum esse queat, facit tamen Stella Calvettus ut multo plura animo concipiamus. Philippi enim secundi, adhuc principis, iter describens, Cum ad Monasterium Sancti Bertini tenderet, inquit, Abbas atque Monachi obviam ei processerunt, cantando Hymnum, *Te Deum laudamus*. Sacra ista pompa exceptus Princeps, mox templum, quod aliis per Belgium magnificentia vix quicquam concedit, ingressus, pacem Numinis aliquandiu poposcit: tum in conclave, perquam divite apparatu instructum, deductus est. Quam longe lateque id pateat ædificium, vel hinc intellige, quod etiam Imperatorem Carolum V. acceperit, paucisque de aulæ officiis tecta alia subeunda fuerit. Postridie rei divinæ interfuere t qua peracta, Monachi argento inclusum protulere Sanctum Bertinum ejusque argenteum signum, cingulo tenus elaboratum gemmisque distinctum, ut mitram & pedum Pontificium prætereum, quorum pretium lapilli scintillantes mirifice auxerunt. Quanta aliorum lipsanorum fuerit copia? quantum auri, argenti, gemmarum, è sacrario promptum, difficile creditu est. Putasses Beatos Cœlites hic sedem collocasse. Stellam Calvettum tibi testem do, qui hæc suis oculis usurpavit.

Molan. Indic. Philipp. II. novos condit Episcopatus per Belgium attonsis Monasteriis.

Stella Calvet. tus de eruct. itinere.

Ad Monasterium S. Bertini visit.

Sacra lipsana veneratur.

Magnum huc momentum affert Geor-

gius

Georg. Bruin Theatro, civit. Per tot discrimina rerum evasit & stat incolume Monasterium.

gius Bruin, quo supersedere non debemus. Mortuus est S. Audomarus, ait, circa annum sexcentesimum nonagesimum quintum. Tertio inde anno è vivis etiam excessit S. Bertinus, Fundator Monasterii, cui deinde ipsius nomen impositum fuit, ubi Basilicam longe magnificentissimam videas. Locus hic viris, virtute atque doctrina præstantibus, semper floruit, ab eoque quatuordecim Asceteria dependebant. Si rem, quam adhuc possidet amplissimam spectes, pauca illi antecedunt. Abbatum suorum nunquam illud pœnituit, nam boni fuere: quibus merito Vedastum Grened adnumeres, qui hodie fasces tenet, à Gerardo, ex illustri Hameticourciorum familia nato, & primo Audomarensium Episcopo, totique orbi propter virtutem ac eruditionem noto, cum vita positos. Abbatiæ Comitatus Arquensis subditus est, tam antiquitate, quam arce quadam vicina celebris. Huc etiam Poperinga pertinet, muris quidem non cincta, cæterum populosissima. Firma igitur fundamenta SS. Audomarum & Bertinum jecisse oporter, quibus adhuc urbs durat, atque Cœnobium.

AN CHRISTI 677. AN. S. BENEDICTI 197.

Monasterium Flaviacense, ejusq; Abbas S. Geremarus.

Anno 677. obiit S. Audoenus.

LIBERALEM in Ordinem Sancti Benedicti manum nusquam sustinuit Sanctus Audoenus ubicunque benefaciendi vel propagandi rima patebat, hoc anno vivere desiit, Clero, populoque Rothomagensi lachrymis insolenti que luctu desiderium testantibus.

Sur. 24. Aug. Multa condidit Monasteria.

Etsi vero Monachū professus non fuerit, ꝓfiteri tamen quā qui maxime voluit, Numine obicem ponente, ne Monasteria ædificandi, inter quæ Resbacense eminet, occasionem pientissimo viro adimeret. Aptum rebus maximis gerendis pectus, Cancellarium Dagobertus Rex fecerat, cujus deinde virtuti, nec nō laboribus exactis, ut honores & gratias referret Clodoveus, Archiepiscopum Rothomagensem designavit. In utroque honore omnia ipsi negotia excidisse putasses pręut Cœnobia & Parthenonas conderet. Ardebat summo studio, inquit auctor vitæ ipsius, Monasteria & loca sacra per omnes Franciæ provincias construendi, maxime vero in propria Diœcesi, ubi satis multa Cœnobia, eaque ampla & nobilia, è fundamentis erexit, non paucu vero priorum Pontificum & Abbatum desidia neglecta, instauravit. Nulla Diœcesis in cunctis Galliarum provinciis in ejus temporibus Rothomagensi Diœcesi in pietate & devotione erga Deum religionem æquiparari, nedum anteferri potuit. Tantus enim ibi erat numerus Cœnobiorum diversi sexus, puta Monachorum & Monacharum, quæ ad ejus institutionem tanquam divinæ sationis messes quædam, subito enituere, ut & multitudine & religione Ægypti Monasteria, ab Antonio quondam instituta, æquare viderentur, &c. Certe quisquis gnarus est historiæ Ordinis S. Benedicti, quæ hic auctor dicit, omnia esse ut dicit, in animū inducet. Resbacense, Fontanellense, Fiscanense, insignia Monasteria, non repetimus, sub annum DC.XVIII. & DC. LIX. à nobis descripta, sed præter hæc etiam S. Sidonii Cœnobium bona ex parte ipsi debetur. Enimvero eum id temporis Monachi Hiberni atque Scoti, velut agmine facto, contenderent in Galliam, Sanctus Audoenus eos excipiens, quam potuit in Monasteriis ædificandis opem charis hospitibus tulit, imprimis vero Sancto Sidonio favit. Insuper Pentalium, Flaviacum, Crux S. Leufredi, nobilissima Asceteria, opus ipsius fuot. Eorum originem altius repetere libet.

Anno 618. Anno 659.

Vincent. Bellauacens. l. 23. c. 98. Geremarus cum se opibus urgeri putaret, abjecit.

Geremarus, ut est apud Vincentium Bellucensem, gente Gallus, domo Goarandianus, Rigoberto & Aga nobilissimis parentibus natus, post fata utrlusq; ingens patrimonium in egenos effudit: mox gradu verso lætus ad S. Audoenum properavit, manibus vacuis corpus applaudens, quod tantas tes quibus onustus erat velut raptim abjecisset, ut libere nudum Christum nudus sequi posset. Antistes flagitanti cucullum dedit: Pentalium misit, ubi tantos progressus Geremarus fecit, ut à Monachis, religione ipsius captis, Abbas postea fit dictus. Quamvis autem S. Regulam nemo laxaret, is tamen multo durius in se animadvertit, quam illa exegerit: præsertim vero contemplationi vehementer deditus erat, quam gallo primum signum ebuccinante inchoare, dieq; albescente absolvere demum solebat. Etsi vero sua in vestigia omnes invitaret, multique passibus æquis eum comitarentur, fremebant tamen nonnulli, calcaria sibi altius debito admoveri auribus vicissim immurmurantes. Capiunt deinde consilium sui Abbatis interficiendi: convenit inter sceleltos cultrum acutissimum subter lectulum defigere, cuspide erecto, in quem se indueret, dum oratione ex more defunctus, ad quiescendum se abjiceret.

Appetitus insidiis, magistratu abivit.

Quid fit? Neglectim alias fessum corpus strato in fundere consueverat, sed tunc nescio quid subibat mentem, ut insidiarum cōscium lectulum examiret curiosius. Cultro se prodente, in sceleris auctores minime quæsivit, sed toto cœtu in Capitulum coacto, Abbatia se humi fusus abdicavit: suffragia pro alio ferri jussit: imparem se oneri esse, dictitans.

Post hæc arbitrio de futuris periculis, nisi ocyus se proriperet, facto, ad S. Audoënum profectus est, à quo locum alium, ubi vitam degeret, petivit.

Inde Flaviaco præfectus est. Jejuniis triduo exacto, cœlitus acceperunt Flaviaci locum ædificando Monasterio eaperent. S. Audoënus loco notato, religiosam domum ibidem posuit, quam S. Geremaro regendam credidit, qui vita hic innocentissime traducta, fæce terrena immunis, vicesimo primo Sept. die Cœlicolis assertus est. Eum Iohannes Trithemius in memorem virorum illustrium syllabum retulit. *Trith. l. 3. vir. illustr. c. 93.* Numeravit hoc Monasterium quamplurimos viros doctos, atq; si fama ingenii abjicienda non est, prodire poterit Radulphus Flaviacensis, Commentariis in Leviticum & D. Pauli Epistolas notissimus viris eruditis. *Radulpus Flaviacensis litteris clarus.* Composuit etiam brevem rerum Gallicarum historiam: cæteræ ipsius lucubrationes non illitteratæ, interciderunt.

Est etiam Monasterium, quod nonnulli Crucem S. Audoëni: atq; alii Crucem S. Leufredi appellant. Vtriq; honos iste indulgendus est. Nam S. Audoënus condidit: S. Leufredus primus ibi Abbas fuit.

Apud Sur. 24. Maij. Cæterum cum S. Audoënus tēpore quodam suam parochiam prædicando perlustraret, inquit author vitæ ipsius, & per hunc ipsum locum iter ageret curru vectus (non enim poterat nimio senio fessus jam equo vehi) muli qui currum trahebant, subito substitere. *S. Audoeno Crux præfulgida in aëre objicitur.* Cumque auriga flagello eos urgeret ad procedendum, nullo modo inde eos potuit amovere. Sentiens autem vir Dei non sine nutu divino animalia manere immota, consestim sursum erectis luminibus, vidit Crucis vexillum, multo splendore late circumfusum. Cumque Domimino revelante intelligeret eum locum suo illum servitio & cultui destinasse, mox reductis oculis conspicit hominem quendam arantem. Accepto ergo ejus stimulo figuram Sanctæ Crucis efficit, eaque terræ infixa, & SS. Reliquiis ei impositis discedit. Sole ad vesperas terras relinquente, columna ignea in eo loco per totam noctem visa est tanto splendore, ut solis claritatem vincere videretur. Nec ea ab uno solo, sed à totius provinciæ hominibus conspecta est. Itaque confluxit eo hominum multitudo, offerentium Deo vota sua, diversisq; affecti morbis illic pristinam sanitatem recuperarunt, *Id loci Leufridus posuit Monasterium.* in quo etiam loco Leufridus Ecclesiam cōdidit, quę in S. Crucis & Reverendissimi Audoëni Pontificis honorem dedicata est, ubi hodieq; Monachi non pauci ad Monasticæ Regulæ præscriptum Deo serviunt. Bellovacensis, quædam miracula ab ipso hic loci patrata, memorat. *Bellovacens. l. 24. c. 128. Spec. hist.* Anno millesimo quingentesimo nonagesimo octavo hujus sancti viri res gestas typo vulgata fuisse ferunt, ut meam operam admodum desiderare non queas. Sacra ejusdem lipsana num S. Germani Parisiis, vel ipsum D. Leufredi Cœnobium possideat, certatur sententiis. Nordmannos enim tam sacra quam prosana pro nihilo habētes, multa Galliæ Monasteria præsertim vero per Nordmanniā, cuj ditioni nomen ab iisdem invisis hospitibus adhæsit, diruisse crebro huic historiæ intexuimus. Eam sortem Monasterium Crucis Sancti Leufridi etiam subivit, Monachis cum sacris lipsanis fuga dilapsis, & mediam in Galliam penetrantibus. Delati Parisios, ad Sanctum Germanum diverterunt. Rebus id temporis præerat Robertus Marchio, cui hodierni Galliæ Reges sanguine juncti sunt. Is igitur occasione utendum ratus, Carolum simplicem induxit, ut S. Leufredi Cœnobium, magnis opibus fulsum, partem Asceterii Sancti Germani esse jusserit. *Aimoin. l. 5. c. 42.*

Ne tamen imprudentem hoc beneficium contulisse putares, stata sacra pro se proque conjuge sua Frideruna facienda exegit. Diploma Aimoinus exhibet, atque Iacobus Breul, Monachus S. Germani, scholiis explicat. Pace in Nordmanniam reducta, domum reversi exules, rem sibi ademptam repetiverunt, non passuri ut ad Sanctum Germanum abiret. *Vbinam lo carum condita sint, S. Leufredi ossa, non satis compertum habemus.* Multa hic missa facio. Cæterum incolæ ad Sanctum Germanum dictitant tenentque pertinaciter, saltem S. Leufredi corpus sibi esse reliquum. Pernegant S. Crucis Monachi, ac asserunt, se S. Leufredo domi, antequam fugam inirent, absonso, Sanctum Barsenodum, domicilii sui Abbatem, Parisios tulisse. Vtrique tamen lipsana monstrant: sed nostrum non est, vel his vel illis quicquam avellere. Caput *Inter Monasterium, de sententia & re judicata*, Cœnobii Sancti Leufredi prolixe meminit, quod Sancti Audoeni Rothomagense Asceterium jus imponendi Abbatem sibi arrogasset. Insuper Bulla Innocentii III. in promptu est, unde multa de fortunis S. Leufredi cognoscas. *Scrips. 28.*

Guido Aretinus ad S. Leufredi Monachus notarũ musicarum Vt Re, Mi, Fa, author.

Ad viros præclaros quod attinet, Guidonem Aretinum Monasterii hujus Cœnobitam fuisse ajunt. Illum, inquam, Aretinum qui tanti putavit Musicam, ut non absque ingenii contentione facilem addiscendi rationem excogitârit, Vt, Re, Mi, fa, Sol, La, Musis omnibus approbantibus præcinendo. Sunt qui etiam Guidmundum, Archiepiscopum de Aversa, pugna adversus Berengarios suscepta celebrem, eidem Cœnobio asserant. Iuo Carnotensis Episcopus, viros litteratos fuisse, simulque ad S. Leufredi floruisse; priorem Monasterii S. Laurentii Arverniæ siti Abbatem, posteriorem ejusdem civitatis Episcopum factum, memorię prodidit. Nos suspicamur hunc Guidmundum, Episcopum de Arueroia, à nonnullis haberi pro Archiepiscopo de Aversa, nominum similitudine deceptos.

Iuo Epist. 31.

Cæterum S. Audoenus IX. Kal. Aug. cœlo receptus est, cujus honori multa per Rothomagensem Archiepiscopatum templa sunt posita, inter quæ eminet id quod insigne Monasterium Rothomagi situm (à S. Audoeno nomen habet) Patrono suo statuit.

Martyrolog. 24. Aug.

AN. CHRISTI 678. AN. S. BENEDICTI. 198.

S. Ansbertus, Abbas Fontanellensis, Archiepiscopus Rothomagensis.

Fridegodus Cap. 19.

S. Ansbertus S. Audoeno in Cathedrâ Rothomagens. succedit.

S. Audoenus ut ovibus suis consultum iturus, majorem in modum oravit Theodoricum Regem, ut sibi demortuo sufficeret S. Ansbertum, virum virtutibus plenum. Postquam fato concessit, justis, ipsi persolutis, quibus etiam S. Ansbertus adfuit, pro novo Pontifice itum in suffragia est. Inter Clerum populumque Rothomagensem miro consensu conveoit legere Ansbertum. Rex ubi suffragatores omnes pari studio in Sanctissimum ferri virum intellexit, quem ipse privato quoque amore prosequebatur, adeoque utebatur conscientiæ suæ arbitro ac moderatore, pondusq; S. Audoeni commendatio haberet, ingeniem cepit voluptatem. Non mota, evocatur Ansbertus: ad infulam Archiepiscopalem invitatur: Ille detrectare, abnuere: obnixe recusare. Interea celebrantur regni comitia (quæ præter Principes & proceres etiam S. Lambertus, olim Abbas secundus Fontanellæ, sed tum Archiepiscopus Lugdunensis, frequentârat) summaque omnium voluntate S. Ansbertus Rothomagensis Pontifex jussus atque initiatus est. Etenim frustra honorem deprecabatur: tot deinde vota destituere, prope jam religio erat. Iuvat profecto usque à prætexta primisque incunabilis egregium Præsulem describere.

Angradus Monach. ap. Sur. 9. Feb.

S. Ansbertus puer non vult capere muscas, aut nugas agere.

Igitur patre Leuvino, nobili viro, qui sub Regibus Galliæ stipendia fecerat, Veliocassini natꝰ est Ansbertus. Vbi jã scholis maturus visus, parentes ingenuis artibus imbuendum curârunt. Etsi vero lubens disceret, id tamen moleste ferebat, studendum quoque esse venationi vanisq; aularum artibus, sed nec perpelli unquam potuit, ut vel mediocrem progressum hic faceret. Tum pater enitendum sibi ratus, saltem ut uxorem duceret; sed operam denuo lusit. Erat Robertus, alti profecto sanguinis vir, & Regi Clotario ab annulo sigillari, qui Angadrisinam filiam suam juveni nuptui dare, haud ægre annuit. At virgo traxit vultum alienissima à connubio: parentibus vero nolle morem gerere, nefas ducebat.

Angadrisina ad nuptias induci nequit.

Nexis proinde manibus. Iesu Christe, Sponse virginum, dixit, extingve qualiscunque est, oris ancillæ tuæ venustatem, ut spē nuptiarum deponat meus pater. Flexit hac voce sponsum virginum: nam illico niveæ frõti turpis aspersa lepra est, neq; nova facies ullos jam procorum oculos capere poterat. Acciti medici ut rugas distraherent: frontis, temporum, genarum maculas abolerent; sed oleum ipsis, patri impensa periit. Incertus consilii Robertus, suspicari cœpit, forte filiam Numini se devovisse. Quocirca accersitam rogavit, num ei sanctioris cujusdam necessitudinis vinculum cum Deo esset? Ingenue fassa est, addens à nullo mortali id posse enodari. Certior de virginis animo factus Siuvinus, futurus socer accurrit, etsi præter expectationem evenisset, valere tamen apud se votum Deo nuncupatum, affirmavit. Tum Ansbertus se quoque obtulit, spondebo tibi, Angadrisina, vel potius spondeo, dictitans, me nunquam existimaturum sponsam te meam esse, sed Christi. His domi in hunc modum compositis, Rothomagum profecta, à S. Audoeno sacrum velum, & qua placere poterat, formam recepit. Labentibus annis, cum collata Monialibus cæteris virtute omnes anteiret, Bellovacensis Parthenonis Antistes jussa est.

Inde S. Ansbertus voluntate patris, in aulam, quamvis invito pede, se intulit. Gaudebat vehementer Siuvinus, filium vitam Deorum adeptum ratus. Diplomatibus condendis, obsignandisque præfectus, magno studio colebatur: sæpe etiam à palatinis, ut fit, ad varia animi laxamenta vocabatur, at illi immobilis stabat sententia, nullum voluptatibus locum facere: exvere sigilliferum, induere Monachum. Non Re-

gem, non patrem, non proceres sibi nodum impositurος, quin vel solveret, vel abrumperet. Quoties musici mixtis tibiis atque chordis in suaves flexus explicabant voces, sonosque, ille angelorum concentum animo subiiciebat, pectusq; dissimulando plaudens, psallebat tacite: *Laudate Dominum omnes fideles in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo.*

Psal. 150.

S. Ansbertus aula, & ingreditur Monasterii.

Iam pridem aulæ satur, intendit vela: nemine suorum valere jusso; in agrum Rothomagensem atque Fontanellam contendit, S. VVandregisilo Abbatis munus gerente. Acceptus hospitio secundum D. Benedicti leges, rogavit ministrum, ut sibi videndi Monasterii copiam faceret. Hic rogantem ad Cœnobiarcham adduxit, ad cujus pedes accidens Ansbertus, frænum sibi, id est, cucullum iniici, calidissime flagitavit.

Apud Sur. 4. Febr.

Ego vero mentem tuam probo, subjecit VVandregisilus: sed hoc mihi tamen non summo, ut absque Patrum arbitrio, religioso te cœtui admisceam: neque permittit Regula. Post breves inducias omnium punctis admissus est.

Ex eo tempore, inquit Angradus Monachus, cœpit vir Dei amore sacrarum scripturarum legendo fervere: cumque acumen ingenii in præfato juvene Beatus Pater VVandregisilus pollere cerneret, diversorum voluminum copiam ei tribui jussit. Quæ cum sedule legendo percurreret, cujusdam sancti Patris sententiam reperit scriptam, continentem hunc modum: Monachus vivat in Monasterio sub unius disciplina patris, consortioque multorum, ut ab alio discat humilitatem, ab alio patientiam. Itaque oculos lachrymarum imbre perfundens, tractare ardentissime cœpit, qualiter hæc operando valeret implere.

Initiatus sacerdos.

Post tam exploratas virtutes sacerdotio à S. Audoeno initiatus est, & laudatus Theodorico Principi, quem sceptro potiturum prædixit. à S. Regula cum nec unguem latum discedere cuperet, submisse rogavit Abbatem, ut aliquid operis præter pensum, quod omnes persoluere consuessent, sibi injungeret. Nam S. Benedictus *De opere manuum quotidiano*, integrum Caput Regulæ suæ inscripsit, nimirum ad carnem, semper rebellem, domandum. Ergo vineam dimidio milliari dissitam colere jubetur. Perfusus gaudio capit ligonem: abit propere in vineam: qua valet facit opus. Auspicato Theodoricus adolescens, venando animum oblectaturus, equo prætervehebatur, cum oculos circumferens forte conspexit religiosum vinitorem, vires non absque sudore in vites effundentem. Pro sancti Superi! dixit. Quis vero ille mortalis est, qui tam gnaviter in vineam incumbit, Numini sacer? Talia quærendo effundit frænum: citato cursu adequitavit: S. Ansbertum offendit. Elatus lætitia, ut bene sibi præcaretur, rogavit; hominis enim sanctimoniam à Beato Audoeno acceperat. Vir Dei non modo bona verba ipsi dixit; sed etiam regnaturum olim, denunciavit. Princeps concusso capite negavit vero simile id videri, cum suus pater Clodoveus plures susceperit filios, qui ætate antecederent: se enimvero tertio loco natum esse. Nil attinere, subjecit Ansbertus. Pro certo haberet, se regnaturum; per ardua tamen ad solium ascensurum, atque ipso in regno multos calamitates perpessurum: nec vanus vates fuit. Tum Theodoricus, si regia corona, inquit conquiniscens capiti meo imponatur, tuum ego verticem sacra infula exornabo. Sensit Ansbertus non credi sibi, quocirca ut principi fidem faceret, viden tu, dixit, ut locus, quo tabernaculum fixum est, vestigiis tritus, nudum cœnum ac lutum est? sed aspice sis, ut prostratum pedibus gramen jacet? Immo jam non gramen, sed fimus est. At idem locus non solum æstate, verum etiam hyemante cœlo virescet, longisque annis circumjectos campos virore vincet, ne fingere me putes. Dictis respondit eventus. Miraculum inauditum (tuam fidem obsecro!) quod etiamnum duravit cum Angradus Monachus hæc scriberet, atque Hilberto Abbati Fontanellensi dedicaret.

S. Reg. c. 48.

Colit vineam.

Theodorico regnum auguratur.

Hæsitanti miraculo fidem facit.

Interea S. VVandregisilus ætate vigintique fere annorum, quibus Abbatiam Fontanellensem primus gesserat, laboribus fessus, in fatalem morbum incidit. Affusis lectulo clarissimis filiis in lachrymas solutus pius pater, duos habetis, dixit (S. Lambertum & S. Ansbertum notans) quos me vita defuncto Fontanellæ præfici velim. Denique Christo, summo pastori, eosdem commendans, beatam animam efflavit.

S. VVandregisilus, quē virtus Superis fecerat amicum, superis jungitur.

Inde Abbas lectus Sanctus Lambertus ex agro Tarvanensi oriundus, S. Ansbertum in rebus gerendis consiliarium perpetuo adhibuit. Non multo post Theodoricus Rex, Clodovei & Bathildæ filius, opimum prædium ultra Rhodanum in Provincia situm cui Duseræ nomen, adscripsit Monasterio, absumendum maxime in lampadas. S. Genesio Lugdunensi Episcopo è vivis sublato, Theodoricus Rex nec non Pipinus princeps Ansegisi filius, beati Patris VVandregisili consobrinus, ex Cleri populique voto Sanctum Lambertum urbis

S. Lambertus Lugdunensi mitra ornatur.

illius Antistitem dixere. Hic fortuna adversa se premi questus, quod ex Monasterio raperetur in publicum, & cogeretur adire honores, quos pridem fugisset. *A*d ultimum populo, Clero, Principi, Regi, cedendum fuit.

Angrad. ap. Sur. 3. Februar.

S. Ansbertus Monasterii Fontanellæ fasces capit.

In prædicto vero Cœnobio *F*ontanella, inquit *A*ngradus, post recessum S. Pontificis Lamberti, divino nutu juuante unanimes ejusdem Congregationis Monachi Beatum *A*nsbertum sibi elegerunt præesse rectorem. *I*pse autem post susceptam regiminis curam assidue meditabatur quale suscepisset onus, videlicet commissi à Domino gregis regere animas, & multorum servire moribus. Erat cunctis humilior: in vestitu vilis: in cibo mediocris: abstinentiæ jugo deditus: pudicitia ornatissimus: hilaritate cordis & corporis clarus: eleemosynarum largitionibus abundantissime cumulatus. Nam in Fontanellensi *M*onasterio Xenodochium imbecillium ac decrepitorum pauperum instar duodeni *A*postolici numeri constituit deputatis eisdem rebus quæ sufficienter præberent alimoniam. Alias quoque duas constituit in eodem Monasterio pauperum Christi debilium mansiones, quas in octonario ex multis sacrato numero sigillatim octonos habitare fecit. Horum vacatio nulla erat alia, nisi horis constitutis divinis nocturnisve in domo Domini residere: orationi ac vacationi divinæ devote insistere. Quadam die cum more solito edicta legis divinæ in conventu omnium recitaret, ita ex affluentia eloquiorum illius nimio charitatis ardore reddita sunt audientium corda flammivoma, ut plurimi ex illis ad lachrymas compulsi, immensas Omnipotenti Deo gratias redderent, dicentes: Benedictus Deus, qui talem non nostro merito, sed suæ pietatis intuitu dedit nobis rectorem. Et quoniam Sacerdotii dignitate fulgebat, confluentium ad se confessiones suscipiebat, monita eis salutis impertiens, quomodo salvi esse possent, cujus doctrina & exhortationibus plurimi corroborati munitique, ad conversionis festinantes gratiam, plurima afferebant dona in speciebus diversis preciosorum metallorum: sed & possessionum prædia nonnulla in diversis tentoriis sita.

Detrectat Archiepiscopatum Rothomagensem.

S. Audoenus annis & laboribus confectus sub hæc vivere desiit. Nil cunctati Rothomagenses, Theodoricum Regem, forte Clypiaci prope Parisios agentem, adiverunt: optimi *A*ntistitis sui fata: exposuerunt: ut S. Ansbertum in locum illius sufficere vellet, majorem in modum rogarunt. Facile Rex annuit petitioni, quod sciret *A*nsbertum non modo sanctum virum, sed insuper prudentem, sagacem, & publico idoneum esse. Neque enim bonus civis continuo etiam bonus consul est. Ergo sine mora adesse jubetur. Volitat nuncius: porrigit epistolam: ille edito suspirio, iterum se negat. Nam agi de mitra, nō male suspicabatur. Rex spe sua frustratus, recusantem denuo vocat, causam prætexens, gravia incidisse negotia, cum ipso explicanda. Inconsulto enim confessario nolle se quicquam statuere. His blandimentis captus *A*nsbertus, animum induxit in viam se conĳcere. Init: postquam ad Regem pervenit, civium Rothomagensium, sacerdotum, Episcoporum, palatinorum, imprimis Theodorici, læta acclamatione *A*rchiepiscopus salutatus, ibidemque à *S*. Lamberto, circumfusis aliis præsulibus, inauguratus est.

Dimoth. in cab.

Sed operam ludit.

In mitra Rothomagensi maxima gemma ipsus est.

Auctus hac dignitate Ansbertus nullam bene merendi prætermisit occasionem. Videlicet uti sol, quanto altius ascendit, tanto radios suos copiosius dispẽsat, ita novus hic Antistes in summo fastigio collocatus, omnib⁹ operã maximam navavit, modo verbis, modo exemplis dura pectora versando: sæpe media quoq; cõcione vaticinando qui casus imminerent, ut auditores capita conferentes obstupuerint, ac pedem ab Orco pavidi retro vocaverint. Quam prolixe de pauperibus meruerit, difficile creditu est. Assiduo enim illud Salomonis carmen animo voluit. ***Qui obturat aures suas ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.*** Nullus igitur mendicus unqnam incassum misit preces. *I*nvitatis promiscue civibus, nobilibus & ignobilibus, ipse ad pauperrimos assedit. Ecclesiasticos officii sui crebro admonuit: templa magnis sumptibus instauravit, quibus minime parcebat quoties vel divini Numinis, vel pauperum res agebatur, Deo ærarium semper implente. Videas enim etiam hodie sacros *P*ræsules nihil immoderate sibi indulgentes, semper abundare, nec unquam illis deesse quod dent egenis, ad quos Ecclesiam thesauri ex bona parte spectant. Præterea, cum sanctorum sacerdotum & omnium civium Rothomagensium electione, inquit Angradus, & gloriosi Regis Theodorici consensu in Pontificem consecratus fuisset, nimio dilectionis fervore, quem erga venerabile Cœnobium Fontanellense semper habuerat, Privilegii sui authoritatem eidem edidit, ut per succedentia tempora secundum *S*. Patris Benedicti Regulam, & ut præcedentium Regum, Clodovei scilicet & Clotarii simulque Childerici & Theodorici, privilegiorum authoritates docent, ex se-

Prov. 21.

Rogantem pauperem nullum rejecit.

Script. 27.

metipsis

metipsis sibi perennibus temporibus Abbatem eligerent.

Porro cum beneficia accepta, tum vero res ipsa monebat, ut S. Audoeni corpus loco digniore poneret. Structo igitur in Ecclesia S. Petri, sita in suburbio, perquam magnifice Mausoleo, meritissimi Præsulis lipsana intulit. Sacris peractis itum in tenue convivium est: ipse mendicis famem vacuis è stomachis eximentibus pro ministro fuit quadras, cibos, scyphos fronte exporrecta apponendo.

Vt Ecclesiasticam disciplinam proveheret, pondusque privilegio Fontanellæ concesso adderet, Synodum indixit, cui præter alios Audomarus Abbas subscripsit, quem Baronius pro eo habet, qui Audomaropoli nomen fecit, sed labitur. Synodus enim anno sexcentesimo octogesimo secundo Rothomagi celebrata fuit: ille vero Audomarus anno sexcentesimo nonagesimo quinto, postquam triginta non minus, annos Episcopatum Morinensem gessit, ad Cœlites abivit. Quocirca Audomarum Abbatem qui huic Concilio adfuit, ab Audomaro Episcopo diversum esse oportet.

Baron. 682.

Auctor vita S. Audomari.

Obivit quoque Ansbertus Parochias ut animaret pastores, vel emendaret, non nescius multum referre quales Sacerdotes præessent populo. Non tulit hanc industriam Præsulis cacodæmon, & vide sis quam duram ipsi fabam cuderit. Franciæ Principes ob variam regni divisionem mutuis sæpe odiis laborabant: nonnunquam adversa quoque arma capta sunt. Ergo Pipino, ad rem gerendam admoto, à malevolis suggeritur, Ansbertum consilia adversus ipsum periculi plena suscepisse: moliri nescio quid. Princeps ut à viro sibi caveret inductus, Altummontem (Monasterium Hannoniæ est) exulatum ire jubet innocentem, qui nihil tergiversatus regno excessit. Adventantem Halidulphus Abbas amantissime accepit: quin Ansbertus ipse quoque gaudebat ad respirandum spacium sibi dari, quamvis ex antiquo more nihil remiserit. Perdius & pernox orabat, meditabatur cœli arcana, toto mundo factus superior. Præter jejunia etiam continuis lachrymis se conficiebat: qua vivendi ratione omnium animos occupavit: omnes ad virtutem accendit, ut certatim tam Religiosi quam sæculares se se admoverent. Quamprimum animadvertit diabolus cribro se hausisse aquam, eo quod Ansbertus non minore contentione hic, quam Rothomagi, stygem sua præda exveret, novam illi apud Pipinum invidiam conflavit, & jam in eo erat, ut etiam ex Monasterio exigeretur, cum Halidulphus Cœnobiarcha rogatu Ansberti iter suscepit, ac innocentia Præsulis exposita Pipinum in consilia saniora egit, memorem Ansbertum è disciplina sancti Patris VVandregisili, propinqui sui, prodiisse, nec affectasse Archiepiscopatum, sed invitum à civibus clericis & se per tractum esse. Posito igitur odio, ei Rothomagum redeundi potestatem fecit.

Agitur in exilium.

Hoc nuncio ab Halidulpho allato, Ansbertus se genibus excipiens, *Gratias tibi Bone Iesu*, dixit, *qui dirupisti vincula servi tui, & tribuisti verba placentia in conspectu principis, & liberasti me de manu insurgentium contra me: & injecisti mihi etiam in hac exilii ærumna vincula amoris tui.* Itaque magni viri multa patiuntur, ut minores pati doceant. Paulo post angelus ei suggessit, viæ se ad æternitatem accingeret; nam intra paucos dies fore è vita abeundum. Pallida jam morte januam pulsante, rem divinam sibi fieri oravit, ferculoque sacro refectus, cruce adversus hostes se se obsignans, & Monachis lachrymantibus bene precatus, candidam animam v. Id. Februarii quietissime edidit; cum annus à servatore nato ageretur sexcentesimus nonagesimus quintus. Vt ossa ad Fontanellam suam restituerentur, à Pipino missis legatis flagitavit.

Mortem operit.

Baron. l. 8. Annal. & Martyrolog.

Ergo conditis oculis quotidianas vestes Monachi certatim cadavere deripiunt: alias vicissim, quibus in sacris uti consueverat, officiose circumponunt, quæ dum studiose exequuntur, & poplites & cubitos alte callum obduxisse conspiciunt, quod vir Dei assiduo orando hisce nixus esset. Cum caput sudario cerato involveretur, visus est aperuisse oculos ac intendisse rubentibus genis non secus, quam si viveret; id nonnulli ita accipiebant, ut putârint rint indignatum, quod telam cera imbuissent. Inde justa ipsi religiosissime sunt persoluta, apposita ad funus lampas novem continuis diebus arsit nemine oleum instillante, quod non modo non defecit, sed insuper redundavit, ut vase subjecto fuerit excipiendum.

Orantis cubiti & poplites callum obduxerant.

Mortuus oculos aperit, & in funeris curatores intendit.

Post septemdecim dierum intervallum revertentes legati, licere per Pipinum, nunciârunt, funus Fontanellam auferre. Non è tumulo opere tumultuario excitato eruitur: à fratribus quos secum traxerat, & qui ejus visendi gratia Fontanella advenerant, cultu novo induitur, cui dum priorem ademerunt utrumque brachium crucibus rubicundis insignitum viderunt. His ita comparatis feretro imponitur: charum onus tam cives Rothomagenses quam Mo-

Refertur Fontanellam.

nachi

nachi Fontanellenses cupide subeunt, Patremque charissimum præeuntibus vexillis ac illucentibus undique cereis cum facibus, efferunt. Pars ovantes cœlum ipsi gratulabantur: pars fatum viri, luce dignissimi deplorabant, Halidulpho Abbate, plurimis è suis comitantibus, funebrem pompam ducente. Sequebatur omnium Ordinum & cujusvis ætatis longum agmen promiscuis vocibus linguisque diversis Ansbertum celebrans.

Sur. 9. Feb. Capta membra puellæ restituit.

Vbi ventum est Solemnium, fessi ex itinere substiterũt, & corpora curârunt. Pius quidam pater filiam paralysi laborantem membrisq; omnibus captã brachiis gestens, spem sibi in Ansbertum esse, dixit, rogavitq; ministros & custodes ut eam noctem juxta funus ducere liceret. Illis annuentibus feretro admovit charam sobolem: psallentibus aliis suas ipse quoq; preces affudit. *P*rima luce filia morbo soluta, domum incolumis abivit.

Dæmonem premit, & hospitio pellit.

Loca ubi pernoctarẽt descripta habebant. Cum porro ad quandam villam tenderent, Ansbertus subito tanti ponderis esse cœpit, ut promoveri nequiverit. Adhibitæ sũt plures manus, sed pariter nihil profecerunt. Capto in arena, quod ajunt, consilio, aliorsum vestigia cõvertunt, & nocti locum alium designant: nullo negotio viam carpunt. Fraxundi plebs erecta expectatione, fæminam quandam à dæmone infessam, cui coërcendæ vincula injecta erant, in mediam produxit, spe freta fore ut malus genius fugeret venientem amicum Dei. Perlato illuc sacro funere perq; mediam turbam meante, corniger diabolus cervicem jactans, brachiisq; pugnans, & voce incondita venerandum hospitem incessens, *quam hîc rem agis, Ansberte?* clamavit: *vel quid adeo tibi hîc negotii est? Deinde vos hoc mihi respondete vespillones; quam ob causam mihi ante oculos coram* attulistis inimicum meum? *An ut me exædificaret ex ædibus meis?*

Sub hæc mulier feretro incidit: pallium quo funus instratum erat, avida manu pie contigit: mox sanctum Ansbertum ejus mifestum est: nam una cum fœdo cruore turpiorem diabolum evomuit. Incolæ ibidem statuere templum, miraculi monumentum. Diebus viginti ac amplius proficiscendo consumptis, Paldriacum, in Rothomagensi agro situm locum delati sunt. Incolis obviam effusis se quoque par conjugum miscuere, miseram filiam, à dæmone in potestatem redactam, summa vi trahentes. Dum fidem ac opem S. Ansberti implorârunt, illaque linteo feretri manum injecit, atque identidem traxit, infernum monstrum protinus erupit. *Hic vero locus*, inquit authot vitæ ipsius, *erat patrimonium illustrium virorum, Bertholdi scilicet & Radamasti, distans à Cœnobio Fontanella milliaribus quatuor. Fertur vero, quia cum inde elevare corpus sanctissimum conarẽtur; ita mansit immobile, quasi clavis & retinaculis ferreis saxo inhæreretur ingenti. Cumque moveri non posset, talia possessor loci Radamastus intulisse dicitur: Euge, Ansberte, serve Christi fidelis, memento nostri quos in vita dilexisti, quosque sæculi impugnant gaudia. Hîc jam nobis te Christus reducit: idcirco hoc prædium offero Omnipotenti Deo, sibique, Præsul sanctissime, cedo per cuncta sæculorum sæcula. Ipse vero Radamastus ejusque frater Bertholdus cuncta quæ possederant in prædiis ac mancipiis extemplo deserunt, ac Beato Antistiti Ansberto, seque simul, Cœnobio tradunt Fontanellæ, Monachicum pariter assumentes habitum & nomen. In præfata vero possessione eorundem virorum, scilicet in via publica & lapidibus strata, quæ juxta eam jacet ac Rothomagensem deducit ad urbem, ubi sanctissimi Ansberti Pontificis venerabile pausavarat corpus, in honorem & memoriam ipsius à fidelibus crux ponitur lignea, ubi infirmi à diversis languoribus Domino largiente meritis Sancti Ansberti plura frequenter perceperunt sanitatum munera: ubi circa diem pausationis sive adventus ad eundem locum, quod est v. Id. Martii, ad. honorem & intercessionem ejus plebes innumeræ pia Domino solenniter persolventes vota, vigiliarum videlicet ac divinorum hymnorum donorumque diversorum confluunt cum devotione summa. Atque ibidem per merita ipsius multa assidue fiunt miracula, &c.* Ibidem Hilbertus Sancti Ansbarti successor, insigne templum posuit.

Divo templum Fraxundi statuitur.

Radamastus & Bertholdus fratres sua seque simul tradunt S. Ansberto.

Crux memoriæ S. Ansberti fixa, multis saluti est.

Tandem sanctissimus Præsul die trigesimo à felici morte Fontanellæ, ac ædi Sancti Pauli Apostoli illatus est. Lachrymis fluebant senes, juvenes, pueri, imprimis vero Monachi. Tum Hilbertus nutu adscitis sanctioris vitæ fratribus operi se accinxit, plenus metu, ut per tantum temporis corruptum cadaver, exhalaret fœtorem. Quocirca timide sustulit linteum, quo caput obnuptum erat; verum mox fragantissimus odor tẽplo toto diffusus est. Rubor quoq; nitidum os vultumq; totum pingebat, omnibus obstupescentibus. Postremo Optim' Pater purissima tela pallioq; involutus. v. Id. Martii tumulo ab Hilberto mandatus est, lævam S. VVandregisili Ma-

Fontanellæ conduntur ejus exuviæ.

gistri sui tenens. Multos post annos incumbentibus Nordmannis, qui Monasterium solo æquârunt, in fugam acti Monachi, sedibus incertis morati sunt, diversorum Sanctorum lipsanis onusti Ultimo Boloniæ, civitate maritima, fixere pedem. Labentibus annis S. Vulfrannus, S. VVandregisilus, S. Ansbertus, Gandavum, ut Molanus refert, inque Blandiniense Monasterium translati sunt, nec amplius inde elati.

Gandavum in Blandiniense Monasterium transfertur.

AN. CHRISTI 679. | AN. S. BENEDICTI 199.

S. Agatho Papa, Ordinis S. Benedicti Monachus.

Agatho Monachus creatur Pontif. Max.

POstquam Adeodatus D. Bened. alumnus, inde Pontifex Max. summam obivit diem, naviculam Petri Donus gubernavit: sed officio intra unum annum, menses quinque, dies decem defunctus, Agathoni Monacho locum fecit, morum suavitate, modestia, liberalitate Adeodato simillimo. Aliquando leprosum amplexu & bona precatione à fœdo morbo vindicavit. Gente Siculus fuit, domo Panormitanus, patre Romanio (quem alii Panonium vocant) ortus. In S. Hermetis, ejusdem urbis Cœnobio, se Deo sacravit.

Lepram amplexu bonisque verbis abstergit.

Post edita quamplurima tam virtutis quam eruditionis specimina, Presbyter Cardinalis, demum anno DC. LXXIX. Pontifex Max. creatus est. Vix annum Christi sexcentesimum octogesimum secundum assequutus summum sacerdotium cum vita posuit, res tamen brevi magnas gessit multasque.

Jugum à cervice Ecclesiæ Rom. removet.

Oppressa id temporis Sede summa, Pontifices recens lecti tributum Constantinopolitano Imperatori pendere cogebantur, quod conferebant Romani; nam aliter vim arcere, aut molestias amoliri non licebat. Quocirca Agatho supplex Cóstantino Pogonato fuit, ejusmodi tributum ut remitteret Ecclesiæ. Adduci quidem se passus est ut annueret (mitiore enim ingenio præditus erat quam pater ipsius, bonorum Ecclesiasticorum invasor) voluit tamen de suffragiis Agathoni datis certior fieri antequam inauguraretur. Pontifices enim paulatim vires proferebant per Italiam, ideoque curam injiciebant Imperatoribus ne nimium incrementum caperent. Sat vero huic periculo prospectum isti credebant, si se invitis Pontificatum inire nemini fas esset.

S. Sebastianus patronus legitur adversus pestem.

Hoc Pontifice S. Sebastianus Martyr patronus ad pestem avertendam ab Ecclesia lectus est. Infamis enim hæc lues universam tum evastabat Italiã, ut jam cœmeteria cõdendis tot funeribus deessent, quod malum insolens Eclipsis denunciaverat. Romani, uti ferunt, cœlitus moniti, opem S. Sebastiani implorârunt: ei deinde aram ad S. Petri ad Vincula, illatis ejusdem sacris reliquiis, posuerunt: quo facto grassanti pestilentiæ finis impositus est. Hæc autem irati Numinis propitiandi ratio postea ad alias quoque gentes abiit, Paulo Diacono teste. Monothelitarum hæresin Agatho qua valuit, pressit. Macarius enim Archiepiscopus Antiochenus, & Theodorus Patriarcha Cõstantinopolitanus Orientem insigni errore imbuerant, Christo unam duntaxat voluntatem inesse: quam in hæresin Occidentem quoque agere connitebantur. Hisce monstris ut obviam iret S. Agatho, generale Concilium indicere meditabatur. Quin ipse quoque Constantinus Pogonatus Imp. cui multum Ecclesia debet, serpentem hæresin in tempore opprimendam ratus, author Põtifici fuit, ut violatam Christi tunicam laceratamque hoc pacto resarciret. Forte tunc bello adversus Bulgaros suscepto tenebatur, quibuscum pactus est pacem, ut Concilio Constantinopoli celebrando adesse posset. Miseras quidem ante legatos, qui Donum Papam in hanc mentem impellerent, sed tarde venere illo jam fatis defuncto: quocirca munus suum apud Agathonem, qui in cathedram successit, obiverunt. Hic quam sibi gavisus sit, Imperatorem tanto studio Ecclesiæ Dei causam agere, incredibile dictu est. Actis proinde meritis gratiis, promisit se voti compotem primo quoque tempore facturum. In Ecclesia Latina ad malum quod sparserant Græci quantocyus submovendum, multa Concilia provincialia sunt inita, veluti in Longobardia, in Gallia, Anglia, Romæ quoque, ubi de legatis Constantinopolim mittendis, qui Pontificis vices in Synodo universali gererent, deliberatũ. Inter Patres autẽ ubiq; cõvenit, & divinã & humanã voluntatem Christo inesse: scriptæ etiam gravissimæ litteræ ac eruditione plenæ, quas legati Constantinopolim perferrent. Privatas ad Imp. Agatho dedit, dignas Pontifice Max. Legatos vero designaverat S. Theodorum Archiepiscopum Cantuariensem, & Adriadum ad S. Petri Cantuariæ Abbatem, viros doctrina præstantissimos.

Paul. Diac. l. 6. c. 5.

Concilia adversus Monothelitas celebrantur.

Legati Constantinopolim causa mittuntur.

Atqui Theodoro à novis Christienis per tantum temporis abesse, haud religio fuit, quapropter munus hoc apud Pontificem deprecatus est, maxime quod partes suas in conficienda Monothelitarum hæresi desiderari haud passus esset, habito Can-

Cantuariæ Concilio. Nominati ergo Theodorus, Georgius Presbyter, Iohannes Diaconus, qui S. Agathonis partes agerent. Hisce Concilium Romanum, quod centum quinquaginta Patribus constabat, Iohannem Portuensem, Abundantium Paternensem, & Ioh. Rhegiensem Episcopos addiderat, Ecclesiæ Romanæ authoritatem sartam tectam & Concilii Præsides futuros. Pontifex etiam aliquot Monachos Romanos atque Siculos adjunxit, ut superioribus suppetias ferrent si indigere viderentur. Ingenti victoria compotes nostros è pugna illa discessisse, historici memorant.

Agatho Monachum professus est S. Benedicti.

Alphonsus Chaconius edita Pontificum historia, suo antiquiores vellicavit calamos, Agathonem Italum fuisse scribendo, patria Aprutianum, in valle Siciliana ortum: deinde (in quo gloria nostra vertitur) professione Equitianum. Si instes, ut in auditæ sententiæ authores prodat, tacet. Αὐτὸς ἔφα scilicet. Cum historici ea afferunt, quæ nota sunt, nemoque negat, haud equidem opus est producere testes: at si quis omnibus veteribus scriptoribus invitis novam sententiam ad suam incudem fingat, argumenta & testimonia producat, necesse fuerit: aliter illinere chartis cuivis licebit quidquid somniaverit, aut in mentem venerit. Hæc cum ita, nos Magistro Frat. Alphonso Chaconio, quovis præsidio nudo, Onuphrium Panvinum sistimus, pro nobis hocce testimonium ferentem. *Agatho, Panonii Panormitani Siculi filius, & Monachus, ex Presbytero Cardinale Summus Pontifex creatus est.* Deinde Platinam, annis Onuphrio superiorem: *Agato natione Siculus, cujus pater dictus, ex Monacho factus est Pont. Max.* Præterea Nicolaum Maniacucium Canon. Regularem ambobus antiquiorem (namque sub annum millesimum centesimum octogesimum scripsit:) is Summos Pontifices ordine in Versus redegit, quos Alexandro III. dedicavit. De Agathone hæc canit:

Onuph. an. 679.

Plat. in Agatone.

Nicolaus Maniacucius.

Scribitur hinc Agatho Siculæ regionis alumnis.

Produco etiam, qui priores omnes antecellit, Anastasium Bibliothecarium, cujus hæc verba sunt: *Agatho, natione Siculus, duos annos in Pontificali Cathedra sedit, menses sex, & quatuor dies.* Adstant etiam Trithemius, Arnoldus VVion; appelloque alios recentiores; qui Chaconium officio historici egressum, esse palam faciunt. Sed instar omnium sint illi quos adduximus, à quibus cæteri seriem & patriam Pontificum petere hactenus consueverunt, ut non injuria miremur, dissentire Chaconium à viris gravissimis, quibus orbis fidem habet.

Trith. vir. ill. l.3.c.15. VVion. l.2.c.2.

Sed magis nostra interest, cujus Ordinis Agatho fuerit.

Chaconius solus in Sancti Equitii familiam pertrahit obluctantem ac renitentem, nulloque auctore opem ferente. Nullam Regulam publicam à Sancto Equitio scriptam, neque Ordinem, qui hoc nomen tulerit, ab eo institutum, nos ad annum quingentesimum septuagesimum sextum ostendimus. Atque ut adeo Ordinem instituisset, jam inde usque ad Agathonem nostrum anni quasi ducenti elapsi fuissent, quo tempore Regula Sancti Benedicti per Italiam vulgata, Monachis jus dicebat in quam omnia Monasteria legibus privatis amotis jurarunt. Hinc Divus Benedictus Patriarcha & Pater Monachorum Orientis vocatur. Quocirca etsi daremus Chaconio S. Equitium condidisse Regulam atq; Ordinem instituisse, hoc tamen tempore quo clavo Ecclesiæ manum injecit S. Agatho, jam evanuerit oportet. Adhæc si anno sexcentesimo septuagesimo nono superfuerunt alumni Equitiani, unde conficiet Chaconius adnumerandum quoque Agathonem? Verumenimvero cedo, Chaconi, tabulas, vel unicum testem cita, & tibi concedemus. Nescio profecto quo casu in hunc errorem inciderit bonus vir, nisi ab alio quopiam nimis negotioso ipsius lucubrationibus fuerit additus. In hanc me suspicionem impellit, quod Arnoldus VVion illam ipsam Pontificum historiam legerit, nondum in lucem emissam, authorique Chaconio notam impegerit, quod ex Agathone Siculo fecisset Italum, Ordinis vero Sancti Equitii, nullam prorsus injecerit mentionem. Quis enim animum inducat non adhibiturum fuisse errori huic grandiori censoriam virgulam, cum ipse Agathonem exertis verbis Ordini Sancti Benedicti adscripserit? Accedit, Chaconium prius fato concessisse, quam librum suum edidisset, ut pronom cuivis sciolo fuerit partum posthumum hisce tribus verbis, *Ordinis Sancti Equitii*, augere. Sed nil attinet ulterius hæc disputare.

Eum Chaconius familiæ S. Equitii sine teste adscribit.

Tom. I. an. 567.

Si enim in Italia nullus Sancti Equitii
Ordo fuit, multo minus
fuerit in Sicilia.

***

An. Christi 680. An. S. Benedicti 200.

Monasterium Farfense in Sabinis.

Caput. I.

Antequam Monachos nostros Constantinopolim ad sextum Concilium universale proficiscentes prosequamur, ad Sabinos nobis visendum est. Hujus populi agrum Farfarus, quibusdam Fabaris, amnis secat, longe amœnissima ripa præcinctus, donec in Tyberim se se exonerat, unde Ovidius: *Et amæna Farfaris undæ.* Proximus huic collis antiquissimum Monasterium in Farfaro nomen, sustinet, cujus originem ad S. Laurentium Syrum referunt, qui suam secum sororem Susannam trahens, tam campi quam fluvii ingenio invitatus ibidem consederit: tum excitata æde Beatissimæ Virgini, nec non SS. Ioh. Baptistæ & Ioh. Evangelistæ sacra, vitam anachoreticam simul cum sorore duxerit. Illis igitur ætate exacta demortuis, cultum à Monachis Ascetrium fuit, donec irrumpentibus Gothis cum reliqua Italia eversum est. Neque servi Dei ex dissipato cursu amplius collecti sunt. Anno post orbe restitutum DC.LXXX. Agathone Pontificatum gerente, quidam Thomas eximiæ vir sanctitatis suscepta è Gallia in Italiam peregrinatione ad eum locum delatus, cœloque monitus è ruderibus fabricam eduxit, quæ etiamnum hodie durat non minus à religione quam antiquitate celebris. A Blondo, Leandro, Alberto, Volaterrano mire effertur à divitiis. Primus decem artium dominam fuisse, asserit. Insuper bibliothecam hujus Monasterii lectissimis libris fuisse fartam, unde prompti nonnulli in lucem postmodum prodierint. Non ultimum certe beneficium hoc est, ab Ordine S. P. N. Benedicti apud Orbem collocatum, quod infinitos libros Monachi nostri composuerint: deinde aliorum opera lucubratos, ætate autem perituros, describendo conservârint: Absque horum profecto industria fuisset, res litteraria ægre admodum restitui potuisset. Fas est Catalogum Abbatum S. Mariæ de Farfa tibi exhibere, viris eximiis plenum, quem Arnoldus VVion ex illius Monasterii archivo collectum, sibique à Constantino Cajetano, Monacho Italo transmissum affirmat.

Tenuis origo Farfarensis Monasterii.

Blond. descr. Umbria. Leand. in Umbr. Volaterran. l. 6. Commentar. Urban. Viris litteratis, libris, opibus præpolluit. *VVion. l. 3. 11. Sept.*

Abbates Farfensis Asceterii.

1. *Thomas* Fundator auctorque Monasterii, cujus præfecturam XXVI. annis gessit, eamque septingentesimo sexto, VIII. Id Septembris deposuit. Miraculis clarus fuit, habitusque pro Sancto.

2. *Hautsbertus*, præfuit Cœnobio VII. annis, V. mensibus, XX. diebus.

3. *Sacerinus Gallus*, Thomæ discipulus. Ad clavum sedit VI. annos, totidem menses, XVIII. dies Mortuus XIV. Kal. Iul.

4. *Fulcardus* ex Aquitania oriundus XIX. an. clavum tenuit, menses VI. dies VII. Excessit IV. Non. Decemb.

5. *Guandelbertus* Fulcardi parens, post unum annum ac septem menses Abbatia se abdicavit, reliquum vitæ ad S. Hippolyti, quod Monasterium Firmanæ situm est, aspera pœnitentia traducturus.

6. *Halanus*, qui annis IX. mensibus III. diebus VIII. in Abbatia consumptis, more Ordinis ac temporis ad S. Martini de Morella ædem secedens, vitam Eremiticam instituit. Mortuus V. Non. Martii.

7. *Probatus Diaconus*, Sabinus XI. an. IV. menses, V. dies rebus præfuit. Mortuus IV. Id. Aug.

8. *Rangabaldus Gallus* tenuit habenas tres an. VII. menses, XXIII. dies. Abiit ad plures V. Non. Martii.

9. *Alispertus Gallus*, Parisiis natus. Abbatis munus VI. an. X. menses, XV. dies functus, XV. Kal. Ian. concessit.

10. *Mauroaldus*, VVormatiensis, Franco, religione præstans, XII. an. Abbatem egit, menses IV. dies VI. Obiit VII. Kalend. Novemb.

11. *Benedictus*, vir insignis, X. an. fasces habuit, menses V. dies III. vitam cum morte commutavit III. Id. Aug.

12. *Ingoaldus*, integer vitæ, XVII. Martii vivere desiit.

13. *Sicbardus*, templum S. Salvatori statuit; in quo SS. Martyrum Hilarii, Valentini, & Alexandri lipsana condidit. XIV. annis, VI. mensibus, X. diebus Abbatis munere functus, vita defunctus est XIV. Kalend. Octobris.

14. *Hildericus*, rexit Monasterium XI. annos VI. menses, V. dies. Vivere desiit XIII. Septembr.

15. *Pretus*, Ludovico Pio Imper. Abbas.

16. *Iohannes.*

17. *Anselmus.*

18. *Theatus.*

19. *Nondobertus.*
20. *Spentus.*
21. *Vitalis.*
22. *Petrus* præf. rebus sub au. D. CCCXC.
23. *Iohannes II.*
24. *Runus*, post annum unum ab Hugone Rege pulsus.
25. *Ratfredus*, Hugonis Regis Nepos. XLIX. an. res administravit magno Monsterii commodo. Quo tempore floruerit, variat sententiam Arnoldus VVion.
26. *Campus*, cujus negligentiæ res prolapsæ sunt.
27. *Hildeprandus.* Cœtu religioso in studia contraria scisso, lectus contra contra Campum: unde magnum detrimentum cepit Monasterium.
28. *Dagibertus*, vir integer: quinquennium Abbas.
29. *Adam.*
30. *Sarilus.*
31. *Ioh. III.* vixit sub Othone Imp.
32. *Albericus*, Gregorio Papa V. Abb.
33. *Hugo.*
34. *Guido*, Hugonis propinquus, vixit sub Sergio Papa IV.
35. *Guidopertus*, vir bonus. Dignitati sponte renunciavit.
36. *Supo*, nobilis ac eruditus. Præfuit anno M. XXXIX.
32. *Almericus Vrsus.* Bene de Monasterio meritus.
33. *Berardus*, omnibus virtutibus ornatus. An. M. XLVIII. Abbas jussus. Anno M. LXXXIX. mortem obivit.
39. *Reinaldus* VII. mensibus, & IV. diebus in gradu stetit.
40. *Berardus II.* cognomento Florentiuus, an. M. LXXXX. lectus.
41. *Addo Longobardus*, miti ingenio præditus, à paruo puero in cœnobio eductus.
42. *Berardus III.* vir venerabilis. floruit tempore Henrici IV. Imp.
43. *Adenulphus.* Anno M. C. XL. provinciam adivit: ultra quem syllabum suum non extendit VVion, cum tamen reliqui facilè apponi potuissent, quippe viciniores. Itaque præter alios omisit Theodoricum, quem Clemens III. Antipapa dixit Cardinalem. Sed de hoc alibi. Præterivit etiam Cosmam de Melioratis, qui ab Vrsinis genus duxit, quem Sixtus IV. au. M. CCC. LXXX. Patribus purpuratis addidit. Vbi millesimum à natô Christo, quadringentesimum octogesimum primum attigit, animam efflavit. Ejus non absq; laude meminit Franciscus Sansobinus lib. I. de viris illustribus Vrsinæ gentis, c. XVI. Porro cum hoc Monasterium opibus præpollens fuerit, multis salivam movit, qui trita jam tuur Commendationis via penetrârunt, atq; domum Dei haud exiguo damno affecerunt. Quid enim tu expectes, obsecro, ab hoc genus Abbatibus Comendatariis, quos apud plus valet dives arca, quam bona disciplina? Præter aurum, quod avidis sacram famem acuit, permovit etiam vicina Roma, cujus gratia commode iter ultro citroque confici posset. Animadverterunt oppressi Monachi spem omnem esse in Congregatione: quapropter anno millesimo quingentesimo sexagesimo septimo ad Casinenses accesserunt, hodieq; ubi facti uberes ferunt fruct⁹. Abbates Commendatarii post tem devoratam, reddent rationes, Deus exiget ac pii Fundatores.

Iohannes Bertelius, Abbas Luxemburgensis, se ad hoc Monasterium flexisse, scribit, cum peteret Romã, & à Patribus accepisse, solos Alemannos admitti aut Gallos. Hæc tamen seu lex, seu consuetudo, videtur exolevisse, quod historicorum alii non faciant ejus mentionem. Fuisse tamen aliquando in more positum ut tyrones aliarũ gentium arcerentur, propemodum credimus, cum Thomas Abbas primus decemq; insequentes (uno excepto) patria Galli aut Alemanni fuerint. Ita passim Scotis fundata fuere per Galliam & Germaniam Cœnobia, in quibus aliis nationibus locus nõ erat. Tolomæus de Luca, Dominicanus, Carolum Neapoleos Regem anno M. CC. LXV. & anno M. CC. LXVIII. duo Monasteria condidisse, refert, quæ solis Monachis Cisterciensibus, è Gallia oriundis, paterent. Hujusmodi autem leges tempora mutant, quod nos Farfensi Asceterio usu venisse putamus. *Iohan. Bertelius Dial. l. 2. in S. Reg.*

CAPUT II.

Constantinopoli celebratur Concilium VI. universale, cui per legatos præfuit Agatho, Pontifex Max.

ANNO sexcentesimo octogesimo à salute parta sacra Comitia Agathonis Summi Pontificis authoritate Constantinopoli sunt inita, quæ inter Concilia generalia locum sextum obtinent. Episc. legationem obeuntibus additi Monachi sunt, doctrina conspicui, qui illis operam navarent siquæ difficultates explicandæ forent, quod ex litteris à Pontifice ad Imperatorem datis cognoscere licet. Idem acta Concilii docent, in quibus Patriarcharum & Episcoporum nominibus statim Monachorum Ecclesiæ Latinæ nomina subjiciuntur. Ple- *Concilio generali VI Constantinopoli habito, ad sunt Monachi Ord. Bened.*

risque Sessionibus subscripti sunt. *Theophanes Religiosus Presbyter & Abbas Monasterii de Bayas in Sicilia. Gregorius Presbyter & Monachus Monasterii Renatensis in antiqua Roma. Conon & Stephanus Presbyteri & Monachi Monasterii Arsiciensis in antiqua Roma, Sessione* XVIII. etiam nomen suum addidit *Leontius, Religiosus Diaconus & Monachus Monasterii Cellæ novæ in antiqua Roma.* Quam plurima Cœnobia olim numerauimus Romæ, non pauca tamen non modo rebus suis, verum etiam ipsa memoria exciderunt, Inter quæ Renatense & Arsiciense habeto. Id autem cui Theophanes præfuit, à S. Iohanne dictum, & non procul Panormo stetisse ferunt. Videtur Agatho Monachus quondam Siculus, patriæ aliquã duxisse rationem mittendo Theophanem, cujus auspicia Monachi cæteri sequerentur.

Cellæ novæ seu S. Sabæ Monasterium Romæ celebre.

Monasterii Cellæ novæ, cui etiam S. Sabæ nomen inditum est, meminit Baronius, deque viginti duabus Abbatiis, ab urbe præcipue celebratis, fuisse, asserit. Pontif. Max. rei diuinæ operanti viginti duos Abbates assistere consuesse, & cum illis etiam Cellæ novæ seu S. Sabæ Abbatem se se admovisse, Pompeius Hugonius affirmat. Monasterium esse longe antiquissimum ex eo intelliges, quod Ioh. Diaconus res à Gregor. M. gestas referens, aliquid de eo interspersit. Ad gloriam autẽ illius putamus pertinere, quod Adrianus Papa ad secundam Synodũ Nicænam (inter generales septima censetur) à CCCL. Episcopis imperante Constantino frequentatam, Petrum Archipresbyterum Romanum, & Petrum S. Sabæ Abbatem, suum pondus apud Patres habituros, miserit. Insuper Gregorius VII. Maurum S. Sabæ Abbatem cum S. Bonifacio Antistite diversis legationibus incumbere jussit, quibus obeundis Pontifici cumulatissime satisfecit. Hoc autem Monasterium fuisse nostrum, authores certum faciunt, nec non codex taxarum, ut vocant, qui ad teruntium refert, quantum æris unumquodq; Monasterium exemptum pro Bulla Pontificia pendere debeat. Verba tibi adnumero: *Sabæ de Vrbe. Ordinis S. Benedicti florenos trecentos.* Vnde Cellæ novæ nomen tulerit, non ita facile expedivero, nisi majoribus nostris visum sit, hoc Monasterium ab antiquissimo illo distinguere, Ierosolymis posito, quod S. Ioh. Damascenus incoluit. Atqui ne diutius te invitum teneamus, Cellam novam Cistercienses hodie habitant.

Baron. Mart. 5. Decembr.

Pomp. Hugon. de stationib. Rom. in S. Chrysogon. Ioh. Diac. l. 2. c. 9.

Greg. 7. ex decret. 10. 41. 46. 58.

Hodie Cisterciensium sedes est. Pomp. Hug. de Station. Rom. in Eccles. de S. Cruce.

Cæterum Patriarchæ, Archiep. Episcopi, Monachi, verbo, patres, in locum confluxere cui Trullo nomen, unde Synodus quoq; nomen traxit. Trullum Baronius pro tholo accipit, sub quo tantum negotium susceperint Patres, qui ad VII. Id. Novembris Concilium exorsi, octodecim vicibus convenere, quos congressus, veteres actiones, nos Sessiones vocamus. Certatum non corticibus, sed nucleis fuit. Sessione quarta recitata epistola Agathonis fuit, Ecclesiæ Summi Sacerdotis, qua manantem Monothelitarum hæresin fregit, ostendendo in Christo non modo naturas duas, sed etiam duas fuisse voluntates. Græci rogati postea in utram sententiam irent, in Agathonis, responderunt.

Monothelitæ ab Agathone fracti.

Quin vero Georgius ipse Constantinopolitanus Patriarcha, Theodori hæretici successor, Conciliorum testimoniis à Pontifice allatis victus, manus dedit. Solus Macarius cum paucis asseclis patrum antiquorum authoritate atque sententia sus deq; habitis, noluit porrigere herbam, & in Concilii sententiam descendere. In spem venerat Theophanes, victoriam ab obstinato se relaturum, quod Sessio VIII. exponit, ejusque argumenta sole clariora esse, Patres affirmârunt; attamen veteres ollas lavit. Suffraganei, cæterique Sedi Antiochenæ subditi, non ferentes hominis stolidam pertinaciam, sublata voce caput aliud imponi sibi postulârunt. Compotes petitionis sunt facti, Theophane suffecto, qui hæreticum triumphârat: nec est cur pluribus de hoc certum te faciamus, quam quod istredecim Actionibus (uti appellabant) Monachi nomen subscripserit, at quinque ultimis hæc verba subjecerit: *Theophanes misericordia Dei Episcopus Theopoleos, id est, Antiochiæ, diffiniens subscripsi.* Ad ultimum Macarius cum sociis Monothelitis erroris condemnatus denique proscriptus est. Pontifex, Imperator, Patriarchæ, Episcopi, laudibus in cœlum sublati: votis vocatus & invocatus bonus Deus, ut multos annos cum salute largiri vellet iis, qui ad tantam rem conficiendam suam operam contulissent. Ecclesia enim Græca nexu altero cum latina conjuncta fuit.

Theophanes Abbas Patriarcha Antiochenus creatus.

Theophanem ajunt quinque non amplius annis in gradu Patriarchatus versatum: Agathonem quoque ferme à principio initi Concilii magnam animam exhalasse. Fama nihilominus istorum Monachorum, ingenti labore parta, duratura æternum est. Agathoni anniversaria festa ad IV. Id. Ian. instaurat Ecclesia. Etsi enim ipsa virtus sibi merces sit, Bonum tamen Numen cælo terraq; adjicere solet gloriam pro præmio.

AN. CHRISTI 681. AN. S. BENEDICTI. 201.

VVamba Rex Gothus Purpuram mutat cum cucullo.

VVamba Rex Gothus officio in se & in subditos fungitur.

NVnc mihi Concilio œcumenico Constantinopoli ex animi sententia perfuncto, volupe est è Græcia trajicere in Hispaniam, præsertim cum VVamba Gothus res memoratu dignas gesserit.

Sceptrum à Proceribus oblatum detrectavit: ad extremum admovere manum cōpulsus, non modo salubres tulit leges, sed etiam belli artibus imbutus hostes suos fudit fugavitque. Erga subditos ea clementia est usus, ut non modo omnibus cum laude in ore esset, verumetiam exemplum, ut fit, conferentibus plerisque aliis Regibus VVisegothis anteponeretur. Ne tam boni principis diu copia esset, diabolus effecit. Etenim Ardebastus quidam gente Græcus, ortuque nobilis, fuga se se auferens, ad Cindasuindum Regem habuit receptum, à quo in aulam admissus tantam gratiam per obsequia inivit, ut is etiam neptem suam ei in matrimonium collocārit, rebus quoque additis, quibus alios magnates æquaret, alios superaret. Filium hic suscepit, (Ervigio nomen erat) qui postmodum Comes Palatinus renunciatus est, qui honos in spem altius grassandi juvenem erexerat. Vigilibus itaque oculis eos circumspexit, qui obicem sibi ad regnum tendenti ponere valerent, non ignarus Reges apud Gothos haud nasci, sed legi.

Recesuindus Cindasuindi natu major filius, exceptum à patre regnum jam tum cum vita posuerat, quod Theodosfredus natu minor nondum per ætatem capere potuerat: quocirca VVamba expertæ virtutis vir, Rex salutatus est.

Sed hoc fatis extincto, Theodosfredus, annis interea provectus, ad sceptrum authorandus erat. Nondum enim fratris genitorisque merita tempus deleverat.

Ervigius ad regnum per nefas adipiscitur.

Vbi sensit Ervigius (homo æque sagax & versutus) studia Principum & Ecclesiasticorum inclinare in Theodosfredum, nec alium, si quando vacaret solium, igneus ac ardens, posita omnium beneficiorum memoria, tam vita quam regno exuere VVambam meditabatur.

Opportunus ad nefas patrandum Theodosfridi pocillator visus, qui scyphum toxico dilutum VVambæ perfricta fronte porrexit: sensus ei illico ademit.

Dilapsis ad medelam quærendam palatinis, Quiricus Archiepiscopus Toletanus, cui cum Rege magna familiaritas intercesserat, omnibus momentis sibi imminendum putavit, ut deliquio animi solutum peccatis expiaret: tum sacro ferculo reficeret.

VVamba Benedicti habitu induitur.

Habitu interea S. Benedicti indutus est, an propria voluntate, an arte Ervigii, quod hac machina è regni solio dimoveri posset, non perinde constat. Defunctus nonnihil hac tempestate VVamba, graviter ingemuit. Viribus defecto incubuit sceleris author cum amicis, regno se abdicaret: designaret ocyus successorem, coronæ ferendæ parem.

Ervigius à VVamba circumventus Rex designatus.

VVamba ab Ervigio se veneno petitum nec somnians quidem, Ervigium jussit esse Regem, si proceres calculum probarent, neque suffragium regium rescinderent. Immo in solium assurgere Diplomate jussus Ervigius est spirante adhuc VVamba, cui sub noctem capillos in coronam formārunt, & raptim cucullum injecerunt. Agebatur Domini annus sexcentesimus octogesimus primus, mensis vero October.

Vt vero animæ quoque consultum Rex iret morti proximus, sacrum viaticum accepit. Ictus igitur toxicato poculo, tanquam fulmine, è profundo somno emersit die jam albescente: ex solio in lectum se translatum, cucullo amictum, denique à sceptro ad baculum redactum obstupescens, & servitiis forsan dissipatis, quod hoc genus hominum solem orientem adorare consueverit, occidenti terga vertere, nescivit quo appelleret.

Multis necessita pro virtute fuit; crediderim tamē æquissimo animo hanc tragœdiā tulisse VVambam, quandoquidem inientio cuspide ferri ad regni habenas capessendas olim adigi debuit. Quod quidem ad habitum Monasticum pertinet, facile intellexit cum purpura se curas quoque exuisse, quibus nemo gravius, quam Reges, premitur. Vt ut sit vero, volens aut nolens regium cultum cum eo sicut memoravimus permutārit, saltem nunquam deinceps posuit.

VVamba regno in Monasterium se removet.

Haud multo post ut turbis se eximeret, relicto Toleto Burgos contendit: inde Pampliegam ubi in religiosissimum Sancti Vincentii Monasterium se recondidit, properanti fato se paraturus. Sed cum ab amicis crebro appellaretur, quibus non præbere aures, parum humanum visum fuisset, Arlanzam in S. Petri Cœnobium secessit, à multitudine remotum. Quod hic revera vitam Monasticam egerit, To-

Tom. 1. anno 91.

mo I. fit super que, celtatum testimus. Idem confirmant Annales Monasterii, à Conlalvo Abbate, nec non historico regio scripti. Adhæc tumulus illius ac ossa intenta manu etiam hodie indicantur à Monachis, quibus monumentis perpetua fama, per majores ad minores usque traducta, accedit. Pondus quoque habere debet quod Rodericus Palentiæ Episcopus litteris prodidit, videlicet: *VVamba habitum Religionis assumpsit apud Cœnobium oppidi de Pampliega, Burgensis districtus; quod postea translatum est ad Monasterium S. Petri de Arlanza, ubi vitam immaculatam finivit.* Contumptus in hoc recessu septem annis, vivere desiit. Eum Arnoldus VVion miraculis clarum facit, sanctisque Regibus inserit, cui subscribere non audemus, cum de calculo ab Ecclesia dato nil nobis constet. Beatitamen ob singularem virtutem ac nominis famam accenseri, facile patimur, quo eum titulo Rex Alphonsus, cognomento Sapiens, in quodam Privilegio affecit, quod Sandoval. & Morales ex tabulario Toletano productum, ajunt. *Vidi privilegium, Don Alphonsi Regis*, inquit prior, *datum Palentiæ decimo tertio Aprilis, die Veneris, æra millesima trecentesima duodecima, in quo mandat ut corpus nobilissimi & beati Regis VVambæ transferatur Toletum, quod erat Pampliegæ in quodam Monasterio Monachorum nigrorum, dedicato S. Vincentio, ad introitum Ecclesiæ sepultum, juxta portam, cujus limen Ferdinandus Rex ipsius pater noluit terere, ne parum Regem illum venerari videretur, sed portam aliam aperiri jussit. Itaq; Toletum afferri corpus præcepit quod ea urbs fuerit, & nunc quoq; sit caput imperii Hispanici, illiq; VVamba dum viveret, multum detulerit.* Hinc æstimare potes quid Hispaniæ Reges de VVamba senserint.

Roderic. Ep. in vita VVambæ.

Roderic. Archiep. Tolet. l. 3. c. 6.

Moral. l. 12. c. 52. Sandoval in princip. Monast. Castellæ. §. 4.

Vbi vero hodie ipsius lipsana asserventur, certatur sententiis. Morales & Iohannes Mariana Toleti ad S. Leocadiæ condita esse putant, quæ sacra ædes Recesuindi Regis ossa quoque possideat. Philippum II. singulari pietate actum anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto utriusque mausoleum lapide structum revelasse. Scrutanti duas ligneas arcas oblatas, & in his ossa serico involuta: Epitaphia tamen desiderata fuisse. Credi autem, inquit Morales, sepulchrum quod à dextra est, Cindasuindum composuisse: quod à læva, VVambam. Hæc plerique historicorum per Hispaniam memorant. Nos uti à via trita abire non consuevimus, ita officio nos fungi arbitramur, si etiam sententias minus vulgatas quidem, non tamen vanas, apponamus. Dabimus igitur illa etiam, quæ Monachi S. Petri de Arlanza afferunt in medium. VVamba inquiunt, commoratus aliquandiu in S. Vincentii Monasterio, Arlanzam in S. Petri Cœnobium sa contulit. Hic vitæ scenam peregit: hic supremam diem obiit. (Fac, amice lector, authorum quos proxime adduximus, tibi in mentem veniat.) Quid ergo adeo causæ fuerit, ut non hic quoque terræ mandatus sit? Cur ad S. Vincentium Pampliegam eum remittere oportuit? Religiosi, quantumvis Regio sanggine orti, vel etiam Reges fuissent, ibi semper sepeliebantur, ubi mortem oppetierant.

Moral. l. 12. c. 52. Ioh. Mariana l. 6. c. 14. VVambæ lipsana Toleti ad S. Leocadiam condita, vero simile est.

Propius tamen vero est, Arlanzæ in S. Petri Monasterio repolita:

Incolæ insuper cum hospites excipiunt, sub fornice dextro templi sepulchrum ejus digito monstrant, ac insuper litteras exhibent, (evanescêtes illas quidê, ac propemodum visui elapsas, sed vero tanto similiores) quibus fidem ambigentibus faciunt. Aliquot abhinc annis ossa tumulo eruta inter sacras reliquias collocarunt, ut servi Dei memoriam refricarent.

Magnitudine ossa humana hodierna excedunt. Præterea, inquiunt Monachi, qui sibi persuaderi patiuntur, Alphonsum Regem ossa VVambæ Pampliegæ humata, inde eruta, Toletum trâstulisse, hujusq; rei diploma producunt, non omnino inanibus rationibus aguntur. Nam historici litteris prodiderunt, VVambam vitam Monasticam Pampliegæ colere instituisse: quocirca qui Regi suggesserunt eum ibi quoq; vixisse, certe, ibi mortuum, ibique sepultum esse crediderunt. Sed cum vero propius sit, hæc omnia accidisse Arlanzæ, ideo sepulchro quod hic monstratur, major quoque fides habenda. Nihilominus, ne nescias, sepulchrũ VVambæ etiam Pampliegæ digitis notant incolæ, in templi aditu situm. Atqui postea Castellæ Regum voluntate eâdem portâ occlusâ Mausoleum una cum venerandis ossibus in sinistrum latus pro Choro fuisse collocatum, constans provinciæ fama tradit. Itaque urbs regia Toletum eum sibi vindicat, veluti suum Regem: & Ordo Sancti Benedicti tanquam suum Monachum. Nos litem dirimere vix audemus. Sed hæc de VVambæ corpore: quod vero anima in cœlum perlata sit, inter omnes convenit ob heroicas virtutes quibus incubuit & conspicuus fuit.

Quamvis Monachi Pampliegæ abnuant.

Hoc anno etiam Quiricus Archiepiscopus Toletanus fato extinctus fertur. Nam historici post habitum Monasticum VVambæ Regi impositum nihil amplius de ipso memorant, sed Iulianum, qui ei successit, in theatrum producunt, quod etiam Concilia

faciunt.

faciunt. Nostra quidem sententia Quiricus iste S. Benedicto initiatus fuit eorum qui antecesserunt socius, atque Cyriacus qui octavo Concilio Toletano pro Abbate subscripsit, & Quiricus qui postea Concilio X. tanquam Episcopus Barcinonensis manum suam addidit: denique Quiricus in XI. Concilio Archiepiscopali mitra Toletana conspicuus, unus homo fuit, qui gradatim ascendit.

AN. CHRISTI 682. AN. S. BENEDICTI 1202.

Toletanum Concilium XII.

Concilium Toletanum Ervigio regnum affirmat.

QVOT capita, tot sententiæ. Sceptra, coronas, imperia, pro nihilo habuit VVamba. Ervigius regnandi causa jus omne violandum duxit. Præsenti anno Concilium indixit in v. Id. Ianuarii, cum VVamba primulum mense Octobri solio excussus esset. Animus erat superbo juxtaque suis rebus diffidenti ad sacramentum fidelitatis adigere sacros Præsules. Triginta quinque convenere Episcopi, præter absentium legatos: multi quoque proceres, parati cornua lunæ imponere elato capiti, confluxerunt, itemque Valdreudus, Florentius, Gratianus seu Gratingus, Faustinus, Abbates. Ervigius arduo supercilio se pariter inferens, productis litteris quibus à VVamba successor nominatus erat, ante alia regnum sibi confirmari, & à Iuliano Archiepiscopo Toletano inungi postulavit. Patres litteris inspectis, nulla, ut apparebat, fraude confictis vel corruptis, absolverunt regni incolas juramento, VVambæ quondam nuncupato, fidemque Ervigio suam affirmârunt cum regno. Hæc Capite primo Concilii traduntur.

Habitum religiosum, etiam in amentia sumptum, exuere vetat.

Atqui ille mali doli sibi conscius, & ne qua toxicatus succus efflueret, VVambaque sceptrum repeteret metuens, effecit, ut Capite secundo Concilii Patres statuerint, si quis habitum religiosum pœnitentiæ causa sumpsisset (quantumvis à sensibus alienatus) eum denuo exuere, vel ad pristinum statum redire nefas esset. Sed rem ab ovo narremus. Quamplurimi cum in gravem morbum incidissent, nec viderentur mortem evasuri, pœnitentiæ signa edebant, habitumque Monasticum poscebant. Ita enim mos in Hispania obtinuerat. Soluti vero morbis, rejecto cucullo priorem vitam repetebant, contra quos hanc legem sanxit Concilium:

Multos sæpe conspeximus, & in salute positos ultimũ desiderantes pœnitentiæ fructum, & rursus nimietate ægritudinis ita loquendi & sentiendi perdidisse naturale officium, ut nulla illis cura salutis suæ videretur inesse, nullo etiam pristinæ devotionis noscerentur desiderio anhelare: quorum tamen casibus confraternitas condolens, ita talium necessitates in fide sua susceperit, ut ultimum illis tribuatur viaticum, quod scilicet sine fructu pœnitentiæ non videantur transire à seculo, si forsitan respiciente Deo saluti pristinæ reformentur, agunt cautionibus variis & oppositionibus execrandis, qualiter à se tonsuræ venerabile signum expellant, atq; habitum religionis abjiciant, impudentissime asserentes ideo se nullis regulis Ecclesiasticæ disciplinæ sub hoc voto teneri, quia pœnitentiam non ipsi petierint, nec scientes acceperint. Quorum impudentia procax, & obstinata procacitas nequaquam talia diceret, si qualiter ad vitam per sacrosancti lavacri gratiam venerit, meminisset. Etenim parvulorum infantium vita originali peccato obnoxia, quæ nulli per ætatem discernendi vel expetendi sensui aptior judicetur, nisi sponsione fidelium Baptismi accipiant Sacramentum, nullo sensu, nulla etiam discretionis industria id appetere possunt. Unde sicut Baptismus, qui nescientibus parvulis sine ulla contentione in fide tantum proximorum accipitur, ita & pœnitentiæ donum, quod nescientibus illabitur, absq; ulla repugnantia inviolabiliter ij qui illud exceperint, observabunt.

Hic Canon sæpe nobis erit usui: in præsentiarum vero Ervigii ambitionem, deinde mordens animum scelus cognosce. Illi VVãba, gradu regio per nefas dejectus, semper ob oculos versabatur. Ideoque moræ impatiens perpulit Patres, ut hunc Canonem ferrent ocyus, sine quo ipse regni securus esse non posset.

Ita comparatum est plerisque qui ad gubernacula admoventur, ut telam ab antecessoribus suis textam, retexant, extructa solo prosternant. Toleti in Ecclesia Pretoriensi SS. Petri & Pauli, nec non in Monasterio de Aquis (sepultus hîc Pimenius est, Abbas simulque Episcop. Dumiensis) Episcopales Cathedras posuerat VVamba: Ervigius id egit ut per Concilium auferrentur. Satis apparet Patres à novo Rege voluisse inire gratiam, cætera non ignaros hujusmodi Sedibus in multis aliis Monasteriis esse locum, veluti Dumiensi; deinde in Monasterio S. Salvatoris de Leyre: S. Mariæ de Najara: Sancti Martini de Albelda, atque aliis per Hispaniam sitis. In Anglia fere omnes Ecclesiæ Cathedrales Monasteria Ordinis Sancti Benedicti erant. In Germania plurimi

Abbates munus quoque Episcoporum functi sunt.

Habitus qui damnatis ab Inquisitione injicitur, damnatis inquam pœnitentibus, San Benito appellatur.

Multos in admirationem rapit, quod habitus qui damnatis ab Inquisitione injici solet (etiam hæreticis) in Hispania, *Sanbenito* appelletur; cum Ordinis S. *Benedicti* scapulare Principes, Reges, Imperatores induerint, sibique gloriæ verterint. Morem hunc apud alias nationes forsan nec videas, nec audias. E multis tres saltem admittamus, qui sententiam dicant. Rei majorum criminum ex veteri Ecclesiæ instituto mutare vestes debuere, dum publicam pœnitentiam subibant. Decretum adi dist. 51. cap. 63. & 64. cui initium *Pœnitentes*, ubi lex ista statuitur: *Si autem comas non deposuerint, aut vestimẽta non mutaverint, ejiciantur.* Textus hic è Concilio Agathensi promptus est, quo etiam Burchardus ac Iuo sunt usi. Capite 64. ratio qua publica pœnitentia agebatur describitur. Nimirum primo jejunii verni die sacco cilicino involuti, pedes nudi, oculis in terram dejectis, pro foribus templorum stare solebant. Adhibitæ tum aliæ cæremoniæ sunt, quas longum esset recensere. Mos iste saccum cilicinum induendi diu viguit in Ecclesia, in quo pro scelerum modo pluribus vel paucioribus annis pœnæ dabantur.

Concil. Agatens c.15. Burchard. l. 4 c.27. Iuo p.5.c.17.

Ratio publicam pœnitentiam subeundi.

Authent. Vt nulli judicum collatio. Et Authent. Sed hodie, c. de Adult. Et Novel. 134. Ius Can. vo. ysis cap. dist. 50. & 81.

Nonnulli veras lachrymas fundebant: alii exprimebant, temporeque pœnitentiæ exacto, ivere in antiquam sylvam, prioribus peccatis nova adjiciendo. Quocirca Ius Pótificiũ simulq; Civile statuerunt, ut criminibus enormibus affines (præsertim publicis) Monasteriis includerẽtur. Pœnitentiũ porro habitus bonis verbis à sacris hominibus imbuebatur, unde *saccus benedictus* vocabatur. Ab hac origine P. F. Hieronymus Romanus Sanbenitos deducit, quod à sago vel sacco benedicto in Sanbenitum facilis fuerit inflexio. Vulgus enim ac tempus multa corrumpunt, sed imprimis vocabula. In aliam it sententiam Reverendissimus Pater *Antonius Perez.* Congregationis nostræ hodie Generalis, quam multi viri eruditi probant.

Origo nominis Sanbenito.

Hieron. Rom. l.5.c.18. Reip. Chrift.

Anton. Perez t.1. Ser. 2.

Aliunde originem deducit Perez, nimirum à Cruce decussata S. Andreæ.

Ecclesia Catholica, inquit, *hodierna die festum primi ac senioris discipuli Christi & consequenter primi Christiani celebrat, quẽ Domus Burgundiaca nobilitatis ac puritatis Christianæ protectrix, pro advocato Ordinis Aurei velleris elegit, insigniaq; sua sancti Apostoli cruce decussata distinguit. Videsis etiam Catholicorum Regum vexilla, Hispaniæ insignia præferentia, eodem modo per transversam S. Andreæ crucem dividi, quandoquidem Burgundia hodie ad Reges Hispaniæ pertinet. Hinc etiam provenit, quod sancta Inquisitio pœnitentibus, seu quos publica pœna & confusione afficit, habitum (Sanbenito appellant) imponat ejusmodi cruce Andreana insignitum. Per ironiam enim tali habitu producuntur, quasi boni, nobiles ac puri Christiani, cum improbi, ignobiles ac impuri habendi sint. Ita facio nigrum, sæpe Iohannem candidum, vel pessimam fœminam vocare optimam solemus. Cum igitur S. Benedictus pater ac patronus sit nobilitatis Hispaniæ quantum ad Ordines & habitus attinet de Calatrava, Alcãtara, de Christo, Avis, & Montesa, per ironiam atque antiphrasin vocamus San Benito saccum illum, quo S. Inquisitio suos pœnitentes induit, & pro malis atq; turpibus notatos cupit. Sic etiam cum S. Andreas, tanquam primus Christianus, pater ac patronus sit Ordinis aurei velleris, cui innocentia atq; nobilitas Christiana inesse debet, ejus crucem impiis ac infamibus reis addunt Inquisitores, &c.* Etsi hæ duæ sententiæ nemini non satis fecerint, nos tamen hanc tertiam anteponimus.

Gravium flagitiorum rei, olim in Monasteria immissi.

Videlicet, olim de magnis, iisque publicis sceleribus rei, cultu corporis mutato, in Monasteria, ubi luerent nefas, compingebantur. Is vero habitus ab eis sumebatur, quo Monachi illius loci utebantur. Ita mos in Hispania ante multa sæcula ferebat. Nam anno quingentesimo quadrages. Conciliũm Barcinonense hanc legem sanxit: *Pœnitentes capite raso, & habitu religioso induti, vitã in precibus & jejuniis consumãt.* Concilium IV. Toletanum statuit, ut tam viri quam fœminæ pœnitentes, si habitu rejecto se subducerent Monasterio, ab Episcopis ad Monasteria revocarentur, quod ipsis jam vere Religiosis pedem in mundum referre haud liceret. Deinde hujusmodi virgines, viduas, conjugatas, vocat Sanctimoniales, quasi à cæteris Deo sacratis vel different. Concilium VI. Toletanum in fœminas ac viros nobiles vehementer invehitur, quod posito capillo, vesteque mutata, Monasteriis se se recondant crimina sua expiandi gratia, postmodum levitate acti capillos denuo alant: habitum religiosum ponant: ad vomitum redeant. Itaque Episcopis negotium dat, ut fugitivos retrahant. Etiam in Concilio hoc anno celebrato apparet, quod Monasterio addici pœnitentiæ gratia, fecerit capere habitum religiosum cum corona, nec licuisse deinceps à tela incepta referre manum. Immo illos quoque religione teneri angustisq; Cœnobiorum finibus circumscribi voluit Concilium, qui extra judiciũ sua sponte habitum pœnitentium induissent. Cum autem historiarum peritis con-

Concil. Barcin. Can. 6.

Concil. 4. Tolet. C. 55.

Concil. 6. Tol. c.6. & 7.

Concil. 12. Tol. c.2.

stet, Or-

stet, Ordinem S. Benedicti, actis in Italia radicibus, omnibus se postea provinciis & regnis Europæ insinuasse, ut pleraque Monasteria ad ipsum pertinuerint, profectò in Monasterium ab Ecclesiasticis judicibus immitti idem erat, quod Conversum fieri, aut Donatum (uti vocamus) Ordinis S. Benedicti, criminaque admissa lachrymis eluere in Monasterio; quæ pœnitentiæ ratio adeo in more posita erat, ut Concilium Ovieti æra millesima centesima quinquagesima tertia, Præside Pelagio Episcopo celebratum, Canonem sanxerit, ut si qui è templis vel cœmeteriis quippiam sublegissent, vel Ordini S. Benedicti se submitterent; vel vitam Eremiticam instituerent: vel Ecclesiæ servirent, cui damnum intulissent. Itaque fuit, cum Hispania solius D. Benedicti Monasteria haberet, in quæ includi perinde erat, atque in Ordinem ejusdem redigi. Quod si hæc pœna gravibus de peccatis exacta fuit, quid de hæresi, perniciosissimo malo, cogitabimus? Nimirum ne venenum latius spargerent, Monasteriis pariter intrusos fuisse, ut cum habitu etiam errores ac mores mutarent.

Olim ab Ecclesiasticis judicibus in Monast. cōjici, idem erat quod Cōversum aut Donatum Ord. Benedicti fieri.

In Hispania aulici & quicquid hominum cultiorum est, nomina nationum vestibus imponere consueverunt, veluti Tudescos certum pallii genus vocamus, cujus usus frequens in Teutonia seu Germania. Bohemios appellant vestis genus aliud, quod induunt ut plurimum Bohemi: Sabojanas, nobilium matronarum Sabaudiæ cultum: Sic quoque mos obtinuit ut scapularia Ordinis S. Benedicti à nostra gente *Sanbenitos* nominarentur, quibus à judicum sententia publice pœnitentes induebatur, Monachisque adjungebantur. Vetus insuper consuetudo ferebat, ut scapularia ferrent Ordines militares: profecturi autem ad bellum, sumerent minora, (cujusmodi nos cubitum euntes collo injicimus) ut arma expedire atque tractare facilius possent: deinde ne cum veste religiosa etiam memoriam sacramenti, quod Deo dixissent, penitus exuerent. Hæc autē parva scapularia vocabant *Sanbenitillos*: majora, quæ conjecti in Monasteria capiebant, *Sanbenitos*, duravitque hęc appellatio quamdiu Ordo S. Benedicti solus incoluit Hispaniam.

Hieron. Rom. l. 7. c. 12. Rep.

Brevia scapularia quibus Ordines Militares utebantur belli, Sanbenitillos appellata.

Immo postquam plures Ordines in Ecclesia exorti sunt, rei piaculorum absque discrimine sacrarum familiarum in Cœnobia quidem compingebantur, hæsit nihilominus habitibus idem nomen, *Sanbenito*, quod nequetum exolevit, cum certæ domus pœnitentibus accipiendis extrui cœperunt. Monasteriis enim hæc pœnitentium turba gravis erat: unde Inquisitores aliter illis consulendum judicârunt. Habitus tamen colorem mutavit, notaturque hodie cruce Andreana, seu decussata, durante nomine *Sanbenito*: nimirum ut hæretici magnisque flagitiis obstricti tam ad rogum, quam ad malam crucem, se authoratos agnoscerent.

Intelligis, credo, hanc nostram de vocabulo *Sanbenito* sententiam à Conciliis, ab antiqua & per Hispaniam trita consuetudine, petitam, idcirco similiorem vero, quam nos longius persequuti sumus tibi ut constaret quo ritu olim pœnitentia vel sponte suscepta, vel à majoribus imposita, fuerit peracta, Rege VVamba nos ad hujusmodi latius exequenda provocante, qui nulli crimini affinis eundem habitum sumpsit, nec ante, quam vitam ipsam, exuit.

An. Christi 683. & 684. An. S. Benedicti 203. & 204.

Caput. I.

Concilium Toletanum XIII.

Sceptri Hispanici mutatio in annum sexcentesimum octogesimum primum incidit, nostra quidem sententia. Nam Recesuindus Rex, gente Gothus, anno sexcentesimo septuagesimo secundo, Kal. Septembr. concessit fato, VVamba regnum excipiente. Calculis ad istam rationem positis, Ervigius tempore à nobis notato Rex salutatus fuit, atque anno sexcent. octogesimo secundo à Concilio Toletano XII. ad coronam authoratus: ut proinde Synodum Toletanam XIII. in annum sexcentesimum octogesimum quartum recte referre videamur. Etsi vero Baronius & Loaysa in aliam opinionem descendant, non idcirco nos continuo de errore postulabis, antiquissimos Hispaniæ historicos sequutos. Deinde in nostram sententiam etiam it Morales, vir clarissimus, qui inter argumentorum pondera plurimorum scriptorum testimonia ponit. Interfuerunt quadraginta octo Episcopi: viginti sex legati: multi proceres: Abbates sequentes: Absalius, Faustinus, Ierontius, Castorius, Gabriel, Sisebertus, Felix, VVisandus, Vincentius, suorum Monasteriorum nomine. Episcoporum vice functi sunt Pacatus Abbas, Vicarius Sunifredi Episcopi Narbonensis: Freidebadus Abbas, Vicarius Valdebredi Episcopi Saragosani: Veremundus Abbas, Vicarius Clari Episcopi de Elna: Citruinus Abbas, Vicari'

Concil. Tol. XIII an 684 celebratum.

Baron. 683. Loaysa concil. Tol. 13. Moral. l. 12. c. 23. 53. 54.

Et multi Abbates subscripsere.

Stepha-

Stephani, Episcopi Carcasonensis: Audebertus Abbas, Vicarius Budiscalci, Episcopi de Huesca: Leopardus Abbas, Vicarius Xoteutini, Episcopi Vticensis: Vincentius Abbas, Vicarius Gaudentii, Episcopi de Valera. Aliquot ex his Abbatibus in Conciliis sequentibus redeunt, sed Episcopi facti. Suspicamur enim eosdem esse qui Conciliis prioribus subscripserant, sed altius postea evectos. Ita Faustinum hic videas Abbatem: & in Concilio XVI. Toletano Archiepiscopum Bracacensem. Potuit tamen alteri cuipiam hoc esse nomen. Itaque cum Ordo Episcopis & Archiepiscopis certis abundet, nil attinet incertos adsciscere. Immo S. Iulianum Archiepiscopum Toletanum, qui hac ætate floruit, è syllabo nostrorum hominum submoveo, quem tamen VVion hiante semper avaritia, thesauro S. Benedicti addidit. Felix, author vitæ ipsius, litteris quidem prodidit Ordini eum nostro cum Gudila, quo familiarissime utebatur, imprimis addictum fuisse, & cucullum io votis habuisse. Numinis tamen nutu aliud munus utrique fuit obeundum. Hoc concilio Reginis marito viduis altero connubio interdictū est ne sibi labem aspergerent, è regio fastigio ad sponsum longe inferiorem se se demittendo: deinde quod parum decere videretur secundæ nuptiæ. Quia Concilium III. Cæsar Augustanum sanxit, ut marito justis persolutis, quamprimum se abderent in Monasteria. Hinc tot Reginas, quæ S. Benedicto nomina dedere, numeramus. Quibus non tantum animi aut virium erat, ut passibus æquis cum ceteris Monialibus ambulare vellent, aut possent, excitatis in Monasteriis ædibus privatis, velum sumebant, officiisque pietatis reliquum vitæ conterebant.

Felix vita S. Iulian. in adn SS. Isidori. & Ildefons.

Concil. 13. c. 5.

Reginæ viduæ in Monasteria se recipere jussæ.

Concil. 3. Cæsar Augu. c. 4.

CAPUT II.

S. Benedictus Papa II.

Agathoni anno sexcentesimo octogesimo secundo humanis exempto, successit Leo II. post quem Cathedra S. Petri Benedictum II. accepit, qui brevi tempore res maximas gessit. Civis Rom. fuit, Ecclesiæ Lateranensi à patre traditus, ubi bonis litteris imbueretur, quas avidissime imbibit. Multi Historici eum S. Benedicti alumnum fuisse affirmant, quos Arnoldus VVion nominibus ciet.

Fasti Benedict. Leonem 2. ad 4. Kal. Iul. exhibent.

Hugo Menardi in Martyrolog. 28. Iun.

VVion l. 2. c. 3.

Chacon. in Benedicto 2.

Alphonsus Chaconius Benedictum Canonicum Regularem Lateranensem fuisse, asserit, quod forsan legerit eum ad S. Iohannem Lateranensem eductum, ac litteris institutum, ideoque S. Benedicti familiæ duxerit inserendum. Etenim Cotinensi Monasterio à Longobardis verso, Monachi Romam celerem fugam intendentes, æde S. Iohannis in Laterano à Pelagio Pontifice Max. excepti sunt: unde Historici veteres novique Monasterium ipsorum Lateranense dixere. Excultus doctrinæ cum virtute, maturusque summis negotiis explicandis, creatus S. Presbyter Cardinalis: præsenti vero anno Pontifex Max. lectus. Animus ipsi veri patris erat: suavis, benignus erga omnes visus, imprimis vero pauperes summa liberalitate complectebatur. Publica urbis opera, ac inter hæc templa S. Petri Apostoli, S. Laurentii Martyris, S. Valentini via Flamminea, S. Mariæ Rotundæ, magna impensa instauravit, ornavit, auxit. Bonum factum. Nam Pertaris seu Bertaris Longobardorum Rex, quasi his exemplis certamen pietatis provocatus, Parthenona Papiæ ædificavit, qui S. Agathæ dedicatus fuit. Rodelinda Regina eodem modo excitata, insignem basilicam extra mœnia posuit, quam S. Mariam ad perticas dici jussit.

Benedictū a. fuisse de familia D. Benedicti, multi tradūt.

Instauravit templa.

Plat. in Bened. 2.

Paul. Diac. l. 5. c. 34. 35.

Forte fama ad Constantinum Pogonatum seu Barbatum, Imp. Constantinopolitanum, pertulerat, quam S. Benedictus Pontificatum gereret: quocirca ei remisit tributum, à renunciato quovis novo Pontifice pendendum. Insuper honorem adire non licabat prius, quam Orientis Imperator suffragiis Romanis etiam suum calculum adjecisset. Iugum hoc alterum à cervicibus Summorum Ecclesiæ Antistitum etjam removit Benedictus. Adeo enim in potestate habuit Constantinum, ut sequuturis Pontificibus officio fungendi copiam feceris simul electi fuissent, non redditą: Imperatoribus Constantinopolitanis, vel Exarchis (vicem Imperatorum in Italia gerentibus) suffragiorum ratione. Oppressa eousque Pontificia Majestas, non ausa fuit verticem tollere: atqui indigno prorsus jugo hoc cervicibus Ecclesiæ Dei opera S. Benedicti II. adempto, mirum est quam religione, opibus, potentia creverit, eoque magnitudinis pervenerit, ut Romani Pontifices deinceps cum opus fuisset, Reges, ipsosque Imperatores exauthorarint. Libertatem proinde suam Benedicto II. S. P. N. Benedicti alumno, in acceptis ferre debet Ecclesia Romana. Vndecimo mense quam Pontificatum inierat ad Superos evasit. Notatur in sacris fastis ad Non. Maii.

Electionum Sum Pontificum in libertatem asseruit.

A quibusdam 8. vel 9. menses Pontificatū gessisse fertur.

Martyrolog. 7. Maii.

Tam brevi temporis spatio multas edere

decretales, non potuit Loaysa Archiepiscopus ad finem decimiquarti Concilii Toletani unam profert, Petro Notario Regionario scriptam, quem Leo legatum miserat in Hispaniam; alteramque ad Ervigium Regem datam, in quibus id agebatur, ut coacto Concilio Monothelitarum hæresis, quæ Ecclesiam populabatur, sociatis viribus opprimeretur, & sexta Synodus Oecumenica apud omnes incolas regni valeret. Negotium ex sententia Optimi Pontificis confectum est.

Caput III.

Bellis Civilibus agitatur Gallia.

Civilibus bellis ardet Gallia.

In bella civilia itum à Gallia est, quorum causâ an. sexcentesimo septuagesimo primo exposui, quo Theodoricus III. Clodovei & Bathildæ filius, sceptrum capessivit. Clotario, majore natu fratre, demortuo, Childericum inter ac Theodoricum de summa rerum acriter pugnatum est: victoria à Childerico stetit, qui germanum fratrum ad S. Dionysii induere Monachum, fusumque sanguinem lachrimis eluere compulit. In simili navi etiam Ebroinus regnante Clotario Majordomus, remos ducere debuit. Is enim spiritus Theodorico ad arma capienda suggesserat: quapropter in Luxoviense Cœnobium intrusus est. Childerico per scelus perempto, proceres è claustro eruerunt Theodoricum, & solio imposuerunt, Doda illi in matrimonium collocata. Inde Leudesius, vir illustris, Majordomus est dictus, à quo belli pacisque momenta pendebant.

Ebroinus ex cucullo & Luxoviensi Monasterio se effundit.

Hoc audito, circumspicere cœpit Ebroinus, qua se ejiceret è Luxovio, honoresque pristinos adiret. Neque enim ex cucullo se se subducere, homini religio erat, quem vi subactus induisset. Ultimo erupit, cui se statim amici, asseclæ, facinorosi, & rerum novarum studiosa turba junxerunt, impotentem ambitionem gnaviter intendentes. Ubi viam sibi ad veterem gradum haud patere sensit, ferro aperire statuit. Manu valida improbo labore contracta, in Leudesium duxit, summa celeritate copias agens ut occuparet securum, nec caruit consilium successu. Nam intercepit incautum Leudesium, mactavitque. Quid enim non desigπet desertor Monasterii? Parta nobili hac victoria Ebroinus, ærario regnique viribus captis jura dare solus cœpit, pro Rege se gerens, cujus fastum cum pridem fastidirent Austrasiæ seu Franciæ Orientalis proceres, Pipinum S. Arnulphi & S. Pipini de Nivela nepotem, ac Martinum S. Clodulphi filium, Pipini cognatum, viros undique magnos, rerum summæ præfecerunt. Iunctis igitur copiis imminentem Ebroinum adorti sunt. Diu æquo Marte pugnatum est: ad ultimum superior tyrannus evasit, ad antiquos belli duces comparandus, nisi nimio fastu ac perfidia famæ suæ labem imposuisset. Martinus cum Pipino pariter in fugam actus per speciem amicitiæ componendæ invitatur ad congressum: interposito bonæ fidei juramento non violatum iri, tendit ad hostem: ab hujus servis interficitur. Pipinus vero alieno periculo, cautus factus, rebus omnibus relictis, concitato equo se abstulit. Hoc tyranno imperante S. Philibertus multa passus est: S. Amatus Archiepiscopus Senonensis, proscriptus: S. Lambertus & S. Leodegarius Monasteriis sigillatim inclusi: posterior acerbo quoque supplicio affectus.

Bello petitur: sed malus bonos vincit.

Paul. Aemyl. in Theoderic.

Caput IV.

S. Philibertus Gemeticensis Monasterii Fundator.

Sur. 20. Aug.

Natus & eductus est Philibertus in ditione Helisana, cujus patrem Philibandem viduum incolæ Episcopum poposcerunt, qui filium bonis artibus jam excultum Dagoberto Regi commendavit, in cujus aula ad morû elegantiam se componeret. Audoënus Cancellarius (postmodum Rothomagensis Pontifex) admissum usque ad intimam amicitiam juvenem, pietate in Deum imbuit: Contritis in mundo viginti annis, ingens cupido animum subiit, removere à se omnia: tum se Deo devovere, ne palatino fumo evanesceret. Resbacensi Monasterio, quod S. Audoënus fundârat, Agilum, virum sanctissimum, Luxovio accitum, præfectum esse intellexerat. Huc ergo vestigia convertens, suavi jugo Christi cervicem subjecit, pauperibus, quos ditavit, multis eum laudibus prosequentibus. Monachis insertus incredibile dictu est quanta solicitudine in omne genus virtutum incubuerit, ut in ipso quoque tyrocinio non tantum in exempla majorum iverit, sed jam ipse exemplum esse potuerit. Iussus in prima mensâ discumbere, rogavit ut sibi potius apponere aliis cibos liceret. Defunctus officio ita parce prandebat ac cœnitabat, ut nunquam non obmurmurârit manis à mensâ stomachus. Cum tamen aliquando largius indulsisset cœnulæ, famemque

S. Philibertus à S Audoëno instituitur.

Iuvenis Monachus magna sanctitatis specimina edit

memque penitus exegisset, hem tibi furvus diabolus noctu dormientis ventrem pulsans, *modo hîc bene*, dixit, *modo hîc bene*. Excussus somno Philibertus, inscripta pectori cruce, cacodæmonem abegit: consueta jejunia repetivit. Fuit etiam ut noctu tenderet in templum, sacras vigilias obiturus, & diabolus ora pellemque ursi indutus se in ipso templo obviam ferret, venientem in fugam acturus. Nocte alia correpto candelabro adventantem adortus, cuspide ferri, quo id præfixum erat, necem ipsi intentavit. Itemque nocte alia limen ipsum occupans, negavit se passurum, ut Philibertus se se inferret: at hic ducta cruce omnes vanissimi præstigiatoris artes elusit.

Saturum aliquando ludos fecit diabolus.

Successit S. Agilo.

Postquam beatus Aglius seu Agilus obdormivit in Domino, inquit author vitæ ipsius, *fratrum unanimi consensu Philibertus in ejus locum subrogatus est, quem tum videre licebat humilitate pollentem, hospitalitatis studiosum, abstinentiæ deditum, prudentia eximium, charitate ferventem, zelo Dei inflammatum, domum ipsi creditam strenue regentem, nullius personam accipientem, vitia reperta radicitus extirpantem. At vero quidam è fratribus maligno spiritu eos impellente excitata rebellione adversus sanctum virum, eum non dubitârunt ex Ecclesia extrahere. Sed ultrix manus præpotentis Dei non passa est impune id abire. Unus enim ex eis fulminis ictu interiit. Alius instar Arii in sterquilinium viscera effudit, indignamque vitam digna morte finivit. Quæ res cæteris metum attulit, ut veniam ab illo petentes, in pristinum honoris gradum eum revocarent, & deinceps amanter ei obedirent*

Consumptum penum restituit.

Afflicti fame pauperes, qui Monasterium perpetuo obsidebant, aliquando omnem penum exhauserunt. Imminebat prandendi hora, sed panis in promptu non erat qui Monachis poneretur. Tristes Philibertus sedulo confirmans, Scriptum est, dixit, *Non afflicturum Dominum fame animam justi*. Sub hæc fores pulsat Francus quidam, annona onustus, qua illata licuit corpora curare. Forte inciderat negotium apud Ebroinum Principem conficiendum, sed aptus huic rei frater ex febri laborabat, cui Philibertus, age, dixit, febricitare desine, & Monasterio nostro hanc & hanc in aula operam nava. Ægrotus incolumitate subito donatus, in viam se dedit, quodque Antistes cupiebat, confecit. Aliquando Lutetiam iter susceperat componendæ cujusdam controversiæ causa. Chirothecas neglectim depositas conspiciens civis, sublegit, at non tulit impune. Occulto enim igne flagrans, horribilem vocem edidit, ardere se, clamitans, & crebro verbere sinum plaudens. Paulo post animam efflavit. Familiares deprehensas in sinu chirothecas Philiberto restituerunt. Quidam Monachus lethali tenebatur morbo, viribusque defectus brevi videbatur excessurus; nam nec lingua quidem officium amplius facere poterat. Solicitus Antistes pœnitentiæ illum admonens, manum meam fili, preme sis, clamavit, si quod peccatum sacra confessione nondum expiasti, sed adhuc conclusum pectore geris. Æger quantum valuit porrectam dexteram compressit: pius pater in Beatissimæ Virginis ædem præceps abivit: ut misero peccatori linguam expediret, Deum majorem in modum oravit. A supplicibus precibus se attollenti nunciatur, fratrem elinguem verba edere, & cupere peccatum occultum confiteri. Exhomologesi peracta, puram sceleris animam exhalavit. Dies erat Dominicus, Philibertus vero aberat à Monasterio. Ut igitur rem divinam in Monasterio facere posset, cum ventum est ad Sequanam, dimissis equis navi se cum fratribus commisit. Hoc vicinæ sylvæ præfectum advertit, qui proinde Antistitis equum abegit: sed heu! noctu omnem suam domum flammis involutam vidit. Excitata uxor trepidare, ac percunctari num quid è rebus servorum Dei sibi vindicasset? quo fatente, sine mora equum suo Domino reddiderunt. Nosocomii præfectum nescio quis morbus corripuit, ut munus suum obire nequiverit, Amantissimus pater ad eum visens, habe bonum animum fili, dixit: confide Deo, & salvus sis: Surge, inquam, ægrotisque fratribus operam da. Ille parta mox valetudine viribusque refectis, in valetudinarium se restituit: ægrotos salvere jussit: iterumque ad vetus ministerium se se accinxit. Accumbenti ad mensam suggestum fuit, quendam è Monachis ardere febri. Is buccam panis oleo imbutam laboranti misit: calorem restinxit.

Prov. 10.

Febri Monachum levat.

Caro stant fura S. Philiberti Chirothecæ.

Alii fatia proximo linguam in confessionem expedit.

Etiam aliis salutem fert.

Quemadmodum apes hortos & prata pererrant, ut conficiendo melli flores legant, ita Philibertus Galliæ, Italiæ, Burgundiæ Monasteria, præsertim Luxoviense, Bobiense, ac alia à S. Columbano profecta, obivit, ut quicquid imitatione dignum esset, in Monasterium suum transferret. Porro ut suave jugum Christi pluribus imponeret, Clodoveo Regi & Bathildæ ejus Conjugi supplex fuit, ut in pago Rothomagensi, (vulgo Gemmeticum appellabant) Cœnobium ponere liceret.

Annuente Clodoveo locum cepit, insigne Monasterium ædificavit, quod ducto à gemmo nomine, Gemmeticum dictum; cujus situm obsecro ex authore rerum à sancto Philiberto gestorum cognosce: *Videas illic arborum comas sylvestrium, multigenos arborum fructus, solum fertile, prata virentia, hortorum flores suaveolentes, botris gravidas vites, humum undique cinctam aquis, pascua pecorum uberrima, loca venationi apta, avium cantu circumsonantia. Sequana fluvius illic cernitur late ambiens, & deinde suo pergens cursu uno duntaxat commeantibus aditu relicto. Ibi mare nunc increscens eructat, nunc in sinum suum revolutum, navium fert compendia, commercia plurimorum. Nihil illic deest, quicquid vehiculis pedestribus & equestribus, plaustris & ratibus subministratur, abunde suppetit. Illic castrum condidere antiqui: ibi stant in acie illustria castra Dei, ibi præ desiderio paradisi suspirantes gemunt, quibus postea non opus erit in flammis ultricibus nihil profuturos edere gemitus. Ubi denique almus Sacerdos Philibertus multiplici est laude efferendus, qui instar Patriarchæ Iacob in animabus septuaginta demigravit in Eremum, addito grege septemplici propter septiformem gratiam Spiritus Sancti. Ubi enim ejus prudentia construxit mœnia quadrata, turrita mole surgentia, claustra excipiendis adventantibus, mire opportuna. Intus domus alma fulget, habitatoribus digna. Ab Euro surgit Ecclesia Crucis effigie, cujus verticem obtinet Beatissima Virgo Maria. Altare est ante lectuli fastigium cum dente sanctissimi Patris Philiberti, pictum gemmarum luminibus, auro argentoque comptum. Ab utroque latere Iohannis & Columbani aræ dant gloriam Deo. Adhærent vero à Borea Dionysii Martyris & Germani Confessoris aedicula. In dextra domus parte sacellum nobile extat Sancti Petri, à latere habens Sancti Martini oratorium. Ad austrum est Sancti viri Cellula, è petris habens margines. Saxis cinguntur claustra camerata. Habet autem ipsa domus in longum pedes ducentos nonaginta: in latum quinquaginta.*

Situs Gemmeticensis Monasterii amœnissimus. Sur. 20. Aug.

Porro cum Gemmeticense Monasterium accipere plures Monachos haud posset, (nongentos numeravit) essentque virgines quæ ad vivendi normam ita sanctam vehementer adspirabant, Parthenona aperuit, cui Pauliaci nomen imposuit, eique Austrebertam, illustri familia ortam, præfecit. Gemmeticensis Cœnobii habenas ipse capessivit, de quo Iacobus Meyerus hæc litteris consignavit: *S. Philibertus, primus Abbas Gemmeticensis discipulum habuit S. Aichardum. Fuit hoc Monasterium situm in Nordmandia, ædificatum à Philiberto, Clodoveo Rege, & Bathilda Regina adjuvantibus. Invenio etiam S. Aichardum nonaginta Monachos habuisse præter eos quos vocant familiares ac servos, quos si addas, numerum ad mille & quingentos produces* &c. Hinc conjicias quantis opibus instructum fuerit hoc Monasterium, quarum bonam partem captivis in libertatem vindicandis impendit Philibertus. *Longum est enarrare per singula*, inquit conditor historiæ sancti viri, *quantumque ipsius opinio creverit, ut etiam Abbates alii sua Monasteria relinquerent, vel probatissimos Monachos suos ad eum ablegarent, ut multo tempore apud eum degentes, ejus vitam & conversationem discerent sicque ad suos reversi rectius illis consulere possent. Eos omnes vir Sanctus & in fide vera instituebat, vel confirmabat, & ut mutuam inter se synceramque charitatem retinerent, admonebat. Multa tum et pecunia à Rege & fidelibus offerebatur, cujus ille decimam partem inde sibi detraxit. Cumque id anno integro fecisset, semper ei plus pecuniæ accessisse comperit, quam ipse inde abstraxisset. Eas vero decimas captivis redimendis & alendis pauperibus assignabat, idque adeo liberaliter, ut etiam Monachos suos cum onustis navibus in regiones transmarinas mitteret, qui illic captivorum greges redimerent.*

Fulbert. 15. Septemb. 9. Sur.

Meyer. an. 1142.

Clodoveus Rex & Bathilda Regina Philiberto Gemmeticense Monasterium molienti multum fortunarum contulerunt.

Alii Ordines Religiosi in certas feruntur metas, nec plus ultra tendunt. Unus soli contemplationi est addictus: alius eo collimat, ut vinctos, & siqui alii in servitutem inciderunt, in libertatem asserat. Est cui omnem ætatem cura salutis alienæ auferat: alius nosocomia frequentat, & variis morbis depositos omni obsequiorum genere prosequitur: at Magnus Pater Benedictus latissimum suis filiis campum aperuit, per omne exerciriorum bonorum genus ituris, nec una orbita decursuris. Leges enim tulit quæ nullam non admittunt perfectionem. Vel cedo, an non ipse hucusque animadvertisti, quosdam ordinis Sancti Benedicti Monachos se se in Eremos summovisse, ut cœlestia contemplando rem tenerent? alios sublatis fidei Christianæ signis, infinitos mortales apud Luciferum stipendia facientes, dictis, factis, adduxisse, ut Deo vero Sacramentum dixerint, cujus exemplum

Regula S. Benedicti omnes perfectiones amplectitur, ad quas alii Ordines sigillatim adspirant.

ipse S. Patriarcha in Monte Casino prævit, de quo D. Greg. l. 2. Dial. *Contrivit*, inquit, *idolum Apollinis*, *succendit lucos*, *subvertit aram*, *& commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continua ad fidem vocabat*. Item alios vel adjuncta Monasteriis vel vicina iisdem nosocomia obivisse, & quicquid ibi negotii erat, diligentissime perfecisse? Quod aliqua etiam Cœnobia sumptus magnos in captivos fecerint, palam est. Cæterum post D. Benedictum multæ Religiosorum natæ familiæ sunt, quarum unaquæque tamen certum & singularem petit scopum, in quem aciem ac vires intendat. Sed cum priscis sæculis Ordo S. Benedicti omnibus se se insinuasset provinciis & regnis, vixque ulla alterius Ordinis essent Monasteria, divinæ providentiæ fuit promulgari Regulam, quæ omne punctum ferret: quæ cuivis hominum generi satisfaceret. Insuper Monasteria nostra, à nulla tum Congregatione pendentia, etsi ad normam à S. Benedicto ductam vitæ rationes componerent omnia, singula tamen locorum quoque in quibus degebant habuere rationem incolas ad fidem, vel frugem reducendo, & aliter atque aliter de mortalibus bene merendo. Ita Gemmeticense Asceterium in ora maritima situm, de paganis à sincera fide alienis, nec non de captivis bene mereri, summo studio contendit, posterius munus multo post Ordines SS. Trinitatis & de Mercede sibi sumpserunt.

Caput V.

Austreberta, è Regibus Galliæ & veteris Alemanniæ oriunda: Parthenonis Pauliacensis prima Antistes.

Sur. 10. Feb

Badefridus, inter palatinos Dagoberti facile princeps, ducta Framehilda, regio sanguine orta, diu sobole caruit. Frustratus igitur aliquot annis, supplex cum conjuge bono Deo fuit, ut ex felici cætera matrimonio, etiam aliquem fructum decerpere liceret. Non vanæ fuere preces. Nam angelus cœlo lapsus suggessit matri; editurum filiam, quæ non tantum genus eximiis factis nobilitaret, sed etiam in Ecclesiam Dei magna commoda ferret. Ergo tollitur Austreberta, Morinensium decus, quæ nondum decem annos nata, futuræ sanctitatis magna specimina dedit. Omissis enim nugis, quibus ea ætas duci consuevit, statis, horis in laudes divinas incumbebat, aliis Monasteria, aliis templa visebat, quibus exercitiis jam ad divinas nuptias initiabatur.

Austreberta à teneris pietatem colit.

Aliquando se apponans, pellucidum fontem inspexit, caputque suum velo Monastico aptissime intectum esse vidit. Intellexit à Numine se admoneri, ut sæculares vestes cum religiosis commutaret, atque nuptiis longum valere jussis, Christo virginum sponso se dicaret: nec aliud deinceps quam Monasterium animo versavit. *Aliæ* fœminæ *considerant vultum nativitatis suæ in speculo; abeunt, & statim obliviscuntur quales fuerint*. Videlicet legem cœlestem avidis auribus imbibunt, ad rem tamen minime conferunt. Inter hæc tamen parentes non successuras nuptias moliebantur, etsi filiam abhorrere animadverterent. Illa capto secum consilio, è paterna domo elabens, S. Audomarum, Episcopum Tarvanensem, vestigavit, à quo sacrum velum acciperet, & adversus parentes, importune maritum obtrudentes, defenderetur. Posthæc fratris minoris dextram complexus, negotium alicubi expediendum sibi simulans, rogavit ut se comitem adderet. Ventum est ad Quanciam, fluvium, ponte quidem junctum, sed qui tunc ob aquarum inundationem superari haud posse videbatur, quippe undis mersus. Austreberta, quæ jam noverat piorum votorum vires, Deum calidissimis precibus adivit, orans sibi ut opem ferret. Suspicabatur enim se domi jam desiderari, ac missos per quos è fuga retraheretur. Sensit subito stimulos sibi admoveri ad pontem aggrediendum: nec mora imponit pedem, procedit, alios etiam in ripa stantes, spectaculo intentos, ut ductum & auspicium suum sequi velint, invitat. Hi simul in pontem ruunt, quos liquida aqua exceptos non secus, quam terra firma tulit.

In pellucido fonte capus suum velo intectum conspicit.

Iac. 1.

Edito crucis signo fluvium transmittit.

Tandem S. Audomaro deprehenso adventus sui causam exposuit: sacrum velum vehementer etiam atque etiam flagitavit. Antistes tanto intervallo virtutem Virginis anteire ætatem obstupescens, Numini ipsam sacravit: facturum se quoque promisit, ut fugitivæ ignoscerent parentes: denique Monasterii ingrediendi copiam ne denegarent. Præstare enim putabat, ut de hoc consilio filiæ certiores fierent parentes. Proinde simul ineunt viam: sermonem parat Audomarus, quo irritatos patris ac matris animos componeret, sed nil opus erat verbis. Versi enim in amplexus & oscula haud ægre veniam dedere tam bonæ filiæ, quæ non animi quadam levitate, sed sacri veli amore acta, aufugisset. Domi adhuc aliquandiu hærendum fuit, donec parentes assiduis precibus fatigati, in Monasterium,

Velum à S Audomaro capit.

cui

cui porco nomen, anhelantem comitantibus fratribus dimisere. Loco præerat Burgofleda, magna sanctitate fœmina. Nova Monialis non modo Abbatissæ, verum etjam sororibus universis se submittens, vilissima quæque officia captabat. Paucos annos in mundo absumptos, longam moram appellare solebat, felicissimas ducens eas, quæ se prævenissent. Vigiliis, orationibus, jejuniis jam antea assuetæ, vix ullum negotium facessivit rigor disciplinæ.

Priorissa fato extincta, in locum succedere jussa est. Non honore se auctam, sed necessitatem sibi impositam rata vitam sanctius instituendi, prima rerum omnium esse: singulis se postponere: peccatis omnes aditus occludere: admissa haud dissimulare, sed quamprimum plectere; ne longa mora longiores radices agerent. Mos hujus Parthenonis ferebat, ut Moniales ipsæ farinam subigerent, panesque conficerent. Austreberta ordine tacta quam diligentissime fecerat officium; atqui ancilla quæ operam ipsi navabat, forte neglectim scopas suspenderat, quas ignis corripuit combussitque. Cum nihil præ manibus esset, quo furnum prunis sparsum verrerent, Austreberta ducta cruce se immisit manicis suis pro scopis usa, & hem! favillæ scintillantes, & fluctuans in furno æstus nec capillos ejus, nec manicas, tantillum, violavit; Illa hiantem præ stupore ancillam vehementer rogavit, ut miraculum silentio premeret; non tamen impetravit. Multa passim Monasteria, præsertim in Neustria, condiderat Philibertus, ut quam plurimos mortales ad servitium divinum induceret. Ictus fama Austrebertæ, Pauliaco insigni Parthenoni eam præficere constituit, sed illa evocata negavit tanti sibi esse honores, ut iis adipiscendis vel vestigium facere vellet. Ergo venit ipse Episcopus, tam invitando quam orando pertinacem animum solicitans: vix tandem expugnavit. Nam firmum vere submissionis ingenium est. Sorores Porcensis Parthenonis voce gestuque obtestatæ sunt ambiguam, ut ne annueret petitioni: at ubi intellexerunt agi majorem Dei gloriam, non ausæ sunt ulterius probibere. Captis Monasterii habenis, animadvertit laborare disciplinam. Etenim Amalberto, ad quem fundus pertinebat, id solum curæ fuerat, ut domicilium ædificaret quo filia sua cum aliis reclusa, Numini vacaret, cætera aliis relinquens. Philibertum etsi cura disciplinæ tangeret, negotia tamen alio ququnque rapiebant. Itaque nova Antistes nihil cunctata, proscripto non utili otio, cœpit chordam intendere: multa de S. Regula, de jejunio, de Choro insuetis canere. Moniales contra sermones serere: seditionem instruere; ad ultimum in summum discrimen caput Austrebertæ adducere. Iam enim inter ipsas convenerat, gravem sibi Abbatissam tollere. Imprimis vero illam apud Amalbertum mentis parum sanæ ream agebant. Fidem is garrulis fœmellis habuit: insontem Antistitem accersivit, quæ eum se inferret, ensem duxit, verbis contumeliosissimis exceptam uno fulmine confecturus. Illa adeo non retulit pedem, ut potius cervicem tetenderit, quo tyrannus ictum certius destinare posset. Fecit hæc animi magnitudo virginis, ut Amalbertus se se reprimens, ferrum sublatum sustinuerit, atque falso traductam dicere causam permiserit. Quin sorores quoque suscepti sceleris pœnituit, seque paulatim ad Antistitis ac matris suæ exemplum componere instituerunt, ad quod S. Philibertus, haud exiguum momentum attulit, qui ibidem templum unum S. Mariæ, alterum S. Petro, tertium S. Martino cum aliis ædibus magno sumptu posuit.

Clibanum subit, & manicis illæsa prunas verrit.

Antistes Pauliaci renunciatur.

Insidiis appetitur:

Evadit.

Porro quanta Austrebertam charitas adornaverit, inquit auctor vitæ ipsius, *quanta bonitas ei successerit, puritas mentis & simplicitas cordis in ea refulserit, longanimitas circa omnes flagraverit, frugalitas creverit, non est nostræ facultatis evolvere. Erat enim frequens in lectione, pernox in vigiliis & oratione, jejuniis prompta, vestimentis vilissima, in tribulationibus constantissima, in tentationibus fidelissima. Omnibus quadragesimis, præter dies Dominicos, non nisi ter intra hebdomadem comedebat: castigabat enim corpus suum & servituti subigebat abnegans semetipsam, crucem suam ferebat, Dominumque sequebatur. Amabat omnes & diligebatur ab omnibus. In cunctis modesta, omnibus jucunda & hilaris apparebat. Si forte (ut assolet) rixa exorta fuisset, paucis sermonibus cunctorum animos mitigabat. Parcitatem ciborum ultra humanum modum sectabatur: sobrietas illi nunquam deerat. Casta, cauta, mansueta, quieta satis in omnibus et ac. In collocutione commoda: in conferendo gratissima. Si quis certe ad eam casu se junxisset, nunquam nisi compunctus corde ab ea recedebat. Nam omnes per circuitum habitantes, ejus exemplum & doctrinam sequentes, non solum filios aut filias offerre Deo statuerunt, verum etiam multi ex eis conjuges proprias relinquentes, Monasteria expetierunt, sponsi sponsas abjecerunt, sponsæque eos à quibus*

Apud Sur. 10. Feb.

causa sanctitatis contemptae sunt, contempserunt.

Dat pœnas ad crucem sine culpa.

Nefas quoque fuerit insignem ejus humilitatem praeterire. Aliquando penso matutino persoluto, gradu leni suspensoque se ferebat per dormitorium, lectulisque singularum inspectis explorabat an quiescerent. Expergefacta praeposita, quin tu ocyus ad Crucem facessis, quae nobis hic molestiam exhibes, indignabunda dixit, rata aliquam è sororibus esse, quae acquiescentes interpellaret. Sanctissima Antistes laeta, ad Crucem dandas sibi pœnas esse (certo enim loco in hunc usum crux prostabat) citato pede eo contendit: passis brachiis se se applicat & agglutinat toto pectore psallens, donec aere campano excitis ad Chorum sororibus, ipsa sola desiderata fuit. Tum enim praepositae in mentem venit, fieri potuisse, ut per errorem Abbatissam Cruci affixerit. Ergo Crucem anxia petit: Austrebertam non meritum supplicium luentem vidit, humique fusa veniam rogavit, quam illa promptissime dedit.

Fuit etiam ut summa nocte summissa quaedam vox Moniali dormienti insusurraret, extemplo surgeret: Abbatissam moneret ut sorores ad divinas laudes decantandas excitaret. Sed quisquis ille fuit, Moniali somnia narravit. Mox rediit: verba repetivit: iterum frustra fuit. Adest tertium non absque gravi reprehensione, suis verbis diceret Antistiti ut ad rem divinam obeundam ex more signum daret. Tandem illa se movit, ac mandata ad Austrebertam tulit trepida, quam in templo preces Numini litantem invenit. Evocatis signo sororibus, momento omnes confluxere, quod nunquam antea ira extemplo acciderat, solumque duae infantulae desideratae sunt. Simul cœperunt psallere, ecce tibi! pars media dormitorii collapsa est. Insolito fragore perterrefactae, omissa psalmodia curriculo ad limen contenderunt, pro se unaquaeque nitens ut erumperet, visura quidnam subito casu prostratum esset: Atqui Antistes omnes in Chorum retraxir, nec unam elabi passa. Ipsa vero se cruce muniens, face praeeunte ruinam circumspexit, qua deprehensa infantes cœpit conclamare, sed utramque salvam reperit. Una quippe subtus mensam ipsius jacebat; altera ad afflictam haerebat fenestram, quam concussus paries ab utraque parte destituerat. Quis hic locorum deposuerit, licuit suspicari, non assequi. Quaedam autem neglecto revocantis Abbatissae imperio, per ruinas discurrens infantem sibi sanguine junctam anxie vestigando, ingentis fragminis casu oppressa est, ossibus plerisque fractis. Audito ejulatu quem misera tollebat, alteraque ruina fragore novo aures obtundente excitae Moniales, collisam è ruderibus evolverunt, stragulo compositam in valetudinarium vectarunt, quam Austreberta prima luce visens, oleo simulque salute imbuit.

S. Reg. c. 47.

Ædis ruina afflictam reddit incolumem.

Post haec à febri deposita bona Antistes, septimo die ad Superos evasuram se languida voce denunciavit, quod ipsa ab angelo acceperat. Viribus deinde collectis multa verba de mundo contemnendo fecit: de tormentis etiam quae impii subibunt: de aeterno praemio, quo innocentes ornabuntur, lachrymantibus sororibus, atque attonitos vultus in concionantem tendentibus, quibus nil aeque, ut mutuam charitatem inculcavit, quod inter discordias Christo sponso locus esse non possit. Dehinc suis oscula, dividens extremum valere jussit, compositis omnibus venerabilis mater ad assuetum cilicii stratum revehitur, supremam horam praestolatura. Interea catervatim Monachi, Abbates, Sacerdotes, omniumque ordinum homines confluxere, ut Galliae miraculum oculis ultimo haurirent.

Morti vicina sorores valere jubet.

Ubi cœlesti viatico instructa fuit, contractis denuo subditis, *Eia*, dixit, *eia in Christo mihi dilectissimae sorores & filiae, en ego hodie ingredior viam universae carnis. Vos si me veraci charitate diligitis, mearum admonitionum per omnia memores estote, & cœptum religionis iter nolite deserere. Christo summo curam vestri committo: ipse vobis pastor erit.* Hac voce perculsae incredibile dictu est quam miserabili ejulatu pectora planxerint, quantive singultibus capillos scindentes nomen matris civerint. Conticuit illa aliquandiu: psallentibus autem aliis, ac aliis quosdam è Sanctis nominatim appellantibus, silete fratres mei, dixit, silete; adsunt sancti quos cœlo devocastis: adsunt. In hos aliquandiu intenta, beatam animam efflavit ad IV. Id. Februarii. Condita est in principis Apostolorum templo, ubi plurimos annos quievit, caecos, claudos, energumenos, verbo, miseros damnando votis.

A Superis in cœlum evocatur.

* *
*

CAPUT

CAPUT VI.

Ebroinus ferream fabam cudit Philiberto.

TYrannidem late per Galliam exercuit Ebroinus, homines sacros & profanos eodem loco habens, ut omni religione solutum credidisses. Quamvis autem gravis omnibus esset, nemo tamen immani leoni barbam vellere, aut recti eum admonere audebat. Tandem S. Philibertus causam communem acturus, adivit belluam: crudelitatem in os objicit: ad extremum apostatam vocavit, & Luxoviensis Monasterii desertorem. Tam enim ipsi in animo erat, scelestum ad frugem vocare, quam martyrium subire. Abstinuit à cæde ferrum Ebroinus, seu metu procerum, quos offendere suis rationibus haud conducere jam semel didicerat: seu dolo vitam ei ad-empturus. Orcus etiam quosdam Clericos Rothomagenses in eundem concitavit, qui insons nomen ad S. Audoënum Archiepiscopum, veterem amicum, deferentes, id effecerunt, ut compactus fuerit in carcerem. Etenim Ebroinus è pelle leoninæ vulpinam assuens, epistolam commentus est, cujus auctorem Philibertum fecit, qua hic Audoënum de conspiratione, adeoque de læsa majestate, apud Theodoricum Regem non absque summa injuria reum egisset, magnam pecuniam pollicitus, si pulso illo, in fastigium ipse extolleretur. Has vero litteras Rothomagenses Clerici suo Præsuli porrexerunt per speciem magnum malum ab Ecclesia Metropolitana avertendi. Lupos autem (quis nescit?) ovium exuviis involutos sæpe pro pecude innocente habitos? Multos deinde capi non posse, nisi gloriâ Dei, ac animarum salutem, ceu offam, objicias? His igitur artibus circumventus S. Audoënus, S. Philibertum, ad cujus amicitiam se pridem contulerat, Abbatia exuit, inque custodiam immisit. Crodobertus Monachus innocenti suffectus, miserum in modum eodem die vitâ excidit. Ignominiam hanc æquissimo animo tulit Philibertus, psallendo tempus ducens in vinculis. Locum postea S. Audoëni voluntate Ragentrannus Archidiaconus, capiens, Abrincatinæ Ecclesiæ præfectus est; Ebroinus autem inimica manu cecidit. Movit tam præsens vindicta Audoënum, ut quem è carcere jam ante missum fecerat, ad se invitaret, posita ira amorem redintegrandi gratia. Simul convenerunt, itum in oscula & amplexus est, lachrymis vicissim infusæ genæ: renovatæ dexteræ, pectoraque deinceps arctissime cohæserunt. Octennium in exilio extraxerat, non vanus quondam vates imminentis sibi calamitatis. Cum enim Diaconus quidam è Monasterii templo crucem sublegisset, id vero nono primum die animadversum esset, totidem annorum exilium sibi subeundum fore, enunciavit. Vbi igitur vulgatum est, domum eum postliminio tendere, Monachi longo agmine effusi obviam, Divorum lipsana manibus ferentes, cantuque aëra mulcentes, festa pompa veniente acceperunt, Neustria universa reditum gratante.

S. Philiberti nomen falso ad S. Audoënum defertur.

Fulbert. in vita S. Aichardi.

In carcerem compingitur.

E carcere promitur, & domum dimittitur.

Intimam quoque cum eo amicitiam contraxerat Ansoaldus, Pictavorum Episcopus, qui viro Dei persuadere conatus est, ut urbem secum coleret. Verum cum is solitudinem publico longe anteferret, in quadam insula, cui Herio nomen Cœnobium condiderunt, Ansoaldo opes, S. Philiberto religionem ac Monachos conferente, qui optione sibi facta figendæ sedis, in insula permanere constituit si Episcopus Gemmeticensis Monasterii gubernaculum sanctum Aichardum, Quinciaci Antistitem, capere juberet. Hæsitavit Episcopus, imprimis veritus ne populus pessimam in partem acciperet; si sanctum Aichardum missum faceret, quo præsente nec fame provincia, nec peste, nec bello, amplius laboravit. Demum inter utrumque convenit, Numinis voluntatem precibus explorare: quod dum illi exequuntur, nos ad sanctum Aichardum visamus.

Cœnobium in insula Herio conditum cum S. Ansoaldo.

CAPUT VII.

S. Aichardi, seu Aichadri, & centum quinquaginta Monachorum Gemmeticentium cædes.

HOmini qualecunque decus, aliquod tamen adjicit sanguinis nobilitas. Sancto Aichardo pater fuit Anscharius, mater Ermena, illustri stemmate uterque ortus. Divitiis quoque pollebant, quas bonam partem in egenos collocabant, qua pia liberalitate id consequuti sunt, ut tam Deo quam hominibus in deliciis essent. Deus certe tanquam magno beneficio devinctus, filium ipsis dedit, cui Aichardi nomen posuere. Postquam litteris excultus fuit, suffragia inter se inivere parentes, an toga sacra, an vero potius militia sago juvenis induendus videretur.

Fulbert. Monach. ap. Sur. 15. Septemb.

S. Aichardus detrectat militiam.

Genitor diuturna militia tractus etsi rude donari cuperet (nam sub Rege Clotario merebat) voti tamen compos fieri haud poterat. Quocirca filium castra sequi jussit, fessi parentis vices æque fortiter subiturum. Negavit bona mater id se pati posse, quod partu laborans sobolem, qualemcunque editura esset, Deo nuncupârit. Itaque voti se ream permittere nolle, ut maritus filium militiæ adscriberet. Pater pudendum sibi ratus si uxori concederet, prope vim Aichardo fecit, ut nomen daret, at hic ut litem dirimeret, frater, dixit, pater, honores me minime tangunt. Sub Christo solo stipendia facere, mihi stat sententia. Anscharius divino consilio agi animadvertens, filio haud amplius gravis fuit.

Tyrocinium ponit apud sanctum senem.

Loco finitimo senex degebat, recti tenax, virtutis publicus magister, cui cum aliis juvenibus & Aichardus in disciplinam traditus est. Solebat is ut plurimum verba de vanitate mundi facere: æterna gaudia teneris animis instillare: contra vinum & fœminas perorare. Hic tantos progressus fecit adolescens, ut tam virtute quam doctrina tyrones reliquos facile superârit.

Vitam monasticam sectatur.

Sic bonis artibus gnaviter operantem, Eremi ingens desiderium cepit, quo tamen se potissimum verteret, incertus erat: interea ad aures ejus Monasterii Ansionensis celeberrima fama perfertur. Missione igitur à magistro impetrata, salutatis quoque parentibus, summis viribus retinere connitentibus, vi pari se eripiens, Ansionem contendit duodennis puer: tecto accipi rogavit. Intra limen admissus, qua quisque virtute præstaret, singulis imminebat; cumque notas sanctitatis edere universos conspexisset, religiosissimo cœtui asseri flagitavit. Antistite cum fratribus annuente, comam posuit: cucullum, id est, suave jugum Christi, suppositis humeris excepit. Humilitatem, patientiam, obedientiam novitii Monachi exponere, mora sit.

Ægrotis auxilio est

Vnde post non multum temporis claudi, cæci, morbis aliis capti, hortatu angelorum salutem ab ipso petierunt: nec irritæ cecidere preces. Non patiebatur summa juvenis humilitas arcana hæc opera effluere in publicum, tegendis tamen non erat. Nam dæmones quoque qui humana corpora subierant, prodiderunt. Immo arva etjam, inaudita fertilitate donata, sanctimoniam ipsius evulgabant.

Psallenti accinit cœlestis genius.

Cum aliquando extra Monasterium, nescio cujus negotii explicandi causâ, se ferret, pudore læto psallenti hæc vox audita est: *Ibunt Sancti de virtute in virtutem.* (Psal. 83.) Ictus suavissimo cantu, se curiose circumegit, visurus ecquis musicus præter expectationem telæ suæ aureum hoc filum intertexeret. Postquam nemo comparuit, se cœlitus admonitum intellexit, ut ab infimo virtutum gradu ad summum eniteretur, neque sibi (quod ignavi quidam faciunt) turpe illud, *Non plus ultra*, occineret. Inde vigilias & jejunia longius extendit; tota mente summaque animi contentione in vitæ innocentiam incubuit.

Porro gloriam Dei perpetuo spiranti venit in mentem hortari parentes ut saluti suæ consultum irent, è magnis fortunis etiam numini partem transcribendo. Primo quidem patrem adortus, ut refert Fulbertus, *Tu quidem charissime genitor*, dixit, *ante hos annos me hortabaris ut relicto proposito ad terrena & caduca patrimonia me conferrem, ne alienus hæres in jus mihi debitum subintraret. Qua in re si tuo fractus imperio à Christi militia apostatassem, & ad mortale sæculum & carnale conferrem matrimonium, obsecro te, quam tibi animæ beatitudinem exinde venturam prævideras, dum ex nobis filii & agnati progeniti, in convivia, aut certe in vanam & pomposam militiam effundentes, omne patrimonium deperderent? Quocunque vero anima tua pænali ergastulo teneretur, nihil illi sane curarent, dum illis in deliciis & voluptatibus jucundam sibi vitam agere licuisset. Proinde si patrimonium vestrum in æterno testamento vultis adscribi, talem ego vobis quæro hæredem, per quem illud & nunquam amittere, & semper habere possitis: per quem illud & temporaliter habere, & æternaliter valeatis possidere: hæredem, inquam, qui nobis pater & mater sit. Ecclesiæ sponsus immortalis. Verum præmonitos vos esse volo, ut si meo acquiescatis consilio, ne differatis usque ad exitum vestrum: quia non reputabitur in præmium, quod non potestis ferre vobiscum.*

Ædificat Monasterium opibus paternis.

Poterat hæc oratio lachrymas movere patri, qui nihil cunctatus, tu ergo curæ sis, respondit, ut quas fortunas possidemus, Numini cedant. In vico, cui Quintiano nomen Monasterium posuit Dominus Philibertus, raris tamen incolis quod inopia laboret. Quocirca vel huc bona nostra verte, vel Cœnobium aliud fundo in nostro statue, Beatissimæ Virgini dicandum, cui nos terras, vineas, prata, pascua addemus. Probata hæc parentum voluntate ad Ansoaldum avolavit, Pictavorum Episcopum, impense rogans ut sibi novi Cœnobii erigendi faceret potestatem, qui Præsul adeo non obsti-

tit,

tis, ut divini beneficii loco putârit esse quod novo Monasterio Episcopatus suus augeretur. Ubi id supremam manum accepit, Matri Dei consecravit. Re divina peracta, Ansoaldo, Aichardo, Monachis, ad mensam accumbentibus, Lector correpto libro oblatum primo versum hunc recitavit: *Hac dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea.* Mox vir Apostolicus Ansoaldus rupto præ gaudio silentio, non casu, sed Dei Optimi nutu Lectorem in hunc versum incidisse, pronunciavit, & S. Aichardum Abbatem renunciavit, ad quem, quamplurimi confluxerunt, fama nominis exciti.

Psal. 117.

Cum Ebroinus Majordomus S. Philibertum nulli consistere pateretur, Ansoaldus ad se delatum Monasterii in insula Herio nuper ædificati clavum capessere rogavit. Ille fas equidem esse, respondit, parere Pontifici, neque in mora se futurum, si curam Monasterii sui Gemmeticensis gerere velit Aichardus. O Pater charissime, subjecit Ansoaldus, hoc dicto non secus quam telo meum fixisti pectus. Egone ut commune hoc asylum provinciæ è provincia submoveam? si faxim, maledictis me proscindent omnes incolæ. Nam ut alia omnia præterea, vox publica est, post fratris nostri Domini Aichardi adventum, morbos, famem, inimica bella, sterilitatem solum vertisse; cœlum suas injurias à nostra terra prorsus abstinuisse. Sed age sis: divinæ voluntatis capiamus experimentum: adeamus virum offeramus ei fasces: si facile dabit manum, pro nutu Dei accipiemus. Quod si fuerit inexorabilis: quod si obnixe nos rejecerit, non instabimus ultra, certi nos Deo invito aliquid moliri. Proxima nocte quieti indulgens Aichardus monetur, ut die sequenti morem gerat. Vix edita vox est, cum Ansoaldus Episcopus & beatus Philibertus se dormienti objecerunt, prior virgam pastoralem, posterior Regulam S. Benedicti porrigens, uno velut ore dictitantes: *Surge frater, & officium quod tibi à Domino impomitur, obedienter suscipe. Accipe virgam, per quam subditorum errata corrigas. Librum etiam, ut tu primo quæ in eo exarata sunt custodias, & in his tibi subjectos informare ne desistas.*

Abbas Gemmeticensis cœlitus designatur.

Somno & spectaculo solutus Aichardus, diu versavit animo quorsum oblatum baculum & librum acciperet: aliquod tamen imperium sibi portendi, suspicatus est. Prima luce advolavit eques, Ansualdum & Philibertum paulo post adfuturos nuncians. Salutatione perfunctus Aichardus, *Adjutorium meum*, subjecit, *in manu tua, Deus meus*. Confestim instructa pompa, prælataque cruce obviam processit venientibus, solennia verba recitans: *Benedicti qui veniunt in nomine Domini.* Data acceptaque salute, causam adventus sui S. Aichardo exposuerunt, jusseruntq; Abbatem esse Gemmeticensem, qui præterita nocte simile quid agi suspicatus est, nunc vero manifesto deprehendit. Quamvis autem honores nullo loco haberet, ac insuper fastidiret, ab ipso tamen Numine oblatos non ausus est recusare. Dum parat abitum, manus undique tendere Monachorum cœtus: ingemiscere: lachrymari; ut funus duci putasses. Lata prius, quam discederet, suffragia sunt: ex urna Probus prodiit, vetus Aichardi discipulus, integerrimis vir moribus. Officiis posthac charitatis ulto citroque persolutis Aichardus ab Ansoaldo & Philiberto trahitur Rothomagum: sistitur Archiepiscopo S. Audoëno, qui concilium eorum probans, suo quoque calculo Abbatem Gemmeticensem fecit. S. Philibertus in insula Herio repetita, reliquum vitæ ibidem exegit.

Fixa igitur Gemmetici Sede Aichardus, tam multos conscripsit Dei servos, ut denique nongentos numeraverit, virtutis compertæ omnes. Diabolus in dignitate rei, ut is quidem putabat, incensus, tela undique circumspexit, quæ in Monachos stringeret, sed ea vigilantissimus Antistes omnia suo clypeo quam dexterrime excepit, nunc cruce, nunc lustrali aqua hostem in fugam vertens. Forte medio campo late diffusis ramis stabat robur, & vasta sub arbore saxum jacebat, ingens, serendis frugibus haud parvum impedimentum.

Dæmonem Fratribus exitium m[olientem] fugam avert[it].

Sociata aliquando opera fratres subjectis vectibus id amoliri conati sunt, at nihil promoverunt. Eo quoque se ferens Aichardus, alastorem vidit eminus magna vi truncum nefanda securi incidentem. Quocirca gestu voceque fratres diffugere, præsentique periculo exire jussit, simul crucem producens, alastorem re infecta solum vertere compulit. Perrexerunt tamen fratres instare operi, admirantes inter se cur ita præcipitaret cursum suus pater, alias lente incedere solitus, donec intellexere dæmonem id egisse, ut ruina arboris omnes opprimeret. Conspecta certe altissima illius cæsura, stupor universos defixit, ob præsentissimum in quo versabantur periculum. Adde, stygiam securim ambussisse, arborem quacunq; impacta fuit, medullamque sulphureum fætorem, naribus supra fidem gravem, exhalasse: poma, paulo ante oculos manusque invitantia, mox carbones imitata, & si tetigisses in cineres soluta esse.

Hoc quoque dignum est memoratu ad

metum in cautis nonnullis incutiendum.

Ob levem culpam à dæmone in rationum tabulas mittitur.

Quodam Sabatho tot negotiis tenebatur, Aichardus, ut neque ad breve tempus iis se eximere potuerit. Immemor ergo sui, alia ex aliis expediens, sero vespere tonsorem accivit forfice opus facturum. Hic advolat: tondet: radit: diabolus obscuro cellæ angulo reconditus capillos cadentes legere: singulos ad numerum redigere, inq; suas tabulas referre visus est. Quærenti Aichardo quid rei esset? cur ex angulo insidias sibi, cur cæteris moliretur? quin ocyus in tartara facesseret? Ille infernalem vocem mittens nonnihil se agere, respondit: scire se officium suum: desineret convitia facere. An enimvero ad se non pertineat Monachorum Cellas obire: quo pacto horas ponant, explorare: culpas diligenter notare, tum autem ephemeridas Principi suo exhibere? ne si vacuus domum remeet, supplicium det? Ducat alius hamo doloso pisces, adjecit ego hodie te cepi. Nam in signi piaculo te obstrinxisti, dum festivum Dominicæ noctis tempus tondendo violasti. Vah egregium Abbatem, qui Monachos suos exemplo præcipites agit! Norunt Principes nostri hujus noctis potentiam, quæ Monachis contemptui est. Sed quid stultus ego, subjecit, hominē à peccato revoco? Nō purgavero scelus Lucifero, si fecero. Agedū, Aicharde, tonsori caput præbe: tondere, tondere. Aichardus his dictis confixus, semitonsum verticem forfici eripuit, si culpam admisi, dictitans, Monasterii negotia corporis curæ anteponendo, eam expiavero, tuque nomen, quod apud te imprudens feci, tuis in tabulis erasum ac deletum reperies. Correpto deinde baculo, addita que cruce, petivit dæmonem, qui fœdis vestigiis relictis se foras proripuit. Convocatis extemplo Monachis tam suum factum, quā diaboli dictum exposuit, qui tristes Numinis pacem simul poposcerunt: post orationem (visu mirabile) nullum indicium cæsorum capillorum comparuit.

Lignea cruce diabolum exigit Dormitorio.

Mos ipsius ferebat, fratribus labore fractis placida quiete vires reficientibus, excubias agere: cubicula obire, & lustrali aqua expiare, simul crucem adversus diabolum circumferre. Aliquando hoc officio defunctus, se pariter ad somnum capiendum cōponens, sensit diabolum insidias collocare. Quocirca se attollens, totum cubiculum oculis emensus est, monstrum autem infernum in reducto angulo, qui meridiem spectabat, deprehendit: fratribus tamen à se lustratis, & sancta cruce munitis, nihil metuebat. Videbatur turpissimus dæmon oiti ad fratres dormientes, viam tamen superare non posse, quam solicitus pater prius circumeundo trivisset.

Eminus ergo jactavit titiones, lucernam petens vel extinguendi, vel frangendi gratia. S. Aichardus ineptias non ultra ferendas ratus, ligneam crucem, quam manu ferebat hosti intendit: de angulo in angulum fugitivum egit, qui conspecta fenestra, cruce à Divo non munita, elapsus est, liquido aëre gravissimo fœtore vitiato.

Sed damus operam Fulberto, historiam aliam narranti. *Pater venerabilis*, inquit, *postquam omnes consignâsset, & ipse delectabili sibi strato cilicino accubuisset rursus curæ prioris stimulantes aculeos abjicere à se nequibat, donec divinæ psalmodiæ cursu arrepto, curas mordaces tali venti labro abigere à se videbatur, cum inter agendum oculos ad meridianam plagam intendens, vidit angelum, miro aspectu & habitu coruscantem, virgam manu gestantem. Alterum vero ex adverso stantem teterrimum, qui flammantibus oculis igneas emittebat scintillas, cui prior ille, quid tu ait, immunda bellua servorum Dei habitacula insidiatus subintrasti? Numquid tuum esse aliquid hic arbitratus, invenisti? Quid tibi & familiæ Dei? Illo è contra, Si inquis, annales veteres & modernos inspicis, quæ fuit ab initio gens ulla fortis nostræ ditione adeo libera, ut in ea licenter nobis operandi potestas ulla deesses? Primi terrigenæ, quid fraus nostra valeret, experti sunt.* Hæc & alia hoc genus altercantibus attendens vir Dei, à bono genio fratres prima luce convocare, deque morte quamplurimis imminente certiores facere jussus est. Monere deinde, ut conscientias ad amussim exactas, penitus exhaurirent confitendo; denique de de cœlesti commeatu sibi pro via ad æternitatem prospicerent. Quadringentos quinquaginta, non minus, extinctum iri, vita misera cum felicissima commutata: sic ipsum senio confectum dimidio curæ ac laboris levandum. Ut vero eidem constaret quinam concessuri essent, virga illorum cellas se pulsaturum. Mox igitur quasdam januas levi tactu notabat, alias præteribat.

Hortatur suos ut se parent morti.

Contractis mane primo fratribus rogavit singulos, nū præterita nocte quippiā vidissent? Quidā, *Si somno fides habenda sit*, responderunt, *in gemmeo templo Paschalia festa egimus*. Alii somno alto se mersos, nonnullos è cœtu à summo Principe ad cōvivium invitari audisse, affirmârunt: cumq; se in appendicem addere vellent, summotos atque in aliud tempus dilatos esse. Non vana hæc somnia sunt, excepit S. Aichardus: priores post triduum morte occumbent:

quocir-

quocirca sibi consulant: cæteri sic de se statuant, plures adhuc labores sibi pro cœlo subeundos.

Mortis candidati de suo fato hunc in modum certiores facti, diffluentes lachrymis conscia tundebant pectora: poplitibus nitentes nuda cædebant tergora: humi provoluti Numen sibi probitiabant. Lectulos quoque anxie excutiebant, ac pilos, qui ciliciis exciderant, in medium proferebant, de violata paupertate semet reos agentes. Ad summam, totum illud triduum asperrima pœnitentia contritum est. Accepto demum sacro viatico in Capitulum cōfluxere, confusis vocibus locum implentes, & officiis extremis certantes, S. Aichardo sedulo animos erigente.

Mortis candidati etiam parvos pulvisculos de conscientia excutiunt. Script. 29.

Pars una, hora tertia concessit: alia, hora sexta: itemque alia, hora nona: ultima, sub vesperum. Fugientis animæ indicium erat, luculentus splendor circumvallans caput. Nullum sæculum Ordini S. Benedicti, tam iniquum erit, ut memoriam stragis hujus, à bono Deo editæ, aboleat: neque in toto terrarum Orbe Monasterium stat alterum, quod uno die quadringentis quinquaginta Sanctis Confessoribus cœlum auxerit. Damus autem tibi hoc, alicubi à barbaris hostibus una vice plures fuisse confectos (quamvis etiam Gemmeticense Monasterium præter hos Confessores plurimos Martyres in digitos mittat:) at absque ferro, absque cæde, absque vi allata, quadringentos quinquaginta Monachos uno die ex Monasterio uno ad sidera pariter evocatos, caret exemplo. In vicino Thebis Cœnobio quodam Monachi omnes erant sancti: diem supremum cœlitus discebant: absque morbis extinguebantur: ante mortem de æterna gloria certiores fiebant: atqui non simul, sed sigillatim oppetebant: tot vero pariter radiis cœlestibus fluctuantes, terras cum astris placidissime commutasse, mortalium sorte nemini visum, auditum, vel lectum est. De Monachis Ægypti, Syriæ, Palæstinæ, admiranda quædam memoriæ prodiderunt historici, sed infra felicissimæ mortis exemplum, quod memoravimus.

Quadraginti quinquaginta uno die ad Superos abivexunt.

Pallad. l. 3. c. 3. hist. Lausia.

Quamplurima in Occidente inter Monachos acciderunt, luce dignissima, quæ tamen scriptores, quod sæpenumero dolemus, ne mediocriter quidem attigerunt. Omnibus enim mortalibus ita comparatum est, ut domestica spernant: externa ac longe remota suscipiant, quod vitium ante alios historicis est. Eminus enim dum afferuntur, singulis milliaribus crescunt: pondus incrementum capiunt: cum deniq; perveniunt, nos rapiunt in stuporem. Porro S. Aichardus dato oegotio ut sancti Confessores sepelirentur, solus in angulum secessit, multa secum voluntans. Subibat memoriam aliquando Deum à se rogatum, ut onere, quod vix amplius æquis humeris ferre posset senex (cui n. nongenti Monachi nō sint graves?) quoquo modo se levaret. Hic omnibus artubus cœpit contremiscere, tantæ cladis authorem se, ingeminans: scelerata prece à rerum conditore se expetiisse, ut numerum filiorum suorum imminueret: flagitiosis patribus quibuscunque palmam se præripuisse, idcirco supplicio non consueto afficiendum. Dum sic fatur lachrymans, cœlesti genius advolat. *Age, Aichardo*, dictitans, *es bono animo: quippe quam fudisti orationem, paterno ex amore profecta est. Timuisti enim ut tantæ multitudini velut par esses, satisfacere posses: deinde ne post tua fata solveretur disciplina non absque illorum exitio. Quin te quoque ad iter præcinge: brevi sequeris. Indicium habe nuncium, quod hodie accipies, Philibertum fratrem tuum rebus humanis exemptum esse*, quod xiii. Kal. Septembr. evenit. S. Aichardus vero xvi. Kal. Octobr. postquam rationibus suis optime consuluerat, excessisset, tota Nordmannia fama ominis impleta.

S. Aichard. 900 Monachorum Antistes.

Terras cum cœlo commutat xvi. Kal. Octobr.

Præter illos Monachos, dequibus hucusq; verba fecimus, celebratur etiam Gemmetici Eocherius, postmodum Episcopus Aurelianensis factus, qui à Carolo Martello proscriptus, in Monasterium S. Trudonis in Belgio situm se recepit. Item S. Hugo, Archiepiscopus Rothomagensis, virtute atque sanguine juxta nobilis, qui abdicata infula, nomen S. Aichardo dedit, ad ix. Id. Aprilis superis insertus.

Nordmannis irrumpentibus Monachi ossibus S. Aichardi & S. Hugonis collectis, fugam inierunt, qua in Hannoniam, in que villam cui Hasprae nomen, delati sunt, aliis sanctis domi relictis; unde conjicias quam æstimaverint suum Hugonem. Multa ad eorum Mausolea patrantur miracula, dæmones præsertim humana corpora occupantes, illic possessione frequenter exuuntur.

Molan. V. Aichard.

Religio, integra disciplina, Monachorum multitudo, opes etiam, ita altas in Gemmeticensi Cœnobio fixere radices, ut aliquot sæcula durârint, quod SS. Philiberto & Aichardo in acceptis merito ferendum. Anno profecto octingentesimo octogesimo septimo, Nordmanni, ingenti classe Franciæ admota, Gemmeticensi Monasterio, quod prope à littore aberat, ignem subdiderunt,

Gemmeticense Monasterium cum incolis quāplurimis à Nordmannis combustum.

VVion. lib. 3 Append. ad Martyrolog. VVestmonast. an. 557.

diderunt, quo nongenti prope Monachi absumpti sunt. Certum ego calculum ponere non ausim: fecit Arnoldus VVion, VVestmonasteriensi in sestem producto, conflagrasse nongentos: at hic solam evastationem Asceterii narravit: numerum combustorum non inivit. Vero tamen simile est, totidem ferme in cineres redactos, cum historici tantum de duobus faciant mentionem, qui elapsi Monasterium è ruderibus iterum excitârunt: & de paucis aliis, qui SS. Philibertum & Aichardum alio transtulerunt.

Itaq; Gemmeticum quadringentis quinquaginta Confessoribus multo plures Martyres addidit, cœlo bidui spatio mille trecentis circiter Monachis sanctis aucto. Quassant nõnulli caput, cum in tabulis Benedictinis quinquagies quinquies mille sanctos Monachos conspiciunt, (tot enim aliqui notant) cui numero nullus mihi demendus, sed plurimi adddendi videntur: quamvis de re incerta non ita valde laborem, præsertim cum jam anno quingentesimo quadragesimo tertio numerum ineundo operam triverimus.

Robert. Gagu. in Carolo Simpl. Restituitur è ruinis & ruderibus à Baldvino & Gundino Monachis.

Dirutum Gemmeticense Monasterium triginta annis nemini habitatum fuit: postmodum Baldvinus & Gundinus Monachi, qui fuga se abstulerant, rem prope supra vires ausi, altas inter ruinas novum domicilium posuere. Forte Gulielmus Dux Nordmanniæ illac iter habuit, quem duorum bonorum Monachorum misertum est, quorum labor ne vanus esset, magno illis adjumenta fuit. Sua quoque momenta attulit circumjecta vicinia: simul è proximo Cœnobio evocati duodecim Monachi quibus Martinus Abbas præfectus est.

Guliel. Dux Nordmand. Monachum induere cupit.

Gulielmus, etsi summo loco natus esset, Ducatu tamen se abdicare statuit, quod olim admodum juvenis se Numini devovisset. Intercessit Martinus Abbas (nam huic se in disciplinam dare, animus erat) quod Richardus parvus filius Ducatui ferendo haud foret.

Cranz l. 2. c. 33. in Nordweg.

Ille negata cuculli copia, rediit ad clavum, sed in letbalem morbum paulo post incidit. Non fuit ita hebes, quin à Deo concepti olim voti se admoneri intelligeret, quocirca conventum proceribus indixit: filio homagium eos præstare jussit, quicquid se futurum esset. Metus incessit magnates, ne puer rem præeret: subitus quoque casus ipsos perculceraт: quocirca ubi animos collegerunt, rogârunt suum dominum, Ducatui se restitueret: rem geri à puero non posse. Vidit per se non stare ut Monachum indueret, quocirca veterem molem denuo subiens, collatis cum Arnulpho Flandriæ Comite signis: fraude interceptus ac cæsus est. Cadentem excepere sui milites: mortuo cultum militarem diripuerunt, visuri insticta vulnera, quæ dum omnia studiose explorant, parvam clavem in fascia, qua incinctus erat, deprehendunt: vultibus conversis inter se sciscitantur, quorsum facere videretur? Dubio distentis se admovit juvenis à cubiculo: audita quæstione, exiguam cistam de proximo raptam altercantibus obtulit. Inseritur clavis: avide omnes imminent: pro thesauro nudus habitus Sancti Benedicti reperitur, quem sumpturus erat, si per filioli ætatem teneram licuisset. Quapropter si animum spectes, plane Monachus fuit, cui Gemmeticense Monasterium sui instaurationem præcipue debet, quod, etsi ad priorem Cœnobitarum copiam forte non amplius ventum sit, Regulari tamen observantia, rigore disciplinæ, divitiis, illustrissima Franciæ Asceteria æquavit.

Habitum Monast. cista conclusum circumfert.

Robert. de Monte addit. ad Sigebert. Gemblac.

Apud historicos rara mortis privatorum hominum mentio est; Robertus tamen de Montibus qua cura Galliæ & Angliæ Regum inaugurationes ac suprema fata descripsit, eadem Gemmeticensium Abbatum electiones obitusque recenset, unde adducimur ut credamus hoc Monasterium multis nominibus aliis præstitisse.

Concil. Const. sess. 13. Abbas Gemmeticensis in Concilio Constant. frænum Schismati imponit.

Quo tempore sacra Comitia Constantiæ habita sunt, tribus simul pro Pontificibus Romanis se se gerentibus, ob quod certamen fides Catholica pariter laboravit, quidam Gemmeticensis Abbas erroribus & hæresibus cognoscendis, durante Schismate natis, præter alios nonnullos Episcopos & Cardinales à Patribus designatus est. Viris autem ad hanc rem opus erat doctissimis juxtaque sapientissimis, qui fœdam tempestatem exciperent.

Libet hic iterum tibi abstergere dubium, an discipuli S. Columbani de familia fuerint D. Benedicti.

S. Columbanum Ord. D. Benedicti fuisse, confirmatur.

Fulbertus enim Monachus, author antiquissimus gravissimusque Regulam à glorioso Patriarcha nostro conditam, in Gemmeticensi Monasterio cultam: S. Aichardo à S. Philiberto per somnum porrectam fuisse: hunc vero à S. Agilo, S. Columbani discipulo, in Resbacési Monasterio (ubi ad normam Luxoviensem vivebatur) eductum, expertis verbis affirmat. Quod si igitur S. Philibertus præter leges domesticas Luxoviens, Regulam D. Bened. observavit, ac insuper S. Aichardo, qui in Gemmeticensem Abbatiam ipsi successit, tradidit, inficias ire non potes tam hos quam illos ad Ord. pertine-

re S. Benedicti, cujus Regulam non modo Gallia, verum etiam Vniversa Europa jam inde à sui origine complexa est.

AN. CHRISTI 685. AN. S. BENEDICTI 205.

Ebroinus, Majordomus Galliæ in servos Dei tyrannidem. exercet.

EBroinus cum adhuc dubio staret gradu, clementiam simulavit: at rerum potitus nullo procerum jam hiscere aut leviter mussare auso ratus se sat diu momordisse frænum, Numinis hominumque jura violans, omnia crudelitatis implevit. Theodoricus Rex Franciæ suasu ipsius Concilium indici jusserat, lapsam disciplinam restituendi causa. Vafer nactus occasionem, contra tres Episcopos, videlicet S. Lambertum Trajectensem: S. Amatum Senonensem: S. Leodegarium Augustodunensem ivit, viros toto regno illustrissimos.

Ebroinus Sanctos Episcopos pellit in exilium.

Actus in exilium S. Lambertus septimum in Stabulensi Monasterio posuit: proscriptus quoque S. Amatus (cui Ebroinus invidiam apud Regem conflaverat) in Fossatense Monasteriũ, cui S. Vltanus (SS. Fursei & Foilani frater) præerat, se contulit. Vltano vita defuncto, migrandũ ad Maurontũ, S. Rictrudæ filium, fuit, qui Broilensem Abbatiam charissimo hospiti cessit, ubi reliquum ætatis exegit. Infestantibus regnum Nordmannis Duacum, Atrebatensis Episcopatus urbem, translatus est, ubi incolarum patronum agit.

Sigeb. in Chr. an. 685.

Res S. Leodegarii, quem Sigebertus anno sexcentesimo octogesimo quinto Martyrio affectum ait, prolixius litterarum monumentis cõmendabimus, quod neminẽ nõ capiant, vel incendant. Authore utemur Vrlino, qui eas rogatu Ansoaldi Pictavorum Episcopi conscripsit. Sed ad rem.

Sur. 2 Octob.

S. Leodegar. illustri sanguine ortus.

Leodegarius claris natalibus ortus, à parentibus omnia præ aula spernentibus, Clotario Regi, apud quem magno honori, magnæ etiam virtuti locus erat, oblatus est. Is puerum Didoni, Pictaviensis urbis Episcopo & avunculo in disciplinam tradidit: hic sacerdoti litterato, pio, prudenti sedulo cõmendavit, spe fretus fore, ut non modo puero, sed etiam Reip. bene verteret. Tam sacris quam profanis litteris excultus, aliquandiu Episcopo à cubiculo fuit, qui frequentissime ipsi institit, ne in Venetis castris stipendia faceret: maximum momentum in corporis integritate poneret.

Ad heroicas enim virtutes componere Leodegarium studebat, quod eum sibi olim subrogari cuperet. Annos fere viginti natum, Diaconum: paulo post Archidiaconum initiavit: omnibus Diœceseos suæ Ecclesiis præfecit. Corpore altus erat, facundus, ore venustus, prudens, castus, omnibus charus: Iuris civilis ac Pontificii cognitione nulli fere secundus.

A Didone Pictaviens. Episcopo Diaconus initiatus.

Abbate S. Maxentii (agri Pictaviensis Monasterium fuit) morte sublato, Dido Leodegarium suffecit. Inito honore (quem sexennium gessit) Asceterium qua ædificiis, qua opibus, mirifice auxit, ut merito omnes magni ipsum penderent. Trithemius Monachum & Abbatem S. Maxentii fuisse, ex vetustis monumentis asserit. Liber Romanus, in quem Monasteria S. Benedicti exẽpta relata sunt, facile tibi scrupulum excutiat. Nam ut alia omittamus, Abbatia S. Maxentii, inquit, Ordinis S. Benedicti Episcopatus Pictaviensis, solvit mille ducentos florenos. Sed quid opus est multis, cum Vrsinus conditor historiæ S. Leodegarii, & ejus æqualis, litteris prodiderit, Asceterium S. Maxentii Monachis habitatum fuisse, ut constaret etiam S. Leodegarium ad Regulam D. Benedicti se composuisse: cucullum induisse: Monachum professum esse. Nondum enim dicata servis Dei Monasteria emungebantur ab ejusmodi Abbatibus, qui pecunias quam animas diligentius numerant & servant, quos hodie Commendatarios appellamus. Itaque *Regulares personæ ejusdem Ordinis, expresse professæ*, quod etiam sanxit Concilium Tridentinum, *Abbatias moderabantur*.

Fit Abbas ad S. Maxentium.

Trith. l. 3. c. 155. & l. 5. c. 173. vir. ill.

Concil. Trid. Sess. 25 c. 21.

Porro fama omnia dicta factaque Leodegarii excipiente, Clotarium minorem Franciæ Regem, nec non Bathildam matrem cupido incessit hominis videndi, à regno tam celebrati. Actum igitur cum Didone Episcopo ipsius avunculo est ut annueret, quod facile à se impetrari passus est: ille vero paucis diebus virtute & integritate sua, tum morum suavitate non modo Regem cum Regina, sed adeo omne palatium cepit, ut Episcopo Augustodinensi mortuo, summo consensu urbis illius, quæ in Heduis est, Pontifex sit renunciatus. Munus Antistitis decem annis (alii solum tres ponunt) graviter obivit.

Interea ubi accepit Clotarium excessisse è vivis, in aulam extemplo avolavit, curaturus ne quid detrimenti regnum acciperet. Quorundam procerum studia in Childericum Austrasiæ Regem inclinabat, quod sceptro pro ætate bene ac prudenter fuisset usus. Ebroinus suas ipse quoque machinas intendebat, Theodoricum Childeri-

Childericus salutatur Rex Galliæ.

ri fratrem

ci fratrem in folium promuturus. Sed cum ipse publico odio laboraret, quod cum apud Clotarium Majordomus esset, subditos acerbe vexasset, videreturque ad eum gradum hac via denuo grassari velle, operam perdidit. Itaque Ebroino posthabito, Childericus Rex Salutatus est. Væ capiti meo! exclamavit pessimus bipedum Ebroinus: lapsa mea res est! Effecit tamen S. Leodegarius ut homini sacro, jam jamque ad supplicium ducendo, Luxovium secedere, ibique Monacho esse liceret.

Ebroinus Luxovium se recipit.

Heu, nescius futuri Leodegarius vita corvum donavit, qui caput ipsi olim exoculavit. Theodoricus spe regni adipiscendi frustratus, in S. Dionysii Monasterio numerum supplere jussus.

Childericus solio potitus, legibus finistris abrogatis, nova jura condidit: palatio S. Leodegarium præfecit qui ex voto omnium res administravit. Dæmon igitur novum sibi ingenium induendum putavit, ut turbas in aula daret. Optimum factu visum est, Regem inter ac Episcopum vitiosas suspiciones serere. Imminente Paschatis festivo die, Leodegarius Childericum Augustodunum invitavit, rei divinæ ibidem operam daturum. Itur: venitur Augustodunum. Tendentibus simul in templum, sceleris inventor Pontifici clam in aures dixit: *Caveas tibi, sancte Præsul. Missarum enim celebritate peracta, jussu Regis interficiendus es. Nam semen neque ab hostibus tuis in ejus satum pectore, hac nocte exeret sese.* Nec traxit rugas, nec mete attonitus hæsit in vestigio Leodegarius, sed quasi in sussurata pro nihilo duceret, animo tranquillo sacra obivit. Rex capto divino ferculo se domum retulit. Pontifex sacro peracto corpus quoque curans, dubitare cœpit, num vena essent, quæ accepisset. Re deinde cum amicis communicata, Dei etiam voluntate explorata, Luxovium se subduxit: quo audito, Rex raptim milites misit qui è fuga illum retraherent. Tandem prima luce properantem assequuti sunt. Redux in palatium suppliciter à Rege petivit, ut se missum faceret. Animum sibi esse, abire Episcopatu: præfectura palatii: honoribus omnibus soli Deo se impendere. Rex conjectis in eum oculis, mirabatur quid sibi vellet: ad extremum, petitionis compotem fecit. Rem è sententia sibi evenisse lætus Leodegarius, Luxovium præcipitat. Dixisses eodem in stabulo ovem & lupum convenisse: nam Ebroinus ibi degebat, jam in Ordinem redactus. Venia invicem petita, dataque. Vti Saul olim inter prophetas admiratione omnibus fuit, ita Ebroinus Monachus inter sexcentos Monachos, qui solus è tanto numero disperiit, non periturus, nisi in Monasterio personam alienam egisset, veteres, honores & fastigia in cucullo somniando.

S. Leodegario tenduntur insidiæ. *Vrsio apud Sur. Octob.*

Relicta aula Luxovium petit.

Childerico Rege extincto, amici Leodegarii Luxovium profecti, summis eum precibus obtestati sunt, ut relictam Sedem iterum capesseret. Cunctanti calcar ipse Abbas admovit: deniq; ut morem gereret, imperavit. Ebroinus suo ut ingenio vivere posset, terga Monasterio vertit: in Austrariam cōtendit: valida manu contracta Galliam invasit: à Thedor. Majordomus lectus est. Vt primum præfecturam inivit, late in eos sævijt, quos sibi ante id obstitisse putavit. Vocatus in suspicionem S. Leodegarius, quam Diddo & Guarimerus egregie acuerunt: operam insuper suam ad capiendum Episcop. obtulerunt, nescientem hæc ab Ebroino sibi coqui. Subitarius habetur delectus: agmē vix bene instructum rapitur ad mœnia, quæ simul moliri hostes cœperunt, sanctus Antistes collectis tota urbe Clericis, solus pro omnibus hostia casurus, obviam processit prælatis sacris vexillis, Divorum lipsanis, sonante psallentium choro, quod in his aliquid præsidij futurum speraret. Postquam in conspectum venit, nova rabie accensi duces impii exercitus, impetu facto in eū involârunt, vinxeruntq;: tum is hanc vocem misisse fertur: *Gratias ago Omnipotenti Deo, Redemptori meo, quod me hodie dignatus est clarificare.* Inde ad dirum scelus versi, utrumq; oculum tanto Numinis amico exsculpserunt, orbatumq; luminibus in Cœnobium compegerunt, ubi insigne specimen patientiæ dedit.

Vincent. Bel. l. 24. c. 124.

Sigebert. an. 655. & Baron.

S. Leodegario ab Ebroino capitur.

Luminibus privatur.

Incumbente tam fœda tempestate, multi proceres dilapsi sunt, quos inter etiam Gairinus (seu Gerinus) S. Leodegarii frater, caput subduxerat: sed vulgatus à rumore, Theodorico Regi & Ebroino Principi se sistere compulsus est. Ex Monasterio etiam evocatus S. Leodegarius, quasi causam dicturus cum fratre. Vtrumq; contumeliosis verbis accepit Ebroinus, cui sanctissimus Pontifex hæc reposuit: *Nos quidem hæc digna patimur, quia peccavimus Domino: sed major tamen ejus clementia est, qui nos dignatus est ad tantam gloriam vocare. Tu vero miser, qui tantam injuriam irrogas Francorum genti, te ipsum potius ulcisceris, dum aliis vitam auferre cupis. Multos quidem decepisti, & à paterno solo exulare compulisti, at tu ipse magis exuleris, quandoquidem & temporalem & æternam gloriam cito perdes.*

Non serpens pede pressus tantum veneni vomit, quantum tyrannus egessit. Impo-

poteus animi Gaitinum duci jussit, dilaro Leodegario, ne alter alteri solatio esset. Tū immanis carnificum manus religatum ad palum lapidibus obruit. Solus Nero & Caligula ab acerbo spectaculo non avertissent vultus in S. Leodegarium crudelius consultum est. Imprimis spoliatum calceis per piscinam traduxerunt, in quo acuti lapides, non secus quam clavi, eminebant. Evulsis jam ante oculis: nunc pedibus quoque corruptis, solo applauditur cœlo dignus Martyr. Inde lictores, qui latera sepserant, cultros expediunt: labiis incisis linguam extrahunt: impio vulnere resecant. Post hæc VVaningo commissus est, qui custodibus stipatum, in Monasterium suum, cui Fiscano nomen, perduxit. Moderabatur ancillas Christi Childomara, ad quas concionandi copia data, Beatus Præsul lingua alte præcisa, verba fecit. Templo vix unquam excessit, nisi cum parum cibi aut somni capiendum erat.

S. Leodegarius lingua magnam partem imminutus, verba facit.

Synodum ea tempestate Rex & Ebroinus in quandam villam indixerant. Iussus adesse Diddo, qui sociata cum Guaimero opera sanctum Episcopum vi ceperat. Cum admissum flagitium Patribus purgare non posset, in exilium actus: tandem capitis damnatus est. Guaimerus, qui longissime ab infortunio se abesse putabat, Ebroino nescio unde offenso, infelici arbore suspensus est. Alii quoq; Episcopi à Rege per tyrannum in exilium pulsi sunt. Leodegarius ad Concilium accitus, non se admiscuit, ut ferunt, forsan quod Sede sua Augustodunensi exutus esset: Theodoricum vero & Ebroinum quænam vindicta maneret, vaticinatus fuisset. Dimisso Concilio, tyrannus cuidam Chrodoberto negotium dedit, ut in custodia Præsulem haberet, paulo post meritas pœnas soluturum. Ille fessum ex via & carnificina simul, recreaturus, vinum afferri imperavit; sed dum minister jussa domini exequitur, mirum spectaculum familiæ Deus præbuit. Etenim ætherea lux in orbem circumducta, capiti beati hospitis subito insedit, multisque qui viderunt, saluti fuit.

Hostes illi pœnas dant.

Paucis post diebus Ebroinus collecta iterum ira, quatuor equites misit, à quibus trucidaretur. Ocyus advolant: servum Dei invadunt: per viarum ambages asperosque flexus raptant, ut tandem Martyr fixo gradu, *Quousq; filii*, dixerit, *quousq; vos ipsos fatigatis? Morientium est: hic potius ictum excipiam.* Paterna hac voce edita, tres equitum ad ejus vestigia procumbentes, veniam petivere: quartus nil motus, elata machæra, sacrum caput ademit. Leodegarius aliquandiu humi fusus, mox in pedes se erexit (ita publica fama prodidit) stetitque unius horæ spatio, donec moræ impatiens carnifex acephalum corpus pede in casum impulit: at scelus non impune tulit. Etenim non modo in cacodæmonis potestatem venit, sed insuper à sensibus alienatus, in luculentum ignem se ipse abjecit, ignis æterni candidatus. Martyr vero in exiguo sacello villæ Sarcingensis, in Atrelia sitæ, magno omnium luctu vi. Non. Octob. humatus est.

Capite plectitur.

Post ablatū ense caput, pedibus per horæ spatium insistit.

In sepulchro mortalibus quoque profuit, nam corpora morbis levavit, cujus rei fama claudos, cæcos, paralyticos, energumenos, quid multis? ubiq; ægros excitavit, ut illuc velut ad publicum medicum confluerent. Fidem non habuit famę Ebroinus: sciebat insuper suis rationibus non conducere, ut pro Martyre coleretur Leodegarius. Quocirca ministrum misit exploratum quid ejus ad mausoleum ageretur, quo cum improbus pervenit, non modo preces nullas fudit, sed terram pede pulsans, *hem!* contemptim dixit, *hem! ut multa miracula edit! scilicet.* Inde solum vertit: sed prius quam ad dominum suum rediisset, impiam animam effutivit, qui subitus casus magnum terrorem incussit Ebroino.

Varios morbos curat.

Tertio fere anno post cum tyrannus Ermenfredo, patritio copioso, minas intentasset, tam opes quam honores se ipsi adempturum, cautus vir maturato opus esse cernens, captata propere occasione, tyrannum noctu occupavit domi: repetitis vicibus hausto latere confecit. Nemo palam vivo Ebroino celebrare ausus fuit Martyrem; eo autem sublato, toti provinciæ in ore fuit. Immo, certamen tres inter Episcopos ortum est, sancti viri lipsana ad quemnam ipsorum pertinerent. Ansoaldus parentem sibi fuisse prætexuit.

Ebroinus confoditur.

Ermencharius, qui in Augustodunensi sede Martyri subrogatus fuerat, momentum majus attulit, quemlibet Episcopum suæ deberi Ecclesiæ, cui præfuisset. Vindicianus Atrebatensis Pontifex, negavit se passurum ut ex suo Episcopatu auferretur, in quo cæsus ac sepultus esset.

Tandem inter ipsos aliosque Episcopos convenit, ut jejunio cum precibus indicto, schedulæ certantium nominibus inscriptæ sub altaris palla conderentur, postmodum is S. Leodegarii ossa legeret, cui sors favisset. Ergo jejunatur, oratur, nomina dantur. Re divina peracta, sacerdos dubiam manum consciæ pallæ infervit: schedulam unam duxit. exivit S. Ansoaldus, Episc. Pictaviensis: Inde Audulpho Abbati, quem sanctus Martyr insti-

A tribus Episcopis ducuntur sortes, cujusnam S. Leodegarius esset.

tyr instituerat, negotium datum, ut instructa pompa eum Episcopatui Pictaviensi inferret. Incredibile dictu est quanto mortalium studio ubique locorum qua via capessenda erat, fuerit exceptus. Neque nobis tantum otii est, ut patrata in itinere miracula describere queamus, quod Ursinus fecit. Quotquot laborârunt morbo, ubi venerabunda manu feretrum contigerunt, manum cum salute receperunt. Hinc innumeri digiti imminebant integumento, ejusque extremæ oræ seu fimbriæ, nec unum prætermisit valetudine indonatum communis pater, à quo sic interpellatus fuisset. Si modus colendi Cœlites excedi posset, Sanctus Ansoaldus excessisset, qui summa, quam tu animo subjicere potes, pompa Sanctum Leodegarium Pictaviam tendentem accepit. Vexillis, facibus, fumantibus acerris, psallentium choris, omnia plena erant. Demum omnibus pietatis, cultus, amoris, officiis defunctus Pontifex, suis ac sacerdotum humeris Pictavia exportatum, Monachis Sancti Maxentii, ubi is Abbas fuerat, obviam venientibus & gaudio diffluentibus, commisit. Hi patrem amantissimum complexi, concinendo hymnos Monasterium suum petivere. Pernoctatum in quodam templo est. Primo mane advolavit fœmina, infantem morti proximum brachii vectans: & quamvis prius expirârit quam illa pervenisset, nihilominus feretro extinctum supposuit, *Domine mi*, ingeminans, *redde mihi filium meum*! Trahebatur hisce lamentis jam hora tertia, cum puer caput movere: circumspectare: parvos artus tendere: qua voce potuit, matrem ciere incepit, omnibus miraculo attonitis, quotquot circumsistebant. Adulphus Abbas hoc thesauro potitus, magnificum, quo conderetur, templum extruxit, ubi Martyr miracula cumulavit, cui etsi dies secundus Octobris festus sit, Monasterium tamen Sancti Gerardi undecimo Aprilis anniversariam ejus memoriam celebrat, quo aliqua parte sacrorum lipsanorum donatum fuit.

Corpora morbis levat.

In Monasterio S. Maxentii conditur.

Puerum mortuum in vitam revocat.

An. Christi 686. An. S. Benedicti 206.

Sanctus Chilianus cum sociis.

Franconia seu Francia Orientalis, quam etiam antiquam vocant, à Francis nomen accepit, quod Iulius Caesar bellicosissimos, Seneca nobiles, Florus & Orosius, fortissimos nuncupârunt.

Franconia Sedes Francorum.

Albertus Cranzius, *Rheni accolas* facit: Andreas Althamerus cum Geldrensibus confundit. Aliter visum Parthenio & Straboni, apud quos legas: Φράγγοι ἔθνος Ἰταλικῶν Ἀλπίων ὀρῶν ἐγγύς: Franci populus Italiæ alpibus vicinus. Hodie Franconia à Meridie in Sueviam & Bavariam vergit: ab Occasu Rhenum contingit: ab Ortu vero Bohemiam: qua Septentrionem spectat, Hassos & Thuringos vicinos habet. Provinciæ caput Francofordia est. Non ex equo Trojano eos prodiisse, sed origine Germanos fuisse, certum facit Procopius Cæsariensis. Partæ libertate, Franci, seu liberi, sunt dicti: *Certe in Ecclesiæ Mindensis privilegio*, inquit Coccius, *quod Carolus Magnus aedit, hoc significatu homines ipsius Ecclesiæ Francos liberos esse, sancitum est.*

Cranz. l. 1. hist. Sax. c. 6. Suidas. Apoll. Altham. in Tac.

Coc. in Dagobert.

Franci summis viribus Galliam invadunt: vitæ nomen suū imponunt.

Gens erat inculta, rudis, bellicosa & tamen, & quando Rheno trajecto cepit Galliam, nomine quoque suo in id regnum translato, idola etiamnum adorabat. Alicubi Sanctus Remigius & Sanctus Vedastus sementem divini verbi non absque fructu fecerant: postmodum Ordo Sancti Benedicti falcem in hanc messem misit, SS. Romano, Mauro, Germano, Columbano, Eustasio, Amando, aliisque Apostolicis viris à Pyreneis montibus usque ad Oceanum lucem Evangelicam proferentibus. Similem laborum molem Monachi subiverunt qui ex Britannia in Flandriam trajicientes, non per hanc modo, sed insuper per Burgundiam ac Alsatiam qua ad Alemanniam spectabat, rem gesserunt. Franconiæ tamen incolæ seu Francones, Francorum progenitores, Diis suis ligneis nondum miserant nuntium. Sub hoc tempore bonum Numen Sancto Chiliano Episcopo, Sancto Colomanno Presbytero, Sancto Totnano Diacono, Monachis tribus nostri Ordinis, curam injecerat salutis alienæ procurandæ, qui delati in Franconiam, omnem cogitationem, laborem, vigiliam in hoc negotium contulerunt.

Fuit Chilianus gente Scotus: (sed ne erres, Scotiæ nomen olim Hiberniam quoque complectebatur) sanguine nobilis: ingenuis artibus à teneris imbutus: deinde ne quod objectæ à mundo voluptates periculi adolescenti afferrent, in Monasterium se subduxit, ubi tempus vigilando, orando, corpus tenerum jejuniis domando, contrivit, homo unus omnium ad imperata exequenda promptissimus. Cœtus religiosus ex oculis & vultu, & multis præterea signis aliis sanctimonia ipsius perspecta, hanc in opinionem descendit, recte se facturum, si imprimis ad sacerdotium, deinde

Lib. MS. ap. Sur. 3. Iulii. S. Chilian. in Regulam S. Benedicti jurat.

ad Mo-

Præficitur Monasterio.

ad Monasterii præfecturam eum admoveret. Obluctabatur ille quidem, sed cogentibus universis concedendum fuit. Ob res præclaras, quas gerebat, paulatim à fama divulgatus fuit: sed id postquam sensit, rationem secum iniit, qui sibi consuleret, ne à populari aura inflaretur, identidem animo subjiciens, ex imo rectius peti cœlum. Magnis sæpius insidias collocari, quam parvis. Stimulabat etiam pectus exitiũ animarum quibus alibi terrarum ipse forsan opem ferre posset. Hiberniam ad fidẽ Christianam pridem adductã, & Monasteriis refertam esse.

Cum sociis proficiscitur Romam, petitũ Evangelii promulgandi licentiam.

Quapropter abire honoribus, patriaq; simul, statuit. Lectis igitur sociis conscendit navim: inde Britanniam prætervectus, Galliæ littus tenuit, quam cum ab aliis cultam vidisset, iter in Germaniam, demum in Frãconiam, nobilem ejus partem, intendit.

A Conone Pont. Max. Episcopus creatus.

Omnibus visum est sedem figere Herbipoli: ut autem ordine facerent, profecti sunt Romam, petitum à Conone, Pontifice Max. Evangelii promulgandi facultatem. Magnam hæc lætitiam è triumviris istis cepit: quippe latam provinciam ad Ecclesiam Dei adducturis, cujus Episcopum S. Chilianum creavit.

Qui eum primum Antistitem Herbipolensem designatum fuisse contendunt, labuntur, debitoque loco S. Burchard. movent. Id temporis enim mos ferebat, Episcopos initiare ac destinare integris regnis, quos regionarios appellabant, ut suam industriam ubiq; locorum ponerent, nec poterãt certe alicui civitati se addicere, cum squallerent omnes, necdum etiam constaret, quænam sinceram fidem admissura esset, ut Cathedra in poneretur.

Animos incolarum tentat.

Hæc cum ita, dimissi benevole à Pontif. Franconiam repetivere, cui Dux Gozbertus jura dabat. Postquam idioma calluere, quod spe citius didicerant, Herbipolensium animos concionando tentârunt. Novitas doctrinæ, Sancti Chiliani eloquentia, cives rapuere in admirationem: præsertim ubi opera naturæ vim superantia, accesserunt. Interea fama etiam ad Ducem pervenit, qui novo magistro accito faciles aures dedit, quod summa humanitate præditus esset: non tamen se post primum congressum dedidit, quod ipsum Dianæ tædium, quam Herbipolis pro Dea colebat, nondum cepisset. Initis autem sæpius colloquiis, & S. Chiliano impensius instante, cervicem arduam suavi jugo Christi subjecit, caputque ipso Dominicæ Resurrectionis die lustrandum præbuit. Exemplo Ducis invitati subditi, haud surdis auribus dicta S. Chiliani acceperunt, sed ipsi quoque oculos à Diana

Gozbertum Ducem salutari aqua lustrat.

reflectere: Deos ligneos à tergo pinsere cœperunt. Rumpebatur orcus ingenti se præda exui: nam tempore brevi totus fere ducatus veterem insaniam posuit.

Novella arbor nec radices agit, nec brachia alte tendit, nec fert fructum, nisi fontem quandoque affundas. Supina jacuisset fides in Franconia (quæ postea cœlum tetigit) nisi S. Chiliani & sociorum sanguine respersa fuisset. Etenim Gozbertus Geilanam, uxorem sibi connubio junxerat. Veritus Chilianus ut reprehensus pedem ab Ecclesia revocaret, aliquandiu subticuit. Lac enim novitiis Christianis instillandum, non dura crusula panis objicienda. Post aliquod temporis intervallum in animum induxit aggredi Ducem: ostendere pessimũ facinus, eum pejore exemplo, admittere, utendo consuetudine uxoris sui fratris. Itaq; in os ei objecit, non ferri hoc conjugium à Christianis legibus posse. Hæsit nonnihil Gozbertus, quod telũ hoc alte subjicisset pectus: nihilominus animo post suspirium recepto, salutis dãna majora esse judicans, quã quæ æstimari possent, missam se facturam mulierculam spopondit, sibi tamen id temporis non vacare telam istam prætexere, quod bello ab hostibus appeteretur: eo confecto morem se gesturum.

1 Cor. 3. Heb. 5. Eundem ad frugem vocat utq; fratris uxorem missam faciat, non legitime sibi junctã in hortatur.

Impetratis induciis an consilium suum Geilanę aperuerit, vel illi aliunde suboluerit, equidem nescio. Bacchari tamen: furiis agi: necem meditari egregia conjunx, ac impotens iræ fæmina. Deniq; eo insaniæ processit, ut duos sicarios, pacto præmio subornarit, qui S. Chilianum invaderent. Somni brevissimi hic erat, ne aliquid tẽporis otioso effflueret. Aliquando in dubiam quietem lapso, vir ignotus, sed vultu cultuq; cœlicola, se objiciens, Age Chiliane, dixit: Surge: satis in arena desudatum est, nisi quod unicum certamen reliquum sit. Si victor discesseris, mecum æternum triumphabis. Ille discusso sine mora torpore, socios vellicans, heus vos dixit! heus vos! corripite corpora è strato. Iam jam aderit Dominus, pulsabitque januam. Cavendũ nobis est, ne sopore mersos inveniat. Mentione Domini illata ab Chiliano, illico surrexerũt: lãpades suas, quantũ per temporis angustiam licuit, oleo instruxerunt. Producta ad medium noctis oratione, ecce tibi, sicarii strictis gladiis irruperunt, quorum furorem nonnihil premens Antistes, amici, dictitavit, ad quid venistis? vos quidem imperata facietis: nos finem ærumnis imponemus. Non se ulterius tenuere carnifices, sed impetu facto innocuos viros, patriæ patres, contrucidârunt: deinde neq; scelus nefarium emanaret, ibi-

Pernequam fæmina percussores in virum Dei emit.

Cum Colomanno trucidatur.

sepelierunt, sacrorum tibiis cum vestibus pariter in fossam conjectis, ne ullo indicio truculentum facinus deprehendi posset: sed operam luserunt.

Parva cellula sanctorum Martyrum sacello adhærebat, quam Burgunda nobilis fœmina incolebat, cœlesti fonte cum primis lustrata. Forte pias vigilias agebat, dum crudeles sicarii cædem patrabant; quibus dilapsis sedulo quid actum esset, vestigavit. Cruorem humi sparsum linteolo abstersit: post terræ solicite mandavit. Quamvis autem tumulos frequentaret, summaque veneratione prosequeretur, omnium tamen oculos vitabat, ne ad Geilanam delata, vertere solum cogeretur, quæ ut cædis omnia signa aboleret, equile ibidem posuit: sed (mirabile dictu!) memoriæ traditum est, stabulantia animalia Sanctorum sepulchra sordibus suis nunquam contaminasse.

Sicarii, & cædis author Geilana, pœnas persolvunt.

Reduxè belli Gzobertus Chilianum acciri jussit; quo non reperto consortem tori, quando vel quonam hospites abivissent, rogavit. Hæc ingeniosa ad fingendum sibi nō admodum curæ fuisse, excepit, quid illis ageretur: sponte venisse, sponte discessisse vagorum hominū more. Quamvis autem mētientis ora modo rubor inficeret, modo teneret pallor, is tamē flagitii notas vel meliorem partem accepit: vel amore cæcus nō vidit. Cum vix quisquam amplius S. Martyres sermone ferret, unus è sicariis, invisum Superis caput, à malo genio in ditionem redactus est, qui dentibus semet lanians, Chiliane, vociferebatur, quantis me suppliciis exerces (uror, eheu uror! Ferro à me violatum te esse, fateor, idque cruore tuo imbutum, imminere cervici meæ conspicio. Talia sine fine iterans, sceleratam animam corpore excussit. Alius in rabiem versus, gladium per pectus exegit. Quis inter has pœnas à Numine petitas animus Geilanæ, necis authori, fuerit, facile æstimaveris, quæ ipsa quoque à dæmone infessa, par pari refers, Chiliane, ingeminabat: acriter vos ulciscimini, Colomanne & Totane: sed digna factis patior. Hos inter questus spiritum orco debitum evolvit.

Tumuli Sāctorum Martyrum deteguntur à Burgunda, pia fœmina. Trith. hist. Franc. Clodoveo III. circa an. 693.

Metu jam libera Burgunda, quos tumulos diu silentio texerat, digito monstravit, tota Franconia concursante ac voces festivas edente. Trithemius quatuor discipulos numerat, à Sancto Chiliano relictos: Arnbaldum & Adonomum, Abbates: Adelmum & VVilfredum, Episcopos, qui magnam Ducatus partem sacro fonte expiarunt. Librum sanctissimus Martyr composuit, *Contra peregrinos cultus*, inscriptum: si quos alios fecit, annis exesi sunt.

Pleraque enim hujus Apostoli dicta factaque detrivit tempus, quod Monachi id ætatis potius fidei Christianæ propagandæ, quam notandis rebus gestis operam darent. Neque tumulorum istorum ea semper ratio habita est, quæ conveniebat, unde memoria fere exciderunt. Herbipoli esse, nemo nec olim dubitabat, à paucis tamen certa manu poterant indicari. Sub annum septingesimum quadragesimum nonum Atalongus presbyter, quem Gertrudis virgo, Pipini Regis Francorum filia, adduxerat, pueros instituebat, à quibus cum aliquando pensum peteret, illi quasi dato signo protinus ore uno cantârunt: *Chilianus signa facit: de loco in quo jacet, tolli debet.*

Et ab insontibus pueris.

Silentium vociferantibus indixit magister, quod Chilianus nunquam ipsi alias auditus fuisset: pergentibus, minas intentavit, sed aërem verberavit: Demum ab homine plebejo, qui rure aderat, didicit, eum ex longinquo in Franconiam venisse Evangelii promulgandi causa. Noctu oculis captus est, quod præconia sanctissimi Martyris æquis auribus accipere noluisset. Itaque mœstus & seipse temeritatis reum agens, anteambulonis ductu, ad Divorum sepulchra contendit, ubi fusis precibus & veniam, & oculos impetravit.

Sigeb. an. 7. S. Bonifac. Pontif. Cathedram Herbipoli posuit an. 751.

Motus hoc miraculo S. Bonifacius, magnus ille Germaniæ Apostolus, Legatus Pontificis, & Moguntinus Archiepiscopus, Sedem ibi Episcopalem, constituit, cui S. Burchardum imposuit, quem aliqui gente Hibernum fuisse autumant. Episcopi honorem dum gessit, magnificum templum ædificavit, quam Sancto Chiliano ac sociis dedicavit, ossibus loco splendidiore collocatis. Vetus conditorium hos versus exhibet:

Hi sunt, Herbipolis, qui te docuere magistri,
Qua verum colores rellegione Deum.
Impia quos tandem jussit Geilana necari,
Cælabatque sub hunc corpora cæsa locum.
Ne turpi fine laude situ defossa jacerent,
Corpora Burchardus sub monumentu locat.

Ducatum Episcopatui transcribit Pipinus.

Illata urbi Pontificia Cathedra, tantum illa brevi tempore incrementum cepit, ut incolarum frequentia, ædificiis, operibus publicis, cum nobilioribus Germaniæ civitatibus contenderit. Illam Mœnus prætervehitur, navigiorum patiens fluvius, ponte lapideo junctus, Vicino mon-

tiarx perquam munita incumbit, antiquissimo templo Magnæ Matri Dei sacro, quod à Gozberti Ducis filio conditum ferunt, conspicua. Habitari solet ab Episcopo rerum Franconiæ Domino. Ad pedem montis Monasterium est, à S. Burchardo, opibus Cuniberti Franciæ Regis honori S. Magni Conf. ædificatum. Stirpe Gozberti cum Hetavo extincta, Pipinus Rex, Caroli Magni genitor, tum rogatu S. Bonifacii tum etiam S. Chilianum cum sociis venerandi ac ornandi causa, S. Burchardum ejusq; successores totius Ducatus dominos fecit. Quocirca non Episcopi modo Herbipolensis, sed insuper Ducis Franconiæ titulum sibi adsciscunt hi Præsules. Rem tantam incolæ patrimonium S. Chiliani appellant. Cum ritu Pontificio sacris operantur Antistites, præter pedum Episcopale denudatus ensis à latere altaris micat, quod illi tam sæcularibus quam Ecclesiasticis jus dicant. Hinc illa vox jactari consuevit:

Herbipolis sola judicat ense, stola.

In Ecclesia Cathedrali, Monachi Canonicorum loco fuerunt.

Ecclesia Cathedralis, à SS. Bonifacio & Burchardo, Divi Benedicti alumnis, professa Monachos à principio accepit qui Canonicorum loco erant; quod non modo in Anglia passim, sed etiam alicubi in Germania usu venit, veluti Salisburgi Sancto Ruperto Authore. In Sedem S. Burchardi Maingutus, de eadem sacra familia, successit, curantibus Ecclesiam Monachis nostris. Hic solitudinis quam publicorum honorum studiosior, Monasterium, cui Neostadium nomen, Ordini nostro fundavit, in quod abdicato Episcopatu se removit. Præter Cathedrale Monasterium, celebratum quoque S. Burchardi Cœnobium fuit, quod per multa sæcula à nobis servatum, demum in clericos sæculares incidit. Etsi enim beneficia à primis Patribus nostris in Episcopatum collata ubique sint obvia, immemor tamen, vel ingratus Berovvolphus S. Benedicti Regulam ibidem abolevit. At S. Stephani Asceterium hodie adhuc durat. Scotorum Monasterium, D. Iacobo dicatum, suburbium excepit.

Demech Script. Missa de Episc. Herbip. c. 18.

Embricho Ep Fundator Monasterii S. Iac. in suburbio. Trith. Chron. Monast. S. Iacobi.

Etenim Embricho Episcopus XXVII. non nescius quantum Scotis Franconia deberet, ut ingens nomen quod eam apud nationem suus Ducatus olim fecerat, liberaret, anno millesimo centesimo quadragesimo Monasterium familiæ S. Benedicti condidit, sed in quod soli Scoti admitterentur, nimirum quod primi partes & Doctores Franconiæ gente Scoti fuissent (hoc nomen Hibernis quoque tribui, non semel monuimus.) ac par esset gratias referri. Prædiis ac bonis unde Monachi pararent victum, Canonicatum adjecit. Nam tanti quondam Episcopis & Canonicis fuere Monachi, ut præbendas suas (sic vocant) acciderint; integros quandoque Canonicatus, ad eorum paupertatem levandam, obtulerint. Ecce litteras Fundationis.

In nomine S. & individuæ Trinitatis. EMBRICHO Dei gratia VVirzeburgensis Ecclesiæ Episcopus. Ratio divinitus nobis credita dispensationis expostulabat omnibus nostræ speculationis præsidia ex debito suæ conditionis amplectentibus nos pro studio respondere ac summa providentia, ne in posterum eos à suis juris statu forte declinare contingat, providere.

Ad notitiam tam præsentium quam post futurorum Christi fidelium volumus pervenire, qualiter nos imprimis tam Dei intuitu, tum pro reverentia pretiosi Martyris Kiliani Scotos collegerimus. Igitur cum Moguntiam Herbipolensis existens Episcopus aliquando contigit ire, ex improviso quidam Monachus nomine Christianus, genere Scotes, occurrit, qui me coram multis obnixis pulsavit precibus, quatenus ego Herbipoli peregrinis Scotis Hospitale fieri vellem. Consilio itaque sociorum meorum, Gebhardi scilicet longi, Burchardi, Reginhardi, ac cæterorum, præfatum Monachum Herbipolim transmisi, ubi omnibus annuentibus, tam populo quàm Clero, in suburbio nostro, loco qui Girberch dicitur, locum divino servitio habitandum assignavimus.

Ad quem locum primum Abbatem, nomine MACARIUM, habui, sanctum per omnia virum, cujus sanctitatis evidenter signum probavi quod de ejus meritis vinum in aquam enram testibus convertit, Legrino videlicet Abbate de S. Burchardo, Gebharto præposito de novo Monasterio, Burbo Henrico Muckelino, Itingo de Zabelstain, & cætetis multis tam Clericis quam laicis. Ob cujus clarissimi signi meritum nos communi consilio Fratribus Scotis, eorumque successoribus in Christo peregrinatibus, integram in majori Ecclesia Canonicam constituimus inviolabiliter possidendam, atque in dotem capellæ, quam sexto Idus Iulii DEO & SANCTO IACOBO dedicavimus. Pratum adjacens prædictis Fratribus, & partem de flumine Mogi ad latitudinem ejusdem prati Domino Pelegrino offerente cum suis Fratribus perpetua donatione confirmavimus. Hæc ergo ut rata & inconvulsa permaneant præsentis scripti pagina confirmavimus, eique auctoritatem impressione sigilli nostri dedi-

mus. Si quis igitur ea inposterum aliquo malo ingenii dolo, seu iniqua suæ temeritatis præsumptione infringere vel infirmare attentaverit, anathema sit maranatha. TESTES Otto major Præpositus. Bebo Decanus Sifridus Præpositus novi Monasterii. Guntherus Præpositus S. Iohannis. Gozelinus Scholasticus. Hartvvicus Cellerarius. Grimo Portenarius, &c.

Acta Dominicæ incarnationis millesimo, centesimo, quadragesimo, Indictione III. regnante CONRADO, anno secundo regni sui, Goteboldo Vrbano Comite existente.

S. Macarius vinum mutat in aquam.

Sane quam mentione S. Macarii sumus commoti, ut factum viri ex Trithemio libeat pluribus commemorare. Cum annus post natum Servatorem volveretur millesimus centesimus nonus, Pelegrinus ad S. Burchardi Abbas, Macarium præter alios mensæ aliquando adhibuit.

Cum hoc enim libenter horas ducebat, quod virtutem pari studio colerent: simile autem non modo gaudet simili, sed etiam appetit simile. Ergo discumbunt: Inferuntur cibi: edunt: tum minister miscet pocula. Macarius jam pridem constitutum habebat, tam vino quam carnibus abstinere: quocirca dum bibebant alii, ipse sitim resorbebat. Puer ignarus quem morem vir sanctus coleret, sponte capit poculum: bona fide infundit vinum: porrigit sitibundo, quasi faveret nihil peteni. Ille territus intempestivo pocillatoris officio, certe captus sum! tacite animo subjecit. Non bibere vinum, decretum est mihi. Ergo ut abiret intactus à sibilo dæmonum, qui res nostras sæpe inter convivia lacerant, poculum in lævam manum translatum, cruce impertivit, & hem, vinum extemplo aqua esse cœpit, in qua sitim is deposuit: at non fefellit una discumbentes. Hi enim curiosis oculis in poculum conjectis vinum ab eo in aquam versum deprehenderunt, pectoraque manibus plaudentes, & capita nectentes, pleno gradu in Macarii laudes iverunt.

Turrim Monasterii sui ruinam trahere, videt Romæ.

Insuper Romam iter suscepit petitum ab Eugenio III. Divorum lipsana: quod autem volebat, valde volebat, id quod de Bruto ferunt. Sensit Pontifex calentem hominis animum, cujus colloquio ut tanto longius frui posset, convivio lo accepit. Dum cibos carpunt simulque verba serunt, *O Deus!* subito exclamavit Macarius: *O Deus, parte misellis, ne devotio fidelium pereat!* Pavefactus hac voce Pontifex, quidnam sibi vellet, etiam atque etiam rogavit.

Ille tergiversatus, adductis ad ultimum humeris nihil respondit. Cum igitur obstinatum silentium rupturus haud videretur, Eugenius cœnam abrupit, remotaque mensa acrius ei incumbens, edicere jussit quid in mentem venisset ut ita subito ominosam vocem ederet? *Modo, Sancte Pater, jam, jam primulum*, tristi voce retulit, *Monasterii mei turris inexpectato casu procubuit.* Re deinde explorata, dies, hora, momentum quoque convenere.

Aquam cruce signat & febrim extinguit.

Quemdam maligna febris jam prope decoxerat. Vxor operam, quam maximam poterat, navabat, ut præsenti fato maritum eriperet, Sita spes in Sancto Macario erat. Procurrit igitur ex ædibus in Divi Iacobi Monasterium: servum Dei appellat, incolumitatem marito suo redderet. Ille sub indignatus fœminæ negavit sibi tantas vires esse. Iret potius, & rogaret Deum. At non ivit, sed gradum proferens propiusque accedens, saltem aquam, dixit, hoc vasculo conditam, ducta cruce salubrem esse, ac meo marito bene evenire jube. Subactus tot precibus hydropota Macarius, exorari se passus est. Compos petitionis mulier curriculo domum properavit: celeri manu ægroto poculum porrexit: is avide laticem hausit: febrim extinxit. Quamvis igitur Herbipolis Macarium semper magnum hominem duxerit, ob hæc tamen admiranda multis eum aliis supremi Numinis amicis, antepoluit.

Trith. Chr. Mon. S. Iacobi.

Frequentia antehac fuere Scotorum Monasteria, quæ singulari lege ægrotorum & pauperum curam gerere tenebantur in proximis nosocomiis. Trithemius Cœnobii hujus Abbates in catalogum referens, primum Irlandum seu Hibernum fuisse, ait, quod Scotiæ nomen etiam Hiberniæ inditum esset. Francones id grati animi erga Sanctum Chilianum monumentum extare voluerunt, quod post tot sæcula, & Lutheri ab Ecclesia secessionem, bellaque civilia adhuc restat. Scoti successerant Germani, etiam Trithemio ibidem munus Abbatis obeunte: sed Iulius Episcopus anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto Scotos revocavit, ne primorum Franconiæ Apostolorum memoria deleretur. Franciscus Hamilthonius Abbas tum jussus est, qui Antistiti in amplissimo procerum consessu eleganti oratione gratias egit, quod à Scotis olim parta, Scotis, reddidisset.

Ioh. Buscius prol. in opera Trith.

An. Christi 687. An. S. Benedicti. 207.

Res à S. Cuthberto Archiepiscopo gestæ.

Angliæ viris Apostolicis floruit.

Beda l.5. c.8.

Vitalianus Pontifex Max. S. Theodorum & S. Adrianum miserat in Angliam. Ille Archiepiscopus Cantuariæ, hic ibidem Abbas ad S. Petri lectus est. Neque solum fide Christiana incolas, sed etiam quoad ingenia ferebant, sacris litteris imbuerunt, ut Venerabili Beda judice nunquam antea cultior fuerit Anglia. Vt enim ipsos magistros omittamus, vixere id temporis ac floruere S. Cuthbertus, S. Eadbertus, S. Benedictus Anglus, S. Ceolfridus, ipse Venerabilis Beda, Albinus Abbas, S. Egbertus, S. Clemens, S. Suitbertus cum duodecim viris Apostolicis, qui postea ab insano idolorum cultu Germanos inhibuere. His addere liceret aliquot sanctos Reges, Reginasque (in diversa enim imperia divisa insula erat:) insignes Episcopos quamplurimos, sed nolumus te morari. Paucis tantum indicare institui, Angliam hac ætate ita redundasse viris magnis, ut bonam partem in Belgiam, Galliam, Germaniam effuderit: quæ vero patrârunt memoratu digna, uno volumine componi non possunt, cum singuli singula impleturi essent. Haud tamen committam ut non ferme unumquemque saltem extremo digito attingam.

Beda in vita Cuthberti, & hist. Angl. Cuthbertus Melrosensis Abbas.

Hoc anno nobis obviam est S. Cuthbertus, Mailrosensis (seu Melrosensis) Monasterii Antistes, qui Lindisfarnensi insula petita, pro animarum salute identidem excubans, nunc concionando, nunc res admirandas vi cœlesti patrando, cacodæmonem undique submovit. Hac opera defunctu solitudinis desiderium incessit: placuit Farne insula, paucis milliaribus Lindisfarnio dissita, ubi eam vivendi rationem inivit, ut post ipsum innumeros sanctos Eremitas ponendos putem. Certe miraculo, Orbi fuit, propior angelo, quam homini. Hic contemplatione altissime suspensus, cœlo hærebat: hic oracula edebat: cum dæmone pedem conferebat: adventantes alios super alios hospites instruebat, quæ omnia merito Bedæ digna relatu visa sunt. Eodem auctore Elfledæ, regiæ filiæ, ex morbo laboranti lineam zonam misit, cujus contactu mox convaluit. Etiam alteri cuipiam saluti fuit, è capite laboranti. Osvvinus Rex votum nuncupaverat se Numini Elfledam consecraturum, si pendam vicisset. Compos victoriæ eam S. Hildæ tradendo votum solvit. Hac Abbatissa demortua, Antistes lecta est. Elfleda anno à nato Servatore sexcentesimo octogesimo. Rege è vivis sublato, Eanfleda conjux in eodem Parthenone Streneshalcensi Monialibus se addidit, ubi ætatem cum filia sanctissime exegit.

Beda c.22. & 23.

Vaticinatur.

Aliquandiu Elfledam mirum desiderium tenuit visendi S. Cuthberti. Hic semper rejecit supplicem; ad extremum exoratus, partito itinere in parvam quandam insulam (Coquedi nomen est) veniendi potestatem fecit. Longo sermone de cœlo, de majorum, de subditorum officio ultro citroque habito, illa colloquium interrumpens ad vestigia Cuthberti accidit obtestans palam ediceret, quot annis Egfridus suus frater regnaturus esset. Ægre tulit pater sibi hanc moveri quæstionem: adactus tamen divini Numinis appellatione, respondit, unum annum. Illa denuo: ecquis regnum post ipsum esset excepturus? carebat enim legitimo fratre altero. Is, Alfridus, subjecit, qui vitio procreatus ab Osvvino juvene, litteris in vicina Scotiæ insula operabatur, ignotus. Elfleda ubi animadvertit se tam benevolo uti Cuthberto, etiam an ipse Episcopus futurus esset, percunctata est. Aniam rumor præbuit, publice jam incedens. Ita visum Numini esse, respondit, ut Episcopatum aliquandiu gereret: posita deinde mitra, Eremum repeteret, atque in solitudine moreretur. Nullum ex his vaticiniis vanum fuit. Anno necdum penitus circumacto Egfridus concessit: sceptrum Alfridus capessivit: vates, Archiepiscopus Lindisfarnensis jussus est.

Beda.

In Lindisfarnensem Archiepiscopalem Cathedram evehitur.

S. Theodorus Archiepiscopus summo studio curabat ea, quæ religionem attinebant. Idcirco diligentissime in corruptos sacrorum ministros quærebat, ut his rejectis integerrimos quosque subrogaret. Hujus gratia Concilium, Egfridi Regis pace, coëgit, quo patrum summo assensu Cuthbertum, quod sanctimonia alios præcederet, Archiepiscopatum Lindisfarnensem renunciavit. Invitatus autem ad Concilium, pro viribus obstitit: venire detrectavit. Opera per legatos aliquoties perdita, Egfridus Rex Trumbino Episcopo Comite, contendit ad ipsius Eremitorium, fracturus viri constantiam, seu pertinaciam, qui tandem precibus expugnatus est. Inde post aliquot menses ad Archiepiscopatum auctoratus, omnium respondit exspectationi: nec quicquam de rigore vigiliarum, jejuniorum, aliarumque asperitatum remittebat, unice annitens, ne à Monacho discederet. Ad subditos verba ipse faciebat: æ-

Pascit oves suas.

gros, egenos adibat: qua parte poterat, levabat. Eo triennio, quo Archiepiscopatum gessit, pestilentia gravissima laborabatur tum est. Quamvis autem in ædibus vitiatis plus possit fuga, quam ars medendi, & per Archiepiscopatum late serperent contagia, is tamen ostiatim obivit urbes, pagos, agros, quod non tam corpore quam animo salvos omnes esse cuperet. Morituros, ad subeundam fortiter ultimum discrimen hortabatur: alios, ne novis peccatis iram Numinis provocarent, admonebat: nonnullos morti eripuit. Hoc officio dum fungebatur, multa miracula designavit, quæ Venerabilis Beda excepit.

Præcingit se in Eremo ad iter æternitatis.

Porro affectus ætate Cuthbertus, denuo quietem ac solitudinem circumspexit, quod in deliciis haberet contemplationem. Sensit etiam se paulatim admoveri tumulo, neque rectius vitæ extremum collaturum, quam suas rationes subducendo cum Deo. Non enim somnium mors est: & viris sanctis quoque animam exhalantibus sæpe multa accidernnt. Itaque pectus quavis labe in Eremo expiaturus, ita dire corpus accepit, ut in morbum haud levem præcipitaverit, ex quo tres hebdomadas decubuit quovis solatio humano divinoque destitutus. Idcirco anxius curis mire jactabatur, quasi Deus oculos ab ipso obliquasset: sed forte fuit, ut is ærumnis plurimis defunctum præmio majore in cœlo afficere posset. Solebant Monachi Lindisfarnenses trajecto mari ad senem subinde visere, quod volupe ipsi esset, charissima pignora videre. At quinque dies tam fœda tempestas versavit oceanum, ut nemo ausus fuerit è portu solvere: iniquius autem venti insulæ Farne incubuere, in qua æger senex lectulo compositus vix spiritum trahebat. Nam cacodæmones ubi animadverterunt illum vita brevi abiturum, veteres pugnas integrârunt, ut saltem ultima impressione veterarum militem funderent, ad quod conficiendum omnia arma quæ orcus habet, expediverunt. Fac, quæso, S. Antonii in mentem tibi veniat. Deus, pugnæ spectator fuit: nemo belligeranti vetulo animum, erexit. Postquam posuere venti, advolavit Abbas Lindisfarnensis, cui æger tanto periculo defunctus, rem omnem, ut gesta erat, exposuit. Roganti quo commeatu vitam interea temporis tolerasset? Cœpas produxit, ut refert Beda: & ex his unam semiesam. Similes viros plures Scotia produxit, solitudinem, jejunia, contemplationem, sacras excubias, corporis afflictiones alias, inter prima rerum mortalium habentes: publici vero, otiosorum congres-

Quinque dies cum ultima inedia conflictatur.

sum, fabularum, epularum, hostes perennes. Sed hodie aliam tibiam Lutherus & Calvinus, par nobile fratrum, ea in insula tumentibus buccis inflant. Carmen illud, *Arcta est via quæ ducit ad vitam*, à comessatoribus istis, Epicuro non indigna sobole, exploditur. Quanquam quid attinet huc afferre Christiani orbis monstra? Noster Cuthbertus macie confectus, vitæ satur, XIII. Aprilis cœlum petivit: ossium suorum hæredem Lindisfarnense Monasterium instituit.

E vita excedit.

Miracula quam plurima tam vivus quam mortuus edidit, etiam vestibus aliisque rebus, quæ usui ipsi quondam fuerant, aliquid virium à suo domino trahentibus. Hinc qui aderant morienti in calceos, & corium quo Eremitorii latus vestitum erat, involârunt. Anno ab ejus obitu undecimo Monachi Lindisfarnensis loco magis honorato arida ossa collocaturi, tumulum aperuerunt. Egesta certatim terra, incorruptum invenere Cuthbertum, dormienti quam mortuo similiorem. Nec vestes quidem novæ, quibus involutus fuerat, ullum vitium per tantum temporis intervallum fecerant. Quo audito Eadbertus negotium Monachis dedit, ut funeri detractas integ lipsana haberent: novas autem alias illi circumponerent. Hæc audivit, vidit, litteris prodidit Venerabilis Beda, ferebanturque publico sermone. Prodigium vero fide propemodum majus est, quod Florentius VVigorniensis memorat. Annis videlicet quadringentis inde elapsis Danos bellum anglis intulisse. Veritum igitur Eardulphum Episcopum ne barbaris venerandum Cuthberti corpus ludibrio esset, id è sepulchro exemptum, transmittere alio constituisse, atque tum etiam integrum deprehendisse. Itaque accensum pietate, cum pretiosissimo hoc thesauro fugam iniisse, vagam illam & dubiam, donec Dunhelmiæ pedem figere, à Numine jussus sit. Eadem civitas postmodum Cathedra Episcopali ob præsentem Divum ornata fuit, sua Lindisfarnensi insulæ adempta. Reges, proceres, divites alii, tantas fortunas sedi novæ intulerunt, ut maximos Angliæ Episcopatus æquârit.

In tumulo viventis ora fere.

Florent. VVigorniens. an. 995.

Dunhelmiæ Sedes Episcopalis ipsius honori collocatur.

* *
*

ANNUS CHRISTI 688. AN. S. BENEDICTI 208.

CAPUT I.

Brevis relatio, quibusdam Sanctis Angliæ debita.

Beda in Cuthberto c. 40.

Eadbertus Lindisfarnensis Archiepiscopus subitam mortem deprecatur.

ANno mortem S. Cuthberti insequente, S. Eadbertus, Archiepiscopus Lindisfarnensis dictus est, homo eruditus, erga pauperes aureus, vestigia sui antecessoris ubique premens. Verno jejunio in cellam privatam, Monasterio vicinam, se recondebat, ubi dies quadraginta jejunando, vigilando, litando preces, lachrymando, ad summam, asperam pœnitentiam agendo, ducebat. Ne subita morte opprimeretur, sæpe à Deo contendit, votique compos est factus. Nam vitam longissime protraxit, affixus lectulo, donec morbis solutus ad superos evasit, quod pro certo habemus: nam in sepulchro multis opem tulit, ut est apud Bedam.

S. Eatta Melrosensis Abbas. Inde Episcopus: ultimo Archiepiscopus.

Celebratus etiam per Angliam hoc tempore S. Eatta fuit, Melrosensis Monasterii Abbas, sub quo Præpositi seu Prioris officio SS. Borsilus & Cuthbertus functi sunt. Cathedram Episcopalem Hagustaldensem primus insedit: inde in Lindisfarnensem Archiepiscopalem evectus est, quam postea S. Cuthberto, suo discipulo, cessit, priore cathedra repetita. Id ætatis etiam floruit S. Bossus, è Monacho Cœnobii S. Hildæ Archiepiscopus Eboracensis, doctrina virtuteque eximius, cujus acta prolixe refert Beda. Ad Episcopatum Dorcacestrensem continuus aditus Monachis nostris patuit. Eleutherius à S. Theodoro Parisiis evocatus, quatuordecim annis rebus optime præfuit: post quem S. Eddo, Monasterii S. Hildæ incola, gubernacula capessens, quatuor & viginti annos non parum subditis profuit. Par est inter Sanctos eum colere, cum ægri verrentes pulverem sepulchri ipsius atque potui miscentes, secundam valetudinem imbiberint.

Beda. S. Bossus Archiepiscopus Eboracensis. Eleutherius Episcopus Dorcacestrensis. Successit S. Eddo.

Winfridus Episc. Lichefeldens.

VVinfridus patientia quam mitra Lichefeldensi (eam biennium tulit) nobilior, honoribus à S. Theodoro abire jussus, non obloqui, non obtrectare, non mutire auditus est. Ante id Abbatiam in Monasterio Adbariensi gesserat. Ei Theodorus Sexulphum sufficit Abbatem, & dignum calamo Bedæ Episcopum.

Beda l. 4. c. 258.

Huic classi etiam accedit Erconvvaldus, quem Beda virum sanctissimum appellat. Duo Monasteria ædificavit, quorum unum habitavit ipse cum Monachis: in altero Edilburga cum Monialibus coluerat. Magnæ admirationis virtutes Erconvvaldi, perpulere S. Theodorum, ut Londinensem Episcopum crearit, quo honore inito cum aliquando iter faceret, rivum offendit, majorem solito undarum copiam vehentem. Ergo in genua se deponens, supplex Numini fuit, viam sibi ut expediret: remoram submoveret. Operæ erat, propitiasse Numen. Subito enim subducta aqua, viam aperuit: sed alveum repetivit ut primum Erconvvaldus cum sociis littus tenuit. Annis sexdecim in Episcopatu exactis, pridie Kal. Maii vitam exuit. A Trithemio inter viros illustres Ordinis S. Benedicti ponitur, totique Ecclesiæ venerationi est. Atqui magnorum virorum censum agere, quos id temporis è nostris numeravit Anglia, est Lybici maris fluctus ad calculos vocare. Vrbes, insulæ, pagi, deserta, infinita acceperant Monasteria, ut prodigio fere simile fuisset, in hac insula. Cathedræ Episcopali alium imponi, quam Monachum. Amor metusque Numinis adeo mentes omnium illa ætate occupaverat, ut Reges Regumque liberi purpura cum sceptris posita, cucullum induerint, spe freti se laqueos à diabolo tentos in Monasterio certius, quam in palatio, exituros.

Beda l. 4. c. 6.

Erconvvaldus Episcopus Londinensis.

Trith. vir illust. l. 4. c. 163.

Exemplo sit Sebbi, Rex Londini, quem Beda ab orationis studio, & erga pauperes liberalitate oppido laudat. Diu is caducas coronas animo contemptim versavit, stetitque sententia ex aula in Monasterium migrare: sed regina annis non minus triginta intercessit, pertinaciter abnuendo. Frustratus tanto tempore suo desiderio, corripitur morbo: acciri jubet Reginam. Hæc advolat: quid se velit, rogat. Tum ille, dudum sibi animum fuisse, quod ipsa non nesciret, respondit, Conditori rerum se consecrare in Monasterio, sed per ipsam nunquam ad eum diem licuisse. Saltem faceret potestatem, ætatis extremum inter Monachos exigendi. Illa tergiversari, hætere, velle, nolle, ut est muliebris animus: ad ultimum modis omnibus instanti, annuere. Sebbi compos petitionis, nihil potius habuit, quam diu cogitata, ocyus ad rem conferre. Itaque regno se abdicavit; gazam regiam Valdhero Londinensi Episcopo, S. Erconvvaldi successori, egenis distribuendum tradidit, ac nudus undique religioso habitu ab eodem est indutus. Humili ac sorte, si vitam producere licuisset, semper contentus fuisset: sed bono Deo aliud visum. Vbi se moriturum sensit, Vald-

Beda l. 4. c. 11.

Sebbi Rex Londini diadema cum Monastica corona commutat. Beda l. 4. c. 11.

herum

herum accersivit, inque venientem conversus, ne à lectulo ante discederet, quam ipse animam efflasset, vehementer oravit, quod sibi à rationibus cum supremo judice exequendis, non parum timeret. Dum sudatur, dum rationes solicite inspiciuntur, subito nuntium cœlo ad ægrum affertur, esset bono animo: facili fato defuncturum (notato simul supremo die:) inter Divos receptum iri. Faustum hoc nuncium is coram Episcopo aliisque assidentibus lætus edidit: nec aberravit eventus. Quæ post mortem miracula patravit, Beda excepit. In æde S. Pauli conditus est, cujus mausoleum nunc quoque superest.

De fatali die æternoque præmio certus fit certior.

CAPUT II.

Longum sanctarum Monialium Catalogum Reginæ regiæque filiæ in Anglia implent.

POst natam primum Ecclesiam Anglicanam, rara virginum Monasteria habuit insula, proinde in Galliam trajiciendum erat, lique sacrum velum consequi volebant. Verum S. Theodoro Archiepiscopatum Cantuariensem moderante, passim Parthenones stabant fœminis excipiendis, nec hujus gratia amplius deserenda patria erat.

Eliense per Angliam celebratum Monasterium, à S. Augustino ædificatum, à principio Monachos habuit; sed à Pēda devastatum, iterumque extructum Moniales accepit. Postmodum à Danis etiam æquatum solo, atque è ruinis denuo eductum, Clericos admisit: quibus remotis, postliminio ad Monachos rediit S. Benedicti, posita ibidem Cathedra Episcopali. Monialium Antistitem egerat S. Ediltruda, quæ non sinit nos hoc loco de se silentium agere. Ejus egregiis facinoribus pleni sunt libri: nos quædam è Beda & Polydoro Virgilio excerpemus.

Monasterium Eliense variat incolas.

Itaque regia stirpe progenita fuit, patre Anna, Orientalium Anglorum Rege, quam is viro maturam Tonberto, Australibus Anglis imperanti, nuptui dedit. Illo brevi è vita sublato, virginitatem nondum libata, Egfrido Northumbriæ Regi collocata est, tam annis quam opibus florenti, Stabile connubium per duodecennium fuit. Cum marito primo nihil annotatu dignum accidisse, ait Polydorus: at secundus quemvis in admirationem rapiat. Etenim Ediltrudam (quam nonnulli Eteldridam vocant) summo amore cóplectebatur, nec alia ardentiora concipiebat vota, quam ut sobolem ex ea tolleret. Sed invitam à patre matrimonio junctam, ferunt: ideoque adduci ab Egfrido nunquam potuisse, ut sacramentum castitatis, quod Deo dixerat, temere solveret, liberis operam dando. Ille igitur jam pridem fatigatus precibus ut missam faceret, assensus est abeunti. Bona fœmina confestim petiit Monasterium, cui Ebba, Egfridi Regis amita, præerat, quo etiam S. VVilfridus Eboracensis Archiepiscopus se contulit, illamque Numini consecravit. Annum unum, non amplius, hæsit, quo diu blandius haberetur quam vellet, ipso natali solo commoda plurima offerente.

Beda l. 4. c. 19. Polyd. l. 4.

Ediltruda bis nupsit, virginitate semper integra.

A S. Wilfrido Numini consecrata.

Ergo illinc excessit, ac dirutum à Penda Eliense Monasterium restituit, quo multæ fœminæ alto sanguine natæ confluxerunt. Has inter, sorores quoque ipsius duæ sacrum velamen sumpserunt. Capto postea clavo, rigore, quam honoribus longius religiosum cœtum suum antecessit. Abjecta tela, vestibus lana textis usa est. Nunquam calidum balneum, gentis suæ more, subiit, nisi Paschatis, Pentecostes, Epiphaniæ, solennibus festis imminentis invitata. Neque ante alias, sed omnium ultima lavit post ancillas. Cum saine quotidie conflixit, cibo semel duntaxat, & quidem parce, adhibito, nisi valetudo, vel insigne festum bis mensulam instruxissent. Aliis Monialibus post preces matutinas persolutas quietem repetentibus, illa usque in lucem vigilias in templo egit, reliquum noctis contemplando fallens. Insuper fatalem suum diem, quotque Moniales peste concessuræ essent, prædixisse fertur. Septennio in præfectura exacto, ad sponsum virginum Christum, quem Regibus mundi ante tulit, candidissima anima subvecta est.

Beda. In Eliensi Monasterio miras virtutis exempla edidit.

In provinciam successit Sexburga soror (ante id Eatconberto Regi Cantuariorum connubio juncta) eamque multos annos gessit. Decem vero & sex elapsis Edeltrudam obscuriore loco jacentem, novæ urnæ temploque inferre statuit. Conveniunt operæ: moliuntur fossam qua condita erat: terram exhauriunt: ô Sancti Cœlites! faciem, & toto corpore, non magis collapsam inveniunt, quam cum mandata sepulchro fuit. Vitam, vigorem, vires, animum, cadaveri inesse putasses. Immo cum sub ejus maxilla subito intumuisset ulcus, idque Cinfridus medicus scalpello incidisset, relicta cicatrix, ut Beda auctor est, in tumulo coaluit, ut tenue duntaxat vestigium superfuerit. Integerrimo corpori mens ipsa par, dum viveret, fuit. Vestes, quibus composita jacebat, nec ruptæ, neque corruptæ sunt: laborantibus vero ex morbis solo contactu salutem attulerunt, ut omittam

S. Edeltruda post mortem sepulchri squallores non corrupta.

tam easdem mortalium corpora habitantes cacodæmones fugasse (impurata enim monstra virginitatis nivem ferre non possunt) & loculum ipsius oppositum privatis luce oculis, caliginem abstersisse. Mutatis deinde vestibus multi illarum usu corporis debilitate levati sunt. *Ad* IX. *Kal.* Iulii annua ipsius memoria instauratur.

Martyrolog.

Sexburga Regina Monasterio S. Faræ se imponit.

Sexburga conjugii vinculis mariti fato soluta, in Galliam iter intendit, inque Monasterio S. Faræ religiosa vota nuncupavit. Sed postquam accepit Ediltrudam sororem suam Eliense Monasterium, è cineribus revocatum, in Parthenona vertisse, valere jussa Gallia eo se retulit, ubi præfectura bene gesta diem obiit non absque sanctitatis opinione, miraculis parta, cujus filia (Hermenildæ nomen erat) post VVilferii Merciorum Regis mortem Eliensi Monasterio nomen dedit, matri olim subrogata. Idib. Februarii concessit, cœlitibus inserta.

Witeburga Antistes.

VViteburga seu VVereburga, VVilferii & S. Hermenildæ filia, in eodem Monasterio Eliensi nomen inter Moniales professa, tantos in virtutibus progressus fecit, ut Eteldredus Rex, cui sanguine juncta erat, inde evocatam novo Parthenoni à se extructo præfecerit. Creditum est, insontem animam recta ad superos abiisse. Magnæ admirationis magnique decoris est, tres priores Eliensis Monasterii Antistites, regia stirpe ortas, & in Cœlitum album relatos fuisse. Sed hic unum te volo, benevole Lector: videlicet istud Asceterium à Venerabili Beda perpetuo Elge: à VVione Elingense vocari: me vero Virgilium Polydorum sequutum, Eliense nominasse, quod peninsula in qua situm est, Elis appelletur. Vulgato sermoni etiam aliquid dandum.

Molan. in Vsuard. 8. Iulii.

Elfleda, Parthenonis S. Hildæ Antistes.

Quamvis hac ætate etiam in ore fuerit Elfleda, Olvvii Northumbriæ Regis filia, fas tamen est eam hic loci involvere silentio, cum paulo ante retulerimus, è sexaginta annis quinquaginta novem ab ipsa in Monasterio positos, cui unum duntaxat annum nata, per votum parentis addicta fuit. Etelfrida ipsius germana alio in Parthenone, à suo genitore, vitam ad S. P. N. Benedicti normam instituit, Congildæ sanctissimæ fœminæ se submittens.

Pindæ Merciorum Regis quinque filiæ, Deo se dedicant.

Hos etiam annos insignes fecere Pendæ, merciorum regis, quinque filiæ: veluti Chineburga, quæ *Alfridi* Regis, mariti sui, exemplo adducta, Monasteria, cui à vicino fluvio Sabrinæ nomen, se intulit. Filia altera, Osæ Saxonum Orientalium Regi collata, regno quoque valere jusso, humile cœnobium cum conjuge subivit. Tertia Eatburga & quarta S. VVeda, innuptæ capita sacro velo Sabrinæ submiserunt, ibidemque præfecturam gesserunt. Chinesdrida sororum vestigia premens, eodem loco se Numini dicavit, cui ab eleemosynis, continuo jejunio, assiduis precibus, aliisque singularis pietatis officiis, sanctæ nomen partum. De his quinque rosis, è Penda crudo Rege ceu spina natæ, quædam memorant Matthæus VVestmonasteriensis, & auctor Chorographiæ Britanniæ.

VVestmonast. an. 70[…]

Vincent. Bel[…] vac. l. 25 c.[…] Polyd. l. 4. Auctor con[…] sin. Beda l. [...] c. 33.

Tulit hæc ætas etiam S. Milburgam & S. Miltridam, Merbaldi Merciorum Regis filias, quarum altera Fenelaci, altera Fanati, religiosissimis Parthenonibus, vota nuncuparunt.

S. Earconvvaldus duo condiderat Monasteria priusquam ad Londinensem Episcopatum inauguraretur. Abbatis munus in uno ipse obivit: in altero, quod Berecingium vocabatur, rem Edilburga, ipsius soror, curabat, cujus actis describendis longus est Beda. Hac duce pleræque Monialium ad eximiam sanctitatem pervenarunt. Quid enim aliud è cœlesti luce conjicias, quæ ipsarum cœmeterio aliquando illapsa, longe lateque diffusa est? Cuidam quietem capienti visa est splendidissima quædam statua à terra usque ad altra tendi: paulo post Edilburga Divorum sedes petivit. Inde viduum Monasterium Hildelidam, summæ existimationis fœminam, Antistitem accepit, quæ habenas non modo non remisit, sed propius adduxit. Templum magnificum, honori Magnæ Matris Dei, extruxit, in quod demortuas sorores transtulit. Harum Monialium innocentia publico sermone vulgabatur; ideoque pulcherrimarum virtutum odorem, quem spargebant, Deus Opt. odore cœlesti compensabat, qui crebro ingenti cum fulgore in hunc locum defluens, nares imbuebat. Vicina quædam Comes oculis capta, spem lucis adipiscendæ concepit, si harum ancillarum Christi tumulis admoveretur. Vix eo perducta est: cœmeterium vix vestigio contigit, cum oculi è caligine evoluti sunt. Vtinam cæci quoque hæretici lucem admitterent, ac meminissent beati temporis, quo Divis summis honos fuit habitus, & recepta valetudo sæpe illis post Deum in acceptis lata! Vtinam vivendi rationem considerarent, quam ante tot sæcula inivere mortales, salutis suæ studiosi! In Monasteria se recondendo, vigilando, orando, jejunando, aspero cilicio cutem premendo, cœlos petivere. Amplexabantur, quæ hodiernis de Lutheri ac Calvini schola lippientibus discipulis ludibrio sunt. Non nudiustertius obscurus quispiam auctor, sed Venerabilis Be-

Beda l. 4. c. [...] a 9. 10.

Ex Berecin[gio] Parthe[none] ascen[sus] ad Supe[ros]

Hildelida Antistes.

da ante

da ante multa secula hæc litteris prodidit.

AN. CHRISTI 689. AN. S. BENEDICTI. 209.

S. Egbertus Anglus.

Monachi S. Benedicti expeditionem meditantur in Germaniam.

IDolis per Angliam ubique versis, omnium conditor Deus magnam piorum & doctorum virorum copiam insulæ fecit. Videbantur omnes incolæ peccata velis remisque fugere: ad divinas leges vitam diligenter instituere: amore boni Numinis ardere, ac ut verbo absolvam, referre primos Christianos. Cum igitur domi otium esset à Gentilium superstitionibus, laborarent autem provinciæ exteræ, præsertim Frisia, Hollandia, Saxonia, Dania, Suecia, aliæque ad Septentrionem exporrectæ, multos Monachos Evangelii ibidem publicandi desiderium cepit. (Præter alia quæ ponderis alicujus sunt, occurrit etiam animo, Anglos à Saxonibus ducere originem.) Res hæc præ aliis curæ fuit Egberto, tam animo quam virtutibus heroicis prædito, cujus gesta per plures libros à Beda sparsa, nemo libro uno exequutus est. Nos Iliadem in hanc nucem involvimus.

Beda l. 3. c. 27.

S. Egbertus Ratmelsigi induto Monacho sedem figit.

Patria Egberto Anglia fuit, ex qua se in Hiberniam eduxit, quæ hujusmodi hospites non modo amantissime accipere, sed insuper litteratos & libris juvare & quadra consueverat. Nonnulli religionem, mores, disciplinam observabant, diversa Monasteria lustrando, ut imitanda domum referrent: alii radices ac sedem in insula figebant, in aliquo Cœnobio vel Eremitorio locum capiendo. Gentis comitatem ac bonitatem aliquandiu animo versans Egbertus, adjuncto sibi Edelhuno, nobili juvene, in Hiberniam vela fecit, quo cum perventum est, gesserunt morem nationi: sed ne in dies, vel etiam in horas cogerentur mutare locum, Rathmelsigii consistere decreverunt, insigni Monasterio, ubi litteras sacras addiscerent. Vagæ enim profectiones neminem in virtutis vel doctrinæ fastigio collocârunt. Romani sapientis vocem jactare hîc liceat: *Nullibi est, qui ubique est.*

Qui ubique est, nullibi est.

Illa in anchora dum hæserunt, pestilentia, teterrimo morbi genere uterque correptus est. Egbertus mortis periculum, vel supplicium æternū exiturus, in arcanum locum se ex valetudinario conjecit, ubi errata præterita ad calculum vocavit, pacem Numinis implorans, ne prius rationes exposceret, quam ipse lachrymis eas delevisset. Incertus absolutionis, tria hæc vota edidit,

S. Egbertus peccata expiat.

Deo nimirum propitiando: in patriam se non reversurum: tota hebdomade incœnatum futurum: quotidie psalterium à capite ad calcem recitaturum, penso Horarum Canonicarum, uti vocamus, non imminuto. Postquam hunc in modum sibi consuluit, suspenso gradu repetivit valetudinarium, sed non fefellit Edelhunum, spe vitæ jam depositum. Experrectus enim, *Frater*, dixit, *quid agis cum tuis votis? heus frater Egberte? Te una mecum viam ad Superos initurum putabam, sed interpellatus à te Optimus Deus, multorum adhuc annorum compotem faciet.* Insequenti nocte is vitæ finem imposuit: Egbertus vero convaluit, & quasi periculosam emensus navigationem novos spiritus sumens, animum tum ad persolvenda vota quæ emiserat, tum ad majora aggredienda instauravit, vitaque asperrima Hibernos, Scotos, Pictos, admiratione suspendit. Eloquentia nec non sacrarum litterarum cognitione cum polleret, frequentes diversis locis habuit conciones: etiam magnates ausus acriter vocare in reprehensionem. Iejunio verno famem semel in die frustillo panis: sitim pauxillo lactis, flore deducto, levare solebat. Ante natalem Servatoris nostri, & post Pentecosten, etiam quadraginta dierum jejunium sibi indixit, parique religione coluit.

Crebro secum volvebat, simul alta suspiria edens, tot amplas nationes jugum à diabolo accepisse, & ferre quoque non absæterno suo exitio, veluti Frisones, Ruginos, Danos, Hunnos, Saxones (hos enim enumerat Beda:) & miseros forte suscepto ab aliquo labore, salvos præstari posse. Ergo re cum Victberto ac nonnullis aliis communicata, ineunt operæ, curarum & periculorum societatem: necessaria itineri faciendo comparant, seque præcingunt saltem SS. Apostolorum limina deosculaturi, si in barbaros provincias penetrare non liceret. Dum stant magnis spiritibus pleni, jam jam in viam se daturi, ecce sibi Monachus advolat, qui Egberto in angulum seducto in aurem dixit, oblatum sibi per quietem S. Boisilum, suum quondam in Mailrosensi Monasterio Magistrum, ac auditum imperare sibi significaret, quam meditaretur expeditionem omitteret: aliud Deo visum.

Expeditionem ad Barbaros adornat.

Petendam esse Hyensem insulam, & collapsam illic disciplinam restituendam. Abolendus etiam Paschatis celebrandi error erat. Egbertus Monachum diaboli arte circumventum ratus, narratiunculam pro nihilo ducens, eum facessere jussit, ne cæteris religionem injiceret. Proxima nocte idem S. Boisilus iterum Monacho quiescenti

adfuit:

Navigat invito Deo.

adfuit: jussa repetivit. At neque tum adduci potuit Egbertus ut crederet invito se Deo animarum conversionem moliri. Itaq; monitore rejecto, se cum sociis ac sarcinis navi imposuit. Sed dum ventos secundos pertinaciter præstolabantur, quadam nocte tanta vi citatū fuit mare, ut sibi omnibus pereundum fore putârint. Multi vectorum rerum suarū haud exiguam jacturam fecere: Egbertus tamen cum sociis supellectilem integram retulit è fluctibus evolutus: nam alibi ejus usus erat futurus. Tandem ergo intellexit expeditionem quidem suam sacram esse, haud tamen Numinis voluntate susceptam. Accessit documentum aliud. Enimvero Victbertus criminis loco fore putavit, si mentem mutaret: quocirca iter in Frisiam intendit, ubi Regi quam subditis res fidei summa contentione explicavit, nullum tamen operæ precium fecit, quod eum agrum cultoribus aliis destinasset Deus. Postquam diu verba perdidit, domum se vacuus recepit. Aliquot nihilominus Monachis Anglis auctor fuit, ut adscitis sibi aliis in Hibernia peregrinantibus, consilia de expugnandis præduris barbarorum pectoribus agitarent: tum si videretur, simul omnes partinacibus incumberent. Brevi duodecim Monachorum egregia manus contracta est, qui ad terram firmam appulsi, innumeras animas stygi eripuerunt. Partem laudandi facinoris aliquam ad se merito Egbertus trahit, quod primus ligna sustulerit, etsi pedem retulerit Numine recepui canente, ut Hiberniam & Scotiam ad Pascha rite celebrandum adduceret. Anglia quidem ad normam Ecclesiæ Romanæ jam redacta fuerat per Concilia. Scotiæ quoque pars impulsu Ceolfridi, Venerabilis Bedæ magistri, morem gerebat; reliqui tamen à sententia dimoveri haud poterant, quam à majoribus imbiberant. Non parva res id temporis erat, ideoque à Monachis Hyensibus serio semper acta, pristinæ consuetudinis tenacissimis. Immo prope à schismate regnum aberat, cujus avertendi gratia S. Egbertus iter in Monasterium Hues suscepit, ut Monachos diuturno certamine accensos in Romanæ Ecclesiæ consuetudinem inclinaret. Hi non aliam ob causam collatatis capitibus pugnabant, quam quod suæ sententiæ S. Columbam, S. Aidanum, virosque alios primæ quondam notæ sui cœtus, auctores haberent, id quod ferri tunc poterat, cum Anglia tota animi penderet, in quam se partem potius verteret. Apparebat jam ad extrema pertinaciæ ventum esse: nihilominus Egbertus ea momenta attulit, quibus denique cesserunt, omnemque Scotiam, in qua plurimum poterant, simul in Ecclesiæ Romanæ sententiam traxerunt. Egbertum inde tredecim annos in Huensi Cœnobio contrivisse, proditum est: nonagesimum vero consequutum, VIII. Kal. Maii, meritis quam annis graviorem, terris excessisse.

Victbertus tenax propositi, nullum ex labore fructum cepit.

Beda l. 5. c. 22.

S. Egbertus componit litem de Paschate celebrando ortam.

Trithem. l. 3. c. 130. illust. vir. Martyrolog. 24. April.

AN. CHRISTI 690. AN. S. BENEDICTI 210.

Monachi Angli expeditionem suscipiunt in Germaniam.

Cursu incitatissimo Alemannis in orcum præcipitantibus: Sanctus Egbertus excidium à miseris avertere maximis viribus studuit: sed à bono Deo vires unum in locum conferre jussus est, scilicet in Scotiam, ob Paschatis celebrationem turpe schisma spectantem. Dedit nihilominus operam, ut in Anglia & Hibernia haberetur delectus, ac Monachi scriberentur qui jam animos quam arma sacra caperent adversus stygem, & fortissimos mortalium Germanos in vincula, à diabolo ductos, expedirent. Neque in ulla natione plus opis esse poterat Germanis, quam Anglicana, quippe è Germanis orta. Nam excidere profecto debent historiæ duodecim Monachi, ad hoc Apostolicum munus designati, quorum proinde nomina subjiciam. S. Clemens vulgo VVillebrordus: Suitbertus: Acca: VVigbertus seu Victbertus: VVillebaldus: Levvinus: Evvaldus candidus: Evvaldus niger: VVerenfridus: Marcellinus: Adelbertus (Regis Deirorum filius) Levita, cum cæteri essent Sacerdotes. Non egestas, non rerum discrimina mille, non Martyria denique, domi hos Apostolos poterant morari.

XII. Apostolici viri ex Anglia movent in Alemanniam, idola & barbariem expugnaturi.

Delati hoc anno Trajectum, rogârunt Pipinum Majoremdomus, ut potestatem sibi faceret ulterius proferendi pedem; quo annuente in intimam regionem progressi sunt S. VVillebrordo duce, cui postmodum Sergius Papa Clementis nomen posuit, quo etiam à nobis subinde appellabitur. Res ab eo gestas inclytis litterarum monumentis Alcuinus Flaccus, qui Carolum Magnum instituit, consecravit. Gente Britannus fuit: patria Northumber, VVilgiso parente natus, quem post aliquot annos pariter vitæ religiosæ desiderium cepit. Vitam igitur orando contemplando, in multam noctem excubando, jejunandoque traducens, tantam à Deo inivit gratiam, ut quædam admiranda fecerit, parta hunc in modum auctoritate, discipuli se adjungere cœperunt; quibus excipiendis Monasterium condidit, cui ipse postea cum imperio præfuit. Nunc rem stupendam commemoravero.

S. Willebrordus, sacri exercitus ductor, a S. Papa Clemens appellatus.

Alcuin. ap. Sur. 7. Nov.

Nondum in lucem editus, prodigioso sidere proditus, qualis esset futurus.

Cum mater S. VVillebrordi adhuc uterum ferret, aliquando in somnum lapsa, novam lunam conspexit, quæ vaga per cœlum, paulatim incrementum sumebat, donec plena evasit. Quid deinde? dum illa intenta spectaculo fuit, liquidum sidus sensim ad torum decumbentis demeans, ora hiantia subivit, totamque matrem splendori involvit. Spectaculum experrecta cuidam Sacerdoti ordine exposuit: is filium parituram vaticinatus est, qui multos cœca nocte mersos, in Euangelicam lucem sit explicaturus. Somnio respondit eventus. A lacte ac nutrice remotum pater Deo mox obtulit, ne puer, si quid temporis intercessisset, aliquid mali vel oculis vel auribus domi aut alibi hauriret. Itaque à teneris unguiculis in Ripense Monasterium ductus, tam bonarum artium, quam magnarum virtutum rudimenta posuit, facilis ingenio, promptus memoria, quibus aliis collatus, multum antecessit.

Admodum puer Monachis Ripensibus à patre commissus.

Forte jam vicesimum annum egregius juvenis numerabat, cum in Hiberniam cogitare cœpit, eo quod manaret fama, nihil illius insulæ Monachis esse perfectius. Simul ac per Abbatem Ripensem licuit, iter suscepit: Hiberniam petivit: ubi ante alios SS Egberto & VVitberto familiarissime est usus. Contritis inter bonos doctosque viros duodecim annis, tantum eruditionis ac virtutis sibi paravit, ut ad quamlibet molem ferendam aptus esset, quod non fefellit S. Egbertum. Illis igitur XII. Monachis, quibus jam convenerat apud exteras gentes promulgare fidem Christianam, antesignanum imposuit, ac ut ejus nutu omnes se moverent, imperavit. Agebat VVillebrordus annum tricesimum tertium (nimirum ætatem hujusmodi laboribus parem) cum è portu solvit. Expositi ad ostia Rheni, qui tunc temporis Galliam à Germania dividebat, turpes errores paganis digito monstrârunt, injecto metu daturos aliquando gravissimas pœnas, si recte monentes oppositis manibus amoverent. Barbari non secus quam si quis prœlium sibi intulisset, se se pariter objiciebant, non latum unguem à majorum suorum vestigiis discessuri. Intellexit Pipinus summo Monachos studio eniti, contendere, instare aversæ à vero Deo genti, nihil tamen efficere, repagula vi perfregit tantum sibi laboris sumens, ut surdis hactenus fabulam ludentibus quaquaversus viam munierit, quod magno ipsis adjumento fuit. Tum enim soluto manipulo diversi se se vastis provinciis ingerentes, insignem undiq; fructum retulerunt, quod non tantum verbis, sed etiam vita documento barbaris essent, quid facto opus. Ex his duodecim Apostolis (non invidebis ipsis hanc vocem) S. Clemens & S. Suitbertus, Episcopi sunt initiati: verum boni consule, quod hoc & alia alio differamus (non enim præterimus) ut tempori serviamus. Quod autem promittimus, re præstablmus.

Cum sociis ostia Rheni tenet: immensum aharum super alias acervatarum superstitionum cumulum demolitur.

Anno præsenti quo S. Clemens seu VVillebrordus è portu solvit, Theodorus, magnus ille Archiepiscopus Cantuariensis, octoginta octo annis gravis, beatorum portum tenuit postquam viginti duos annos Archiepiscopatum gessit, ob morum integritatem, eruditionem, animi magnitudinem, egregiorum discipulorum copiam, quos publico bono eduxit, dignus cui in mortalium memoria æterna status ponatur. Ad S. Petri Cantuariæ, ubi Archiepiscopi & Reges solebant, sepultus est. Mausoleum discipuli triginta versibus inscripserunt, quorum hoc initium:

Beda l. 5. c. 8. Theodorus Archiepisc. Cantuariens. mortem obit.

Tom. 5. an. 597.

Hic sacer in tumba pausat cum corpore
Præsul,
Quem Theodorum nunc lingua Pelasga vocat.
Princeps Pontificum, felix summusque Sacerdos:
Limpida discipulis dogmata disseruit.

Diem suum postquam obiit Theodorus, initis suffragiis Berechtvvaldus Monachus, Abbas Revulsi, litteris excultus, Monasticæ disciplinę tenacissimus (Beda certus verusq; auctor est) candidis lapillis Archiepiscopus designatus fuit, quo in munere triginta novem annis exactis, è statione decessit.

Beda l. 5. c. 9.

An. Christi 691. An. S. Benedicti. 211.

S. Vulmarus Monachus & Abbas Boloniensis.

Bonis avibus ex Anglia me ejicio, & in Germania inferiore quid agatur, proviso. Obviam fit Vulmarus, qui sacrum cucullum ad se quoque pertinere existimans, Altomontensi Monasterio in Hannonia sito, cujus pridem meminimus, se dedicavit, quod disciplina ibi religiosa immota staret. Miraberis autem juvenem rure natum, rure eductum, litterarum quoque rudem, cucullum somniare ausum. Admissus à præfecto Monasterii, in mandatis accepit ut bonos ad pascua ageret: quandoque ligna in culinam adductis brachiis vectaret. Aliquandiu dubiis volavit pennis, incertus qua in officina nidificaret? nimirum an perpetuo bubulcum, an vero mediastinum, aliumve mortalem ageret: interea non despondit animum, industria se aliquid amplius

Sur. 20. Julii. S. Vulmarus, rustica proles, animum ad litteras applicat.

plius consequuturum, quando etiam nodoso è ligno qualis qualis Mercurius fieri possit. Vt voto potiretur, dies noctesque à Deo pendebat, rogans, obsecrans, facultatem viresque sibi suggereret. Instituit igitur elementa prima discere inter boves. Adeptus tabellam qua illa expressa erant, aliòs atque alios, iterumque alios adivit, obtestans, ut imposito digito quem ad modum quæque sonaret littera, vel qui appellaretur, sibi indicarent. Discenti haud subdenda erant calcaria, sed seipse intendebat: quapropter brevi litteras litteris, syllabas syllabis conjungere: demum legere ac intelligere improbo labore didicit. Exculta satis hac puerili sparta, ab armentis ad scholas translatus est, in quibus cum progressus haud pœnitendos fecisset, sacris admotus fuit: nec ideo supercilium extulit, sed majoribus dicto præ cæteris audiens, submissius se omnibus gerebat, abjectissima ministeria sibi vindicans. Dum noctu alii indulgebant quieti, ipse in cubicula irrepens, pervigiles horas in fratrum calceis purgandis ponebat, furtimque ablatos priorem in locum tacite restituebat, quo in opere aliquando ab Antistite deprehensus fuit vehementer obstupescente, quî hoc ei in mentem venisset. Notavit banc cum virtutibus aliis extremam demissionem Vulmari, Abbas ideoq; Sacerdotio eum inaugurari curavit. Ipse vero cum jam non obscuram de se famam serpere intellexisset, fugam spectare cœpit, ne longo labore quæsita partaque, vanæ gloriæ afflatu amitteret.

Initiatur sacris.

Fallit dormientes fratres, eorumque calceos purgat.

Itaque cœtui Monachorum se eximens, Eremum petivit, solam bipennem & apparatum sacrificalem ferens. Primis diebus cava in arbore hospitium cepit, quod tectum aliud subire nec posset, nec vellet: tenuem annonam quidam accola hortatu angeli suggessit. Quamvis autem occultum truncum occupasset, fallere tamen lynceos oculos nequivit. Flagrante postmodum fama, mira ab ipso patrari, Eremus non secus quam forum frequentabatur; quocirca diversa Monasteria condidit (nam plurimi per id tempus ad religiosam vitam degendam aspirabant) inter quæ unum non procul Bolonia positum, Beatissimæ Virgini Mariæ, tum etiam SS. Apostolis Petro & Paulo dedicatum, maxime eminuit. Incredibile enim dictu est, quod magnæ animæ id babitaverint quantum emolumentum in totam provinciam contulerint! Quos ob admissa scelera tristis manebat exitus, hucconfluebant, quid sibi facto opus, Monachos rogitantes. Hi miseris viam, quam insisterent, sedulo monstrabant, ut æternis suppliciis elaberentur.

Speluncam petit.

Boloniense monasterium ædificat.

Sub hoc Ceádualla, qui Saxonibus Occidentalibus imperabat, Romam iter molitus, à Sergio Papa lustralibus undis expiatus est. Sed cum ex Anglia in Galliam trajecisset, ex itinere deflectens, S. Vulmarum convenit, animæ suæ rationes ei expositurus: deinde quo pacto labem animæ, ut homines sumus, impositam elueret, percunctaturus. Quantum bonorem, quantam auctoritatem servis suis conciliet Deus, res ista indicat. Ante id Vulmarus juncto bobum curru, cæsam sylvam in culinam aliasque officinas convectebat, sæpe brachiis inferebat, nemine aliquam ipsius rationem ducente: nunc in beneficio Rex ponit, quod is facilem sibi aditum præstet, onustusque sanctissimis documentis, multas gratias habens, lætus viam prosequutus est. Eximia quædam Vulmari miracula Venerabilis Beda in suas tabulas retulit, quibus prolixe vacare, nobis non est integrum.

Beda l. 5 c. Ceadualla Rex cum v[…] sit.

Diem sibi supremam (vigesima Iuli fuit) fratribus suis denunciavit, inter quorum lachrymas suppositasque officiose manus beatam animam edidit: sepultus in eodem B. Virginis prope Boloniam Monasterio, ubi debilibus sæpe auxilio est. Cum efferretur impositus capulo ex more gentis, non se tenebant Moniales quin accurrerent, saltem mortuum usurpaturi oculis. Sed frustra imminebant ac inhiabant: quamvis enim sacrum corpus è feretro extaret, ipsæ tamen ob offusas nebulas nil nisi tædas funebres, ac funus ducentem turbam videre poterant. Non miramur. Vivus Vulmarus dixerat, nunquam se commissurum, ut lumina conjiceret in fœminam. At non hîc stetit illius pudicitia. Nam insuper huic sexui conspectum sui ademit.

Molan. Indi[…] Trith. l. 3. c. 293 vir Illust.

Invisa vir[…] fœminarum form[…]

Hoc anno Concilium provinciale Cæsaraugustæ habitum est, in quo sanxere Patres, ut Rege Hispaniæ demortuo, Regina in quopiam Monasterio habitum religiosum indueret. Conciliis quidem Toletanis multo ante cautum fuerat, ne qua secundo nuberet, ne si de fastigio descenderet, priori marito dedecus aspergeret; nodus tamen aliquanto arctius adducendus hîc visus est.

Concil. 3. Cæsaraugustanum.

AN. CHRISTI 692. AN. S. BENEDICTI 212.

S. Othilia.

ALsatiæ decus S. Othilia fuit; Vogesum montem, hominibus Deo dicatis frequentissimum, coluit: unde Philesius cecinit:

S. Othilia in Vogeso monte sedem ponit.

Othilia in summo requiescit vertice montis:
Othilia, Alsatici gloria summa soli:

Quarto milliario Germanico Argentorato distat, Attico Duci Sueviæ, & Alsatiæ Domino, S Othiliæ patri, aliquando habitatus, cui avus Herconvvaldus, genitor Leudesius fuit, Theodorici Regis Majordomus, Ebroini competitoris insidiis è medio sublatus. Filii ac nepotes Attici fere omnes de Ordine S. Benedicti bene sunt meriti. Adelbertus natu maximus, Alsatiæ Dux, Monasterium Honovri in quadam Rheni insula fundavit, Monachis S. Benedicti incolendum: alterum pro Monialibus Argentorato imposuit, & S. Stephano dedicavit, fascibus Attalæ filiæ suæ commissis, nepti Attici, cujus filius Ethon Cœnobium Hetenahim ædificavit. Ex felici connubio Adelbertus Eberhardum & Malonem sustulit, quorum alter Murbacense, alter Masmünster, primæ notæ Asceteria, condidit.

VVolffgang. Lazius de transmigr. gent.

Lumine cassa nata est.

Porro S. Othiliam luminibus orbam fuisse natam, historici tradunt: quod autem aliqui addunt, patrem eam ob causam manus infanti afferre voluisse, haud simile vero est. Crediderim omnia potius subiturum fuisse, quam grandi piaculo huic affinem se facturum. Christianus erat: vir bonus erat: denique pater erat. Pro certo habetur, quod cæcam miserit palmam (Burgundiæ Monasterium est, Bisanzio vicinum) virtutibus instituendam. Inter omnes historicos etiam hoc convenit, luce donatam esse cum sacro fonte lustraretur. Nunquam puella æquo animo tulit homines, mundi gaudia in majus, ut fit, celebrantes. A solo sponso suo Christo emolumentum, honorem, delitias sperabat: huic uni se impendere posse, in votis erat. Patrem advertit pium hoc desiderium filiæ, quapropter arcem suam, cui Hohenburg nomen, quam Vogesus suo sustinebat dorso, in Parthenona vertit. Posteri Monasterium S. Othiliæ dixere. Cœnobium aliud ipsa S. Othilia in medio montis locavit, nomine Nidermünster indito. Attici palatium imprimis amœnum à situ erat: nam prospicienti tota se Alsatia objiciebat. Asceterium autem filiæ suæ Othiliæ, nec non Rosvindæ, filiæ alteri, extructum, magnis opibus ornavit. Prior præfecturam gessit, quæ cum secum expendisset parvo labore quantum præmium in cœlo capiendum parare liceret, durissimam vitam instituit. Pane hordeaceo cum paucis leguminibus animam tenebat: quieti parumper indultura, supra pellem urso detractam fessos artus componebat, præduro saxo excipiente caput. Quid multis? tanta asperitate in corpus suum quasi hostis grassabatur, ut eam Antonius Sabellicus inter vitæ austerioris exempla collocaverit, portento aut miraculo similem fœminam. Multæ spectati sanguinis virgines ac matronæ fallacem mundum mortalesque inani spe ludentem cum hoc Altitonensi seu Hohenburgensi Monasterio commutârunt. Pro certo ferunt, sanctam Antistitem hic & in subjecto Parthenone Nüdermünster trecentas & triginta Moniales numerasse. Etsi Nüdermünster à principio pauperum potius hospitium fuerit, qui viribus plerumque defecti, in summum jugum ad S. Othiliam evadere non poterant, ideoque in monte medio hærebant. Postmodum ex superiore Monasterio, nimis referto, colonia in inferius deducta est.

Cæcitatem ab oculis sacer fons abstersit.

Duram vitam instituit.

Sabell. l. 2.

Exemplo multas alta stirpis virgines traxit.

Quædam admiranda de ipsa narrantur, sed me judice ad fabulas abjicienda. Videlicet, decessisse absq; sacro viatico: sed paulo post reducem in vitam, divinam hostiam suis manibus ori inseruisse: etiam calicem admovisse. Anno Ærar. Idib. Decemb. mortua, & Superis adscripta est, cujus venerando ossa Altitonense Monasterium habet. Eugenia, virtute insignis fœmina, illi suffecta est, eodemque templo condita. Multos post S. Othiliam annos disciplina absque corruptela stetit: tandem, ut sunt humana, nutare cœpit: denique lapsa est: anno vero millesimo centesimo quadragesimo Friderico Barbarossa, Alsatiæ ac Sueviæ Duce, imperante, Monasterium, cui is plurimum cupiebat, ad frugem rediit, accita è religiosissimo Parthenone Pergensi Relinda, singularis prudentiæ Antistite, quæ suas subditas non modo bonis moribus, sed insuper lingua latina imbuit, quod Bruschius refert, additque multa se illic Epigrammata legisse, ab eadem composita. In munus huic successit Herradia, innocentia, animi magnitudine, industria, non dissimilis, ac opibus poliens Cannonicis Asceterium ad pedem montis posuit. Librum cui titulus: *Hortus delitiarum*, è sacris voluminibus anno MCLXXXI. contexuit, quo suas virgines amore Sponsi cœlestis accenderet. Volupe est saltem libare prologum. Ex ungue leonem cognosces: *Heradis gratia Dei Hohenburgensis Ecclesiæ Abbatissa, licet indigna, dulcissimis Christi virginibus in eadem Ecclesia, quasi in vinea Domini, fideliter laborantibus gratiam & gloriam, quam dabit Dominus. Sanctitati vestræ insinuo quod hunc librum, qui intitulatur, Hortus delitiarum, ex diversis sacræ phi-*

Idib. Decemb. vita excessit.

Gasp. Bruschi. de Mon. Germ.

losophice

losophicæ scripturæ floribus, quasi apicula Deo inspirante comportavi: & ad laudem & honorem Christi Ecclesiæ, causaque dilectionis vestræ, quasi in unum mellifluum favum, compaginavi. Quapropter in eo ipso libro oportet vos sedulo quærere pastum, & melleis stillicidiis animum reficere lassum, ut sponsi blanditiis semper occupatæ, & spiritualibus deliciis saginatæ, transitoria secure percurratis, & æterna felici jucunditate possideatis, meque pervarias maris fluctuum semitas periculose gradientem, fructuosis orationibus vestris à terrenis affectibus mitigatam, una vobiscum in amorem dilecti vestri sursum trahatis, Amen. Fragmenta quoque Versuum, ab hac Antistite profectorum, exhibet Bruschius. Anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo Monasterium Nidermünster: & millesimo quingentesimo quadragesimo sexto Hohenburgense, incendio hausta sunt: hujus tamen templum è cineribus revocatum esse, accepimus, ne S. Othilia bis sepeliretur. Ibidem stante fabrica aliquot Monachi degebant, qui divina obibant.

Monasteria S. Othiliæ incendio hausta.

AN. CHRISTI 693. AN. S. BENEDICTI, 213.

Concilium XVI. Toleti habitum.

ERvigius Gothorum sceptro potitus, Egicæ, qui VVambam cognatione attingebat, filiam suam nuptui dedit. Regnabat is sub hoc tempus, vir fortis, strenuus, probus. Vt Ecclesiæ consultum iret, Synodos cogi diligenter curavit: Regum insuper Gothorum leges, Reip. bono aliquando latas, restituit: neque ultra ipsum fortissimæ gentis fortuna progressa est. Nam VVitiza & Rudericus, in quos regnum post ipsum incidit, rem fregerunt. Forte hoc temporis Cathedram Toletanam Sisbertus tenebat, homo ad seditiones factus, qui tanto in Egicam Regem odio ferebatur, ut non modo sceptrum, sed etiam vitam ei adimere meditaretur, cujus sceleris in hoc Concilio convictus, summo Patrum assensu gradu dejectus est. Eo etiam arrogantiæ processerat, ut Casulam, qua S. Isidorus à B. Virgine ob defensam ejus virginitatem donatus fuerat, in collum suum conjecerit. Sella quoque hominem inflatum sustinere debuit eo loco, quem suis vestigiis eadem Virgo tunc institerat, cum præmio suæ causæ patronum afficeret, quem locum duo Archiepiscopi, qui scelestum antecesserunt, contingere nunquam sunt ausi. Sed nec improbo impune esset, honore (Numine omnia digerente) debuit abire. Versis Sisberti rebus, quidam Felix clavum Archiepiscopatus obtinuit, forte ille Abbas fuit, qui XIII. Concilio Toletano subscripsit: vel alius qui Archipresbyter duobus Conciliis sequentibus interfuit: etsi conjectura etiam in Archiepiscopum Bracorensem cadat. Sed dedita opera quid parva momenta quærimus? Verisimilius est, ambos in tam alias Cathedras fuisse sublatos. Ita Faustinus Concilio Toletano XIII. Abbas: post XVI. Archiepiscopus Hispalensis fuit. Huic Concilio Gabriel, Eulalius, Nervatius, Braulius, Eugenius, quinque Abbates, in hæc verba subscripserunt: *Gabriel, misericordia Dei Abbas, hæc decreta Synodalia à nobis edita, subscripsi.* Vnde apparet nostros Abbates in Synodis provincialibus & nationalibus unà cum aliis patribus & consedisse, & sententiam tulisse.

Ervigius Rex & regno & Ecclesiæ consulit.

Sisbertus è Cathedra Toletana excussus.

Nostri Abbates Conciliis provincialibus sententias tulere.

Anno insequenti Concilium XVII. Toleti habitum fuit, tertium sub Egica Rege, quod cum ad argumentum nostrum non pertineat, prætereo, uti multa alia quæ deinceps in Hispania acciderunt, lachrymis quam luce digniora. Etenim Reges nauci ad deploratissimum statum adduxere regnum, majorum virtute partum servatumque. Irato proinde Deo in Hispaniam veluti immanis procella infusi Mauri Regibus subactis rerum potiti sunt. Religio simul in tristeexitium rapta: ac nisi Monachi nostri labentem sustinuissent, de ea conclamatum fuisset Barbaris ubique Mahometem crepantibus: Christianos (cane quos pejus oderunt) aris ac focis exuentibus. Sed hæc alibi acturi sumus.

ANNUS CHRISTI 694. AN. S. BENEDICTI 214.

CAPUT I.

S. Vedasti Monasterium. Theodorici Regis Franciæ fatum, & mausoleum.

EBroinus, infausto sidere natus, quanta Galliam clade affecerit, non diu est quod memoravimus. Quidam totam fere exercitæ tyrannidis culpam transferunt in Theodoricum Regem, toties nobis descriptum, qui summam regni Ebroino credidit. Nonnulli Regem absolvunt, quasi per eum non steterit cohibere insanum caput, quando Majoresdomus Galliæ pacis bellique jura, arma, ærarium, regni, Reip. nervum, in potestate habere consueverint. Culpa eum non penitus vacasse, argumento est quod senior facinoribus Ebroini indoluerit: tum etiam damna ab eodem illata resarcire conatus sit. Ita Alsatia & Suevia, Ducatibus duobus,

Theodoricus Rex damna ab Ebroino palatii magistro illata, studuit resarcire.

duobus; Atticum S. Othiliæ patrem ornavit, ut mederetur vulneri quod is à cæde Leudesii sui patris acceperat, patrata per Ebroinum. Insuper sub hoc tempus vel fundavit, vel majorem in modum auxit Monasterium S. Vedasti, quod est apud Atrebates, ad expiandam necem, S. Leodegario Augustodunensi Episcopo in agro Atrebatensi ab Ebroino illatam.

Molan. V. Vedast. S. Vedasti Monasterium condidit, vel auxit.

Regem hoc anno esse mortuum, nos pro certo habemus: Baronius sexcentesimum octogesimum octavum ei extremum fuisse contendit, pernegantibus Galliæ historicis. Sigebertus Gemblacensis & Iohannes Tilius anno sexcentesimo nonagesimo tertio vivere eum desiisse, affirmant. Idem Trithemius litteris prodidit. At Belforestius, Papirus Massonus, alii recentiores, sexcentesimum nonagesimum quartum ejus fato assignant. Certe Epitaphium ipsum Theodorico in S. Vedasti Monasterio sepulto positum, erroris manifestum facit Baronium. Deinde vitam Ebroino ultra sexcentesimum octogesimum septimum non indulget Cardinalis, post quem auctorum consensu præfectus palatii seu Majordomus lectus VVaratus: ab hoc Gislemarus, qui ambitione subactus patrem gradu movit: inde VVaratus restitutus est: successit Bertharius ipsius gener: postea Pipinus, qui tam in Austrasia quam Gallia honorem hunc gessit. Quis autem animum inducat unico hæc omnia anno facta?

Baron. an. 681. Sigebert. an. 693. Til. 693. Trith. in Theoder. Belforest. 694. Masson. in Theodor. An. 694. diem obiit.

Collabente Romano Imperio S. Vedastus rem Catholicam in Leucis gnaviter propagabat. Fuit, ut Clodoveus I. Galliæ Rex eo in tractu bellum Germanis moveret, à quibus fusus & in fugam conjectus fuisset, nisi viri sancti preces victoriam peperissent. Victorem ad ad S. Remigium Rhemos tendentem prosequutus, Vedastus cæco obviam facto lucem impertivit, cujus miraculi magnitudine ictus Clodoveus, tanto ardentius ad Christianorum sacra adspiravit. Non fefellit hospitis Vedasti virtus Archiepiscopum Rhemensem; quocirca ad sacram tiaram initiatum dimisit, atque Atrebates excolere jussit. Dictum: factum. Quid enim non possunt verba, operibus & miraculis sociata? Caput Episcopatus Atrebatum erat, quo cum postea Cameracensis Diœcesis coaluit. Sic apud Hispanos Ecclesia Cathedralis Calahorræ, ac altera ad S. Dominicum, in unum contractæ sunt Episcopatum. Porro is in Pontificiam Sedem, ut tum res erant, sublatus, Cellulam ad fluvii ripam (Crientioni nomen est) levi opere composuit, in quam munere suo defunctus, secedere consueverat, ut nonnulla quiete capta, refecto etiam spiritu, recentior labores interpolatos repeteret. In votis etiam habuit in egregio illo Mausoleo condi. Sed post mortem in populi potestatem venit, qui negavit pati se posse, ut vir summus, qui sibi parentis fuisset loco, in angulo vilis tugurii delitesceret. Quocirca eum in Cathedralem Ecclesiam, Beatissimæ virgini dedicatam, humeris vexerunt.

Miræus in Originibus Benedictinis. S. Vedastus cæcum luce impertit. Cleatum Attebat. Episcopus primus. Moritur.

Multos post annos eo venit S. Autbertus Episcopus, qui Cameraci colebat, exploraturus num Canonici sui, num deinde populus officium facerent. Aliquando penso nocturno persoluto, in locum eminentiorem se se extulit, nescio an liquidioris auræ captandæ vel alterius rei gratia. Dum huc & illuc voluit oculos, populosæ quondam urbis ruinas, & tunc propemodum desertæ, proprioque Episcopo destitutæ considerans, aliquanto prospexit longius, qua nimirum Vedasti cellula stabat. Indoluit tantam gemmam hærere in luto. Igitur animo versare cœpit, quo potissimum loco sacra ejus ossa deponeret. Dum animi pendet, subito ad ripam Crientionis architectum una cum operis expeditis conspicit. Ille mensorio baculo vastæ fabricæ spatium capiebat: istæ ad imperium intentæ stabant. Continuo intellexit Autbertus, quid à se fieri vellet Numen. Itaque mora omni remota, justum Monasterium eo statuit, ac imposita suprema fabricæ manu, S. Audomarum Tarvanensem, & S. Lambertum Trajectensem Episcopos cum aliis primæ nobilitatis viris Atrebatum invitavit, ut instructa festiva pompa, in novum Cœnobium, clivo montis (cui jam magna pars urbis incumbit) inædificatum, transferret. Supplicatione igitur in Monachos, Clericos, populum, rite digesta, cereis ac facibus toto agmine collucentibus, in humeros sustulere Divum. Lento gradu ad novum Asceterium tendentes pone sequebatur S. Audomarus, oculis captus, à quibus tenebras subito abstersit S. Vedastus. Gaudebat ille quidem sibi copiam esse factam videndæ solennis pompæ, qua plurimum afficiebatur, at mundum multo ante pertæsus, oravit Deum ut oculis denuo lumen adimeret, ne mens varias per formas sparsa cæcutiret. Petitionis extemplo factus est compos, omnibus quos ea res adverterat obstupescentibus. Ad Sancti Vedasti honorem pertinebat, Monasterium ipsius miraculis celebrari. Sacris ossibus in templum illatis, Monachos S. Autbertus addidit, qui debito cultu Divum assiduo prosequerentur. Extra mœnia situm erat Monasterium, quod ægre ferebant cives, rati non facile se expugnandos, si S. Vedastum,

Fulbert. ap. Sur. 13. Decemb. Festiva pompa in novũ templum, ipsius honori erectum, transfertur. S Audomarus cæcos oculos lucidis anteponit.

quem

quem tutelarem legerant, in sinu haberent. Ergo veteres muros diruunt: novos tam longe proferunt ut etiam Monasterium cingant: unde duplo tanto major civitas evasit.

Gerard. Mercat. in Atlante.

Speciem refert duarum urbium, inquit Mercator, *quarum alteram vocant la Cité, estq; juris Episcopalis: alteram la Ville, estq; juris Principalis. Minor illa est, sed amœna, habetq; templum Cathedrale elegantissimum, sacrum B. Virgini.*

Origo Monast. S. Vedasti ad S. Autbertum referenda: augmentum ad Theodor. Regem.

Hæc cum ita, antiquissimi hujus Monasterii initia plane ad S. Autbertum referenda sunt: Fundatoris tamen nomen Theodorico Regi partum est, quod maximis id beneficiis obruerit. Impellebant ipsum vita Sancti Vedasti, innocentissime traducta: instabant miracula quæ crebro vulgabat fama: urgebat conscius nimii favoris animus, quo Ebroino impune peccare licuerat: aurem denique mors vellicabat, ut sibi tempore conderet Mausoleum. Ingentibus possessionibus privilegia quæ potuit adjecit, statuendo ut nemo mortalium id loci jura daret: Reges Franciæ omnem injuriam à Monasterio averterent. S. Vindicianus quoque S. Autberto succedens, non parvum libertatis momentum attulit, Iurisdictioni suæ Episcopali renunciando, ut sola Roma in Monachos dominaretur, quod decus regiis dumtaxat Asceteriis olim obtigit. Eadem libertate gaudebant subditæ Præpositura seu Prioratus, Abbate S. Vedasti Iurisdictioné Episcopalem in eos exercente. Hæc omnia in paucos versus, ibidem lapidi incisos, congesta sunt: rudes illos quidem, attamen à vero non aberrantes. Lege sis:

Rex Theodoricus ditans ut verus amicus.
Nos ope multimoda, jacet hîc cum conjuge Doda.
Regis larga manus, & Præsul Vindicianus,
Nobis regale dant & jus Pontificale.
In decies nono cum quinquagies duodeno
Anno defunctum sciat hunc, cui quatuor addat.
Qui legis hac hora, Dominum pro Regibus ora,
Muneribus quorum stat vita Dei famulorum.

Theodor. Rex diem obiit an. 694.

Aub. Miræus Orig. Bened.

A Vedastina Abbatia non minus octo Præpositura dependent, quæ à Monachis curantur, videlicet, *Angicurtiensis seu Agilcurii*, in Sylvanutensi Diœcesi sita, decimo fere lapide à Lutetia: Clothildis viduæ Clodovei Regis munus. *Manliensis*, altero à Perona milliario distans, limitibus regni Galliæ, uti prior, inclusa. *Salliacens.* in Artesiæ ac Flandr. confinio. *S. Michael.* in suburbio *Atrebatensi* extructa. S. Petri de Gorrea, uno tantû lapide à Bethunia, Artes. oppido, remota. *S. Salvatoris, sive SS. Trinitatis Bercloensis*, Bassea medio milliari dissita. Accessit hæc Monasterio liberalitate Ledvini, qui Monachus ibidem deinde, Abbas factus est. *Hasprensis*, honori SS. Hugonis & Aichadri dedicata. Viam quæ Cameraco Valencanas fert, ex medio partitur. Quo pacto cesserit Vedastinis, in hæc verba memorat Iacobus Guisianus.

Iac. Guisian. Chron. MS. Hann.

Pipinus Majordomus Austrasiorum, victo Theodorico Galliæ Rege, fundavit Cœnobitis Benedictinis, Gemmetico celebri Diœcesis Rothomagensis Monasterio evocatis. Porro anno Christi millesimo vicesimo quarto Gerardo eo nomine primo Cameracensi Episcopo procurante, facta est permutatio inter Vedastinum ac Gemmeticense Monasteria, Vedastinis Anglicuriam, in Diœcesi Bellovacensi sitam, mutuum Vedastinorum cedentibus: Octava denique Præpositura, uno lapide Bethunia distans, *à S. Christina de Beveria* fert nomen.

Opes Vedastinæ incredibiles.

Nobis admiratione dignum semper visum est, vetustissimo Monasterio ex opibus sæpissime accisis, versis, direptis, ita luculentas partes superesse. Vnde totum æstimare licet, quantum fuerit. Flammis semel haustum fuit: semel expilatum à Nordmannis: & cum Atrebatum in primo limine Artesiæ, stet sitque objectû Gallis, hi olim capta urbe in Cœnobium pariter irrumpentes, non modo quicquid ferri aut trahi poterat, sibi vindicârunt, sed insuper insanam stragé per ædificia, ut militum est ingenium, ediderunt, nihil integri relinquentes. Similem sortem à Flandris passum est. Viam tamen, qua ultimum exitium evaderet, S. Vedasto duce invenit, cui merito reliquias suas opimas in acceptis fert. Equidem hodie quoque fortunis, potentia, ædificiorum splendore, sacris lipsanis, apparatu templi, auctoritate, ante alia inferioris Germaniæ Cœnobia pollet.

Nam huic Marchianense, Stabulense, S. Bertini, Blandinense, Gandavense, Monasteria multo amplissima, concedunt. Vnde Molanus: *Est inter Monasteria Belgii longe opulentissimum.* Guicardinus urbis *Atrebatensis* ornamentum appellat. Calculis deinde dispositis annuos redditus viginti millia nummûm aureorum æquare affirmat. Meyerus tantas fortunas soli Abbati assignatas, ait: quapropter si censum Religioso cœtui & fabricæ destinatum ad-

Molan. V. Vedast. Guicard. descript. infer. German. Meyer. an. 1462.

das, ingentem summam confeceris. Sunt qui pro certo ferant, Abbatiam Episcopatui antecedere opibus. Antehac pro Bulla Confirmationis quatuor millia florenorum Pontifici Max. pendare consueverat: cujus dimidium multi quondam Episcopatus non solvebant.


Eos involavit Baldv. Flandriæ Comes. Magna vis nummis inest profecto. Nam æs Vedastinum eam pietatem Baldvino Flandriæ Comiti injecit, ut se ad Abbatiam demittere voluerit, nec moribus, nec habitu, nec statu mutatis. Malum ingens, quo passim premuntur hodie Monasteria, sacris Ordinibus ingemiscentibus; quasi Principes, Reges, Imperatores, aliique sanctissimi Fundatores, istis messoribus consevissent agros, cultum divinum imminuentibus. S. Fulco Rhemorum Archiepiscopus (Papir. Masson. in Carolo simpl.) perquam ægre tulit, Comitem inter sæculares, non vero Monachos, nomen profitentem, bonis Deo Opt. Max. à Theodorico Rege transcriptis, avidas plus æquo manus injicere. Quocirca ut avaro (quo nihil scelestius) obviam iret, non tantum S. Vedasti, sed etiam S. Bertini, Monasteria totius Artesiæ ditissima, suæ tutelæ vindicavit, utrobique clavum capiens atque tenens, quæ cum sanguine ipsi stetit. Etenim facinorosus quispiam à Comite gratiam initurus, collocatis Fulconi insidiis iter facientem cum sicariorum manu invasit confoditque. Eum Ecclesia SS. Martyrum, Vedastinum Cœnobium suorum Abbatum numero, habent.

Aub. Miræus. Parva crescunt. Locum à principio pauci Monachi coluere, Præposito seu Priori morem gerentes: at Theodorici anno XII. agente Vindiciano Episcopo, Hatta (quibusdam Halto) vir cumprimis religiosus ac prudens, è Monasterio Gandensi accitus, Abbas est jussus, quod Iacobus Mejerus anno salutis parte DC.XC. factum, prodidit. Insignis quoque Antistes Adelungus fuerit, sub annum DCCC.XXIII. rebus præfectus, quem Ludovicus Pius oratorem ad Summum Pontificem misit, ut Romam ob allatas Theodorico manus concitatam, componeret. Poponem, aliquandiu fasces olim hic habentem, Ecclesia ad VIII. Kal. Ianuar. anniversario cultu prosequitur. Gerardum vero, Ducem Austrasiæ, lapsæ per Belgium disciplinæ instauratorem, & Asceterii Bronensis conditorem, sacri fasti V. Non Octob. exhibent.

S. Vedasti Monasterium magnorum virorum seminarium. Ad S. Vedasti familiam etiam Rodericus, eximius ille Monachus pertinet, à Baldvino Barbato Comite sub annum M. XX. ad Sanctum Bertinum evocatus, exerrantem disciplinam corrigendi gratia. Insuper cum Marchianense Monasterium à S. Rictruda Monialibus extructum, sed postea ab Nordmannis solo æquatum, anno M. XXVIII. è ruderibus iterum emersisset, Monachis D. Benedicti tributum fuit Ledvino è S. Vedasti excito, & pro Antistite imposito. Einhamensis Cœnobii Fundator Baldvinus Comes VValthero Monacho inde quoque accersito habenas commisit. (Frodoard. hist. Rhemens. Democh. de Sacrif. l. 2. c. 17.) Præterea Transmarum Episcopum Noviomensem: & Ragemboldum, qui Episcopatum Ambianensem anno nongentesimo quadragesimo nono non gessit: insuper, Autbertum II. Cameracensi Cathedræ anno millesimo decimo quinto insidentem. Canonicis Monasterium Cameraci posuit, quod S. Auberto dedicavit. Omitto etiam Iohan. Fabri Iurisperitum, postea Monachum, quem Belsforestius ad annum millesimum trecentesimum nonagesimum secundum catalago Episcoporum Carnotensium inserit.

E cœtu Monachorum S. Vedasti S. Vigorem absque injuria submoveo. Nam annis fere centum ante vixit, quam S. Autbertus & Theodoricus Rex hujus Monasterii fundamenta jecissent. Sed cum ex more Episcoporum id temporis S. Vedastus plura construxerit Cœnobia, forte unum incoluit S. Vigor, unde nomen ei Monachi S. Vedasti factum.

Quamvis autem extra Galliam situm esset S. Vedasti Asceterium, Reges tamen optime de eo sunt meriti, Theodorici exemplo adducti. Deinde, Reges Galliæ ea ætate Austrasiæ quoque jura dabant, quæ Germaniam inferiorem, & bonam superioris partam includebat. (Papir Mass. in Lob. VIII.) Inter beneficia à Regibus Galliæ in hoc Cœnobium profecta, summæ gratiæ diligentissima memoria Carolo Calvo habendæ sunt, ob privilegium à Iohanne VIII. Pontifice Max. impetratum. (Script. 30.) Exemplum Appendix refert. Hoc loco apte quoque ponimus Robertum II. Flandriæ Comitem, cognomento Hierosolymitanum, quod magnum momentum ad terram sanctam hostibus eripiendam contulisset. Hic præter alia, etiam sua ossa dedit. (Lib. ep. decret.) Inter epistolas decretales quinque inveneris, ab Innocentio III. huic Monasterio tanquam munimenta missas. Quocirca non miraberis Rem Vedastinam hisce fulcris tot sæculis stetisse, quam tamen Galli nuper inclinârunt.



CAPUT II.

S. Clemens (alias VVillibrordus) cum sociis sacra Christiana late propagat.

Post Theodoric. Rex creatur Clodoveus.

SCeptrum à Theodorico excepit Clodoveus filius, cujus non magna tunc habita ratio, quod virilem togam nondum sumpsisset. Deinde Majoresdomus id temporis Regum Galliæ potentiam arcte circumscripserant, rerum summa sibi vindicata. Quemadmodum enim hedera per murum serpens, obvias quasque rimas subit, & paulatim hærentia saxa labefactat, tantasque vires acquirit eundo, ut fatiscentem, murum dejiciat, ita hi præfecti palatii Galliæ Regum amicitia fulti, nervum Reip. ærarium ad se trahebant: arma, aliaque regnorum firmamenta sibi accommodabant: denique viribus Regum in hunc modum accisis, solium excussis dominis, ipsi occupârunt. Erat per hoc tempus Majordomus *P*ipinus Crassus (diversus à *P*ipino parvo, Franciæ Rege primo) qui prudentia & industria tantum valuit, ut prima *M*onarchię Gallicę fundamenta jecerit. Ei seri nepotes, & ab his nati, sceptrum Galliæ debuerunt. Qui regnum à se partum, ad seros nepotes transmisit. Fors in hoc sublime fastigium juvante Deo sublati sunt, quod rem Christianam summis viribus essent promoturi.

Pipinus S. VVilibrordo atq; sociis viam in Frisiam inferiorem aperit.

*P*orro hac tempestate arma adversus Ratbodum Frisiæ Regem idololatram capessens Pipinus, bellicosus Princeps, gaudebat ita opportune advenisse duodecim illos *M*onachos, nimirum, quos à S. Egberto in *A*nglia lectos missosque nuper diximus. Itaque eos in citeriorem Frisiam, à se jam subactam, immisit, ut turpibus idolis colla torquerent.

Moreat. in Atlan.

Trajectum inferius (Germanis VViltenburg) Clementi placuit in sedem. Hanc urbem vulgo Vtrecht dicunt, ridenda origine. Solebant Romani legiones Rheno adjacentes dimidiatis verbis designare. Eum locum, quem hodie urbs occupat, xxxv. legio tenuit, paucis litteris istis descripta: V. TRIC. LEG. STAT. id est: *Quintæ tricesimæ legionis statio*. LEG. exesum erat. Expertes linguæ latinæ collectis in unum vocabulum syllabis legêre, *Vtricstat*, inde natum Vtrecht. Quid vis? similli errore ex LEG. ANT. STAT. id est: *Legionis Antonianæ statio*, *Canstat*, civitatis Sueviæ nomen conflatum est. Dagobertus Clotarii filius locum vi cepit, & Trajecti nomen indidit, quod illic Rhenus à commeantibus trajiceretur. Adhæc *Trajectum inferius* vocatur, ut hac nota à Mastricho seu Trajecto superiore distinguatur. Relatu certe dignares est, Trajectum inferius seu Vltrajectum, quo de agimus, ita cingi oppidis, ut inde una die ad quodvis è quinquaginta pervenire pedes queas: & ex viginti sex lento gradu domum redire. *P*ræter templa alia minora urbs quinque magna olim numeravit, totidem Collegiis Canonicorum, rem divinam in iisdem obeuntium, in quibus hodie irato Deo hæresis ululat.

Vltrajectum multarum urbium centrum.

Consulto igitur Clemens sua castra hic posuit, unde quaquaversum irruptionem in idola cum sociis facere posset. Etsi vero pagani adhuc incolerent urbem, ea tamen cum vicina terra à Pipino in potestatem redacta erat. Stabat ibidem magnifica ædes, S. Thomæ consecrata, opus Dagoberti, quam à Frisonibus destructam, S. Clemens aliquo modo restituit, posito prope sacello S. Cruci dedicato, in quo traductos ad fidem lustrabat.

S. VVilibr. seu Clemens Vltrajectensis primus Archiepis.

Inde Romam profectus Vltrajectinus Archiepiscopus à Sergio Papa creatus est. Reversus domum animum ad augustum templum Divo *M*artino construendum adjecit, in quo Cathedram Archiepiscopalem collocavit, Monachis Canonicorum ministeria explentibus. Ita morem tunc obtinuisse, Venerabilis *B*eda affirmat, quam rationem Cathedrales Ecclesias instituendi S. Augustinus noster multo ante inivit in Anglia, eam à Gregorio Magno edoctus. Patriam proinde consuetudinem S. Clemens etiam Vltrajectum introduxit. Cum igitur duodecim isti legis divinæ præcones domi fuerint Monachi, & oblata quã diximus occasione Vltrajecti, munia Canonicorum ad S. Martini sint functi, nec habitum S. Benedicti exuerint, nec Regulam, in quam ante juraverant, deposuerint, luce meridiana clarius est, in Ordine D. Benedicti Canonicos fuisse regulares, seu *M*onachos Ecclesiis Cathedralibus addictos, quos auctores modo Canonicos, modo *M*onachos appellant. Incertum hoc lividi faciunt, veteris historiæ ignari: aut alii qui putant id nobis fructui, vel gloriæ esse posse.

Beda in Cuthbert c. 26, & in hist. Ang. c. 26. & 27.

In Ecclesia Cathedrali D. Martini Monachi Canonicorum officia fecerunt.

Rebus in urbe rite compositis, altius in Frisiam, Hollandiam, & Geldriam, divisa opera, penetrârunt, Ratbodo præ aliis ad Christiana sacra invitato. Quamvis autem curæ, labori, industriæ, nihil addi posse videretur, sementem tamen ut plurimum facere in arena. Quocirca secundum Rhenum iter suum carpentes, reliquias idololatriæ penitus aboleverunt. S. Clemens in Trevi-

S. Clemens condit Monasterium S. Mariæ ad Martyres. Brusschius.

teosis agro cum haud immeritam laudem gratiamque tulisset propter positam industriam in vellendo lodio, postea in metropolim se agens, Monasterium *S. Mariæ ad Martyres*, ad Regulam S. Benedicti hoc anno adjunxit: in Ducatu vero Luxemburgensi religiosum domicilium, cui Epternaco nomen, ædificavit.

Prius Asceterium amœnissimo situ propter Mosellam conditum est, olimque Romanos invitavit ut ibi arcem, quæ pro prætorio esset, collocàrint. Postquam Treviri Gallis cessere, Reges palatium eo loco posuerunt, cui S. Felix Trevirensis Pontifex ædem B. Virgini sacram addidit, & S. Mariam ad Martyres vocari jussit. Etenim barbaræ nationes cum instar fœdæ tempestatis se se in Rom. Imperium infunderent, Maximianus Herculeus Imp. ao. cc. xcvii. per Orientem delectus habuit, multasque legiones excivit, quas hostibus objiceret. Viribus ac animis pollebat legio Thebana, quam S. Mauritius ducebat, qui cum multis commilitonibus in finibus Sedunorum cæsus est, quod à nefandis Imperatoris sacris secessisset, pedemque vocàtus referre abnuisset. Alia pars legionis adhuc integra, Thirso & Bonifacio antesignanis, Treviros petvenit, ob communem religionem incolis Christianis grata. Certior factus Maximianus, Rictiovarum cum validis copiis misit, ut si sacris se Romanis eximere vellent, ad unum omnes contrucidaret. Ad Mosellam, qua Treviros prætervehitur, ubi prætorium Rom. stabat, habita quæstio, & peracta laniena est. Nunc fortissimi bellatores cœli clarissima pars, inter Martyres fulgent. Illo die Mosella Thebæorum sanguine fluxit: altero, senatorum ac principum civitatis, quos inter Maxentius & Constantius eminebant: tertio, quorumvis absque discrimine Christianorum. Fusos per Mosellæ littus Martyres, reliqui Christiani in proximum arci inanem puteum demisère: quam ob causam conditum hoc loco templum Divæ Virgini sacrum, S. Mariæ ad Martyres nomen tulit. Pipino igitur palatii præfecturam gerente, S. Clemens puteum illum, SS. Martyrum Mausoleum, sumptuosa Basilica complexus, ut essent qui fortissimos Christi milites colerent, Monasterium à S. Benedicti alumnis habitandum addidit. Quamvis autem in aliis quoque sacris ædibus subinde in quempiam de ista beatissima legione incidas, plerique tamen ad S. Mauritium Augauni, vel hic apud S. Mariam ad Martyres sepulti sunt.

Hic Thebæa legio cæsa. Zacharias Lipolous.

Insuper aram portalilem, supra quam S. Clemens, (ille Galliæ Belgicæ Apostolus, cui imprimis VVillibrordo nomeo fuisse, diximus) rem divinam facere consueverat, Monasterium istud etiamnum hodie in promptu habet. Præterea tunicam interiorem Beatissimæ Virginis, altari conditam, quæ anno millesimo quingentesimo duodecimo exempta, August. Imperat. Maximiliano, comitia Trevirls agenti, ostensa fuit. Barbari, qui frequenter Trevitos infestàrunt, late agros tectaque populati sunt, ut non satis constiterit posteris, ubinam suus thesaurus conditus esset, de cujus inventione, quam historici anno millesimo septuagesimo primo evenisse ajunt, longus est Gulielmus Baldesanus.

Altare portatile, quo S. VVillibr. est usus Monast. S. Mariæ ad Martyres servat cum tunica interiore B. Virginis.

Guilel. Baldesan. l. 2. hist. Theb. c. 19 & sequentib.

Catalogus Abbatum
S. Mariæ ad Martyres.

ETsi Romanorum Trevirensé Capitolium circiter annum trecentesimum tricesimum à S. Felice in Ecclesiam S. Mariæ sacram sit versum, non tamen ante sexcentesimum nonagesimum quartum, Sergio Pontificatum gerente, nostri S. VVillibrordi, Trajectensis Archiepiscopi, ductu Monachos accepit, & Abbates.

1. *Adeodatus* (secundum fundationis primas tabulas, Deodatus) à Theodorico Archiepiscopo, qui solo æquatum ac pæne sepultum Monasterium denuo excitavit, Abbas jussus anno circiter labente DCCCC. LXXIII. Posteritati idem prodidit *Locum hunc adeo desolatum se invenisse, ut nullum regularis disciplinæ vestigium compareret*. Iisdem litteris Theodoricus Adeodati mores & eruditionem celebrat. Obiit, CM. LXXXVI.

2. *Hildeboldus*. Cœpta gnaviter promovit. Mortuus an. XM. XCVII.

3. *VVernerus*. A Trevirensi Præsule Ludolpho jus eligendi Abbatis obtinuit: tum Romam profectus ut Benedictus VII. Pontifex Max. annueret, effecit.

4. *Rupertus I.*

5. *Vraldus*, Popponi Archiepiscopo percharus, multisque ab eo beneficiis affectus. Locum hunc aliquamdiu Canonicos insedisse, ex Monasterii Archivo disce. *Popponis tabulæ*: In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus orthodoxis tam præsentibus quam futuris, qualiter ego Poppo humilis Archiepiscopus altaria Cœnobii S. Mariæ Matris Domini supra littus Mosellæ in australi parte sita, dedicaverim. Adhuc rudis in Episcopatu meo Inveni locum hunc à Canonicis possessum, Monachis inde expulsis quorum anterior conversatio ibi fuit. Quod

cum perciperem, & diu mecum voluerem, non id Deo esse gratum animadverti, maxime qui ad hoc aliis præessem, ut vitam & mores eorum de malo mutarem in bonum. Huic igitur Cœnobio decrevi prioris Regulæ instituere statum, illud pro certo sciens, ut sicut antecessori meo illa præordinatio provenit ad coronam, ita mihi hæc permutatio, oisi Monásticę disciplinæ fieret restauratio, ad suppliciũ pareret pœnã. Vnde etiam cũ à diversis diversus sermo ageretur de reliquiis & benedictione, altaria feci aperiri me præsente, & quid in illis haberetur perscrutavi caute. Quibus investigatis honorifice dedicatur interius repositis reliquiis. Acta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ millesimo decimo septimo, Indictione quiota decima Kal. Ianuarii sexto decimo, anno ordinationis meæ primo, procuraote Vraldo Abbate, regnante Heinrico Imperatore glorioso: subscriptis testibus Rorico Advocato: Sitrimaro Odelberto Laicorum (*loco:*) Folmaro Choriepiscopo: Ramperto Præposito: Folmaro alio: Theodorico: Theperone: Adolone Clericorum.

Mortuus est Vraldus an. M.XXIX.

6. *Sivervinus* (Bruschio Evervvinus:) quo anno concesserit, ooo constat.

7. *Adelbertus.*

8. *Petrus I.*

9. *Vdo.*

10. *Hageno.*

11. *Hermannus I.*

12. *Vrsinus.*

13. *Folquinus.*

14. *Petrus II.* Hoc Antistite commune quidem triclinium frequentabant Monachi, quisque nihilominus reditus annuos possidebat (triste malum in Monasteriis, Superi!) & dum quisque suam falcem in bonorum messem mittebat, valde attonsum fuit Monasterium. Memoranda tamen hæc Petri diligentia est, qua Alberonem Trevirorum Archiepiscopum impulit, ot privilegia & beneficia à prioribus Archiepiscopis accepta, jusserit esse rata, quod ex his litteris intelliges.

In nomine Sanctę & individuę Trinitatis. Albero Dei gratia sanctæ Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopus Apostolicæ Sedis Legatus, universis justitiam & veritatem diligentibus, tam præsentibus, quam futuris in perpetuum. Ex scriptis & relationibus multimodis non esse dubitandum cognovimus, quod Moasterium Sacratissimæ Virginis Mariæ super littus Mosellæ, destitutum possessionibus, & omni religionis cultu diutissime extiterit. Demum prædecessor noster felicis memorię Theodoricus, Trevirorum quandoque Archiepiscopus, divina etiam gratia inspirante, Monachos deo famulantes ibi instituit. Rogatus itaque à dilectis filiis nostris, Venerabili Petro Abbate, omnibusque Capituli sui Fratribus, ad cautelam Ecclesiæ decrevimos, & banno nostro firmissime roboramus: ut si quis hominum forte, quod absit, votiva Theodorici Archiepiscopi dona quassare vel abstrahere ausu temerario præsumeret, excommunicationis sententiæ coram Deo & angelis ejus sine spe resurgendi, perpetualiter subjaceret. Hi sunt testęs qui interfuerunt, Ecclesiasticæ personæ. Godefridos Majoris Ecclesiæ Præpositus: Folmarus Decanus: Arnoldus Archidiaconus: Alexaoder Archidiaconos: Everhardus Cantor: Renibaldus Magister scholasticus: Rudolphus S. Paulini Præpositus: Henricus Decanus: Godescalcus Magister Scholasticus: Albertus S. Simeonis Decanus: Cuno Scholasticus. Abbates, Bertholdus S. Eucharii: Reniboldus S. Martini: Richardus de Sprankerisbach: Ludovvicus urbis præfectus, & Ecclesiæ Advocatus: Gerlacus & Reniboldus fratres de Isenburg: Manfridus de Numagen: Cuno de Maelberch: Berisvvinus de Va: Euphro de Ponte: Engelbertus & Fridericus, fratres ejus: Lodovicus de Coverna: Henniricus & Herman de Erenbreitstein: Rudolphus de Marciaco. Hæc facta sunt Treberi anno Incarnationis Dominicæ M.C.XL. Indict. III. Regis Conradi III. Decimo ordinationis nostræ: Legationis tertio. *Hæc Alberon Archiepiscop.* Obiit Petrus ao. M.C.LXIX.

15. *Lodovvicus.* Mortuus anno M.C.LXXXIX.

16. *Remboldus.*

17. *Hermannus II.*

18. *Theodoricus.* A Iohanne I. & Theodorico II. Archiepiscopis impetravit ut pertenui Monasterio aliquid adjicerent. Ob. an. M.CC.XXXIV.

19. *Richardus.*

20. *Theodoricus II.*

21. *Rupertus II.*

22. *Hermannus III.*

23. *Egidius I.*

24. *Petrus III.*

25. *Iacobus I.*

26. *VValramus*, copiosis parentibus natus: unde adita hæreditate fortunas Monasterii magna parte auxit. Morum quoq; innocentia divitum animos ita sibi conciliavit, ut sponte sua aliquid contulerint. Ob. an. M.CCC.XXIX.

27 Pe-

27. *Petrus IV.*
28. *Gerardus.*
29. *Theodoricus III.*
30. *Tilmannus.*
31. *Matthias Stumphius.* Veterum patrum vestigia lecturus, severiori disciplinæ fundamenta jecit cum annus volveretur M.CCCC. XXIII. Decessit M. CCCC. XXIV. Id. Mart. æternitate dignus.
32. *Henricus VVolphius.* Cum post aliquot annos è re Monasterii S. Matthiæ Treviris esse videretur, eo migrare jussus est. Per id tempus Iohannes de Rode, ad S. Matthiæ Antistes, à Concilio Basileensi Visitator Monasteriorum Ordinis S. Benedicti designatus est. Initium ab Asceterio S. Mariæ ad Martyres duxit an. M. CCCC. XXXV. Ob. M. CCCC. L. cui incolæ hocce epitaphium posuere:

Anno milleno cum C. quater. L. quoque primo,
De Spanheim natus, Henricus VVolff vocitatus,
Hic conservatus, & vermibus esca paratus,
Abbas Mariæ, translatus erat que Matthia.

33. *Henricus de Blennich.* Acri studio annis triginta disciplinã Monasticam provexit. An. M. CCCC. LV. cum quatuordecim Monachorum cœtu ad Vnionem Bursfeldensem accessit. Ob. an. M. CCCC. LXXVII.
34. *Iohannes de Breda.* Mortuus anno M. CCCC. XCII.
35. *Iohh. de Treviris* Ob. an. M. D. IX.
36. *Casparus de Breda.* An M. D. LXV. hoc Abbate ad clavum sedente Ducis Lotharingiæ serenissima mater Treviros venerat, cui tunica quæ Servatorem nostrum induerat, confluente undiq; populo, in templo maximo, una cum interiore tunica Magnæ Matris ipsius, ostensa fuit. Vivere desiit Casparus an. M. D. XXVI.
37. *Iohanes de Celle.* Monasterio profuit septédecim annis. Mortuus M. D. XLIV.
38. *Petrus de Alff.* Ob. an. M. D. XLIX.
39. *Iohannes à Koberen.* Mortuo accinuit hos modos Poëta:

Quis fueris, qualis, vel quantus, sparsa per Orbem,
Fama satis prodit nominis ipsa tui.
Nam probus & sapiens, justus, maturus, honestus,
Candidus, ac æquus, providus absque pius.
Praeterea assiduus pietatis cultor avitæ,
Sectator priscæ & religionis eras.

Obiit vero supremum diem an. M. D. LXIV. semimortuus diu ante, quam fato concessisset. Enimvero cum annus verteretur M. D. LII. Marchio Brandenburgicus in modum fœdissimæ tempestatis ditiones in Rhenanas ruens infami cæde incendiisque quicquid obvium fuit, afflixit, quasi illustrissimus fieret, si injectis ignibus omnia conflagrarent. Acerbius odium illi in sacros Præsules erat. Igitur mense Septembri agrum Trevirensem invasit, urbem in deditionem acceptam diripuit: templa sacris vasis, instrumentis, campanis, omnique apparatu exhausit: quicquid trahi, vehi, ferri potuit, abstulit, auexit, abstraxit: Monasteria succendit: sed patrata tum sacrilegia & accepta damna singulatim exponere, infinitum est. Dum tanta malorum mole fatiscentes intra muros ingemuere Treviri, etiam in Cœnobio S. Mariæ ad Martyres excitatum fuit incendium, nec ante restinctum est, quam tecta subsidere in altos cineres.

Hinc illæ lachrymæ Iohannis Abbatis: hinc mors præpropera. Animum tamen non penitus despondit, sed sumpto spiritu se intendit defraudans genium suuum, & omnia ad parsimoniæ unguem resecans, ut Deo Opt. si non Monasterium, saltem aliquid simile moliri posset, videlicet Monasteriolum. Intarea vir bonus sæpe pressit gemitus, suis ut animos adderet; sed hæc tussis non celatur.

40. *Petrus Carvelius,* sextus hoc nomine. Sæpe mente inter adversa volvit: *Si non ut volumus, saltem ut possumus.* Cum anno M. D. LXVIII. Treviri obsidione cingerentur, Monasterium hoc, cujus proxima vulnera nodum duxerant cicatricem, citerum evastatum fuit; ne nudo vanove nomine *ad Martyres* appellari putes. Obiit hic Abbas an. M. D. LXXXI.
41. *Lucas.* Æs campanum ejus nomen & insignia præfert. Ob. an M. D. LXXXVI.
42. *Petrus à Berncastell.* Mortuus an. M. D. XCV.
43. *Iacobus Gulfius.* Templum qua licuit, exornavit. Ob. an. M. DC. VII.
44. *Iohannes Iodocus Milvius,* magno animo præditus: Archiepiscopo, Clero, populoque Trevirensi charus. Censor morum per Monasteria Archidiœceseos designatus, inclinantem disciplinam summa cura & diligentia restituit. Domi vero ædi S. Mariæ, totique domui squallorem detraxit. In familiam umbrarum adscitus anno M. DC. XXIV.
45. *Iohannes Lack,* Moguntinus, fratrum quàm sui curam gessit majorem: di-

vina

vina humanaque, quicquid ad rem pertinere videbatur, instituit, auxit, & ornavit, plura meditatus, nisi hostis à Septentrione, unde omne malum intercessisset.

46. *Ægidius VVahl*, *Epternacensis*, post biennium vita exutus: videlicet an. M.DC.XXXIV.

47. *Petrus VIII.* An. M.DC.XXXVI. oculos condit.

48. *Iohannes*, an. M. DC.XXXVI. Abbas renunciatus, M. DC. XLV. Totilæ tempora expertus est. Hodie sola spe meliorum se sustentat.

AN. CHRISTI 695. AN. S. BENEDICTI 215.

CAPUT. I.

Duodecim Monachi Anglicani progressus haud pœnitendos faciunt.

POstquam à S. Clemente & XII. sociis diu sudatum est, fundendus etiam sanguis fuit, ut fundus quem colendum susceperant, purpureo imbre imbutus, fæcundior redderetur. Hic plerumque exitus eos manet, qui ferventius Ecclesiæ fines proferunt.

Ex isto S. Clementis cœtu omnium primus ductus fuit S. Svvitbertus, cæteris gravior annis, cui nihil æque in votis erat, quam vita exui pro Deo. Summam bonorum in Martyrio pro Deo subeundo posuit.

S. Svvitbertus multos labores subit, seq; periculis committit ut idolorum cultum deleat. Bed. l. 5. c. 10.

Gente anglus erat: professione Monachus. S. Egberti in Hibernia assiduus comes, ubi degere animo sedebat, cum ea in insula non ambigue in Monasteriis, sed firmiter staret disciplina. Cum deinde idem Sanctus Egbertus expeditionem meditaretur in Alemanniam, spem maximam in Svvitberto sitam habuit. Sed postquã ipse cõversa navi in portum relatus fuit, Svvitbertus studio salutis animarum incensus, propriis se pennis tollens, ad barbaros avolavit, quorum immitia ingenia biennium frustra subegit, nisi quod laboris impensi præmium tulerit à Deo. Quocirca ultimo convasavit, donec aliud conditori rerum videretur.

Cum sacrificulis conserit pugnam, & vincit.

Interea S. Clementis cohors redintegratis animis infidelium terras iteratorato adivit, quibus se S. Svvitbertus comitem addidit. Difficile creditu est quantis se periculis objecerit, ut Martyrii palma potiretur. Delatus in quandam insulam (Fostilandiæ nomen fuit) vidit incolas Iovi, ac idolo alteri, quod *Foste* dictibant, facere. Indignatus veri Dei loco haberi dæmonem, sacerdotes adortus est, & quosdam induxit, ut aram utramque cum pudendis statuis suis deque verterint. Tres tum pagani, non amplius, Christo nomina dedere. Radbodus Rex ira majore humana correptus, memor eum sibi præconem Evangelii etiam ante id in Frisia conspectum, canifices omne suppliciorum genus in eum expetere jussit; quo autem demum consectus sit, Sanctus Marcellinus, qui acta ejus excepit, haud diserte enunciat.

S. Marcellinus S. Svvit. Patrat miracula.

Fuit etiam cum ille prope Vltrajectum verbis male acciperet idola, quam ob causam à rustica turba male mulctatus verberibus est: post quæ Martyrii rudimenta miraculis & prodigiis Apostolos ipsos æquare cœpit, quibus moti barbari, paulatim se se dediderunt. Quapropter itum in suffragia est, quisnam præter S. Clementem initiandus esset Episcopus, ne stipata multitudo suave Christi jugum subitura, pastore destituta pessum iret.

Etsi omnes Patres pariter Evangelii saxum volverent, supremo tamen Antistite opus erat, à quo alii leges acciperent. Compertæ virtutis, doctrinæ, prudentiæ Svvitbertus omnium calculis novus Episc. designatus est, Pipino applaudente, (quod postea narrabimus) nam omnibus rebus erat ornatus quas libet diligentius explicare.

Fit Episcopus.

Pater ipsi Sigebertus, Nortingrami Comes fuit: mater Bertha, Principum sanguine orta. Sobolem auream, precibus ac liberalitate in pauperes impetrârunt. Magnos natales sæpe prodigia antecedunt.

Quantus esset futurus prodigio indicatur.

Ita bona mater quieti capiendæ composita, sidus insolitum hausit, quod fulgore suo ante ipsum solem erat. Orientem versus radium unum, Germaniam versus alterum vibrabat: demum non absque ambrosio odore in thalamum incidit, quo gravi, ut videbatur, casu Bertha experrecta, etiam maritum jactu corporis somno excussit. Hic unde meridiana lux ac insuper fragrans odor infusus esset, uxorem rogitavit, à qua spectaculum ipsi objectum edoctus, bono eam esse animo jussit: primo mane se ominis interpretem S. Aidanum Episcopum adhibiturum.

Accitus hic, parentem utrumq; accipere omen jussit. Suscepturos prolem quæ Gallis & Germanis clarissimam facem ad cœlum prælatura sit. Adhæc, dum mater postmodum ex utero infantem explicabat, lux priori simillima (nisi quod radios quaquaversus exporrigeret) cubiculũ collustravit, ut vaga fama palã sparget puerum istũ in

magnum virum evasurum; cum hujusmodi indicia cœlestia non sint quotidiana.

Adhuc admodum puer virtuti graviter operabatur: neq; arundine longa tenebatur, aut nucibus; ut ea ætas solet, sed bonas horas vel orando, vel discendo, vel alia ad cœli nutum agendo, exequebatur.

In Bearnensi Monast. religiosa vota nuncupat.

Cum annus ipsi iret decimus quintus, & sua & parentum suorum voluntate in Bearnesi Monasterio religiosa vota nuncupavit, Higobaldo, viro historicis percelebrato, clavum tenente. Illud quoque memoria repetendum, Svvitbertum jam inter Monachos nomen professum, vigilias vigiliis, preces precibus, jejunia jejuniis composuisse, atque hujusmodi Monasticæ austeritatis exemplis (curæ enim summæ eo in Monasterio asperitas erat) omnes anteire contendisse. Itaq; tam eruditione quam religione instructus, Sacerdos initiatus est, qui honos tantum sanctissimis id temporis haberi solebat. In hunc gradum elatus, multo arctiorem vivendi rationem inivit, cavens ne quã labem officio sacro aspergeret, quod parentibus etiamnum vitam trahentibus summæ voluptati fuit. Fama tam magnæ virtutis perrupit claustrum. *Sed præsertim S. Egbertus Archiepiscopus Eboracensis*, inquit Marcellinus, *audiens digna præconia ipsius, & ipsum multis fulgere virtutibus, nimio repletus gaudio ipsum accersitum, cum honore sibi præsentari jussit, & in Ecclesia Metropolitana sanctissimi Principis Apostolorũ Petri in Eboraco ipsũ Canonicũ ordinans illic secum manere, & Christo servire præcepit. In quo Conventu tam stricte per biennium jejuniis, orationibus, vigiliis, & Monasticis disciplinis se mãcipavit, ut magis Angelicam, quam terrenam ducere videretur vitam.* Vereor ne id, quod volo, animadverteris. S. Egbertus è Bearnensi Monasterio evocatum Eboram, Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicum esse jussit, quod facturus haud fuisset, nisi Canonici illi Monachi fuissent: quam ob causam Capitulum exerte *Conventum* appellat. Ne porro errore lapsus, pro Conventu Canonicorum Regularium id haberes, Marcellinus tibi scrupulum exemit, *Svvitbertum*, dictitando, *se Monasticis disciplinis in Conventu mancipasse*. Hæc cum ita, desine tandem inficias ire, Monachos Ordinis S. Benedicti alicubi etiam Canonicos Cathedrales fuisse. Immo etiam hoc apud te valere debet, quod idem Svvitbertus jam in Canonicum adscitus, Dacorensi postea Monasterio, quod Monachi colebant, fuerit præfectus. Unde apparet, nunquam eum Monachum exuisse.

Marcellinus. 4 Fit Eboracensis Canonicus.

Monachi S. Benedicti tum in Anglia tum alibi Canonici Cathedrales fuerunt.

Marcellin. in vita S. Svvitberti.

Ano uno in Abbatia exacto, nomen expeditioni dedit, quæ in Alemanniam & Frisiam suscipienda ferebatur. Et quidem par erat, ut Angli Saxones, tanquam majores suos à quibus genus ducerent, fide Christiana imbuerent.

Cæterum inter duodecim socios, qui Apostolico isto munere in Germania functi sunt, miraculorum multitudine S. Svvitbertus palmam aliis præripuit. Quamvis autem hæc ut plurimum præterire soleam, quod majus momentum in morum innocentia ponam, nonnulla tamen referenda sunt; quibus Marcellinus, auctor & gravis & sanctus, ipse interfuit. Hanc miraculorum machinam admovere infidelibus consuevit Deus, ut si verbis non caperentur, saltem prodigiis ad credendum magistris suis impellerentur.

Altero lapide Ultrajecto aberat Duerstadium, populosissima urbs: idolorũ templis frequentissima. Huc ergo S. Svvitbertus Marcellino & VVerenfr. comitibus, contẽdit, stragem insignem, ut sperabat, inanissimos inter deos editurus. Itaque in locum superiorem sublatus, technas, fraudes, artes, imposturas dæmonum, prolixe imprimis detexit: ut horum cultu se abdicarent vehementer institit. Postmodum arcana divina contumacibus explicans Christum verum esse Deum, effatus est, qui solo nutu moderetur Orbem. Hunc sanguinem, hunc vitam in salutem mortalium profudisse. Vix ista verba fecit, cum concionis moles quæ arcte coiverat, moveri: huc illuc fluctuare, fremere, ac barbaro sono dicentem incessere, querique ab eo ultimis maledictis sua Numina tam sacrosancta proscindi; explodi: tanquam diabolos traduci. Ferendam enimvero haud esse injuriam, tanta cum contumelia conjunctam. Deniq; murmur hoc invidiæ ac odii plenũ, in clamorem conditum erupit: de suggestu raptus orator, & in vincula ductus est, postridie supplicio clam afficiẽdus. Nam publice eum mactare non audebant, quod tractum illum Galliæ Reges, Christiana sacra colentes imperio tenerẽt. VVerenfridus & Marcellinus madidi lachrymis, pone sequebantur, quod cum advertisset S. Svvitbertum, animo forti magnoq; eos esse jussit. Nec ideo ipsis manum ab aratro revocandam, quod se in carcerem immitti viderent. Apostolorum esse extrema quæq; pati: deniq; vitam ponere Christi nomine, Christianum esse.

S. Svvitbertus rapitur in vincula.

Dum igitur illi proxima nocte insomnes horas flendo, S. Svvitbertus autem vota ad Deum cõspiciendo trahunt, cœlestis genius carceri subito illaps', age, Svvitberte, inquit,

Vinculis ab angelo exuitur.

doctrinæ cœlestis præco: experire præsentẽ Numinis opem: perge: referte ad opus, quod facere instituisti: simulque spectantibus excubiis vincula ei ademit. Catenis exutus Svvitbertus ad notas ædes contendit, quibus VVerenfridus & Marcellinus se tenebant. Hîc una ob partam libertatem singulares Deo gratias egit.

Repetita altero die arena, cives (præsertim vero sacerdotes) in summam conjecit admirationem, quo pacto, inter se rogãtes, quonam pacto is evasisset. Audito, quod res erat, ab eximiæ speciei juvene solutũ quarta vigilia nondum exacta, vim suorum Deorũ in dubium vocare cœperunt: nonnulli etiam in fidem se Svvitberto commiserunt. Posthæc Frisiæ, Hollandiæ, Teisterbandiæ urbes, pagos, villas, peragrans, Hagenstenium venit, oppidum frequentissimum, quo tempore cives abominando ritu festa agitabant. Sacrificantibus audacter se immiscens, capita Christianæ fidei populo novitate arrecto exposuit: tum in idola invectus, illorum vanitatem ostendit tam clare, ut omnia quasi sub oculis essent. Vbi dicendi finẽ fecit, puerum ex utero cæcum sibi oblatum (Giselberto nomen erat) luce donavit. Rem tantam ita cito confici potuisse, majorem in modum barbari mirabantur.

Puerum cæcum luce donat.

Etenim Svvitbertus pace Numinis perpaucis petita, crucem oculis inscripsit: tum Iesum Christum verum Deum fateri jussit. Metus erat ut famæ, quæ in rebus magnis Euro velocyus volat, crederetur; quocirca puer ad notos circumductus est, ut propriis quisq; oculis fidem haberet. Quamplurimi hac causâ idolis longum valere jussis, ad S. Svviberti partes accessere: & nõ multo post fanum cacodæmonum in veri Dei templum versum est.

Hoc quoq; dignum dictu, quod cum omnes duodecim simul in opus incumberẽt, nunc rudes instituendo, nunc flumine sacro fidei candidatos abluendo, adeo excrevisse novorum Christianorum numerum, ut sanctissimo Collegio visum sit duos designare, qui in Episcoporum gradum evehe rentur: scilicet ut essent qui Sacerdotes, qui templa consecrarent, aliaq; horum Præsulum officia obirent. Omne punctum tulere S. VVilebrordus, alias Clemens & S. Svvitbertus. Hîc sine mora iter in Angliam intendit, Accam, duos Evvaldos ac alios secum trahens, pridie S. Laurentii Eboram pervenit, quem religiosus cœtus amantissime complexus est. Implicitus morbo S. Egbertus Eboracensis Pontifex munus suum haud poterat fungi: quapropter ad S. VVilfridum Merciorum Antistitem profecti, rogã-

Marcellin. c. 10.

runt ut Frisonibus consultum ire vellet, Svvitbertum Episc. inaugurando. Is allatis tam bonis novis, gratulatus est hospitibus rem illis Christianam è voto succedere in Frisia, cujus duram glebam ipse omnium primus frangere atq; vertere conatus esset. Accitis deinde aliis duobus Episcopis fecit compotes petionis, cum annus à Servatore nato se circumageret DC.XCV. S. VVillebrodus an. DC.XCVI. à Sergio PP. Frisonum Episcopus inauguratus est.

Consecratur Episcopus 695. S. VVillebr. vero an. 696 à Sergio PP. Frisonum Episcopus inauguratus est.

Etsi natale solum nescio qua dulcedine unumquamq; ducere consueverit, S. Svvitbertus tamẽ parẽtibus, quosq; sanguine cõtingebat, bene precatus, rupta mora Frisiam repetivit, quem populus Vltrajectinus summo gaudio accepit. Vix satis ex itinere lõgo respiravit, cum impatiens quietis, quod intelligeret Cathedram Episcopalem nõ otii, sed laborum sedem esse, urbes, arces, pagos, mapalia, adivit: quantum à cœlo abessent, singulis indicavit: hos nutantes, illos incertos, Ecclesiæ applicavit: & quamvis longius iter faceret, equo tamen vehi detrectabat. Visu id quoq; jucundum erat, quod modestia & animi submissione iis se postponeret, quos honore anteibat: quam ob causam illi quoq; de quibus actum putasses, de pertinacia remiserunt, atq; ab idolorum sacrificulis ad ipsum se contulerunt. Insuper passim templa posuit idolorum fana variis Divis dedicavit: sacerdotio multuos initiavit, ut jam à novellis Christianis nil desiderari poterit.

Repetit Frisiam ac pristinos labores.

AN. CHRISTI 696. | AN. S. BENEDICTI 216.

CAPUT. I.

S. Svvitbertus primæ nobilitatis juvenem extinctum in vitam revocat.

CVm jam parte nulla tuto starent idola, quippe templis Zandvvikii, Arckelii, Hoernarii, Stoentefortii, Anthuesii, Albergii, VVondrichii, Giesẽni, Risvvikii, Almkerbii, Erkumii, Avesaeti ac alibi Deo vero initiatis, Frisones ac Hollandi Christiana sacra potiora suis ferme ultro judicãrunt: nec desistebat S. Svvitbertus inter cœlum & orcum sese interponere: tenebris sepultas incolas attollere, cui affabilitas, eloquentia, demissio, magno adjumento fuerunt. Anno sexcentesimo nonagesimo sexto in Comitatu Tiersterbandiæ Basilicam ritu Christiano dedicaturus erat: loco Malsæ nomen fuit.

S. Svvitbertus passim templa ponit.

Splinterus, nobilis adolescens haustus undis.

Splinterus de Andengyn nobilis juvenis, suæ curiositati indulturus, eodem se citus agebat, scilicet ne post tempus veniret. Curru vel equo ire licuisset diviti, maluit tamen se naviculæ credere, quod Duerstadium, parentis domicilium duntaxat milliari abesset Malsa. Sed dum se ludibundo gestu sessum recipit, inq; gladium quem manu tenebat, apponat, lubrica carina exultantis juvenis vestigia fefellit: incautum medium in Rhenum effudit. Vectores, naviculæ gubernator, famuli, auxilium potius offerebant, quam ferebant. Sparsus in flumen non secus quam lapis haustus est. Appellitur ad ripam navicula: trepida fuga dilabuntur famuli: acciti piscatores harpagonibus vestigant submersum, sed operam perdunt, donec sub horam duodecimam ingenti clamore sublato, exanimem ac reti involutum, extraxerunt. Gunthero, mœstissimo patri, sacrificuli authores fuere, ut lectulo impositum in templum Martis vectaret, cæsisq; hostiis propitiaret ferreũ Deum. Dictum, factum: stragem variorum animalium ingentem ediddere victimarii, sed oleum & impensa periit. Scilicet inaudiverant stolidæ simiæ quosdam de Christianis subito casu extinctos, in eorum ædes sacras deportatos, & Episcoporum sacrificiis atq; votis vitam recuperasse. Verum idola aures habent, & non audiũt. Ad ultimum Christianos Gunthe-

Cadaver sacrificuli frustra hostiis animant.

ri, jam ad horam usque secundam frustra procumbentis ad aram, misertum est. Igitur à familia seductum admonuere, SVVITBERTUM Christianorum Antistitem Malsa evocaret: esse spem non vanam in viro, modo ipse idolis nuncium mittere, secum constituat. Ille in orbem se versans, salubria suadentibus gratias agit: consilium probat: citato confestim equo, comitantibus amicis, Malsam petit, ibique conspecto Antistite desilit: triste gnati sui fatum, intercipientibus verba singultibus, exponit: ut is Duerstadium venire, filioque vitam reddere ne gravetur, majorem in modum ad genua provolutus obtestatur. Immo ut preces haberent pondus, se cum tota familia Christianum fore, sancte promisit. Sanctus Svvitbertus lachrymis natantem attollit: humanissime salutat, petitionis tamen se compotem eum facere posse, negat, summæ ingeminans arrogantiæ se rerum futurum, si opera Dei occupare ausit. Guntherus iterum accidere ad genua: iterum supplices palmas tendere, perq; Iesum Christum, celebre Christianis nomen, orare: quo tristi spectaculo etiam VVerenfridũ, Marcellinum, & circumfusam turbam permovit, ut ipsius patrocinium suscipperent apud Præsulem.

Tot precibus subactus tandẽ se dedidit: Antistes atq; viã cũ discipulis ad funus carpens, quosdã è sacrificulis sibi adesse jussit, ut divinæ potentiæ oculati testes essent. Inde suis negotium dedit ut opem Numinis implorarent: ipse quoque genibus se excipiens, cœlum validius pulsavit, multitudine in globum coarctata sæpe iteratis gemitibus complorante. Igitur omnibus ancipiti expectatione suspensis, S. Svvitbertus exurgens, juvenisq; dexteram tenens, oculos cœlo intendit, *In nomine Domini Iesu Christi crucifixi, omnipotentis Dei, dicitans, tibi mando, ut in vitam redeas, tuumq; creatorem agnoscas & confitearis.* Iuvenis hiare: longam ducere oscitationem quasi profundo somno solutus esset. Vbi mentem denuo in potestate habuit, Episcopi pedes reverenter occupans, *Non est alius Deus*, clara voce dixit, *non est alius Deus nec in cælo, nec in terra, præter Dominum Iesum Christũ crucifixum, quem Svvitbertus prædicat, & qui servi sui precibus ab æterna damnatione me liberavit.* Dum sic perorabat, ore diducto in saxum stabant sacrificuli: parentes, cognati, amici, in Splinteri redivivi amplexus potius incidebant, quam ibant: multitudo spectandi studio in pedum digitos erecta, secundo clamore sua gaudia testata est. Quid multis? totam viciniam vox sublata pervasit gratulantium salvum & incolumem ad vivos rediisse. Putasses eo die actum esse de Marte, ac tota Deorum futili fæce. Vt vero tanto magis conspicuum fieret miraculum, Svvitbertus juvenem manu prehensum, late per fora, perque frequentes plateas deduxit: qua ex re quantam ceperint voluptatem Christiani? quantam tristitiam sacrificuli, facile poteris æstimare. Meritis per urbem laudibus ferebatur Antistes: & quicquid civium sapiebat, sacrum ad lavacrum adspirabat. Exemplum prævivere Guntherus pater: Mechtildis mater: Splinterus filius: vestigia pressit familia. Quin Deorum causa adeo tunc deposita fuit, ut principes civitatis, plebs, servitia, cum sacrificulorũ longa appendice, capita sacro fonti submiserint. Neque amplius timendus erat à Christianis sacris alienus Ratbodus, hac parte regni jam exutus. Hisce rebus Duerstadii gestis, spes nova expugnandi in proximo Deorum delubra, S. Svvitbertum in Tiesterbandiæ comitatum traxit. Ventosissimis sacrificulis devictis, populus certatim in Ecclesiæ sinum concessit. Nunc si pateris, quidnam S. Clemens seu VVillebrordus moliatur videro.

A. S. Svvitberto in vitam revocatur.

Vnde multi offusam prius à dæmonibus noctem discusserunt facti Christiani.

CAPUT II.

S.VVillebrordus seu Clemens Romam proficiscitur: inde Vltrajectum repetit.

S. Clemens contendit Romam.

DUm S. Svvitbertus in animarum salutem incumbit, S. Clemens Romam contendit, donis ac litteris à Pipino instructus, ad Papam perferendis, ut is latorem ad Archiepiscopatum auctoraret: deinde sedem ubi jus diceret, designaret. Ita eum divino quodam beneficio provincias, recens ad fidem adductas, affecturum.

Pontificatum id temporis Sergius I. gerebat, Panormi aliquandiu eductus, & ab aliquibus pro Monacho habitus: Adeodato, postea Leoni II. Summis Pontificibus, inter paucos charus. Cum tantæ virtuti, quanta præditus erat, honos deberetur, Cardinalis tituli S. Susannæ creatus: demum Max. Ecclesiæ Antistes lectus est, cum annus à Christo nato sexcentesimus octogesimus septimus ageretur. Fervebat tum Roma factionibus, triplici mitræ Theodoro & Paschali magna vi imminentibus: boni tamen suffragia pro Sergio, viro sanctissimo, tulere, qui munus quatuordecim annos rectissime functus est. Monachis eum nostris accensere non ausim, quod Arnoldus VVion facit, sequutus auctores alios, sed modernos.

VVion l. 2. c. 3.

Porro, prius quam S. Clemens attigisset Romam, Sergius de ipsius adventu à Numine certior factus, benevole eum accipere jussus est, *quod vas electionis* foret, divinum nomen inter gentes celebraturus. Quocirca venientem & sitis pedibus affusum amantissime complexus est, ut nihil esse potuisset conjunctius: deinde coacto in Basilicam S. Petri Clero, Archiepiscopum consecravit, ac Sedem inter recens conversam gentem capere concessit: quodq; miraberis, adempto, VVllebrordi nomine, Clemētis imposuit. Pallium quoque dignitati addidit, nec non Divorum reliquias, per nova templa dividendas.

Creatur Archiepiscopus.

Rebus Romæ compositis, ad Pipinum inauguratus Clemens se retulit, qui negotio è sententia confecto lætus, de collocanda Cathedra mentionem intulit. Non alibi cōmodiore loco, quam Vltrajecti in Divæ Virginis templo poni posse visum est, quam labentibus annis Carolus Martellus Pipini filius, nec non Carolus M. opibus plane obruerunt imprimis urbe ipsa, deinde pagis, arcibus, villis quamplurimis cum tota ditione circūjecta, majore veteris Bataviæ parte, collatis. *Constat profecto*, inquit Gerardus Mercator, *etiam Transisalanam regionem, & Groningam subjectas fuisse huic Episcopatui usq; in annum 1527. cum Henric. Bavarus gravissima injuria affectus, se in fidem traderet Car. V. Imp. & ut Ecclesiasticum statum reciperet, omne imperium temporale in eum transtulit: qua de re cum certiorem fecisses Margaretam, Belgii per id tempus Gubernatricem, convenit ut Comes Hoogstratanus Trajectum veniret XV. Nov. quo Episc. Vltrajectensis ultrò se abdicans cessit Carolo V. Imp. ut Duci Brabantiæ & Hollandiæ Comiti, nec non posteris ejus legitimis, temporalem omnem ditionem & statum Vltrajectinū ac terræ Transisalanæ: quo facto absolvit Præsul subditos à juramento illo fidelitatis, quod pan-lo ante sibi præstiterant, ea tamen lege, ut eodem omnino jure ac sacramento profiterentur fore se Imperatoris & legitimorum ejus hæredum futurorum Brabantiæ Ducū & Hollandiæ Comitum fidos clientes, reservata sibi & successoribus sola jurisdictione & censu Ecclesiastico, cum magnifico Palatio, &c.* Hæc ideo prolixe persequutus sum, ne nescires quanta bona S. VVillebrordi laboribus Ecclesiæ quondam parta fuissent: ut omittam idola ipsum, id est cacodæmonas, non secus quam tempestatem, tota provincia disjecisse.

Cathedram Vltrajecti ponit.

Atlas minor V. Vltraiectum.

AN. CHRISTI 697. AN. S. BENEDICTI. 217.

CAPUT. I.

S. Clemens vulgo VVillebrordus cum XII. sociis rem Catholicam modis omnibus provehit.

VT primum manavit fama, Clementem venire Roma, Svvitbertus obviā ei processit: quantum interea Christiana religio incrementum sumpsisset, exposuit, quo nihil gratius auribus ipsius accidere potuisset. Vt vero penitus nefandam idololatriam exhaurirent, Concilium Vltrajectum indixere, quo socii passim in officium Apostolicum incumbentes, cum novis suppetiis, quas Monachi Angli submiserant, confluerent. Scriptæ leges sunt quas ii servarent, qui domi in Ecclesia Metropolitana Canonicorum partes habituri essent: itemq; aliæ ad quas cæteri per Frisiam, Hollandiam, Saxoniam fidem propagaturi, se compararent.

S. Clemens indicit Concilium.

Concilium S. Clemens, tanquam Archiepiscop. & loci, ut vocant, Ordinarius moderatus est; quoties tamen premebantur one-

Novę sunt pensatæ Angliæ, Scotia & Hibernia Vltrajectum appellunt.

re succollavit S. Svvitbertus, unde multi auctores eum S. Clementis Coepiscopum appellant. Postquam ad Anglos, Scotos, Hibernos de successibus istis relatum fuit, quamplurimi Monachi sua suorumq; majorum voluntate Vltrajectum profecti, memorabili ardore in sacram illam militiam adscribi postularunt. Novas istas copias S VVinfridus duxit, cui Pontifex Max. Bonifacii nomen postea indidit. Non immerito pro Apostolo Germaniæ vulgatissimo titulo fertur, quod nemo latius vastissimum hunc fundum coluerit. Hæc signa sequuti sunt Gerardus, VVilleicus, Theodoricus, Bosson, VViro Episcopus Scotiæ, Plechelmus Episcopus Candidæ Casæ ac alii, quos hic præterimus.

S. Svvitbertus Saxoniam sibi excolendam sumit.

In provinciarum distributione S. Clemens vicinum tractum sibi vindicavit: aliquando etiam excursionem in agrum Coloniens. & Trevirens. fecit, antiquos Christianos invisens. S. Svvitbertus sibi Saxon. subeundam sumpsit, barbarie & idolorũ cultu vix ulli terrarum secundam. Etsi bonam is partem lustraverit, major tamen Carolo M, imperante adhuc sub suave jugum Christi mittenda restabat. Apparebat præduro robore natos incolas, ad saniora fidei consilia traduci vix posse, nisi Martyres anteirent, quorum sanguine etiam primitivam Ecclesiam crevisse, SS. Patres tradunt.

In illo sanctissimorum duodecim Monachorum Collegio duo Evvaldi erant, fratres germani, quorum uni Candido, alteri Nigro cognomentum. Vtriusq; Martyrium V. Beda litteris prodidit: & Sigebert. quoque, nisi quod hic non absq; errore in annũ DC.XCIII. retulerit, aperta etiã Baronio Cardinali labendi occasione. Abstergit hoc dubium S. Marcellinus, vitæ S. Svvitberti auctor, & collega. Nam honoris Pontif. candidatum anno DC.XCV. in Angliam profectum affirmat, duobus Evvaldis & se quoq; stipatum. Annuente S. Svvitberto Evvaldos in Hiberniam trajecisse, data fide se primo quoq; tempore in Angliã redituros, indeq; Germaniam repetituros. Hæc cum ita, quæ talpa non videat, Martyrium eos anno DC. XCIII. subire non potuisse, cum biennio post S. Svvitbertum in Angliam tendentem comitati sint? Nostra quidem sententia, vel anno præsenti, vel proximo, ducti sunt.

Beda l. 5. hist. Anglic. Sigeb. an. 6 3. Baron. an. 693. Marcellin. c. 10. vitæ S. Svvitb.

Evvaldi fratres Martyrio affecti.

Gente Angli erant: vitę cultu Monachi; sacerdotio initiati: ab Egberto delectum virorum Apostolicorum habente, qui expeditionem susciperent in Alemanniam, cum aliis Monachis ad sequenda signa invitati. Præter morum innocentiam in utroque celebratur eruditio, quæ tamen major fuit Evvaldo Nigro. Hæc illis cognomina diversus capillorum color posuit. Ingressi Saxoniam humilem cujusdam rustici casam subivere, quem ut se ad Satrapam duceret, rogarunt: esse scilicet sibi negotium, apud ipsum explicandum. Antiquus enim Saxonibus nõ Reges, sed Satrapę jura dabãt. Quoties arma capienda erant, imperator è satraparum numero belli sorte ducebatur, cui omnes parebant. Bello confecto imperio abs-que mora abire solebat. Omnem operam promiserat villicus; sed dum illi aliquot dies in tugurio hærentes perpetuo psallebant, hymnos cantabant, sacris operabantur, suspicionem injecere barbaris, esse Christianos, idq; moliri, ut Diis gentilitiis invidiam ac odium apud Satrapam conflarent, paulatimq; omnem religionem à majoribus acceptam abolerent. Quocirca facto globo invaserũt utrumq;. Albo primo impetu jugulato: sed à Nigro diuturnas pœnas exegerunt, ut sentiret se mori: tandem in frusta discerptum unà cũ fratre in Rhenum projecerunt. Satrapa ubi intellexit homines peregrinos se convenire voluisse, sed ab agrestibus interceptos atq; cæsos fuisse, ira intumescens milites destinavit, qui homicidis exitium afferrent: pago ignem subjicerent. Exsãgnia corpora flumine adverso per quadraginta fere millia passuum ad socios retro voluta sunt. *Sed & radius lucis permaximus*, inquit Beda, *atq; ad cœlum usq; altus, omni nocte supra locum fulgebat illum, ubicunq; ea pervenisse contingeret, & hoc etiam paganis, qui eos occiderant, intuentibus. Sed & unus ex eis in visione nocturna apparuit cuidam de sociis suis cui nomen Tilmon, viro illustri, & ad sæculum quoq; nobili, qui de milite factus fuerat Monachus, indicans, quod eo loci corpora eorum posset invenire, ubi lucem de cœlo terræ radiasse cõspiceret: quod ita completum est. Inventa namq; eorum corpora, juxta honorẽ Martyribus condignum recondita sunt: & dies passionis vel inventionis eorum congrua illis in locis veneratione celebratur. Deniq; gloriosissimus Dux Francorum Pipinus ubi hæc comperit, adducta ad se eorum corpora, condidit cum multa gloria in Ecclesia* (hodie S. Cuniberti vocatur) *Coloniæ civitatis juxta Rhenum. Fertur autem, quia in loco in quo occisi sunt, fons ebullierit, qui in eodem loco usq; hodie copiosa fluëti sui dona perfundat.* Hæc Beda. Ad v. Non. Octob. ipsorum memoria annuo circuitu repetitur.

Cadavera adverso flumine delata ad socios.

Indicat cœlesti radio produntur.

Martyrolog. 3. Octob.

Errant vero qui S. VVillibrordum (alias Clementem) duobus Evvaldis adnumerãt, uti Galesf. Maurolic. Felicius, fastorũ sacrorũ conditores, quibus Arnold. VVion rectè li-

S. VVill. nullam vim passus, morbo extinctus est. VVion 3. Oct.

mam adhibuit. Nam Evvaldi anno præsenti, vel certe paulo ante aut postè medio sublati: S. Clemens autem anno septingentesimo tricesimo sexto, nullam vim passus, concessit. Si verum dicere impune est, quidam historicorum haud multo ab ovibus distant. Hæ etenim, si toto de grege una subito quodam impetu concitata exilit, libratoque trepido corpore ruit præceps, cæteræ omnes exemplum sequuntur, nec prospiciunt quo ferantur. Ita nonnulli in prioris alicujus auctoris verba jurant, momentis rerum non expensis: unde error ab uno profectus, ad alios atque alios quasi contagio serpit.

S. Winfridus (postea Bonifacius dictus) Archiepiscopus Moguntinus, Sancto Willebrordo in Cathedram Vltrajectensem successit.

Beda hist. Anglic. l. 5. c. 14. Rader. Bavaria Sancta.

Cum soluta Synodo, suam uti dicebamus, quilibet provinciam adiret, S. VVinfridus duodecim annis Canonici munus obivit: lectus postea Archiepiscopus Moguntinus, & Bonifacius dictus est. At demortuo S. VVillebrordo Vltrajectum revocatus, Sedem illam cepit. Postquam annos non minus septendecim in Frisia, concionibus eam excolendo desudavit, ab Ethnicis interfectus est. Eadem sors etiam S. VVironi Deirorum Episcopo, S. Plechelmo VVitten-Masæ, vel ut Beda, VVitten-Casæ Antistiti, S. Othgero Diacono aliisque viris Apostolicis fuit. S. VVillibaldo Francia Orientalis obtigit, qui postmodum Aichstadii Cathedram posuit, cujus frater S. VVunibaldus Abbatiæ Heidenheimensi humeros subjecit, S. Lebvinus extinctus, in templo propter portum Daventriensem conditus est. S. VVerenfridus in Batuam penetravit, ubi innumeros mortales ab idolis tam verbis quam miraculis quæ frequentia edebat, avertit. Fessus annis ac laboribus VVestervvoirtii beatam animam efflavit. S. Adelbertus Ecclesiæ Vltrajectinæ primus Archidiaconus, Edilbaldi Deirorum Regis filius, S. Osvvaldi Regis ac Martyris nepos, in Hollandiam missus, quamplurimis dæmonum mancipiis vero Deo conciliatis, Egmundæ mortuus ac sepultus est. S. Marcellinus rem Transisalanam confecit: alii per alias provincias dissipati, postquam magnum momentum pro se quisque in Ecclesiam Dei contulerunt, ad superos abiverunt.

Idola VVestphaliæ & inferioris Saxoniæ per S. Svvitbertum, Gerardum, Theodoricum, Bassonem, S. VVilleicum, circumfessi sunt. Sæpe cum sacrificulis signa contulere, futilibus eorum argumentis oppressis, donec S. Svvitberto impietatem paganis digito monstrante, & comitatem cum eloquentia miscente, in deditionem venerunt. In urbe Mimigardensi, hodie Mün-

S. Svvitbertus publicus medicus.

ster, appellatione à præclaro quodam Monasterio ibidem postea, ædificato, tracta, frequentissima sæpe concione de vero Deo verba fecit. Ne autem fumos vendere civibus videretur, fœminam membris captam in nomine IESU CHRISTI surgere jussam, salute donavit, quam lætitia plenam ædes suas repetentem, ingens hominum globus prosequutus est, singulis caput sacro fonti offerentibus. Illa ut referret gratias, templum non procul domo sua Divo Paulo statuit, quod luce ipsi festa membrorum usum recepisset. Bilveldiæ, urbe vicina, homo copiosus ex angina laborabat. Medicis nil proficientibus, S. Svvitbertum evocavit, in ipsius potestate se futurum pollicitus, si fatali se malo levaret. Advolavit ille cum suis: excitata subito ara rem divinam fecit, qua rite peracta quod supererat aquæ, porrexit ægro: hic cum aqua salutem imbibit, & promissis stetit: vestigia pressere quamplurimi alii.

Aliquot diebus docendo baptizandoque Bilveldiæ extractis Svvitbertus, Monasterium revocatus est, quo cum tenderet, cæcum in via offendit, cujus dux stipem identidem flagitabat heri sui nomine, calamitatem ejus mira colorum varietate adumbrans, sua scilicet quoque interesse ratus, accipere. Herus luminibus cassus ut propriam causam rectius ipse ageret, virum sanctum pro oculis interpellavit. Hic pedem figens, VVilleico scipionem quo gradum adjuvabat, tradidit, ut sequacem cæcum ad se adduceret. Cæcus bona spe plenus, simul primoribus digitis oblatum baculum prehendit, nictare cœpit. Mox baptizari se velle, elata voce ingeminavit. Svvitbertus propius admotum complectens, sepultos caligine oculos sola cruce in lucem explicavit. Hæc terna miracula magnum pondus apud Ethnicos habuere. Vni loco diu adhærere non potuit, quod cœlesti doctrina omnes imbuere cuperet. Igitur constricta Monasterii sarcina, Brunsvvicum petivit, ubi mortali cuipiam latus sinistrum adeo afflixerat morbus, ut neque lævus oculus, nec brachium, nec pes ei in promptu essent, Præsul rogatus incolumitatem, cruce inutilibus membris inscripta perfecit, ut æger videret, ambularet, brachium exerceret. Non idem sensus omnibus de reddita salute fuit. Enimvero quidam ad sidera peregrinum medicum evexerunt, ab eo flumine vivo, id est sacro, lustrari expetentes: alii eundem incantatorum numero habuerunt. Iam res seditionem spectabat, cum Satrapa ipsi auctor fuit, ut excederet urbe, ne quid injuriæ acciperet à

Adit Brunsvvicum, & infecta redit Monasterium.

multitudine. Flagrante invidia operam impensurum absque emolumento. Ergo Bossone Sacerdote, pientissimo viro, relicto, furori cessit, itinere in Borussiam suscepto.

CAPUT II.

Monasterium S. Emmerammi, seu Emmerani Martyris.

Meginfredus. Arolph. Comes Chevvensf. Cyrinus Frisingensis. Ep. Vochburg. Monachi Aventin. Sur 22. Sept. Raderus. M. VVelserus l. 5. rerum Boic. S. Emmeranus Episc.

MOnachis Anglicanis Euangelium late per Germaniam circumferentibus, Monasterium S. Emmerani interponere cogimur, cujus Abbatem primum Apollonium anno DCXCVII. quem describimus, cepisse fasces, historici tradunt. Occasio qua illud ædificatum, à S. Emmerano petenda; quem virum Aquitaniæ debemus. Postquam is domi in virtutum & litterarum Gymnasio adolevit, majora meditari visus est, spe popularibus injecta aliquid singulare gesturum. Creatus Episcopus summam industriam in vitiis elidendis posuit, cui eloquentia natura comparata magno adjumento fuit. Ingens eum desiderium tenebat, gentiles ad fidem adducendi, voluit tamen domi prius experimentum sui capere, per urbes & pagos conciones habendo. Tyrocinio rite perfunctus, ad Pannones, barbaram gentem, vestigia convertit, sed euntem Ratisbonæ Theodo Bavarorum optimus Princeps intercepit, persuasitque ut mitiorem terram Boicam potius coleret, quam in Pannonia (præsertim inferiore) magnos labores exsudando, araret littus. Genti militari, & culturæ vix capaci, accedebat urbium & agrorum vastatio, quod bella vix aliquid intactum reliquissent. Poterat ipsa quoque Ratisbona ædificiorum splendore; publicorum operum magnificentia, situs amœnitate, incolarum humanitate, & frequentia, hospitem capere, quam Danubius, magnum inter nobiles amnes nomen, præterlabitur, Nabum & Regum minoris notæ fluvios exceptos secum trahens. Olim Tiberiæ Augustæ nomen fuit, quod eam Tiberius Imp. æternæ memoriæ Augustæ Cæsaris condidisset. Posteri Ratisbonam vocårunt, quod Danubius Rego & Nabo illic auctus, facile rates majores ferret. Regenspurgum à Theodone dictam fuisse tradunt, nomine Reginapurgæ, amantissimæ conjugis, in urbem translato.

Ratisbonæ anchoram jacit.

Triennium in Bavaria emensus Emmeranus, Romam petivit, unde insigni postmodum ignominia notatus fuit, reus sceleris factus, quod ad Sigibaldum primæ nobilitatis juvenem pertinebat. Dives hic erat: longam fumosarum imaginum seriem disponebat: florebat annis:

Sublata anchora contendit Romam:

Super omnia, vultus

Accessere boni. Projecta is aliquando pudicitia, ad Vtam Theodonis filiam cum oculis animum adjecit: ultimo vitium eidem obtulit. Misera paulatim intumuit: citius ab aula, serius à vulgo infamia aspersa est, nec poterat amplius palliari flagitium, etsi à vinculis & vestibus auxilium peteretur. S. Emmeranus vicem illorum miseratus, infandi criminis sibi impingendi potestatem ante utrique fecit, quam in viam se dedisset, precibus & lachrymis subactus. Nec enim aliam videbat viam, qua pudendi sceleris auctor evadere posset. Sunt tamen qui affirment, Vtam supplicii metu culpam in S. Emmeranum ignarum inclinasse, ne pater omne tormentorum genus in ream expeteret, ac in amatorem; quod profecto propius vero est. Neque enim integerrimus Antistes tam prodigus honoris sui fuisse censendus est, ut ejus jacturam ob causam ita fœdam, & offensæ plenam, facere voluerit, vel turpissimi mendacii auctor esse, cui obviam ire debebat. Ad disciplinam certe Christianam stabiliendam multum intererat, ipsum tanquam doctorem & communem patrem non laborare fama. Immo, si mendacii cum gravissimo scandalo conjuncti architectus ipse fuisset, Deus Opt. innocentiam viri tot prodigiis haud palam fecisset. Sint, qui animum inducant rem ita ut narravi, evenisse (sunt autem permulti) ego tamen de sententia dimoveri me haud patiar. Si enim falsum testimonium dicere non licet, nec docere fas fuerit, præsertim si existimatio Ecclesiasticorum, quos pro antesignanis habet populus, in discrimen adducatur, eorumque factum in exemplum sit iturum.

Ovid.

Stupri insimulatus.

Nemo qui sapit, ipse sibi fibulam affigit: quod tamen à S. Emmerano factum aliqui sibi persuadeant.

Porro ubi Vta pudendum facinus Episcopo impegit, Theodo genitor iræ impotentia ensem duxit, in vestigio eam obtruncaturus, nisi intercessissent proceres, majorem in modum rogando, ne cæde filiæ manus imbueret pater. Nec tamen valuissent preces, nisi furioso illi ipsi vim attulissent. Rabie non minore agebatur Landbertus frater germanus, qui in equum ocyus admotum insiliens, magnis itineribus insequutus, Heisendorfii S. Emmeranum, statum pensum inter Cœlitum lipsana solventem, oppressit. Ergo manus deprehenso injici: tum ad se perduci jussit. In eminentem postea se saxum extulit, ut videri, ut audiri à conferta multitudine posset: venientem autem maligno risu appellans,

Retrahitur ex itinere.

adeidum

adesdum sodes, dixit: salvus sis Boiariæ Ducum gener, familiæ decus, fortunarum nostrarum fundus. Itane tibi opportuni ad contumeliam visi sumus; stuprator virginis? sic tu jus, sic fas colis, amator? in aram, in focum peccare, sic pro nihilo ducis? an flagitii (prô ultimi!) te nec pudet, neque piget? certe oves lupo commisimus. Sed non impune feres scelus. Emmeranus insons dejectis in terram oculis impactam culpam à se amoliri: demum ad Pontificem Max. provocare; sed verba perdidit: nec enim Landbertus superfundenti se furori ulterius poterat temperare. Excitis igitur carnificibus negotium dedit, ut humo afflictum illico membratim conciderent. Non mora, scalis innoxium corpus implicant: correptis deinde cultris artus micantibus luminibus invadunt: pro se quisque secant: hic aures amputat, & prehensum nasum: alius verecundos oculos è cavernis eximit: ille præcidit sacras manus: iste radicitus evellit linguam: nonnulli se immiscent, & vestigia abscindunt: est etiam qui parti corporis inhonestæ ferrum subjiciat, quasi inde maximum supplicium petendum foret, certatumque inter egregios collegas sævitia est. Vbi satis immanitati litatum fuit, Landbertus exangui trunco relicto domum pertendit: incolæ hinc inde lectos artus cava arbore abdiderunt, quos duo cœlites (nam species humana major eos prodidit) quasi insidiis exemptos, secum avexerunt. Reliquus Emmeranus in plaustrum sublatus & Aschaimum deportatus est, ubi x. Kal. Octob. an. DCLII. viribus defectus, cum anima miri splendoris facem nre sacro edidit. Et hæc & illa pariter cœlum petere, atque ad Deum confugere visæ sunt. In æde S. Petri Aschaimi tumulatus Antistes, Numinis postea monitu Ratisbonæ redditus, atque in sacello S. Georgii extra mœnia sito, quod is olim frequentare consueverat, conditus est. Landbertus ob crebra miracula quæ ad Divi lipsana patrabantur, homicidii manifestus, in fugam se conjecit: incertus quo se verteret, apud Avares & Hunnos meritas pœnas Martyri persolvit: Vsa in exilium acta. Theodo veritus ne aliqua fusi sanguinis gutta ad se pertineret, S. Emmerano insigne templum ac Monasterium, S. Benedicti Monachis colendum, extruxit. Attexere juvat quæ D. Carolus Stengelius, Abbas Anhusanus, è membranis M S S. suæ Monasteriologiæ inseruit.

In frusta secatur.

Ratisbonæ in æde Sancti Georgii conditur.

Theodo ad Numinis iram avertendam, propitiandoque Sancto Emmerano Monasteriu m ædificat.

Diligenter est advertendum, quod olim temporibus paganismi & infidelium in illo colle, ubi nunc est Monasterium S. Emmerani situatum, tunc extra muros civitatis fuit lucus arborum sylvestrium, ubi diversorum simulachra idolorum ab infidelibus colebantur. Qua superstitiosa hominum stultitia tandem divina gratia evanescente, & fide Catholica parum scintillante, ibidem luco deposito viles casæ pauperum hominum suburbanorum civitatis constructæ fuerant: & inter easdem casas constructum fuit humile oratoriolum, in quo consecratum altare fuerat per fideles Christi tunc temuiter clarentes in honore D. Georgii Martyris. Quæ quidem Capella steterat ibi tugurii modo, araque ipsa ibidem in eodem Monasterio cernitur hodie ejusdem Martyris S. Georgii ad latus Australe versus ambitum dicti Monasterii, antequam aram D. Emmeranus primum sepultus fuerat tumulatus dicto Epitaphio adjuncto. Nemo denique mortalium de hoc ipso mirari debet, quandoquidem beatissimus Martyr in eadem capella Domino jubente voluit quiescere, & extremi sententiam examinis præstolari: Quia quem primo gratia docendi populum in fide Catholica in Ratisbonam transtulisset, post crebros frequentes labores circa gregem Domini dictam Capellam à tumultu hominum alienam, sæpius idem vir sanctus solus Deo placere desiderans, vigilusque & orationibus incumbens inhabitavit.

Arnolphus Imp. ut nomini S. Martyris debitum præstare videretur, mœnia promovit, indignum existimans patronum urbis extra urbem esse. E tabulis etiam vetustis promptum, civium Lutheranorum ædes plerasque à majoribus censui SS. Emmerano, VVolfgango, & Erhado exolvendo, addictas. Anno post Christum natum DCXCVII. Monasterium Theodonis Ducis Bavariæ impensa ultimam manum, & Apollonium primum Abbatem accepit. Successere septem alii, post quos ad summotis Abbatibus, Episcopi Imperatorum benevolentia insedere locum, & usque ad S. Ramuoldi, patruelis S. VVolfgangi, tempora tenuere, quem idem Pontifex Treviris evocatum rebus præfecit. Inde series nunquam interpolata ad LV. Abbatem deducta est. Non miraberis, si ætatem illam recte nosti: Nam plerique Episcopatus, inquit Hundius, primo in Monasteriis cœperunt. Accedit, S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum anno DCCXXXII. jussu Gregorii III. Pontificis max. Episcopis Bavariæ loca designasse, uti suam quisque Cathedram ponerent. Ratisbonæ autem nullibi commodius, quam ad S. Emmerani poni potuisse, eo quod Cœnobium opibus utcunque valuerit; deinde Monachi

Arnolphus Imp. Monasterium mœnibus inclusit.

S. Wolfgangus Abbates Monasterio restituit.

Hundius Metrop. Salisb. lib. in Garibaldo.

Garibaldus Cathedram Episcopalem primus in Monast. S. Emmerani posuit.

pro Canonicis ad manum fuerint. Itaque Garibaldus S. Bonifacii auctoritate, ac Vtilonis Bavariæ Ducis voluntate, primus ibi *S*edem fixit, & tam *A*bbatis quam Episcopi munus obivit.

*P*ostquam Rom. *I*mperium Carolum Magnum excepit, Bavaria à Regibus Francis subacta, Adalvvinus Episcopus aditus est, rogatusque, ut Monasterio excederet, Cathedram in S. Stephani ædem transferret. Adimi sibi Abbatiam passus est. Sub *hoc Aldavvino*, inquit Hundius, *Concilium, fuit Ratisbonæ, anno* DCCXCII. *quod Carolus (qui totam æstatem Romæ commoratus est ob bellum cum Hunnis gerendum) convocari curavit, in quo Feliciana hæresis damnata est, in quo Concilio & de translatione Sedis Episcopalis actum videtur, & res tantisper transacta, dum deinceps per Leonem Hadriani successorem confirmaretur.* Ludovicus *P*ius (an sua sponte, an à Monachis premi ultra nolentibus subornatus, non satis constat) Carolum M. parentem optimum rogavit, ut jugum Monasterio S. Emmerani demere vellet. Ille haud gravate annuit petitioni: Monachos edito diplomate in libertatem vindicavit: Antistitem septem aureos nummos Romæ ad altare S. Petri quot annis deponere mandavit. Leo III. id ratum habuit.

Carolus M. Monachis rogatu Ludovici Pii restituit Rem:

Script. 33.

Quamvis autem Adalvvinus rebus cum Monasterio relictis Cathedram in S. Stephani Ecclesia posuerit, & quadra sua deinceps vixerit, illi tamen qui successerunt Episcopi tenues fortunas suas pertæsi, veterem ad bolum limis oculis respexerunt, ad quem recuperandum omnis demum cura versa est. Nihil enim pensi habebant quod duobus corporibus unum caput imponeretur, atque portentum evaderet. *P*ost longam obsidionem, Abbatis titulum & *M*onasterii opes in deditionem acceperunt. Monachi indigne ferentes Diploma Caroli M. & Bullam Leonis III. quibus in libertatem asserti erant, cupiditati Episcoporum postponi, seque in eorum potestate esse qui neque nomen inter *M*onachos profiterentur, neque Regulam S. P. N. Benedicti primoribus, quod ajunt, digitis unquam attigissent, & de quibus pientissimi Fundatores ne somniassent quidem, modo Summorum *P*ontificum, modo Rom. Imperatorum fidem implorârunt. Quosdam ex his tam ipsa rei indignitas, quam Caroli M. auctoritas moverat, ut Monasterium in integrum, per Diplomata restituerent, non tamen idcirco Episcopi manus opimis bonis abstinuerunt, sed tergiversando diem ex die traxerunt, Ludovicum pium, Arnulphum, Othones, alios inani spe lactantes. Itaque justo dolori solum remedium erat, patientia. Tandem circa annum post Christum natum nongentesimum octogesimum S. VVolfgangus, Episcopus Ratisbonensis XIII. ad officium suum, quam ad facultates S. Emmerani, attentior, Abbatia se abdicans, corpori illi caput congruum imposuit, (Ramuoldo nomen erat) sicque ollas Episcoporum à foco Monasterii removit; nec quisquam deinceps Bullas *P*ontificias vel diplomata Cæsarea ausus est interpellare. Sed operæ est catalogum Abbatum subjicere, ne aliquid momenti majoris nos prætereat.

Episcopi iterum eripuerunt,

Script. 32. 33. 34. 35. 36. 37.

Iterumque Monachi vindicârunt.

Series Abbatum ad Sancti Emmerani.

1. *Apollonius*, anno DCXCVII. Monasterio præfectus, quod tum paucis vix Monachis alendis erat. Mortuus an. 710.
2. *Sandradus*, mortuus an. 735.
3. *Alaboldus*, mortuus an. 752.
4. *Babo*, mortuus an. 778.
5. *Sigismundus*, mortuus an. 798. à Carolo M. *A*bbas jussus est, cujus opera magnum incrementum sumpsit Monasterium, præsertim quod tunc Episcopatus à Monachorum domicilio ejusdem opera secessisset in urbem, Ecclesiamque *S*. Stephani occupasset.

Carolus M. locupletat Monast. S. Emmerani.

6. *Richpaldus*, à Ludovico I. confirmationem immunitatis obtinuit, Monasterio à Carolo M. concessam. Mortuus an. 822.
7. *Sigefridus*, mortuus an. 830. Post hos septem Abbates interregnum initum, quod 155. annos (nonnulli 145. numerant) duravit. *Nam Episcopi Ratisbonenses*, inquit Hundius, *se intromiserunt de ordinatione & regimine dicti Monasterii consentientibus Imperatoribus.* Neque etiam certa serie sibi succedebant ante Garibaldum, qui jussu Gregorii III. an. 739. vel 740. clavum cepit, sed erant Episcopi adventitii.

Metropol. Salisb. de Mon. S. Emmer.

8. *Baturicus Episcopus Ratisbonensis*, & Abbas ad S. Emmeranum, de quo hæc in memores tabulas retulit idem VViguleus Hundius: *Baturicus Adalbino successit an. 814. Carolo M. jam rebus humanis paulo ante exempto: at secundum Aventin. an. 816. Iste Adavvini factum revocavit, & Ecclesiam S. Emmerani rursum poposcit, & in ditionem suam redegit. Qua de re Richobaldus Abbas ejus Monasterii ad Ludovicum primum, Caroli filium, profectus, impetravit confirmationem immunita-*

Metrop. Sal. in Baturico.

tis Monasterio à parente data, Eugenio Papa subscribente, tui legationi tam anxie immoratus est, ut etiam in illa moreretur. His tamen non obstantibus, Eugenio mox defuncto Baltburicus Episcopus, quod se inscio & minime consentiente gestum est, ratum habere nolait, & Ecclesiam S. Emmerani sibi subjecit, ejusque bona pro arbitrio administravit, confirmante hoc Ludovico Boiariorum Rege, Ludovici Augusti Imp. filio.

9. *Erchanfridus, Episcopus & Abbas,* an. 842. *B*athurico suffectus.

10. *Embrichus, Episcopus & Abbas,* mitra secundum Hundium an. DCCCLII. redimitus: *Ludovico Rege* (verba Hundi sunt) *filio Ludovici Pii apud Bojos adhuc regnante, sub Ludovico II. Lotharii filio Imperatore. Sub idem tempus contigit secundum Sigebertum Chemblacens. Chronographum sub anno 875. manes Ludovici Imperatoris errare, unde Ludovico Regi Boiorum parens, olim Ludovicus Augustus in somnis apparens, obtestatus est ut se per nomen S. Trinitatis eriperet è tormentis, quibus detineretur. Ludovicus igitur in parentem pius, ad diversa Monasteria datis eleemosynis, patri fideliter succurrebat: in his & Monasterio S. Emmerani plurima addidisse, credibile est, qua occasione Monachi ab illo confirmationem exemptionis, Monasterio à parente olim factæ, impetrarunt, confirmato censu septem aureorum Nicolao Pontifici Max. persolvendorum singulis annis. Sed ista confirmatio Ludovico è medio sublato in nihilum recidit, cum illius filius, cognomento Crassus, Episcopo Embrichoni continuo Monasterium restitueret. Mortuus est an. 891.*

11. *Aspertus (quibusdam Isbertus)* an. 886. è Manacho S. Emmerani Episcopus factus: ibidem, uti cæteri, sepultus.

Tuto ex Monacho Ep. gemmeum Euangeliorum librum Monasterio S. Emmerani munus dedit.

12. *Tuto vir Sanctus,* ad D. Emmerani Monachus: an. 891. lectus Episcopus: *Hic,* ut est apud Hundium, *Arnulpho Regi Boiariæ fuit à secretis: Quem cum in Galliam sequutus esset, Dionysium illum Gallorum tutelarem cœlitem furto surreptum, & Evangeliorum Codicem auratum ac gemmatum jussu Caroli Calvi Francorum Occidentalium Regis, aureis litteris scriptum, ab eodem Arnulpho acceptum, Ratisbonam in Monasterium S. Emmerani intulit. Quem Codicem cum Imperator Conradus I. auferri iterum jussisset, & Tuto qui adhuc in Cathedra sedebat, servo illuc misso, omnes diras propterea imprecatus fuisset, servus illico correptus dysenteria, relicto Codice animam efflavit.*

Res Monasterii affectas fuisse, nobis persuademus, quamdiu Abbate genuino caruit: hinc Monachi semper rimam quæsiverunt, qua servitute exirent: & quidem hoc tempore per Formosum Papam, & Arnulphum Cæsarem, Episcoporum jurisdictioni denuo exempti fuerunt. Sed tam Tuto quam successores dum parta tuenda putârunt, bolum hunc mordicus tenuerunt. Post tumulum S. VVolfgangi Tuto urna sua inclusus jacet.

13. *Isingrinus Episcopus & Abbas,* anno 926. gubernaculo admotus.

14. *Conradus Episcopus & Abbas;* officium sex mensibus cum vita absolvit.

15. *Guntharius seu Gunsherius* ad S. Emmerani antea Monachus. Quibus gradibus ad Cathedram & mitram ascenderit, hisce verbis recenset Hundius: *Gunsharius fit Episcopus an. 938. idque per Othonem ejus nominis primum Imp. Etenim cum Imperator Otho forte Ratisbonæ ageret, & Sedes Episcopalis vacaret, Imperator autem per somnum moneretur, ut illum Episcopum crearet (nam Arnolphus jam obierat, & ejus filii ob rebellionem Ducatu jam exciderant) qui postero die in Monasterio sibi occurreret primus. Imperator prima luce cum paucorum comitatu ad Monasterium S. Emmerani, Monachis ejus rei ignaris, accessit: ibi cum pulsanti venerabilis frater Guntharius aperuisset ostium, Imperator eum intuens ac interrogans, quid ille pro Episcopatu adipiscendo dare vellet? frater subridens, calceos, inquit, meos &c. Tunc Imperator patefacto reliquis fratribus oraculo, consilio Cleri & populi eum Episcopum elegit.* Addit Dietmarus: *Is vero accepta benedictione sedebat tantum VI. menses, ægritudineque compressus valida, ad modicum convaluit, sumptoque in manus cinere, locum quo de seculo migrare voluit, signo sanctæ crucis, ipse consurgendo signavit, solo tenusque positus illud beati Iob carmen beatus & ipse cecinit: Auditu auris audivi te Domine: nunc autem oculus meus videt te: Idcirco ipse me reprehendo, & ago pænitentiam in favilla & cinere. Et continua confessione cum lachrymis peracta, emisit spiritum anno* CCIↃ XXXVII.

Metrop. Salisb. in Guntharío, Leopold. Bebenburg. de zelo Princip. c. 14.

Guntharius ad S. Emmerani Monachus tanti putavit Episcopatus honorē, quanti suos calceos.

Dietmar. l.

16. *Michael Episcopus & Abbas,* anno DCCCCXXXVIII. ad clavum auctoratus, quem dum tenuit Otho I. cognomento Magnus, ad suorum antecessorum exemplum S. Emmerani Monasterium servitute solvit, misso Romam annuo censu. Itaque Pontifices Summi non minus quinque veluti Leo III, Nicolaus, Eugenius, Formo-

Hund. Metrop. Salisb.

Script. 27. 28. 29. 30.

sus,

sus, Iohannes XII. ac totidem Imperatores, nimirum Carolus M. Ludovicus Pius, Ludovicus Rex, Arnulphus, Otho primus, laborem ceperunt, ut exutum libertate Monasterium, in libertatem vindicarent.

S. Wolfgangus Monasterium sub jugum missum, in libertatem asserit.

17. *S. VVolfgangus, gente Suevus*, anno nongentesimo sexagesimo octavo, ab Othone I. rogatu Pilegrini Pataviensis Antistitis, cui Hungaros ad Ecclesiam perducenti magnam operam navaverat, Episcopus Ratisbonensis renunciatus est. Cum animadverteret ubique laborare religionem, ejus instaurandæ desiderio accensus, Ramuoldum præpositum, patruelem suum, rebus S. Emmerani præfecit, Abbatia Monachis restituta, quod mallet numerare creditas sibi animas, quam Monasterii sibi non fundati pecunias. *Fuerat enim tunc consuetudo in Ratisbonensi Ecclesia*, inquit Hundius, *ut Antistes Ratisbonensis simul etiam Abbas esset, quorum nomina tenebant solum, officia non item. Quia eo tempore quo primum à Bonifacio auctoritate Apostolica juxta decreta Canonum Sedes Episcopalis instituta est, per vices & alternis sibi succedebant jam Monachi, jam Canonici: Episcopalis autem Sedes erat apud S. Emmeranum usque ad Caroli M. tempora, qui eam in civitatem transtulit. Cum vero ista S. VVolfgango displicuissent, Monasterio rursum suos permisit Abbates.* Summa profectò ratione consilioque factum. A Commendatariis Abbatibus S. Regula post nummos quæritur.

Hund. Metrop. Salisb.

18. *S. Ramuoldus* ad S. Emmerani Præpositus seu Prior, S. VVolfgangi voluntate circa annum Christi nati nongentesimum octogesimum Abbatis provinciam adivit. Disciplinam ad veterem lineam revocavit, qua redintegrata viris præstantibus, ad varios postmodum honores evectos, Monasterium abundavit. Ab Othone proscriptus est, quod ab Henrici Bavariæ Ducis parte stetisset, quo cum is bellum gerebat: domi tamen vitæ summam absolvit, juxtaq; aram S. Gregorio & omnibus Confessoribus dedicatam in crypta sepultus est, cui hoc Epitaphium posuere funeris curatores:

Adi Arnulphum Comitem & Monachum Ratisbonens. in vita S. Emmerani. Canisium antiquar Lection. Tom. 2. Caroli Stengelii Monasteriologiam.

Signis clarescit pius hic Ramuoldus humatus:
Cælo fulgescit, cælestibus associatus.
Obiit anno millesimo primo 15. Kal. Iulii.

Crypta hoc quoque Epitaphium subeuntibus exhibet.

B. Ramuoldus, D. VVolgangi patruelis cognatione, amore, pietate, & ordine, Germanus, vir vita & conversatione integer atque Sanctissimus, ex Trevirensi urbe & Monasterio S. Maximini à S. VVolfgango evocatus an. 975. Hujus loci Abbas constituitur. ubi in labore & solicitudine pastoralis vitæ strenue desudans, magno se ardore & conatu adversariis opposuit, plurimumque pro libertate Monasterii hujus laboravit. Ottoni II. Rom. Imp. semper Augusto apprime carus: miro Dei judicio biennium cæcus, miraculo crucifixi ad sepulchrum S. Emmerani visum recepit. Cryptam hanc ad Sanctorum & post. mem. à fundamentis excitavit &c. Tandem cum XXVI. annos, menses V. dies XVII. sanctissime rexisset, febricula correptus an. Dom. CIↃI. XV. Kal. Iulii. ætatis suæ C. beato fine quievit, miraculis clarus.

Mortem ipsius Henricus Boiorũ Princeps adeo ęgre tulit & acerbe, ut cum funus condendum esset, Gebhardo Ratisbon. Episcopo Comite advolârit, inq; sepulchrum saltu se dimittens, venerandum corpus exceperit, composueritque. Tumulum sibi quindecim annis ante, quam vita defungeretur, fodi curaverat. Virum luce fuisse dignissimum vel hinc apparet, quod cum humi fusus aliquando excubias ageret apud cineres Sancti Wolfgangi, præter morem in somnum ruerit; & tum Servatorem nostrum, quasi precibus fatigatum excussis clavis de cruce descendisse: duos cereos ardentes, candelabris supra aram defixos, capessivisse: luminibus ipsius, ante biennium extinctis, admovisse, iterumq; accendisse. *Cui rei specilla ocularia*, inquit Raderus, *testes admirandi facti in Æde S. Emmerani pro anathemate suspendit.*

B. Ramuoldus ab Henrico Boiorum Principe sepultus.

Rader in Bavaria Sancta.

19. *VVolfgangus*, gradu non absque injuria motus. Obiit an. MVI.

20. *Richoldus*, an. MXXVIII. oculis captus, diem quoque clausit.

21. *Hartvvicus*, Abbatia sponte abivit, & obivit an. MXXX.

22. *Burchardus*, an. MXXXVII. mortem oppetens, Romæ ad S. Petri sepultus est, quo se contulerat Monasterii sui defendendi causa adversus Episcopos Ratisbonenses qui Pontificum Bullis, & Impp. Diplomatibus neglectis, rem denuo ad se trahebant.

23. *Vdalricus I.* Concessit an. MXLIV.

24. *Eckenpertus*. Concessit an. MXLV.

25. *Peringerius*. vixere desiit an. MXLIX.

26. *Reginbardus*. Humanis exemptus an. MLXIV. S. Dionysii ossa reperisse fertur.

27. *Eberbardus*. Finem vitæ imposuit an. MLXX. secundum monumenta Tegernseensia, cui Monasterio etiam præfuit, MXCI. V. Id. Maii.

28. *Rupertus*. Mortuus an. MXCV.

29. *Reinbardus*. Mortuus MCX.

30. *Theodoricus*. Excessit an. MCXXIX.

31. *Engel-*

31. *Engelfridus*. Abiit an. MCXLIII.

32. *Berchtoldus*. Mortem cum vita commutavit an. MCXLIX.

Adelbertus Abbas veris divitiis, id est, virtutibus, beatus.

33. *Adelbertus*. Vixit Friderico I. Imperatore, Monasterii conflagratione ad paupertatem redactus. Mausoleum, quod in sacello habet, his versibus virum celebrat:

Floruit hic signis Abbas Adalbertus opimis:
Illius precibus Iesu Rex parce redemptis.

Cui Epitaphio subjectum est: *Obiit anno millesimo centesimo septuagesimo septimo.*

34. *Peringerus II.* Fato defunctus an. MCCI Aquæ ductus ei debentur.

35. *Eberhardus*. Diem obiit an. MCCXVII.

36. *Vdalricus II.* Obiit an. MCCXX.

37. *Berchtoldus II.* Extinctus MCCXXXV.

38. *VVilfingus*. Gradu motus obiit an. MCCXLVII.

39. *Vdalricus II.* Litem iterum Monast. movere Episc. Mortuus est an. MCCLXIII.

40. *Fridericus de Teurn*, mitram ac pedú à Sede Apost. obtinuit. Mortuus an. MCCLXXI.

41. *Vdalricus de Prunn*, trium mensiú Abb.

42. *Haymo*. summis viribus libertatem Monasterii defeodit.

43. *VVolfgang*. Fuit intrusus: post quinquennium Abbatiæ sponte renunciavit.

44. *VVernherus*, prius Abbas Prüflingensis. Abiit ad plures an. MCCXCII.

45. *Carolus*. Decessit an. MCCCV.

46. *Henricus*. Obiit an. MCCCXII.

47. *Baluvinus*. vitam exhausit anno MCCCXXIV.

48. *Albertus*. Vltimum diem composuit ao. MCCCLVIII.

49. *Altho Tanstainer*. Stare desiit an. MCCCLXXXV.

50. *Fridericus de VVeidenberg*, quo clavum tenente dormitorium Monachorum incendio correptum in cineres abiit. Solum sacellum D. Colomanno dedicatum, quod iubtus stabat, omnibus obstupescentibus flamma violatum non fuit. Vitam posuit an. MCCCXCV.

51. *Iohannes Hauuner*. Mortem obiit an. MCCCCII.

52. *Vdalricus Pettendorffer*. Vitam exuit an MCCCCXXIII.

53. *VVolfhardus Straus*. postquam XXVII. optime de Monasterio meruit, MCCCCLIV. fato concessit.

54. *Hartungus Pfersfelder*. Abbatem quoq; egit in Michaëlfeld ac monte Monachorú Babenbergæ. Obiit an. MCCCCXLVIII.

55. *Conradus Pebenhauser*. Hoc Abbate XVI. Monachos de cœtu carpsit pestis. Obiit an. MCCCCLXV.

56. *Michaël Teyer*. Sex annos io Abbatia posuit.

57. *Ioh. Tegernpeck*. An. MCCCCXCIII. humana valere jussit.

58. *Erasmus Munzer*. Fatali telo ictus an MDXVII.

59. *Ambrosius Munzer*. An. MDXXXV. in mortuorum numerum redactus.

60. *Leonhardus Pfenningman*. Quinque annis rem gessit.

61. *Erasmus II. Nitenauu*. Vtilis admodum Monasterio fuit. Anno, MDLXI. urgente fato mortuus.

62. *Blasius Baumgartner*. Quatuordecim annis clavú tenuit: Monasterium auxit.

63. *Ambrosius Mairhofer*. an. MDLXXV. Abbas renunciatus: magna impensa turrim quadrato lapide ex ipsis fundaméntis eduxit.

Monasterii S. Emmerani sidera, S. Guilhelmus, primus Abbas Hirsaugiensis:

Huic Monasterio insigni ornamento fuerunt B. VVilhelmus, virtute eruditione, miraculis celebris: qui ad insulam Hirsaugiensem evectus, non modo labentem disciplinam passim restituit, sed etiam aliquot Monasteria per Germaniam extruxit. LXV. annos natus cœlo illatus est æra Christiana MXCI. cujus vitam Georg. Stengelius, Abbas Anhusanus, memoriæ prodidit. Insuper Straticus, Boleslai Regis Bohemiæ filius, de Monacho factus Pragensis Archiepiscopus. Bosso, Episc. Mersburgensis, qui Othone Magno imperante floruit. Accedit, hic loci etiam doctas fuisse liberales artes. Theodo, ut auctor est Avent. ad eluendam maculam, per cædem S. Emmerani contractam, insignem Ecclesiam condidit, in qua Monachi Ord. S. Benedicti rem divinam persolverent. Tempore non longo quamplurimi confluxere qui apertis scholis auditores suos tam humanis quam divinis litteris summa contentione instituerunt. Multis sæculis in hac arena desudarunt Monachi S. Emmerani, & primum avorum nostrorum memoria cessatum est. Hic eruditionem hausit S. Erhardus, Episcopus Ratisbonensis, nec non frater ipsius S. Hildulphus, Archiepiscopus Trevirensis, è Norico oriundi. Ad splendorem hujus Monasterii pertinet, illustrissimorum id virorum esse Mausoleum. Geminis autem ulnis amplectimur ante alia & veneramur S. Emmerani lipsana, Divi tutelaris. Magni etiam facias quod hic humatus sit S. VVolfgangus, nobilis Suevorum sanguis in Augiensi Monasterio ad virtutem ac litteras eductus: in Hercinia sylva inter Monachos nomen professus. Cœlo sidus addidit an. Christi DCCCCXCIX. prid. Kal. Non. Deprehendas hic insuper Arnulphum Imp. Carolomanni Bavariæ Regis Ottingæ sepulti filiú, qui optime de Monasterio meruit. Nam hanc sibi laudem jure vindicare potest, quod S. Emmeranum civitate donârit, qui prius suburbium incoluerat. Timuit enim ne Monasterium perpetuis Hunnorum incursionibus objectum, Deo Opt. secure vacare posset. In rem quoque est, quod Cuspinianus famæ credidit, Monasterium abundare summæ religionis viris: in promptu habere multa privilegia librosque, ac singularem operam dare ne pes-

Straticus, Boleslai, Regis Bohemiæ filius, Episcopus Pragensis: Bosso, Ep. Mersburgensis. Aventin. l.

Monasterium S Emmerani magnorum fuit virorum Mausoleum. Hic enim conditi S. Emmeranus: S. Wolfgangus. Sur. 31. Octob. Hund. in Metrop. Cuspin. Arnulphus Imperator:

sum eant: nec adeo inhumanos esse incolas, quin facile cum hospitibus, quos summa benevolentia prosequi soleant, communicent: dignos posterum memoriâ

Ludovicus Rex Rom. Arnulphi filius: Hemma, Ludovici Pii conjunx.

Hic insuper supremum judicii diem præstolatur Ludovicus Rex Rom. Arnulphi Imp. filius: & Hemma Ludovici Pii conjunx, post altare S. Achatii tumulata; *de qua re magna est contentio* inquit Hundius *inter Emmeranos & Moniales superioris Monasterii, quæ asserunt fundatricem apud ipsas sepultam, ac ejus mausoleum ostendunt. Nituntur diplomate Caroli Imp. Crassi, filii Fundatricis. E contra Hermannus Contractus, magnæ fidei historicus, ponit an. Dom. 876. Hemma Regina Ratisbonæ obiit, & in Basilica S. Emmerani sepulta est Utrumq; potest verum esse: primo apud S. Emmeranum sepultam: postea ad Monast. superius, locum novæ suæ plantationis, translatam esse, quod sæpe contingit. Et putat Aventinus mausoleum, quod apud S. Emmeranum ostenditur non esse Hemmæ, sed Utæ Augustæ uxoris Arnulphi Imp.*

Herman. Contr. an. 876.

Avent. l. 4. f. 442. Idem f. 500

Fama est, in hoc Monast. terræ quoque mandatum Henric. I. Bavar. Ducem, gente Saxonem, Othonis M. fratrem, etsi tempus sepulchri memoriam aboleverit. Henricus, ipsius filius, Bavariæ Dux II. cognomento Rixosus, prope Chorum latus sinistrum obtinet. E regione hujus Henrici Ducis Bavar. patris Henrici S. Imp. cineres jacent Arnoldi, Ducis Bav. cognomento Mali. Fortunatum quoque hoc Cœnobium est S. Aureliæ Virginis Franciæ Regis filiæ, offibus, quæ mariti commercium vitabunda, Ratisbonam venit. Profugam S. Wolfgangus excepit: in locum privatum quem nunc sacellum S. Andreæ occupat, removit, ubi LII. annos sanctissime posuit, ac anno MXXVI. beatam animam exhalavit, cui hoc Epitaphium positum est:

Henricus I. Bavariæ Dux: Henricus II. Bavar. Dux: Arn. dus ... Bavariæ: S. Aurelia.

Hic pia florescit Aurelia virgo sepulta,
Quæ pœnas nescit, cæli dulcedine fulta.

His accessere XVIII. Episcopi Ratisbonens. In sacello D. Benedicti conditus est Warmundus Comes de Wasserburg, cujus tumulo incisum: *An. D. 1010. in die S. Leonis Papæ, obiit Dominus Warmundus nobilis, Comes de Wasserburg &c.* Propter limen portæ templi in Othonem Landg. de Steffling incidis, Burggrav. Ratisbonensem.

Metrop. Sal. Octodecim Episc. Warmundus Comes de Wasserburg: Otho Landgravius:

Hildricus quoque Francorum Rex, ossa sua huc circa an. DCCLI. contulit, in Monast. intrusus: cui adde Georgium, Moraviæ March. Monachum Casinensem. Hemma Friderici Imp. soror in ambitu Monasterii sepulta traditur. Quamplurimas illustres urnas ruinis ac ruderibus succubuisse, nemini dubium esse debet: vestigare autem & scrutari omnes, longum foret: nam præter Impp. Reges, Principes, Episcopos, Comites de Rietenburg: Comites de Wasserburg, Domini de Abensperg & Nobiles Habsperg hic loci conditi sunt.

Hildricus Rex Galliæ, Carolnorũ ultimus: Georgius Moraviæ Marchio: Hemma Abbatissa, Friderici Imp. soror.

CAPUT III.

Ubinam terrarum S. Dionysius Areopagita sepultus sit.

An S. Dionysius Areopagita hic sepultus sit, certatur sententiis.

S. Dionysium Areopagitam in extremam seriem distulimus, quod nobis longius negotium cum eo futurum esset. Enimvero pro celeberrimo martyre tam Germani pugnam cient, quam Galli. Ratisbonenses Monachi constanti famæ à majoribus acceptæ incumbunt, cui pondus singularis benevolentia, qua Arnulphus Imp. Monast. S. Emmerani prosequi consueverat, superaddit. Quicquid enim usquam pulchrum erat, aut pretiosum, comparabat, & huc conferebat. Tradunt vero historici Germani Arnulphum, triumphatis in Gallia Nordmannis, Carolo simplice regnante, insidias summo studio S. Dionysio collocasse: denique in potestatem redegisse, dignumque amplitudine templi S. Emmerani thesaurum ibidem depoluisse. Quo tamen pacto sit eo potitus, inter historicos non convenit.

Avent. l. 4. hist. Bavar.

Memorat Aventinus Othonem Regem has instruxisse insidias, & jussisse dolum ut ab Arnulpho Imp. gratiam iniret. Videlicet ex aulæ proceribus quendam ex composito insignt se se obstrinxisse piaculo (Gisalberto nomen fuisse) ut postea receptum haberet ad S. Dionysii Monast. Voti compotem, summa liberalitate usum erga Monachos, præsertim quodam vespere tam ipsos quam ministros lautissima accepisse cœna. Postquã in multam noctem tam bi quam illi hilarius se invitassent, majoribus poculis sæpius ad unguem exhaustis, ultimo natantes vino, ut potuissent, cubitũ concessisse. His in utramque aurem dormientibus, Gisalbertum ad sacram urnam penetrasse: D. Dionys. clam omnibus exemisse: ad Othonem Regem detulisse: hunc lætissimo Arnulpho dono dedisse. Ut fidem sibi conciliet Aventinus, eosdem Monachos librum Evangeliorum habuisse, addit, litteris aureis scriptum, gemmis distinctum, Caroli Calvi munus, illosq; thesauro pariter exutos esse. Nam librum hodie Monachi ad S. Emmerani in manibus habent. Sed Galli hæc omnia ad Milesias fabulas trahere: negare, pernegare Gisalbertum, vel quemvis alium mortalem, unquam S. Dionysio admolitum esse manum, aut mausoleum sacris offibus spoliasse. Iudicem Leonem IX. Pont. M. aliquando Ord. S. Bened.

Quo pacto insidiæ sacris offibus collocatæ ferantur.

Monachum,

Monachum, appellant Germani, à quo tū provocare vix ausis. *An.* MLII. inquit Baronius, *Cum Leo* IX *in Germaniam profectus esset, atque Ratisbonæ in Bavaria constitisset, ejusmodi constitutionem sive declarationem corpori S. Dionysii ibidem consistentis scripsisse asseritur, quam in veteribus Pontif. Rom. scriptis Antonii Augustini* (nec Gallus, nec Germanus, sed Hispanus fuit) *repertam, licet mendosam aliquantum, hic reddimus.* Nos hanc *declarationem* in Appendicem removimus. Hisce testimoniis accedit quadratus in tēplo lapis, sic inscriptus: *Dionys Areop hic requiescit. Sub Arnulpho Imp. & Ottone Rege sub Eubulone Abbate Monast. S. Dionisii, Gisalbertus furatus est v. Nonas Iulii, furto sublatus huc venit prid. Nonas Dec. tempore Tutonis Episcopi.*

Append. Script. ultima.

Cranz. Metrop. l. 3. c. 8.

Cranzius Mindensem Ecclesiam Cathedralem S. Dionys. Areop. dedicatam fuisse, asserit, postquam Arnulpus Imp. eundem è Gallia in Bavar. transtulisset. Rem vero ita se habere, clarius esse luce: nam ita judicasse Leonem IX. cujus Bullæ copia in Mindensis Ecclesiæ archivo sit obvia. In hanc sententiam it etiam Nauclerus. Adjungunt isti auctores, Galliæ oratores adfuisse cum Leo Papa Areopagitam Monasterio S. Emmerani adjudicaret. Aliquid præterea momenti affert Ioh. Cuspinianus, fidemq; facit tabulas, quas diximus, publicas, dirimendæ liti, quæ Gallis cum Germanis intercesserat, datas à Leone IX. Pont. profectas esse, quod is Ratisbonam maxima cum Henrico Imp. negotia conficiendi gratia venerit, ubi simul S. VVulfgangum, nobili Suevorum sanguine natum, & de Einsidlensis Monast. Monacho Episcopum Ratisbonæ factum, cœlesti honore prosequendum decreverit. Immo, si numero auctorum semper vis inest, prioribus se addunt Albert. Stadensis, Ioh. Trithemius, conditor Chronici mundi. Otho Frising. neque Germanis neque Gallis se admiscere videtur, qui tamen auctoritate multum valet cum cæteros ætate præcesserit, quippe Friderico I. Imp. jam orbi notus. Ex eadem fidelia parietem dealbat Æneas Sylvius seu Pius II. Aliquandiu enim diversatus Ratisbonæ est: tum vero se ad Monast. S. Emmerani visisse, ait. Abbatem præter alia sibi corpus indicasse, ac affirmasse id S. Dionysii Areop. esse. Rogatum unde vero id ipsi constaret? Bullam Leonis Papæ produxisse, referentem, aliquem Imp. (& nisi me fallat memoria, addit Sylvius, unus ex Henricis fuerit) Parisiis Galliæ Regem convenisse, ususque occasione, ossa Divi abstulisse, & Cœnobio S. Emmerani tradidisse, illudque furtum à Pont. Pium appellatum. Tot argumenta, nisi curiosius expendas, certe pondus habent; unde Germani causam apud Germanos jam pridem obtinuerunt. Galli, somnia sibi narrari putant, maluntque ridere, quam respondere, quod Monachi ad S. Dionysium Parisiis unicam unius Pont. Leonis IX. Bullam (quam pro adulterina ducunt) alto Bullarum, Diplomatum, tabularumq; cumulo compensent. circa auctorum multitudo nihil nos movet, cum præter Æneam Sylvium Italum, (sed in aula Friderici Imp. eductum) alii omnes biberint matres Germanas, ideoque patriæ aliquid dum scribebant, dare voluisse videri possint. Dubitavit Sylvius, an genuinum Imp. nomen. qui ossa sublegerat, recte, calleret, vel id excidisset imprudenti. Non immerito. Si enim Dionysius migrasset Ratisbonam Henrico III. imperante, occisa Alemannorum causa esset, totum Dionysium sibi vindicantium.

Nauclor. an. 1052.

Cuspinian. in Arnulph. & Henrico e.

Albert. Stadens. an 1052.

Trith. hist. Bavar.

Chr. Mundi.

Otho Frising l. 6. c. 31.

Æneas Sylv. paralel.

Cuspinian. in Henric.

Causa superiores videntur Galli.

Sed ne trahamus litem, ante alios Cuspinianus Carolū Simplicem rebellibus à subditis in angustias redactum, gratiam Henrici Aucupis summa industria captasse, asserit, ab eoq; suppetias petivisse, quibus suos hostes in ordinem redigeret. Non fefellisse simplicem Regem qua potissimum esca caperetur Imp. Itaq; brachium D. Dionysii Gallorum Apostoli ei obtulisse, auro gemmisq; inclusum. Quod si ita est, Bulla Leonis Pont. M. ultra brachium tendi non potest. Vlterius instamus Germanis: si Arnulphus D. Dionysium totum ex urna sustulit, undenam annis posterioribus Galli ejus brachiū in promptu habuere? Non acutius Germani viderint quam ut brachium prætariverint, cum totum Areopagitam sedulo colligerent? Quid num vero simile est, Gallos adeo flocci suum fecisse Apostolum, ut relictum solū brachium, sibi eripi quoque siverint? Vetere fertur proverbio: *quien todo lo quiere, todo lo pierde*: qui vult habere totum, perdit totum. Ita Alemanni dum post corpus furto subductum imperante Arnulpho (quod sponte fatentur) etiam brachium Francis invident, sibiq; Caroli Simplicis opera vindicant, merentur totius Dionysii possessione exui. Haud tamen imus inficias, proxime verum esse, quædam ossa S. Emmerani Cœnobio obtigisse, quæ Leo IX. cum pia extensione corporis nomine designatus sit.

Monachos cum famulis totis pectoribus proflasse somnum, jusso madidos, nec valuisse conquiniscere dum Gisalbertus huic furto dabat operam, penes Aventinum esto fides. Alius auctor isthoc pacto scribat, dicam esse ebrium. Cœnobitæ ac servitia id temporis facile ducentesimum, immo tre-

centesimum numerum impleverunt: per fores, per ferreos cancellos, per mausoleum longe firmissimum penetrandum insidiis fuit, & nemo omnium senserit? nemo malleos aut bipennes sonantes audiverit? omnes auribus exciderint? *Ut ut sint hæc: lupus nondum tenetur auribus, nec ursa capta est. Si de causa cœnobii S. Emmerani actum est, eo quod historici, qui tanti thesauri illud hæredem scribunt, sint Germani, quos natale solum potuerit in hanc sententiam inclinare, par est profecto Germanos eandem cantilenam occinere Gallis. Nam uno ore jaciunt, D. Dionysium Areopagitam, Apostolum suum, haud unquam vertisse solum Gallicum, nec mutasse Sedem. Immo cum domestica nobis liquidius constent quam externa, maxima fides habenda Germanis sit, de sacris lipsanis Ecclesiarum Germaniæ scribentibus. Deinde si fide laborarent historici quotquot laude digna in patria reperta litteris celebrarunt, quam multis, obsecro te, notæ optimæ auctoribus turpe stigma inurendum esset? Nisi liber Evangeliorum Caroli Calvi jussu exaratus, & Dionysiano Monasterio donatus (quod ipsum volumen exertis verbis testatur) in Asceterio S. Emmerani produci, & oculis subjici posset, ex Gallia illum in Germaniam evasisse fortassis eadem frontis firmitudine negaretur. Deinde Bulla Leonis IX. non solum brachium, Ratisbonensi Monast. asserit, sed à capite usque ad calcem Dionysium totum: nec alicujus Henricorum meminit: totum facinus in Arnulphum Imp. conjicit: sententiam secundum Monasterium S. Emmerani pronunciat: sed recitamus sententiæ verba ausculta:* Nos ergo utriusque partis precibus inclinati, nec volentes ulterius corda fidelium dubii hujus ambiguo caligare, in fratrum nostrorum, ac plurium Episcoporum ac Prælatorum præsentia & conspectu, scripta Arnolphi Augusti, ordinemque rei diligentissime perlegentes; nec eo contenti, Capsas, Thecas, & scrinia, in quibus sacræ Reliquiæ conditæ dicebantur, ac titulos & epigrammata eorundem oculo tenus solerti examinatione discutiendo, nihilque omittendo quod ad indagationem certitudinis pertinet, tam Imperialibus, quam Papalibus antecessorum nostrorum litteris sufficienter instructi; picturis quoque parietum multiplicibus, & sculpturis vetustissimis exprimentibus indicia veritatis & notas, indubitata fide, comperimus, dicti Doctoris & Martyris ossa venerabilia, excepta particula unica, simul & minima manus dextræ, apud memoratum B. Emmerani Martyris Cœnobium integraliter contineri. Etenim ne testimonia hominum, quæ jam diximus, non sufficerent, divina quoque non defuere prodigia & portenta, quæ dubium omne abegerunt. *Hæc Pontifex M.*

Nos potius (cum pace Yepesii) stamus à parte Germanorum.

Bulla Leonis IX.

Atqui Monasterium S. Dionysii suo testimoniorum ac litterarum cumulo facile obruerit unam Leonis Papæ Bullam. Mittimus ambages, atque paucis respondemus, regium D. Dionysii Lutetiæ Monasterium aliquando Hierarchici hujus Doct. veneranda ossa in complexu habuisse, & archivum litteris, tabulis, Bullis, Diplomatibus, quibus fidem facere queat, factum esse, neminem Germanorum dubitare: at vero testimonia ipsum ante Arnulphum nata, non morantur Germani, etiamsi in quantamcunque molem eant: nam Monachi ad S. Emmerani, Bullam supremi Orbis Christiani judicis proferunt, qua conficiunt se jam, nunc, hodie, sacra illa lipsana possidere. Habuisse, parum est: Habere, hoc aliquid est. *Atqui Galli Bullam Leonis PP. nomine productam, confictam esse dicunt. Dicant. Nihil est facilius, quam dicere.*

Si deinde omnia litterarum copia metiris, neque Germanis defuerint hujusmodi firmamenta causæ. Nam Leo IX. sententiam ferens, Bullæ inseruit: Tam Imperialibus quam Papalibus antecessorum nostrorum litteris sufficienter instructi. Rigordus historicus gente Gallus, tragulam Boiis injicit, quasi ipsi sumpta Pontificis persona, Bulla adulterina Orbi imponere ausi fuissent, quod difficile creditu est. Quæ enim causa Boios adegisset (quærit nobiscum Matth. Rader. S. I.) litterarum fingendarum, si Dionysio caruissent? aut quorsum illa opimo genitem invasisset, si non Imp. ipse Arnulpus corpus in Bavariam transtulisset? an ut umbram Dionysii, vel cærula cæli adorarent?

Matthæus Rader Bavaria Sancta, in Leon. IX.

His accedit, quod Tuto Episc. Ratisbon. cautius mercari in Gallia (quo siquidem fuerat Arnulphum) edoctus, ne iisdem olim insidiis appeteretur parcus thesaurus, cum intra templi parietes absconderit: latercul is, quibus muniebatur, epigramma inciderit, posteris latentem Areopagitam proditurum. Certe vetustissima membrana hac de re certiores nos reddit, quam juvat subjicere:

Io. Andreas Brun. S. I. l. 10. Annal. Boic.

Dionys. Richard. monach. in Dion. Areopag.

Anno Domini MXLIX. est electus Reginvvardus, XVI. Abbas. Præfuit annis XIV. mensibus X. diebus XVIII. Obiit autem M.LXIV. tertio nonas Ian. Hic reperit corpus S. Dionysii Areopag. in præsenti Monast. contineri. Insuper reperit tres lapides testimonii, perhibentes corpus S. Dion. in hoc loco contineri, in muro Occidentali inclusos, cum cœpit ædificare chorum S. Dionysii. Singuli lapides verba hic descripta ordine referunt.

Archiv. ad S. Emmeram.

Primus

Primus lapis.
Emmerammvs. Aqvitan. Dionisivs Ariopagit.
Hic. Reqvies. svb. Arnvlfo. Imperatore. et Odone. R.
Secundus lapis.
Svb. Ebvlone. Abbate. Mon. Sci. Dionisii.
Gisalpertvs. Fvravit.
Tertius lapis.
Fvratvs. E. V. N. Ivn. Hvc. Ven. II. N. Dec. Temp. Tvion. Epi.

Itaque non putamina vel fumos vendunt Germani. Quo in loco res sit, antiquissimis membranis, tabulis, lapidibus, digito Pontificis monstrant. Faciamus tamen etiam Gallis de S. Dionysio aliquid reliqui esse, cum raro Cælitum corpora integra, ut nulla penitus pars desideretur, in monumentis reperiantur. Pluribus enim locis amicos suos coli vult Deus: deinde miserorum etiam mortalium interest, ut facile hos patronos adire, ac opem ipsorum implorare possint, quam illi æque per exigua frustilla, atque per tota corpora ferre solent. Itaque Leo sanctissimus Pont. f. omnem scrupulum orbi exemit, dum indubitata fide se comperisse, affirmavit, dicti Doct. & M. ossa venerabilia, excepta particula unica, simul & minima; manus dexteræ apud memoratum B. Emmerani M. Cœnobium integraliter contineri, & divina prodigia & portenta non defuisse, quæ dubium omne penitus abegissent. Postea vero aliquid avulsum, & in principum manus venisse, non pugnamus: nam fieri consuevit. (Iohan. Bapt. Signius c. 37.)

Risum exteris movent Germani, dum furtum Arnulphi Pium nominant: sed cum optimo Imperatori id furtum præter morem fuerit impune, sacrum corpus haud invito Domino contrectatum ab eo, & ablatum fuisse, credam. Quam enim graves alii dedere pœnas qui parva tantum frustilla de Divis carpere sunt ausi Divis ipsis invitis! Insuper Leo Pont. Max. Arnulphi factum apud Franciæ Regem excusavit, cujus literas è Baronio descriptas Appendix nostra recitat. Longius sumus profecto: & fortassis non nemini præturam hic gerere voluisse videbimur. Minime gentiū vero. Momenta partium afferenda erant, ne tu nescires. Ceterum in re incerta aliquid certi statuere, nos insaniam ducimus. Sat gloriæ est, ac supereft etiam Ord. S. P. N. Bened. Magnum Dionysium possidere ubicunq; tandem locorum. (Ap. Script. ultima.)

Pro coronide omitti non debet, Monasterium S. Emmerani membrum Imperii esse, à quo & Regalia, ut vocant accipit. *Albertus Rom. Rex,* ut est apud Hundium, *concessit Abbati feuda regalia principatus. Idem fecit Ioh. Rex Bohem nomine patris sui Henrici Imp. tunc in Italia agentis an. 1313. hisce verbis:* Concedimus ipsi suum principatum & regalia. *Item VVenceslaus Rex, Rupertus Rex, in feudū concedit regalia & secularia feuda an. 1401. idem postea an. 1405. unde & Princeps Imperii ab illis Impp & Reg. nominatur. Ludovicus Imp IV. ita illi scribit.* Dilecto nostro Principi Alberto. Abbati S. Haimerani Ratisbonæ. *an. 1332. Ludovicus Marchio, filius Ludovici IV. vocat eum,* Cum primis honestum & religiosum Principem, *an.* 1348. Hæc Hundius. (Hund. Metrop.)

An. Christi 698. An. S. Benedicti. 218.

Caput I.

Monasterium Epternacense, à S. VVillebrordo, seu Clemente, Archiepiscopo Vltrajectino, fundatum.

Tota res Monastica & Ecclesiastica in his provinciis à S. Clemente pendebat, quarum ipse Metropolitanus & caput fuit: dux susceptę expeditionis. Hoc anno agrum Colonienſ. & Trevirensem obivit antiquos Christianos visendo, simul præclaro Monasterio Epternacensi fundamenta ponendo. Annum tunc in Archiepiscopatu tertium egisse fertur: quamvis autem aliqui dissentiant, ego tamen à scopo me aberrare non puto. Locis pacatis Cœnobia statuit S. Clemens, ut inde viros Apostolicos summa probitate, eruditione singulari preditos, educere posset, qui Frisiam, Saxoniam, aliasque magnæ Germaniæ regiones instituere possent. Non ignorabat multum referre, Davus an Oedipus imperaret, ideoque Abbatis munus novo in Cœnobio sibi sumpsit, positis aliquoties Vltrajectinis negotiis Epternacum secedendo, ubi S. Adelberto, Deirorum Regis filio, itineris aliquando socio familiarissime est usus. Sed originem ex ipso Archivo Epternacensi repetamus. (S. Willebrordus Epternacensis Monast. conditor suppetias ferente Pipino.)

Dux excellentissimæ generositatis Pipinus cum Blittrude contorali sua æque generosis orta natalibus tertio Idus Maii, anno duodecimo Childeberti gloriosissimi Regis, dedit VVillebrordo Epternacensis fisci medietatem integram, à Theodardo egregii Ducis Theotharii filio sibi traditam. Irmina vero Dagoberti Regis filia hæreditario jure possessam cum omnibus appenditiis & adjacentiis suis, cum villa montis sita in pago Tulbiacensi, in Kalendis Decembris addidit partem alteram. Idem munificus Princeps sub chirographi conscriptione anno quarto Regis Dagoberti, sexto Nonas Martii (Theofrid. Abb. Epter. hist. S. VVil. lib. MS. Aubert. Miræus. c. 33.) (Irmina Dagoberti filia tem auxit.)

Martii tradidit illi villam in pago Mosariorum sitam, & à præterfluenti nomine Suestram nuncupatam, & egregiæ Blitrudis sagaci industria ab ingenuis viris pecuniæ impendiis comparatam. Et quia utriusque loci situs tam sapienti architecto visus est amœnus, & Cœnobialis vitæ studiis apprime aptus & dignus, in utroque jactis fundamentis exædificavit Cœnobium, & in montibus Israël, in pascuis uberrimis pascendum aggregavit gregem Dominicum. Hæc Theofridus Abbas Epternacensis, qui anno MCX. vivere desiit. Cur autem D. Bertelius, etiam Epternacensis Antistites, tanto post Monasterii hujus exordia non Pipino Herstallio Francorum Duci, & Majoridomus regiæ, sed Carolo Martello, ejus filio, adscribat, ignoramus.

Ioh. Bertel. hist. Lucemburg.

Situm est in Ducatu Lucemburgensi, tertio lapide, vel paulo longius, Treviris remotum, cui Epternacum, vetus apud Leucos oppidum, originem ac florem suum debet. Illa Sura fluvius prætervehitur, tendens in Septentrionem. Vallem occupavit S. VVillebrordus, viridem illam oculisque non parum blandientem, septem montibus editis cinctam & quasi monitam. Fortunas quibus polluit, hinc æstimes, quot viginti duas arces ac prædia per Ducatum Lucemburgensem sparsa, aliquando numeraverit. Quantæ opes inde in Monasterium congestæ sint, conjectura assequi licet. Abbatia Imperialis est ac libera: soli Pontifici Max. subjecta. Olim jus ei fuit cudendi monetam. Eam S. VVillebrordus seu Clemens, plane in deliciis habuit, nec ullum prætermisit studium ejus ornandæ. Quando Roma rediit à Sergio Papa Divorum lipsanis onustus, caput S. Sebastiani templo munus dedit. Sanctus martyr autem ut suis rationibus consuleret, atque imposturæ suspicionem à Monasterio amoliretur, crebra miracula edidisse fertur. Iohannes Bertelius Abbas auctor est, Maximilianum Imp. anno MDXII. iter eo suscepisse, ut sacrum pignus coram veneraretur: tum vero Martyris honori portentosum cereum ibidem statuisse, duodecim distychis, summam molem ambientibus, quorum primæ litteræ Maximiliani nomen retulerint, desiverintque: in hæc duo verba: *Cæsar optatus*. Volupe est profecto hic in caput D. Sebastiani incidisse: cum enim alibi ostenderimus, ejus corpus cessisse Monasterio S. Medardi, singulari Numinis beneficio ferme integrum Ordini D. Benedicti obtigisse, oportet. *Verumenimvero hic intercedit Ebersperga. familiæ ejusdem sanctissimi Patris nobile Monasterium, quo tamen hodie PP. Soc. gaudent.*

Antonin. Itinerar. Aubert. Miræus origin. Benedictin.

Monasterium exemptum est Imperiale.

Ioh. Bert. dial. 8. in S. Reg.

Divisum caput S. Sebastiani cum Ebersperg. gensi Cœnobio habet.

Vidi ipse calvam è sacrario religiose promi hoc nomine: quam in dubium vocare an ad D. Sebastianum pertineat, summum nefas fuerit. Infusum certe vinum libatumque, innumeris ægris hactenus salutem præsentissimam tulit. Fama est, quendam ob extritum ossiculum in rabiem actum: neque malo ante solutum, quam reddidisset. Tu quid hic divines, nisi S. Medardi Monasterium divisum caput D. Sebastiani cum Ebersbergensi Monasterio habere? Nihil sæpius usu venit; quam Divorum ossa in partes diffringi: per Orbem dividi. Deinde etiam hoc pacto summam conficimus, fere totum S. Sebastianum penes Ordinem S. Benedicti esse, cum Adalbero III. Comes de Sempta, Ebersperg arcem in Domum D. Benedicti commutârit, ut VViguleus Hundius refert, *in cujus ditionem postea sacer hic thesaurus venit.*

S. Dionysii Areopag. Ingolstadii impressum.

Hund. Metrop. Salisb.

Quanto autem amore Epternacum suum complexus sit S. Clemens, hinc maxime apparet, quod Metropolitano Vltrajectensi templo posthabito, Epternaci condi voluerit, ubi in hunc usque diem religiosissime colitur. Illuc festa Pentecostes luce tota vicinia supplicationes diversas instituit, militibus & opificibus mira simulque jucunda spectacula præbentibus.

S. Willebrordi officiis gaudet.

S. Clemente anno DCCXXXIX. è terris in cœlum sublato, Albertus, ejus discipulus, suffectus est. Vitæ momenta hic composuit an. DCCLXXV. Carolo M. vibrante sceptrum, cui idem Imp. Beonradum subrogavit, Senonensem postea Episcopum, cui Alcuinus res gestas à S. VVillebrordo versibus intextas, dicavit. Honori etiam Epternaco vertendum, quod virtute ac litteris imbuerit S. VVillehadum, primum Archiepiscopum Bremensem: & Sigoaldum, qui annis non minus novem familia Epternaci ducta, Spoletanus Episcopus creatus est. Memoriam quoque subit Hatto Abbas, quem monumenta inter Episcopos habent, sed Cathedræ locum non notant.

Miræus. c. 83.

Finem nullum facimus, si antiqua tangimus. S. Benedictus novit, quid sæpe simus tristes. Tribus verbis: Monasterium absque disciplina, est *Fides sine operibus:* proximum ruinæ. *Divitiæ*, divitiæ solverunt hujus loci mores sanctissimos. Vertere vela à Casino caputque Manæ spei petere, sedebat Monachorum animis: Adelardus Abbas IX. parum gnarus quanti esset cucullus, lintea inflavit: navigatum est ad Canonicos sæculares: Bona brevia, fugacia, & caduca, æterna sunt existimata: libertas omnibus rebus ante lata est. Hoc in æstu centum viginti quinque annis sacrum jactatum fuit Monasterium, quo intervallo ad suos id redire non

Monachi ad Canonicos sæculares desciscunt.

Catalog. Abbat. Epternac.

permi-

permiserunt undecim Præsules, è quibus plerique Duces Lotharingiæ fuere. Nec languide in sententiam provolat sagacissimus D. Abbas Iohannes Bertelius, Duces Lotharingos sobole copiosos (nescio qua excusatione usos) ut poterant, hanc Abbatiam sibi vindicasse.

Ab Othone Imp. revocatur eo Sancti Benedicti Regula.

Demum Sifrido decimo nono Antistite clementissimus Deus respexit afflictæ disciplinæ Monasterium, bonam mentem Othoni injiciens, ut Regulam S. Benedicti in id revocaret; magna & multa sunt, quæ Sifridos ipse huc contulit: laboris vero sui fructum paulo post apud Superos cepit. Itaque Cęsar Canonicis sæcularibus submotis, negotium Ravengero præstanti doctrina & prudentia viro, dedit, ut eam provinciam susciperet, qui quadraginta Monachis, de familia Divi Benedicti simul adscitis, anno nongentesimo septuagesimo tertio *Restituit rem.* Fessus laboribus, nec non triginta tribus annis in officio exactis, millesimo septimo mortuus est ad XIX. Kal. Sept. Epitaphium hoc ei positum.

Hac recubant fossa Ravingeri, ... ossa:
Et fiunt hominis lege soluta cinis.
Hunc Otho primus transmisit Cæsar opimus,
Sifridi monitis egregii Comitis.
Misit & hunc talem, qui vitam Cœnobialem
Hîc reparare pio sufficeret studio.
Nam locus iste bonis hoc tempore Relligionis
Factus erat vacuus, rebus & exiguus.
Dumq; vir industris tribus annis sex quoq; lustris.
Præfuit, eximiam reddidit Ecclesiam.
Septembris flendis nonis denisq; Kalendis,
Clauserat ipse diem, nunc habeat requiem.

Catalogo Abbatum præter morem supersedemus (nam eorum rationem in illustribus Monasteriis semper habemus) quod D. Iohannes Bertelius Epternacensis Abbas, hoc nos fasce levârit edita anno millesimo sexcentesimo quinto Luzenburgensis Ducatus historia, in qua seriem jam inde à S. Clemente repetitam ad se usq; deduxit. Iniquissimis sæpe satis jactatum Cœnobium est, è quibus silentio damnandum haud videtur id, quod anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto accidit.

Epternacum ab Hollandis diripitur.

Etenim Hollandi, quorum ingenia in sacros homines sæviunt, quippe Calvini pessimo veneno imbuta, nocte intempesta (nam hæc magis apposita ad scelera patranda) Epternacum irrupêrunt: quicquid ferri aut trahi poterat diripuerunt: rapinis junxere non vulganda in orbem maledicta, in Cœlites jacta: Bertelium Abbatem cum cœtu religioso in potestatem redactum, alicubi in carcerem conjecerunt, lytro sex millium imperalium nummûm imposito. Sex mensibus vincula tenuere innocentes Monachos: Antistes domum reversus: illata Cœnobio damna summis viribus resarsit. Arcem munitissimam adversus paganos & hæreticos id esse voluit S. Clemens; quamvis autem dura non meruerit, durissima tamen tulit. Sit benedictus Deus, qui per ferrum flammasque ultra nongentesimum annum illud provexit.

CAPUT II.

S. Lambertus D. Benedicti Monachus, Trajectensis Episcopus.

Pipinus Majordomus Franciæ, toga & sago juxta clarus, oppressam ab Ebroino Franciam in libertatem vindicavit: barbaris quibusdam nationibus frænum imposuit: alias debellavit: in eorum provincias viros Apostolicos immisit, ne penes ipsum aliqua culpa esset, si perirent: Epternacensi Monasterio ita favit, ut omne consiliũ, studium, operam, diligentiam ad id ornandum contulerit. Ordinem denique D. P. N. Benedicti sanctissime coluit, ut non pauca Asceteria nostra amplitudinem suam ipsi debeant. Inconstantiæ tamen, quæ semper mortales urget, non ultimum is exemplum fuit, quod absque singulari animi sensu memoria repetere nequeo. Itaq; fortis, sapiẽs, religiosus Princeps, spreta Plectrudis (seu ut alii, Blittrudis) optimæ conjugis forma, amore Alpaidę tactus, immo captus, impudicam sinistris auspiciis sinu accepit. Vulgatum per regnum (ita ut fit) scelus fuit: ille tamen ceu concitus œstro, pedem minime revocavit. Heu! magni Principes suo quodam pondere subditos in exitium trahunt, & nocent exemplo. Nec modum peccandi habent, cum peccare cœperunt. Ita laudatus ille Rex, Philistæi triumphator, post admissum adulterium, excussa è poste sera progressus ad homicidium est.

Pipinus amore Alpaidæ captus.

Pipino sæpe saniora suasit S. Lambertus; quod aliquandiu sustinuerint assentatores: tandem ne sæpius principis aures salutaribus monitis vibraret, eum hoc anno è medio sustulerunt, quæ cædes etsi jussu Pipini patrata non sit, ipsius tamen gratia edita est, obque contemptum Pontificem pars sceleris ad eum pertinebat.

S. Lamberti acta Stephanus Episcopus

Godeschalc. Can Leod. Sur. 7. Iun. Sigeb. c. 126. Reyner. Mon

Leodiensis sub annum nongentesimum decimum Sigebertus, ac nuper Reynerus ad S. Laurentium Leodii Ordinem D. Benedicti professus, in tabulas diligentissime retulerunt, unde nos nonnulla petemus. Ne duę urbes miscerentur, non ita pridem admonuimus Lectorem Trajectum unum ad Rhenum esse situm, & inferius appellari: ad Mosam alterum, vocarique superius, hodie Mastrichum. Beatus Renanus pro una civitate habuit, sed in lepidum errorem se induxit Cosmographus. Vt enim omittamus, fluminibus diversis illas adjacere, Sedes Episcopalis Mastrichi posita, ætate multum antecedit Cathedram Archiepiscopalem Vltrajecti primum hisce annis collocatam: quippe illam S. Amandus, & S. Theodardus insederunt.

Trajectum, & Vltrajectum, differunt.

Beat. Renan. Rerum German. l. 3.

Domo itaque Trajectensis S. Lambertus fuit, patre *Apro*, matre Herisplinda ortus. Apro Dagobertus Rex familiariter est usus. Filium ad bonas artes capiendas facilem finxit natura, quocirca pii parentes antequam nugæ sæculares occuparent pueri animum, doctissimis magistris juxtaque religiosissimis instituendum tradiderunt. *Tandem*, inquit Stephanus, *divinis litteris eruditus, & Monasticis doctrinis præclare instructus, puer pius & bonus apud se constitutus ad paternam redire domum.* Miraberis forte cur Stephanus Lambertum vela domum convertere voluisse, asserat, Monastica disciplina jam imbutum, cum prius nec eum Monastices aliquando initium cepisse, nec vota alicubi religiosa nuncupasse indicaverit.

S. Lambertus tam ad pietatem quam ad eruditionem formatur.

Quod Monachus fuerit minime ambigimus, cum septem annos in Stabulensi Monasterio (ubi non transversu, sed recto tramite ibat disciplina) duxerit: sed quando habitum religiosum sumpserit, id nimirum est quod quærimus. Apparet tamen integrum adhuc mundoque intactum puerum se Monasterio addixisse. Simul enim atque documenta dedit quo inclinaret, optimi parentes viam ipsi sponte aperuerunt, qua mundum defugeret, supplices facti S. Landoaldo, deinde S. Theodardo, ut vitiis elapsum exciperent. Sed narrandi partes Sigeberto demus. Hoc tempora, inquit crevit Lambertus, specimina felicis ingenii dando, spemque sui prolixam præbendo: *Pater*, cui Apro nomen, fidei S. Landoaldi, D. *Amandi Archipresbytero*, adolescentem commendavit, ut primam ejus formaret ætatem. Landoaldus suas partes desiderari minime passus, Regulari disciplina, nec non ingenuis artibus docilem discipulum instituit. Lætus genitor filium respondere ex-

Sur. 10. Sept.

pectationi, etiam S. Theodardo erudiendum tradidit, ne minores progressus faceret in virtutibus quam litteris. Ita Sigebertus. Quod si igitur Lambertus à teneris annis *Regulari disciplina*, vel ut ait Stephanus Episcopus, *Monasticis disciplinis* imbutus fuit, à parvo puero Monachū factum oportet. At ubi? cedo. In promptu responsio est. Nimirum, id temporis Ecclesiæ Cathedrales ut plurimum erant Monasteria, vel certe domicilia Monachorum habebant adjuncta: quod prolixe ostendimus cum acta S. Amandi exponeremus, quem Dagobertus Episcopum VVormatiensem jussit, Monachis divina officia in Ecclesia Cathedrali obeuntibus. Tulit vero S. Amandus etiam Trajectensem mitram; sed cum longe lateque ad paganos expiandos excurreret, suas vices domi S. Landoaldo permisit cui ad Superos sublato S. Theodardus successit.

Prima ætate sacrum habitum sumit.

Quocirca si divinare licet, Trajecti in Basilica Cathedrali sacra peregere Monachi: & cum SS. Landoaldus & Theodardus ejusdem Ecclesiæ rectores, gravissimis testibus, Lambertum *Monasticis disciplinis*, seu *Regulari disciplina* instituerint, Monachum ibidem egisse credendum. Vestigia hujus rei in reliqua historia reperias, & in illa quam Notgerus Leodiensis Episcopus de S. Landoaldo condidit. *Aprum* enim cum filio Lamberto etiam prædium VVentershovium, proxime Archam fluvium situm, Landoaldo dedisse, refert, quod postea in prioratum Monasterii S. Petri Gandensis versum est. Positum ibi quoque templum, ait, sed operis defuisse aquam. Igitur S. Landoaldum secum trahenté Lambertum puerum (uti olim S. Benedictus Placidum:) baculo provocasse fontem, etiam hodie limpidas aquas utriusque precibus fundentem.

Notger. apud Sur. 19. Mart.

S. Greg. 2. Dial. c. 5.

Aliquando Præsul negotium puero dedit, sibi ut afferret prunas. Ille celer rapere pedem, simulque rogare, quonam vasculo hauriret carbones: nihil ad manum esse. S. Landoaldus indignanti similis, vel vestibus exciperet jussit, experimentum capturus, an dicto audiens futurus esset, non arbitrando superiorıs imperium, quod vehementer dedecet ingenuos Religiosos. Lambertus major imperio Landoaldi, citato gradu se fert ad focum: carpit prunas: vacuas vestes implet: pedem ad imperiolum Landoaldum revocat: quonam ignem excuteret, sciscitatur.

Vestibus non violatis prunas gerit.

Senex majus opus puero aspiciens, obstupuit; nec pilum vestis esse violatum, vix ipse sibi redidit. Hæc fuere tyrocinia Lam-

berti, post quæ parentes invisit, quos summo gaudio affecit, quod ex oculis emicaret, innocentia, & pectus summam spiraret prudentiam. Pars animæ ipsius etiamnum pueri fuere pauperes, quorum inopiam pro viribus levavit, neque unquam deinceps hanc in egenos liberalitatem exuit.

Virtutes impense colit.

Porro S. Landoaldus, conjectis sæpe in charum discipulum oculis, omnia ipsius dicta factaque arbitrabatur. Mirabatur in eo modestiam, orationis assiduitatem, prudentiam, industriam, temperantiam; jamque certus natum in magna, sibi successorem designaturus fuisset, si per Canones licuisset. Dum S. Amandus relicto Episcopatu per dissitas provincias Evangelium promulgabat, multi bona Ecclesiæ invaserunt, quos Landoaldus Vicarius arcere haud poterat, S. Theodardus in Sedem evectus res repetitum misit: sed frustra fuit. Ergo iter ad Sigebertum Regem intendit, nomina sacrilegorum delaturus, qui interceptum telis cōfoderunt: quo audito Lambertus magnis itineribus eo profectus, Clericos & loci præsides etiam atque etiam obtestatus est, ut funeris auferendi copiam sibi facere, atque sanctum Episcopum Ecclesiæ suæ Trajectensi reddere vellent. At negârunt illi thesaurum se è manibus dimissuros; qui divina, quod ajunt, virgula ipsis obtigisset. Populus expectatione suspensus, ubi vacuum Lambertum revertisse intellexit, majorum in modum ab eo flagitavit ut iter relegeret: preces apud gentem illam iteraret.

S. Theodardus insidiis exceptus, & interfectus.

Sed cum verba absque pecunia sint fistula ænea, pulvere quidem nitrato, at sine glande farta, quæ funiculo igniario lacessita sonantissimum edit bombum, sed nihil fecit, aut facit, nisi quod aërem verberet Idcirco plurimum auri argentique oratori suo suggesserunt, quibus obstinatos animos expugnaret. Facilis conjectura est, ex hoc ovo quid sit natum. Lambertus nimirum potitus est S. Theodardo: eundem tamen non Trajectum, sed Leodium tulit condendum, quod recte factum merito putamus; nam civitas inde amplitudine & frequentia paulatim civitatibus maximis æquata fuit. Galliæ Belgicæ decus evasit, ad quod magnum etiam momentum postea S. Lambertus ibidem sepultus posuit.

Leodii conditus est.

Theodardo hunc in modum sublato è medio, S. P. Q. Trajectensis animum ad S. Lambertum adjecit: ad infulam prolixè invitavit: quam is, oblitus propemodum decori, obnixè à se removit: sed Rex & palatini pervicerunt. Inauguratus Pontificatu, animo altius sese librans, omne tempus in provehenda gloria Dei collocavit: ut sacra religiosissime obirentur, omnem operam adhibuit: rei divinæ quotidie operando tam sibi, quam populo Numen propitiavit. Præterea singularem austeritatem, qua corpus suum accepit, cibi & potus parsimonia non meritas sibi pœnas dando: mollem cutem duro cilicio premendo: humi cubando. Cultu mediocri uti consueverat: quicquid in ærario supererat, ad pauperes ibat. Negligentia coloni nasci infelix lolium gnarus, nihil antiquius habuit, quam volitare per suum Episcopatum: vitia revellere: virtutes confirmare: malos in ordinem redigere: bonis stimulos ad proficiendum subjicere: omnibus recte consulere: unde fama viri omnium aures occupaverat: tandem in ipsam quoque aulam penetrans effecit, ut Clodoveus II. familiarissime ipso uteretur, & in quodam privilegio, summo templo concesso, patrem & virum Apostolicum appellarit. Pari amore cultuque Clotharius & Childericus, Clodovei filii, sanctum Antistitem sunt prosequuti, perque eum gravissima regni negotia explicarunt.

S. Lambert. in ejus locum suffi-citur, ac duram vitam exigit.

Molan. verbo Lamb.

Regnante Theodorico hac gratia atque authoritate excidit, quod is à solo Ebroino, Majoredomus, pendere voluerit, qui ut unus in pallatio jus diceret, non ex æquo, sed libidine, bonos omnes submovit: multos Episcopos proscripsit: S. Lambertum, ut nonnulli ferunt, in Stabulense Monasterium compegit. Alii sagacem virum imminentem regno tempestatem prævidisse putant, ideoque in tempore caput subduxisse, petito Stabulensi Asceterio. In Cathedram Pharamundus successit, homo improbus, lupis simillimus pastor. Quam sancte vitam instituerit extorris patria Lambertus, in hæc verba recenset Godeschalcus, Diaconus & Canonicus Leodiensis, qui sub annum DCC.LXX. floruit.

A Theodorico & Ebroino pulsus, in stabulense Monaster. se recipit.

Non amplius quam duo pueri in ejus obsequio remanserunt: unus autem ex ipsis nomine Theodoënus, multa nobis de vita & operibus ejus solitus est narrare, qualiter devotione intentissima per annos septem ibidem sanctam & angelicam conversationem in laboribus, in jejuniis, in vigiliis, in orationibus; in charitate, in longanimitate, in omni puri cordis custodia, peregit, & Sanctorum exempla imitatus est. Et dum in præfato Monasterio moraretur, consueto more in medio noctis expergiscens, contigit ut solus ad orationem devoto pectore pergeret: quo porrigente manum arripienteque sandalia, alterum eorum de manu ejus in pavimentum cecidit, & usq; ad auditum sonum effecit. Hoc audiens pater Monasterii, sed nesciens quis hoc egisset, ait; quisquis

Hic omni cura & cogitatione in Numinis cultum, & Regulæ observantiam incumbit.

In bonam crucem ambulat.

iſtum ſonum fecit, ambulet ad crucem. Igitur ſanctus vir religionis illico obedientiam ſine mora ſequutus, nudis plantis pedibuſque diſcalceatis, & aſpero cilicio indutus, clam de lecto exiliens feſtinus uſque ad crucem cucurrit. In illo autem tempore brumalis circulus nimio frigore & glaciali nive algeſcebat. At ibi Dei famulus immobilis perſiſtens, & erectis manibus inflexibilia brachia extendens, & Pſalmorum cātus efficaciter exercens, nimia aeris tempeſtate conſtrictus, uti invictus miles in magno labore perſiſtens morabatur. Interea nix uſq; ad talos ejus pervenit. Dominus autem qui cuncta gubernat, & omnia antequam fiant, prævidet, ſervi ſui non immemor, miſertus eſt. Nam dum in quadrageſimo primo Pſālmo hunc verſiculum cantaret; Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? contigit ut in illa nocte gallorum cantus citius, quā in ſingulis quibuſq; noctibus ſolebat, audiretur. Et nec mora fratres Monaſterii pulſato ſigno ingredientes ad vigilias, & officio peracto feſtinanter de templo exeuntes, ac nimio frigore compulſi frigentia corpora calefacere volentes, domum introgreſſi ſunt. Interim athleta Dei fortius certando, & in orationibus aſſiduus laborans, juxta Domini crucem fixus perſtabat. Tunc pater Monaſterii requirens inquit: anne omnes fratres noſtros habemus? At unus e fratribus reſpondens, dixit: ego te hac nocte de alio ſonum facientē judicantem audivi, ut de eo quod incaute egit, juxta crucem pœniteret: ſed prorſus qui eſſet, ignoro. Adhuc illo loquente, alter intravit dicens: vere Dominus Lambertus hac nocte longo temporis ſpatio juxta crucem diſcalceatus perſeverat. At ipſe Abbas contremiſcens, converſus ad fratres dixit: velociter ite, & corpora veſtra pedibus ejus proſternentes, ut ad nos veniat, humiliter poſtulate. At illi mox currentes, juxta crucem ſtantem invenerunt. Ipſe vero Dominus Apoſtolicus capite, & humeris, & toto corpore nive contectus, reſpondens, talia verba promebat: Cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Illi vero qui miſſi fuerant poſtulantes dicebant: ô amice, nos quaſi legati pacis ad te miſſi ſumus: pater enim noſter communis obſecrat, & omnes fratres deprecantur, ut ad illos quantocyus pergas. At ille obedienter & humiliter precibus eorum conſenſit. Et poſtquam in domum illam, in qua fratres erant, intravit, ſtatim Pater Monaſterii cum Monachorum agmine ad pedes Pontificis provolutus, veniam poſtulans, ait: ignoſce mihi, Pater, & ſecundum clementiam tuam indulge, quia neſciens peccavi, & quod ſic inſipienter egi: da indulgentiam tuis devotis famulis. At ille reſpondens dixit; ſi vos inſipienter & imprudenter feciſſetis, ego à Deo indulgentiam poſtulaſſem, & vobis libenter ex corde toto cum charitate debita dimiſiſſem. Quia vero ſecundum regulam Eccleſiaſticam, & ſecundum Monachorum inſtituta recte judicaſtis, juxta poſſibilitatem virium mearum, veluti ſervus inutilis, veſtris obtemperavi præceptis.

Et fixus adſtat.

Pſal. 50.

Dignum cedro facinus, quod etiam alibi tetigimus. Ebroino & vitiis & vita defuncto, aurea ſæcula in Galliam rediiſſe viſa ſunt. Pipinus enim Princeps pulſo Pharamundo, S. Lambertum revocavit Trajectum, qui altis jam radicibus in Stabulenſi Monaſterio actis, legatos re infecta dimittere, ſecum conſtituit: ſed cum uſque & uſque inſtarent, ad extremum veterem Sedem repetivit, cui Clerus, nobiles, promiſcuum vulgus, pauperes, ſe ſe obviam effuderunt, ut communem patrem debito obſequio pro ſe quiſque exciperent.

A Pipino revocatus Trajectum.

Potitus antiquis honoribus, quibus ab Ebroino exutus fuerat, aliquoties cultum nitidiorem ſibi oblatum rejecit, capto viliore, veritus ne parum imitaretur pauperem Chriſtum, elegantia veſtium oculos in ſe convertendo, vel cuticulæ blandiendo. Paulo poſt movit in Taxandriam, idola delendi gratia: nondum enim tota Gallia, quæ tum latiſſime patebat, Eccleſiæ Dei, ſe ſe intulerat. Conſpirarunt incolæ adverſus Antiſtitem, nec ſatis ſciebant quam inirent rationem illius interficiendi. Interea ipſe blande omnes appellare: animos ſibi conciliare: fidei fundamenta jacere: denique idolis ſolo æquatis ad fidem adducere, unde non immerito à quibuſdam Taxandriæ Apoſtoli titulo ornatur.

Taxandriæ pro Apoſtolo eſt.

Præterea reducis in Epiſcopatum cura etiam S. Landrada fuit, Monaſterii Beliſiani Fundatrix, ſummo genere nata, quæ admodum juvenis divino ſpiritu rapta, omnibus plane delitiis; etiam quibus frui licebat, abſtinuit. Feſſos artus mollibus plumis haud excepit: pane & aqua vitam toleravit: plurimum noctis orando conſumpſit: lachrymis perennibus fluxit. Nihil iam animo ſedebat, quam publico ſe eripere: ſolitudinem colere: multa tamen obſtabant. Aliquando cœleſtem lucem in crucem diſpeſſam conſpexit, qua illa locum ſibi condendi Eremitorii

S. Landrada ad ſolitudinem adſpirat.

indica-

indicari rata, spiritus Sancti ductu domo erupit: nec quicquam murmurantibus amicis ædificavit: communicato prius cum S. Lamberto consilio, qui tugurium ipse sacravit, humili tecto successit.

Erigit Eremitorium.

Multæ diversorum graduum fæminæ etiam sibi signum datum ratæ, Landradæ se addiderunt, quæ prope Eremitorium suum Parthenona erexit Belisiæ nomine imposito, quo adventantes reciperet. Paulatim ibi quoque posita domicilia sunt, donec locus in oppidum evasit, nomine à Monasterio tracto, quod etiamnum hodie durat. Habitatur autem à Canonissis, quarum vivendi rationem supra exposuimus: sed olim id Moniales Ordinis Divi Benedicti longe religiosissimæ coluere. Sancta enim Landrada divino spiritu plena, filiarum suarum animos tanto sponsi cœlestis amore imbuit, ut ab hoc uno penderent: alia omnia fastidio essent.

Tom. 2. an. 647. c. 5.

Vitam S. Landradæ Theodor. Abb. litteris mandavit, ex quo nos supremum illius diem descripsimus. *Incidit autem in lectum ægritudinis*, inquit, *in quo ipsum quodcunq; illud esset, fænũ, & stipulã, & similia, quæ liberũ exitum impedire solens, jugi doloris igne decoquebat. Depascebantur medullæ: siccabatur caro, exhauriebatur sanguis, cum tamen nihil de psalmis, nihil sibi omnino omitteret de jejuniis, damnum suum reputans, si quicquam de solito penso minueretur. Consolata circumstantes de exitus sui hora prædicit, & sanctum Episcopum Lambertum accersiri præcepit. Accepto tristi nuncio sanctus senex omnibus se expedit, viamq; dum maturat, Landrada interim de hac corruptibili domo in æternitatem transmigrat. In eundo Pontifex ingruentibus tenebris lassos artus humi dum deponit, semivigilanti & velut in ecstasin rapto, quædam gravi majestate venerabilis virgo apparuit, & senilem arguens tarditatem familiari alloquutione de mora reprehendit, cur scilicet abeunti mysteria ipse suis manibus non tradiderit? cur oculos non clauserit? pedes ipse & manus non composuerit? Ille excusans negligentiam, prævenit, ô virgo, officium necessitas, quod tibi debebat nostra infirmitas. Cætera quæ supersunt, tuum est præscribere ex imperio: meũ erit facere ex debito præcipue de sepulchri loco. Et illa, arrectis, inquit, oculis cælum suspice, & quo se extendat per medium lucis nimbum crucis signum diligenter intende. Lambertus quosdam velut fulguris tractus quo poterat conatu sequens, notat locum crucis fulgore designatum cum admonitione virginis sic dicentis: Hîc sepulturæ locus, hîc cinerum meorum tumulus usq; in diem qua jusserit Dominus. Episcopus a somno erigitur & festinato præter vires cursu delatus Belisiam, invenit eos jã agentes de sepulchro intra Ecclesiam. Expleta oratione plebem alloquitur: postremo de revelatione ad eum facta sermonem ingreditur. Submurmurant statim universi, & necdum perorantem clamore tumultuario impediunt & velut impugnant. Hîc, ajunt, fuit consecrata & Prælata: ejus opibus crevit hæc Ecclesia: hîc cæcos illuminavit: hîc claudos erexit. Non est Episcopi, populum lædere: non est pastoris, oves velle spoliare.* Tum Lambertus: *obedire quidem oportuit Deo magis quam hominibus, sed sciens & prudens manum in flammam mitto, & voluntati vestræ me præbeo. Sic ad votum populi virgo sepelitur: sed Episcopo nihil de pristina solicitudine minuitur. Sciebat enim facilius elementa posse mutari, quam Landradam mentiri. Iejunium sibi ipse indicit: orationes cum jejuniis continuat: exacto triduo in concione pro re pauca declamat* Dei, inquit, *voluntate nolle obedire, contra torrentem est brachia extendere. Itaq; tempus jam est, de vestro quoq; ut pende judicio quid illa nobis exposita sibi velit visio. Ocularia fides adhibeatur tumbæ virginis. Acclamatur ab omnibus: pedibus eunt in sententiam. Aperta tumba, non modo corpus, sed neq; ipse reperitur corporis loculus. Expallent tacito murmure cæteri: solus Episcopus Deo gratias agit. Prædux ipse viam arripit: populus comes secum VVintershovum usq; percurrit, in quo scilicet fundo idem Episcopus olim à venerabili genitore suo Apro S. Landoaldo commendatus, nutritus, & adultus, in sanctitatis apicem excrevit. Ibi relegens ostensa crucis vestigia, effossa humo, virginis glebam cum ipso sarcophago inveniunt transportatam, ea decenti reverentia locatam, ut nulli sit dubium, angelorum id effecisse ministerium, &c.* In sacris fastis diem VIII. Iulii facit insignem.

Theodor. Abb. S. Trud. apud Sur. 8. Iul.

Vitam sanctissime deponit.

Vbi sepeliri S. Lamberto acquiescenti indicat.

Invitis incolis tumulum mutat.

Inter hæc etiam ipse S. Lambertus paulatim delatus ad finem est, Pipino (tanto antea amico) iter ad fatum expediente. Dandum aliquid, ut putabat, Alpaidis amori erat, quæ viri cætera bellicosi, atque ad imperandum nati, animum ex arbitrio versabat. Blittruda, seu Plectrudis justa uxor, cum indignum facinus suis oculis usurpare non posset, vitam mœtore plenam Coloniæ ducebat. In quam fœdum Princeps flagitium prolapsus esset, neminem fallebat, solus tamen Lambertus ausus fuit ad frugem eum vocare, tantis operibus editis unius

Baron. an. 698.

S. Lambert. Pipinum ad frugem revocat.

mulierculæ amore captum. Itaque non timide obrepens, sed adversa fronte se offerens, flagitii gravitatem prolapso exposuit: fieri non posse, quin ipsius ruina etiam subditi in præceps deferantur: *potentes potenter tormenta passuros*: surdo lusit fabulam.

Alpaida se thalamo periclitari videns, apud fratrem (Dodoni nomen erat) convitia Lamberto fecit: invidiam conflavit: hic omnia experiri maluit, quam ensem ducere. Quocirca Gallo cuidam & Gallo simili Rioldo negotium dedit, ut Episcopum injuriis appeterent: familiam ipsius, qua possent, lacesserent, spe vana lactatus, hoc pacto se importuno monitori frænum impositurum. Lambertus nihilominus Principem à scelere dehortari: officio fungi: violati tamen ejus cognati subinde injurias sibi illatas ulti sunt.

Trajectum inter ac Leodium palatium stabat, quo Pipinus crebro animi remittendi causa concedebat. Invitabat saluberrima aura: diffusi campi, innumeris floribus distincti: ædificiorum magnificentia: quibus rebus etiam Carolus Magnus, & Ludovicus Pius sæpe eo tracti fuerunt. Iopiliam dixere locum, majores. Illuc Lambertum evocavit Princeps, seu ut regni negotia cum eo conficeret, seu ut satiscentem cum ipso redintegraret amicitiam: vel denique ut aliquid aliud moliretur.

Reiner c. 18. vita S. Lamb. Nicol. c. 16. Exhibito à regia pellice poculo non vult bene dicere.

Interea magno apparatu instruitur convivium: advolat Antistes: cum proceribus adhibetur ad mensam. Exempta epulis fame, Pipinus vina sibi fundi jussit: tum porrecto poculo Lambertum, ut bona verba adderet, rogavit. Facile impetratum est. Idem convivæ cæteri, fæcundos calices protendentes, pro se quisque postularunt: bene omnibus dixit Pontifex. Alpaida, turpissima pellex, vulgatum morem imitatura, detritam jam antea frontem penitus exués, suam quoque dictam sustulit, innuens ut illi salutem impertiret, verum Lambertus subita accensus indignatione, Pipinum appellavit, non ferendam sim eam injuriam esse. Etenim si emanet, inquiebat, in multitudinem, se benedictione affecisse oblatum ab impudica poculum, omnes existimaturos per ipsam licere, quod fieret à Rege. Neque hic stetit bilis, sed stomachi plenus surrexit: foras se proripuit. Nondum autem totus evaserat, quando Princeps revocatum, cum Aplaida prius in gratiam redire flagitavit, quam ad suam contenderet Ecclesiam: unde is magis exasperatus, ego vero Iesum Christum juro, oculis ardentibus dixir, neminem omnium hominum me adducturum, ut inducias cum adultera faciam, vel pacem ineam. Mihi profecto summo dolori est, Pipine, quod tu in hoc luto hærere pergas, vereorque ut male pereas. His dictis e cænatione se ejecit, nemine salvere aut valere jusso.

Dodo, Alpaidæ frater, insidias tendit Antistiti.

Soluto convivio Alpaida Dodonem fratrem accersit: ut contumeliam sibi factam (nam negatam benedictionem in contumeliam acceperat) exposuit: ne multa Lamberto esset, obtestatur. Dodo sua quoque interesse existimans, ut soror, quamvis erubescendi flagitii rea, aliquid tamen posset apud Principem, contracta raptim manu Leodium properavit. Quid se futurū esset, præsẽsit Pont. ideoq; parvo sacello, SS. Cos. & Damiano sacro, succedens, supremę horæ se paravit. Vbi plurimum noctis effluxerat, suos expergefecit ut secum Matutinas laudes Deo solverent, moleste ferens quod tantum temporis in somnum incumberent, quali nihil de quiete lenta accidendum, ac Numini tribuendum esset. Reddito penso somnum repetunt discipuli: Antistes vigilia usque ad albescentem diem producta fessum corpus reclinat potius, quam reponit.

Forte puer, cui Baldoveo nomen, strato se excutiens, quod excubias agere jussus esset, pedem domo extulit: globum militum irruere, eminus conspexit, ac intro se recipiens, hostem ædibus imminere, submissa voce nunciavit. Ingens omnes invasit metus.

Dum citatis equis ad domum quam una cum familia subiverat Pontifex, feruntur sicarii, clarissimam lucem, in crucem distinctam, summo ædificii fastigio incidere cernunt, quam tamen consceleratis oculis haurire non licuit Dodoni, tenebris æternis digniori duci: sed nil pensi habuerunt cœleste prodigium. Ergo ex equis desiliunt: fores arietant, pulsant, quatiunt, certatim effringunt. Lambertus circum cursantium famulorum strepitu expergefactus, quid strueretur incertus, proximum ferrum corripuit semisomnis. At ubi suum caput peti intellexit, & sopore discusso mentem iterum in potestate habuit, SS. Martyrum arma cepit, sonanti voce hos versus edens: *Eripe me de inimicis meis, Deus meus: & ab insurgentibus in me libera me.* Inde solo se prosternens, passis brachiis: *Mihi mundus crucifixus est*, dixit, *& ego mundo.* Diu moliti ostia sicarii, randem vi patefacto aditu, irruperunt: uous manu promptior Episcopum humi fusum telo trajecit: Episcopus de impudica Venere trophæum statuit XVII. Kal. Octobr. obsequio angelico subvectus in cœlum. Patrata cæde luculentum

Psal. 58.

Galat. 6. Humi fusum occidit.

sidus

sidus incubare tectis visum ne dubitaretur Lambertum ad Superos pertinere. Hominem Sacrum violatum à Dodone, nemo animo æquo ferre poterat, ferendum tamen erat, ne Pipinus pœnas à querulis exigeret. Funus Leodio sublatum, atque Trajectum longa serie prosequentium ductum, inque æde Divi Petri humatum est. Nec facile explicem quanto certamine populus ad viri Dei vestigia accideret, ut extremis saltem osculis raptim ea libaret: tradunt vero historici impuras pellices occulta quadam vi rejectas, nec ullam fœminam ora tendere amplius ausam, nisi ab hoc vitio alienam. *Abesto, abesto igitur,* moneo, impure: injuriam facis Sanctis, si admoveas acuta labia, osculis impudicis trita. Quæ in Thaidum numero est, facescat.

S. Lamberto successit S. Hubertus, qui Martyris ossa Leodium retulit.

Ne Numinis cultus occiso S. Lamberto intermitteretur, S. Hubertus ei suffectus est, Bertrandi Aquitaniæ Ducis filius, per Ebroini tyrannidem Francia extorris, olim fide Catholica ab eodem Sancto Lamberto imbutus, sacroque latice lustratus. Forte id temporis agebat Romæ, ubi Sergius Papa Sancti Lamberti cæde audita, ipsum Angeli monitu Episcopum creavit, quem Trajectenses miro assensu postea in Cathedram collocarunt. Dum Episcopatum gessit, S. Lambertus multis indiciis prodidit, cupere se sua ossa referri Leodium, ubi vitam & sanguinem pro Deo effudisset. Hubertus nil antiquius habuit, quam ut Divo morem gereret, idcirco ejus honori insigne templum erexit Leodii. Vertebatur tunc annus à Christo nato septingentesimus undecimus, (ex quorundam calculo nonus: item decimus) à cæde autem decimus tertius. Aperto ab Antistite vetere tumulo (en miraculum!) incolume corpus salvumque fuit, nulla parte violatum. Inde solenni pompa Leodium deportatum, ac in nova basilica conditum est. Quam multis opem tulerit affectis membris ad tumbam adrepentibus, in aliorum auctorum monumentis prolixe reperias.

Hubert. Thomas Leod. Leodium frequentari cœpit, quod SS. Theodardus & Lambert adeuntibus opem ferrent.

Porro Leodium à cæsa Legione Romana in ea valle quam civitas occupat, nomen suum traxisse ferunt. Ignobilis fuit, donec SS. Theodardum & Lambertum, celeberrimos Martyres accepit. Hi enim non tantum ægros, sed etiam secunda valetudine utentes ad se invitarunt, feceruntque ut urbs frequentaretur. Ædes ædibus adjungerentur, laxatis spatiis in hodiernam amplitudinem extenderetur. Sanctus Hubertus præter sacra lipsana etiam Sedem Episcopalem Trajecto subtraxit, atque Leodii posuit. Factum Deus multis miraculis approbavit. Tanta pietas subito incessit nō modo incolas, sed etiam longe remotos, ut ingentes fortunas S. Lamberto adscripserint, quibus nova Ecclesia Cathedralis quamplurimas alias per Galliam & Germaniam tandem anteivit: ditissimas æquavit. Quid vis? *Neq; solum hic Præsul Episc. est,* inquit Gerardus Mercator, *verum etiā Princeps Imp. Dux Bouillionensis, Marchio Francimontii & Comes Lotensis & Hasbaniæ. Veteres hujus Episcopatus incolæ fuerunt Eburones, Tungri, Centrones & Cæresi. Occupat jam magnam Lotharingiæ antiquæ partem. Continet namq; sub nomine Leodiensis Diœcesis Ducatum Bouillionensem: Marchionatū Fracimontii: Comitatum Hasbaniæ (aut Haspengavv) Lotensem, multasq; Baronias. Numeraturq; in hoc Tractu, præter Trajectum, cujus media pars Duci Brabantiæ paret, XXIV. urbes muris munitæ, &* CIↃ.IↃCC. *pagi, templis turrigeris ornati, multæq; Abbatiæ & Dominia.* Tantis possessionibus etiam Bolionium accessit, Ducum Bullionensium sedes. Etenim Godefridus ille, qui ingentem exercitum in Terram Sanctam duxit eamque in potestatem redegit, Oberto Episcopo Ducatum istum vendidit. Hæc cum ita, multum Ordini Sancti Benedicti debet Leodium, à quo Sanctum Theodardum & Sanctum Lambertum, fundamenta suæ magnitudinis habet. Immo jam pridem gratias retulit, quatuor Monasteriis opulentis, & librorum copia instructissimis, erectis. Abbatia S. Laurentii in suburbio sita, cæteris præstat. Hæc Orbi Sanctum Ropertum, Abbatem Tuitiensem, eduxit: quod non immerito inter summa ejus ornamenta ponimus. Refert Georgius Braun vim illi ab Hugonottis allatam, quibus nihil religioni fuit, nisi non sternere, solo affligere, urere, quicquid religiosum integrum, sanctum erat, non violare: Porro Henricum Natalem, ejus loci Antistitem, virum singulari prudentia & eruditione præditum, juxtaque integerrimum, eversum prope Cœnobium è ruderibus & cineribus denuo excitasse, addita bibliotheca in qua nullum primæ notæ anctorem desideres. Unde conjicias etiamnum hodie litterarum ibi sedem esse.

Templum Cathedrale S. Lamberti dedicatum. *Mercat. Atlant. min.* Leodiensis Episcopatus late patet.

Leodium quatuor Monaster. Ord. S. Benedicti numerat.

Georg. Braun t. 1. Theat. civ.

Graves à Dodone pœnas tarda Numinis ira sumpsit. Etenim viscera misero computruere quorum frusta per os egessit & tussiēdo excussit; nec ita bene nares componi poterant, ut fœtori ferendo essent: tandem corpus vermium hospitium & cloacæ simillimum

Dodo cum sociis graves Numini pœnas dedit ob interfectum S. Lambertū.

millimum; in Mosam aversis vultibus sparsum est. Qui vero telum suum in Sanctum Lambertum demerserat, inito cum fratre duello, animam ipsius hausit, & vicissim ab eo pari facinore peremptus est. Cæteri intra annum ad incitas redacti, menteque capti sunt, indignantemque spiritum exhalarunt. Quis animus inter tragica hæc spectacula Pipino & Alpaidæ fuerit, facili conjectura potes assequi. Sanctus Marcellinus Monachus Regem in morbum lapsum, altos sæpe gemitus edidisse ob cæsum Lambertum, memorat.

S. Marcellin. vita S. Svvitberti. Stella calvetus itinerar. Princip. V. Mastrichum.

Alpaida, misericordiæ divinæ non vulgare exemplum, brachia cœlo tendens, veniam sceleri petivit lachrymis madida; damnatoque infami thalamo, se Numini in Monasterio Orp, quod fundaverat, æternum mancipavit, Comitatu suo Turnensi ad sepulchrum Sancti Liberti deposito. Effusum humo fontem precibus hujus Martyris, & prunas incolumi lacinia vectas, à Nodgero petas licet; vitam Sancti Landoaldi ad XIV. Aprilis conscribente. Etiam hoc sub necto: apud Friburgens. hanc unam vocem esse omnium: caput S. Lamberti sua in civitate asservari, atque donum esse Rudolphi Episcopi, fratris Berchtoldi IV. Zaringiæ ducis.

Molan. in Natal. Belg.

AN. CHRISTI 699. AN. S. BENEDICTI 219.

S. VVillibrordus seu Clemens ad fidei Christianæ studium Franciam ac Frisiam inclinat.

S. VVillibr. signa Christiana late circumfert.

NVnc in viam, unde digressi sumus, S. Lamberto nos provocante, redimus. Postquam S. Svvitbertus Saxoniæ, vastissimæ provinciæ, se intulit, S. VVillibrordus modo Trevirensem agrum visere, modo per citeriorem Frisiam se trahere, & cavere ne quid detrimenti res Christiana caperet: dare quoq; operã ut novos atq; novos quotidie triumphos de idolis ageret. Nec enim quicquam præter Dei gloriam cordi ipsi fuit. At corpus curandum nunquam ei tempus suppetebat, etiam cum iter faceret. Antequam ad populum se se efferret, prius Numini se admovebat, ne si suis tantum auspiciis haberet conciones, parum proficeret. Quamplurimos verbis, infinitos moribus impulit ad sacra Christiana ut transirent. Paululo sæpe spatio à Martyrio abfuit: integer tamen supremi Numinis beneficio excessit, ne tam bono satore ager Dominicus destitueretur.

Aliquando VValacriam itum est, ubi plerique incolarum fide Catholica initiati erant: stabat tamen adhuc idolum, veteris insaniæ monumentum. Id arripuit Sanctus VVillibrordus: diu multumq; luctando comminuit. Idololatra cujus erat Deastrum custodire, furore percitus, machæra de proximo rapta, vi summa caput ejus petiit, sed vano ictu, bono Deo ne ferrum penetraret, prohibente. Famuli Antistitis in nefarium hominem mox arma expedivere, injuriam ulturi, sed intercessit S. VVillibrordus, ac nimios animis oratione repressit. Evaserat ille quidem è verberum & vulnerum imminentium imbre, attamen eodem die incidit in fluvium: nimirum in diaboli potestatem venit, à quo luce tertia miser extinctus est. Aliquando per culta arva habuit iter pius Pater. Custodes conspectum viri indigne ferentes, conviciis eum proscindere cœperunt. Accensi ira famuli confestim manus ad ferri capulum retulerunt: tum ille omnium injuriarum incus, suspensos furore animi vultus componere, ferroque abstinere jussit, quod par pati referri, vel etiam amplius, parum Christianum esset. Qui inter maledicos illos oris erit solutioris, statim oppressus fato, humi procubuit.

Ense petitur ab idololatra.

Injurias ferre, suos docet.

Fuit insuper ut ad mare progressus, inculta per loca erraret, paganos vestigando: adeo magna commiseratione pereuntium mortalium tenebatur. Siccas fauces questi comites, arenas ferventes ultra moliri se posse negarunt. Nam præter longam viam quam confecerant, sol quoque sitim accenderat. Subactus hac necessitate S. VVillibrordus, negotium ipsis dedit, ut tentorium, quod fixerant, subirent, exhaustaque gleba scrobem facerent. Illi tam vicina spe bibendi alacres, gnaviter incumbunt in imperium. Antistes interea in genua se deponens, supinis manibus oravit Deum, cum olim populo Israëlitico, æstuanti in deserto ac anhelanti, undarum copiam è petra profuderit, sibi suisque parvam saltem venulam, in qua sitim deponerent, aperiret, quandoquidem hoc itineris ad ipsius gloriam suscepissent. Suspensis comitibus, inque scrobem intentis, liquidissimus latex cœpit ebullire, quo avide occupato non tantum fatiscentes fauces large proluerunt, sed providi futuri, divinum fontem secum tulerunt, ne bis in idem Saxum impingerent.

Fontem humo elicit.

Addit Alcuinus, aliquoties eum auxisse vinum. Non parum admirationis hoc, quod referã Monachis Epternacensibus at-

tulit. Etsi religiosissimus Pater potius pro animarum salute, quam rerum incremento excubaret cum Abbatiam gereret, nihilominus operum vacous, penum quoque ac cellam vinariam ad calculum vocare consueverat, quod stabilimenta vitæ degeodæ uti non imprimis, ita saltem in postremis curis habeoda sint. Ergo oegotiis disciplinæ suiq; pensi privati explicitis, aliquando in cellam se deduxit: ictu digiti oppositum cadum exploravit. Sobrium dolium (nec enim vel semipleoum erat) inanitatem suam sonantissimo responso prodidit. Sanctus VVillibrordus prolata dextera crucem vasi impertivit: sacra verba addidit: mox cadus vini intumescens spumas evolvit. Oeconomus, qui nihil huic simile unquam viderat, attonitus ad pedes Divi accidit, tanquam ipsius esset pro re bene gesta gratias agere. Pater etiam atque etiam ei imperavit, ne se vivo factum palam faceret. Insuper cum Treveris quotidie plurima funera ederet pestileotia, atque etiam Monasterium subjisset S. Mariæ dedicatum (etsi Alcuinus non exprimat, putem ego tamen Monasterium fuisse S. Mariæ Horreum, ubi S. Irmina, Dagoberti Regis filia, rebus præerat:) nonnullis Monialium extinctis, reliquas idem fatum manebat. Concilium in arena capiunt mortis candidatæ: S. VVillibrordum Epternaco, quod tertio inde lapide distat, evocant. Ille absque mora advolat: sacrificat: allatæ aquæ vim occultam boois verbis impertit: partem laborantibus ex lue propinari, partem per ædes spargi jubet. Illico prostratæ malo Moniales è lectulis incolumes certatim emerserunt: pestis ipsa ædibus excessit.

Dolium prope exhaustum vino sola cruce replet.

Treviris Monasterii S. Mariæ peste levat.

Fraocia oec noo Frisia citeriore utcumque excultis, in ulteriorem penetravit hic Apostolus, sed non pari successu. Nam Ratbodus Rex etsi copiam docendi aliquando fecerit, quoties tamen ad baptisma ventum est, capur subduxit. Vbi VVillibrordus intellexit, se virum silice duriorem è nervo diaboli eximere non posse, in Daniam vestigia convertit (veteres Cimbricam Chersonesum vocarunt) regnum longe io Septentrionem projectum, ideoque Sancti Evangelii præconibus raro tritum. Sed nulla viarum asperitas, nullæ ambages objective montes nostrum Apostolum à suscepta semel expeditione poterant avertere. Ongendus ea tempestate sceptra tenebat, qui à religione Christiana adeo abhorrebat, ut neque mentionem de illa injici fineret. Nimirū conversæ Daniæ decus S. Ansgariū manebat, S. VVillibrordo multis annis posteriorem, qui titulo Apostoli Daniæ, Sueciæ, & Gothiæ à majoribus jure merito ornatus fuit. VVillibrordus proinde bona spe frustratus, duodecim adolescentes, quos sibi adjunxerat, lustravit, hisque primitiis contentus convasavit: Frisiam repetivit. Siccis oculis patriæ terga verterunt insontes comites.

In Daniam penetrat.

Daniam inter ac Frisiam insula jacet, cui prisci nomen posuere Fositesland, quod Fositi, celeberrimo idolo, sacra esset: neque huic Deastro ullum alterum anteferebant Frisones. Incolæ ultra morem superstitiosi, omnium pæne rerum usu abstinebant qoas insula suppeditabat, quod tota Fositi dedicata esset. Nefas habitum occidere animal ibi natum: aut aliunde adducta pecora in campos agere ad pascendum herbas: immo fraudi quoque fuit fontem libasse ingsulanum, ne quid decederet Fositi, scilicet. Periculosa tempestate jactatus S. VVillibrordus, in portum insulæ invectus est. Omnium rerum copiam invenit, eo quod nihil in suum converterent usum vel absumerent incolæ. Ipse vero hanc barbarorum stultitiam flocci faciens, mactavit animalia, penu recte instructa iter persequuturus. Immo fonti, à quo pagaoi tanquam à re sacra abstinebant, tres catechumenos admovit, lustravitque, quo facinore omnes rapuit in admirationem. Nec diu post delatus ad Ratbodum Frisiæ Regem est, qui indignitate contempti Dei accensus, lictoribus in mandatis dedit, ut peregrinos ad se perducerent, meritas pœnas daturos. Mos gentis obtinebat, statis temporibus Diis præsidibus insulæ hostias humanas immolare, capitibus sorte ductis. Ergo hanc tum sortem cum suis subire debuit VVillibrordus, quæ uni duntaxat adversa fuit: immo oon fuit. Nam is pro Christo mortem oppetendo, felicissimus omnium evasit. Quamvis autem sacer Antistes Regi movisset stomachum, is tamen sat exempli spreti Fositis in uno statutum ratus, ducem verbis prius asperrime acceptum, cum comitibus insula facessere jussit, ne porro patrios Deos profanarent. Non Deos, subjecit VVillibrordus, sed dæmones colis, miser. Quod ego non possum, id te olim infernus docebit. His dictis vela in Franciam fecit: non tamen se tenuit, quin etiam in istas subinde provincias excurreret.

Fositeslandia seu Foteslandia Fositi idolo sacra fecit. Sur. 7. Nov.

Capitis discrimen subit.

An. Christi 700. An. S. Benedicti 220.

S. VVulfrannus Senonum Archiepiscopus, Frisonum Apostolus, Fontanellensis Monachus.

Duodecim Apostoli variis è Monasteriis Angliæ à S. Egberto lecti, jam tota Europa Evangelii facem circumferebant, cum alii aliarum terrarum Monachi se quoque ad tam sanctam expeditionem accinxerunt, eadem stipendia duce Deo facturi.

S. VVulfr. gente Gallus, Senonensis Pontifex.

Nunc in lucem ac famam S. VVulfrannum extrahamus. Fuit hic gente Gallus: patria Vastiniensis: natalibus nobilis: à patre Vulberto viris doctis bonisq; in disciplinam datus. Ad aram initiatus, Lothario & Theodorico Regibus à sacris fuit, quod munus tam religiose functus est, ut Sancto Lamberto Senonum Archiepiscopo, & Fontanellensi Monacho demortuo (diversus is à S. Lamberto Trajectensi erat) omnium calculis in eam Cathedram fuerit sublatus. Quo pacto subditis quam maxime prodesset, interdiu noctuque consilia agitavit, nec quicquam potentius reperit ad permovendum, exemplo. Quocirca vestigia in quæ oves irent, ipse pastor impressit. Omnia sibi prospere processura credidit, assiduo si oraret. In corpus variis modis, sed semper asperis, animadvertit. Divino instinctu Evangelio promulgando vacaturus, Sanctum Ansbertum Archiepiscopum Rothomagensem, Monachum Fontanellensem, etiam atque etiam rogavit, viros aliquot eruditos, magnos animos gerentes, pro fide in Christum vitam ponere paratos, sibi in Frisiam cogitanti adjungeret. Ansbertus laudatis ingentibus ausis, Monachos pietate & doctrina præstantes in Cœnobio Fontanellæ contraxit: misit: ut Deus cœpta bene verteret, precatus est.

Evangelium barbaris exponit.

Rebus sic compositis, itur in Alemanniam: tentatur pagana indoles: dicta miraculis non modo æquantur, sed longe superantur: videlicet id agente Numine, ut cruda id temporis gens tantis impulsa machinis transiret ad Christianos: deinde ut hæresiarchæ nostra ætate per Germaniam volitaturi, ad solidum hoc fundamentum illiderent dentem, & saltem operibus crederent. Sed nec fidem miraculis, neque sanctis honorem habendum esse ajunt. Vt tamen alia rumpant, negare non possunt; alia via cœlos petiisse illos, qui fidem Christianam Germaniæ intulere. Idcirco nobis pridem persuasimus, Deum Opt. per servos suos in Germania singularia patrasse miracula, non multis provinciis aut regnis visa, ut Catholici avitæ religionis tenaces, haberent in promptu quod novorum dogmatum fabris hæreticis in os objicerent. Vnum in medium afferamus.

Patenam in mare prolapsam revocat.

Rem divinam mari facere, sacerdotibus non amplius est integrum, ne ara cum sacris in discrimen conjiciatur: fuit tamen olim Sanctus VVulfrannus dum trajecit in Frisiam, contractis in navi vectoribus, sacrificavit. VVando Diaconus (postea Fontanellæ Abbas) pro ministro fuit. Sed dum pacem Antistiti ferre debuit, simulque patenam lavit ex vetere cæremonia, hæc oblitis digitis elapsa subito undis hausta est. Reus VVando extemplo ad VVulfrannum versus, palmas tetendit, ac veniam petiit. Hic tanquam in tuto res esset, magno animo Deum genibus innitens adivit: antiquorum prodigiorum mari editorum admonuit: ut ea iteraret, ad flectendum compositus rogavit. Postmodum se attollens, Diaconum mari manum immergere jussit qua parte patena excidisset, qui spe plenus sine mora corpus sinuavit, avidaque dextera undas subivit. Quid expectas? Patena summis digitis se inserens, ceu forcipe pressa extracta est: sacerdos consueta animi tranquillitate sacrum peregit, nautis & vectoribus stupore defixis. Galliæ & Germaniæ diu in ore fuit hoc miraculum, præsertim Fontanellensi Monasterio. Nam Sanctus VVulfrannus ad gentiles rediturus, hic loci in Regulam S. Benedicti injuravit: altare portatile multis sacris lipsanis distinctum, quo tum usus fuerat: calicem, & patenam prodigio insignem, Æscetério, dono dedit. Sic Elisæus & Divus Benedictus ferrum ex aqua revocarunt, quorum hic æmulus fuit.

Ignot. M. ap. Sur. 20. Mar.

Reg. 4. c. 6. Greg. 2. Dial. cap. 6.

Multos sacro fonte tingit.

Factum per Frisiam ulteriorem divulgante fama, VVulfrannum aliquid homine majus esse putantes, nonnihil de ingenii rigore animique obstinatione remiserunt: Rex ipse Radbodus faciliores ei aures, quam Sancto VVillebrordo dedit.

Quamvis autem adduci non potuerit ut caput salutari fonte lavandum præberet, filium tamen suum admoveri permisit, qui paulo post cœlo receptus est. Idem subditis quoque per ipsum licuit, quos certatim accedere jucundissimum visu fuit. Lætus Sanctus VVulfrannus se cum sociis tam bene collocasse operam, Re-

gi iterum iterumq; institit, sed nihil promovit. Deastros enim suos venerari: Fositi humanas hostias forte ductas litare perrexit. Forte parvus puer (Ovo nomen erat) fatalem ad aram ducebatur, cui gula resti frangeretur. Sacrum Antistitem insontis misertum est, oravitque Ratbodum ut vita donaret nulli culpæ affinem. Is negavit per patrias leges sibi integrum esse, addictum dimittere: agendum patiendumque quod sors tulisset. Lætis acclamationibus ab idololatris excepta Regis vox est. Inde ad VVulfrannum conversi, se puerum illi dedere, inconditis vocibus mixtisque cachinnis jactitarunt, si per Christum, quem tanto hiatu supra Fositem tolleret, infelici arbori suspensus servaretur. Divus conditione accepta, genua flexit, divini Numinis pacem poscens, ut qui Danielem leonibus inhiantibus è faucibus eripuisset, hunc quoque puerum, cujus in capite immanitatis plenam legem exercerent barbari, præstaret incolumem. Iam alteram pependerat horam, cum VVulfrannus ejus causam egit apud Deum, ut nemo omnium dubitabat animam illi elisam esse. Nondum peroraverat advocatus, & ecce sponte sua dissuitur feralis laqueus: rumpitur: defluit suspensa victima: vivit Ovo, sine controversia à Christo servatus. Quînam evasisset mortem, referre jussus, VVulfranni ope, respondit, qui cingulo suo pendulum corpus sublevasset, ne nodi adducerentur, & arctius coëundo sibi animam exprimerent. Viribus tamen defectus, ægre spiritum trahebat, quocirca Præsul cespitantis manum prehendens, *In nomine Iesu Christi sanus sis*, dixit.

Duas horas è furca pendentem puerum præstat incolumem.

Continuo puer, quasi nulla propria molestia perfunctus esset, valuit. Multis gentilibus miraculum hoc saluti fuit. Ratbodus fortis religionem deinceps minus superstitiose obivit: duos alios adolescentes similem in modum fœdæ aræ destinatos, rogante VVulfranno missos fecit, qui postmodum Fontanellæ inter Monachos nomina professi sunt. Ovo, cum postea sacrarum litterarum cognitione antecelleret socios, sacerdos creatus est, quo gradu olim optimi tantum & doctissimi potiti sunt.

Cæterum sorte illa nefanda tacti, non uno modo vita privabantur. Quidam inter se, uti gladiatores Romani, committebantur: alii luctantem animam resti ejiciebant: quidam præterea in malam crucem agebantur; nonnulli undis mersabantur, neque in fundum delapsi uncis revocabantur, sed piscibus in cibum cedebant.

Duos infantes pueros fluctibus raptos incolumes littori reddit.

Quædam vidua suo in censu duos numerabat filios: invida sors utrumque oppressit. Vnus quinquennis, alter septennis erat: mater supra fidem gravis mœstitia, jacebat: trementes palmas tendebat: sinum lacrymis infundebat: sparsos capillos scindebat: Marpesia cautes Ratbodus de sententia dimoveri non poterat, quamvis semianimem matronam precibus juvaret Sanctus VVulfrannus. Ad extremum inter Regem & Antistitem convenit, ut si opem illis præsentem tulisset Christianorum Deus, lege patria solverentur: aliter nihil ipsos à jacta alea excusaret. Quid fit? In sinu vicini maris suffocandi undis erant: quocirca in arena destituti, erumpentem pelagi æstum pallidi præstolabantur. Præcinctum spectatoribus mœrebat littus: luna citabat fluctus: heu nobis! vociferabantur innoxii adolescentes, glacie frigidiores: mare Sancti Numinis imperio præter morem subito fluctus resorbuit, per quos jam incumbentes VVulfrannus volitans, dextra sinistraque prehensos pueros in ripam salvos retraxit: matri propemodum animam agenti asseruit. Hinc latius signa Christiana explicare Antistes: hausti è fatalibus undis pueri ante alios vivo fonti submittere vertices: Radbodus Sanctum VVillibrordum & Sanctum VVulfrannum accersere, injecta spe cum à sacris Christianorum non procul abesset, penitus accessurum.

At VVillibrordum, ajunt, noluisse denuo tendere vela, & petere Frisiam, quasi certum se littus araturum: ac putrem navem in oceanum deducturum: putasse nihilominus VVulfrannum tam vitiosos Regis oculos lumen ferre posse. Quod igitur vertat bene! Oritur baptismati lux dicta: cum Rege confluit aula: ille cultu regio spoliatur: adstat candidatus: sacrificuli differuntur indignatione: frendent: pes alter imponitur baptisterio: salva res est. Immo, non est. Postremis enim verbis rogavit Antistitem Rex, ecquibus in oris plures colerent majorum suorum, hujusmodi undis non perfusi? In stygem, subjecit Pontifex: perierunt omnes ad annum, nisi forte quis eorum adhuc portum appulerit. Et sycophanta: Ergo perdidisti omnem operam: pedeque revocato, ivero ad plures, dixit. Adeo non omne lac in caseum cogi potest. Ingenio erat feroci, impio, ad bella prono, quæ tam fortiter gerebat, ut Carolum Martellum aliquando triumpharit. Exacta ætate int-

Ratbodus Rex Frisonum mavult ire ad plures in orcum, quam ad paucos, cosque fere pauperes, in cœlum.

tiatam orco animam efflavit; votiq; compos factus ad plures ivit. Filii tamen ipsius suave Christi jugum acceperunt quos plerique subditorum imitati sunt. Nonnullos autem in errore perdurasse, ex Martyrio cognoscas, quo S. Bonifacius affectus fuit.

S. VVulfranus corpus inclementer habet.

Postquam S. VVulfranus quinqennium in Frisia desudavit, se sociosque Monasterio Fontanellæ restituit, vitam deinceps privatam degens: at quamvis non modo annis fessum, verumetiam ita longa peregrinatione fractum corpus retulerit domum, id tamen asperrimo cilicio perpetuo infestabat, quasi vincendus esset, si unquam loricâ istam exueret. Multis quoque annis lecto abstinuit, ne mollius quietem caperet: allatas sibi eleemosynas mox in pauperes sparsit. Rem divinam voce submissa facere solebat, interea lachrymis ubertim fluens, altos rugitus, à Superis audiendos imo pectore edebat. Delitium religiosi cœtus & præsidium erat: nam infirmi si manum ipsius contigissent, illico vires recuperabant. Tandem anno septingentesimo vicesimo ad XIII Kalend. Aprilis, cum ex febri aliquandiu laborasset, plenus dierum bonorumque operum ad Cœlites concessit.

Martyrol. 20 Martii.

Anno septingentesimo vicesimo nono à Sancto Baino, Tarvennensi Episcopo, in templum D. Petri una cum SS. VVandregisilo & Ansberto, Monasterii Fontanellensis clarissimis luminibus, translatus est. Obstupuere omnes nec corpora trium istorum Divorum, neque vestes, quibus velata erant, ex longo & humido situ traxisse putredinem. De odore quem tumuli evoparabant, quid dicam? cœlestis fuit. Quocirca S. VValfranum non immerito viros inter illustres Ordinis S. Benedicti censuit Trithemius.

Integris vestibus ac membris post novennium in tumulo reperitur.

Trith. l. 3. vir. ill. c. 68. & l. 4. c. 73.

AN. CHRISTI 701. AN. S. BENEDICTI 221.

S. Hermelandus, primus Abbas Antrensis.

FOntanellæ Monasterium virorum magnorum plantarium fuisse, credam, cum S. VVulfranus integram cohortem, & Sanctus Hermelandus alteram inde adversus tartarum eduxerint. Venit hic è Germania inferiore in Galliam; ille è Galli, vice versa, se contulit in Germaniam inferiorem: uterque Numinis auspicia sequutus.

Hermelandus Noviomagi non modo copiosis, verum etiam illustribus parentibus, natus, animum ad liberales artes à teneris appulit, in quibus eos progressus fecit, ut condiscipulos intervallo bene longo anteveret. Iam maturior annis delitias, voluptates, levitates, quibus juventus capi, & in præceps agi consuevit, non secus quam stygem vitavit. Mos ea tempestate ferebat, nobiles juvenes inferere principum aulis, quod hæ Gymnasia putarentur, in quibus rectissime ad magna, tam in sago quam toga gerenda, educerentur. Itaque patri in animo erat, eadem via trahere filium, quam ipse suique majores trivissent, partis honoribus clari. Atqui Hermelandus aulas vitiorum sedes: honorum culmina, compendiosum ad inferos iter existimans, vitam sanctius instituere meditabatur: sed tunc parentum nutibus serviendum erat. Igitur horum voluntate palatio Regis se intulit, ubi indolis optimæ ea specimina dedit, ut non modo per palatinorum ora volitaret, sed etiam pincerna regius designaretur. Pater suum filium tam brevi in hunc gradum evectum conspiciens, gaudebat: illico nuptias struxit, nobilissima virgine ipsi conciliata. Hermelandus etsi alia animo agitaret, tulit tamen quam pater adornabat fabulam. At cum ferme ventum ad rem esset, quid secum constituisset Regi suggessit (nam verebatur ut consilio suo intercederet:) sique per illum liceret, se absque mora palatium valere jussurum: ad Monachos transiturum. Pruriebant pedes supplicanti: Rex autem melius familiæ consulturum, respondit, si flore ætatis uteretur: non sibi defuturas opes ac honores, quibus ipsum augeret ornaretque. Cum nihilominus juvenis instaret, Rexque obicem ei ad Deum tendenti ponere, religioni haberet, abeundi potestatem fecit.

Sur. 25 Mart. S Hermelandus primos annos in palatio ducit.

Data porta, pincerna sine ambagibus erupit: in Nordmanniam Galliæ provinciam magnis itineribus contendit, ubi in Fontanellæ Monasterio Monachum induit. Forte rebus præerat S. Lambertus, à quo in tyronum numerum receptus, morum innocentia nulli secundus fuit, ut facile prævidisses in maximum virum evasurum. Cum vota religiosa publico Patrum assensu emisisset, grandioribus passibus sibi deinceps ambulandum ratus, abjectissima officia, quæ sibi vindicaret, circumspexit: ultimas quoque injurias ferre paratus, modo fuisset à quo lacesseretur: perquam longa insuper sibi jejunia indixit, vigiliasque in multam noctem porrectas: pias preces & lectionem tum demum intermisit,

In Fontanellensi Monasterio Monachum induit.

misit, quando aliud agendum erat: quid multis? Summa esto: Hermelandum inuisse rationem, quemadmodum Deum Opt. perpetuo veneraretur. Tanta virtute in medio proposita, Lambertus Abbas ad Monasterii emolumentum attinere putavit, ut sacerdotio initiandum mitteret Rothomagum. S. Audoënus Archiepiscopus facto virtutis ac eruditionis periculo, eo hominem honore sacro prosequutus est. Vbi in sacerdotum gradu stetit, quotidie sacrificavit: nec quicquam admisit, quod officio alienum esset, maximam potius operam dedit, ut nil præteriret, quod purum ipsum putumque præstaret mystam.

Sacris initiatur.

Aliquot post annis Paschasius Episcopus Nannetensis minoris Britanniæ (vulgo Nantes) inito cum primoribus civitatis colloquio, in sua Diœcesi nihil tam desidarari quam Monachos, questus est. Id sibi quoque magno dolori esse, subjecerunt optimi viri, ac fortunatas sibi urbes provinciasque alias videri, servis Dei frequentes. Convenit inter ipsos, fundare Monasterium: unde vero Monachos accerserent, in promptu erat, quod non modo Nordmanniæ, sed etiam Britanniæ constaret, Fontanellam sanctissime colere disciplinam. Ergo designantur oratores, qui eo contenderent. Abbati commodum locum condendo Cœnobio, tum etiam redditus tolerandæ vitæ sufficientes, offerrent. His ita domi compositis, ocyus itur Fontanellam: legationis rationes exponuntur: quibus acceptis Antistes cum suis de re tota deliberavit. Singuli annuerunt petitioni. Deinde cum Hermelandus ab omnibus tanti fieret, quanti debebat, Abbas renunciatus, cumque duodecim sociis Nannetum missus est, quos Episcopus ac cives in limine humanissime salutarunt, & amantissime complexi sunt. Paucis diebus quiescendo ex itinere contritis, Hermelandus copiam sibi fieri rogavit lustrandæ regionis, videndiq; quem locum novo Monast. caperet. Annuente Episc. longe lateq; terra explorata, in cymbam se conjecit ut parvas insulas cognosceret, quas Ligeris, alvei ambigui fluvius, facit, antequam in Oceanum evadat. Vna vehementer arrisit, in qua sedem figere constituit. Nam primi nostri Patres solitudinis & quietis erant studiosissimi, unde sua Monasteria plerunq; montibus, insulis, vel reductis sylvis imposuerunt, quod mentes cœlo hærentes detraherent sæcularium congressus. Cæterum insula quam delegerat, xxiv. stadia longa erat: è medio collis eminebat, quem alii humiliores cingebant, quasi novo Monasterio securitatem affirmantes. Inde circumjectas insulas, Ligerim, mare, continentem, uno conspectu obire licebat. Accessit soli fertilitas: arborum frequentia: depressarum vallium silentium ac umbra: arcani recessus: monticulorum longe porrecti pedes, & si quæ alia oculis blandiri possunt. Omitto campos pascuos: glebam fœcundam, cuivis semini recipiendo reddendoque ingenti cum usura natam. In locis pro Monachorum domiciliis legendis cura vel prima, vel altera, pisces sunt. Hæc autem suscipienda Hermelando haud fuit, Ligeri ac mari eorum copiam promittentibus. Passim quoque alta speleæ hiabant, quæ postea Monachi subivere, ut, qua possent, memoriam sui delerent. Illa Hermenaldum induxerunt, ut insulæ Antri nomen faceret. In proximo exigua natabat insula alia, quam is notatam oculis, Antriginum appellavit, statuitque positis negotiis verna jejunia in illa ducere.

Suscipit expeditionem in minorem Britanniam.

Insulæ imponit Monasterium, quod vocat Antrum.

Actis igitur Numini supremo gratiis quod in locum ita commodum incidisset, ad Episcopum revertit: situm indicavit: ut absque fastidiosa mora manus operi adhiberetur, oravit. Præsul & civitatis principes moræ æque impatientes contractis architectis atque operis, jecerunt fundamenta: tanta deinde contentione templum aliaque ædificia erecta sunt, ut intra paucos annos omnibus numeris absoluta steterint. Episcopus cum Canonicis eo trajiciens, sacellum unum D. Petro: alterum D. Paulo dedicavit: Monachis alimenta expedivit: quæ divites vicini addiderunt, confirmavit: ne posteri dilapidarent, gravissimis litteris sanxit: quibus ita confectis Hermelandus Childeberto supplex fuit, ut novum Cœnobium curæ habere, atque diplomate protectionem suam testari vellet. Rex non tantum sibi cordi Monasterium fore pollicitus est, sed præterea diplomate fidem fecit, in sua tutela futurum quicquid illud ubique bonorum possideret: quod ideo commemoro, ut appareat annorum me diligentem ducere rationem (si quid intersit) & S. Hermelandum recte hoc tempore Lectori in conspectum dare.

Childebertus Rex tutelam ei sanctè promisit.

Candidæ animæ in novum Asceterium introductæ, adeo ad unguem observarunt Regulam, ut quam plurimis bonam mentem injecerint deserendi mundi, & in cellulas se se abdendi. Dum hi vero suas quoque fortunas contulerunt in Monasterium, id tantum incrementum sumpsit, ut non amplius à Fontanella tanquam matre, penderet, sed potius subjectis aliis Asceteriis jus diceret.

S. Hermelandum Britannia ut oraculum

cœlo delapsum habuit, cujus effata tam certa fuere, ut nihil veracissimis vatibus concedere sit visus. Admiranda quæ patravit ipsa multitudine me oppresserunt: auctor tamen vitæ ipsius magnam partem excepit, posterisque transmisit, quem si ita animo sedet, adibis. Aliquoties suspensus contemplatione (quod raro de aliis Sanctis auditum) vidit beatas animas cœlum petere. Glanna Monasterium trigesimo lapide aberat ab Antro. Abbas illius Maurentius è vivis excesserat. Eum Sanctus Hermelandus in templo D. Petri rei divinæ intentus ab Angelis inferri astris conspexit, multoque ante Monachis narravit, quam aut scribi inde aut nunciari potuisset. Aliquando versabatur in villa cui Pauliaco nomen, aliquid negotii conficiendi gratia. Noctu, ut mos ipsius ferebat, ab aliis digressus, cum vacaret contemplationi, quendam discipulum suum Creanensi religiosæ Domui, octoginta milliaribus distanti, & per Aquitaniam celebri, à se præfectum, cœlestium geniorum obsequiis pariter subvehi ad Superos vidit, Monachisque suis narravit.

S. Hermelandus animam Sancti Maurentii in cœlum evehi conspicit;

Itemque sui cujusdam discipuli.

Hujusmodi spectaculis captus, & mundum & mundi delicias vehementer fastidiebat: nec quicquam voluptati erat, quam cœli gaudia perpetuo secum volvere. Abbatia se abdicare sæpissime volebat, suos tamen adducere numquam potuit, ut annuerent: ad extremum continuis precibus victi sunt. Onere deposito oratorium excitavit, quod Sancto Leodegario Martyri dicavit, quo cum paucis secessit, ut liber negotiis terrenis omnem industriam in rationibus suis explicandis, paulo post supremo judici reddendis, poneret. Inde à religioso cœtu itum in suffragia est, lectusque Adalfredus est, ab Hermelando valde dispar. Minor enim hac dignitate, stolide cornua sumpsit, seque magnifice circumspiciens, alios contemptui habuit, ut jam nullus locus esset qui hominis caperet fastum. Nec pro patre, sed pro lupo se gerens, tyrannide exercita huc illuc jactabat oves, novi moris insuetas, præclarus pastor. Vetus malum hoc imprudentium Cœnobiarcharum, nudiustertius ad gubernaculum admotorum. Nolunt sequi priores, sed res omnes impotenter novant, in eo demum summi imperii sui cardinem verti persuasi, si dictis factisque antecessorum suorum acerbe obtrectent: subditos acriter premant: habeant ut captivos.

Fit Abbas Adalfredus S. Hermelando dissimilis.

Itaque etsi Adalfredus Sancto Hermelando magistro usus sit, maluit tamen alia conari agereque, quam didicerat. Virum Dei majorem in modum pœnituit quod secessisset cum suffragia ferrentur: Adalfredo autem sic inflato properum fatum denunciavit: qui dum regnum tenuit, nihil memoria dignum gessit, nisi quod sibimetipse viam ad inferos aperuerit: ac intra mensem eo descenderit, quo de medio sublato, curam novi Abbatis renunciandi suscepit Hermelandus, experientia edoctus, bonum Monasterii sibi antiquius esse debere alta contemplatione: immo in tertium quoque cœlum rapto devolandum, & curandum, ne quid detrimenti publica res capiat. Vltro citroque in urnam conjectis calculis, stetit sententia Donatum ferendo muneri aptissimum esse, cujus animi demissio, charitas, eruditio, candor, vota electorum accenderunt.

Male perit.

Publica privatis anteferenda.

Rebus è sententia ad umbilicum perductis, puppim solvit Hermelandus: Eremitorium suum repetivit: quassis habenis ad intermissam contemplationem currum suum egit. Ab infirmis perpetuo se interpellari, moleste ferebat, qui tanquam ad medici fores excubabant: sed dum singulis auxilio fuit, universos accersivit. Aliquando animam suam præcipitare fugam, dixit, atque ad XXV. Martii abituram, ipsissimaque die corporis vinculis soluta, excessit. In æde Sancti Pauli imprimis sepultus est, multis deinde annis ea sub gleba exactis, in Sancti Petri Basilicam translatus est, è cujus sepulchro tertia luce tam fragrans emersit odor, ut non modo nares, sed insuper animos imbuerit, nec ante octavum diem per templum diffundi, desiverit.

Calamo frænum impono, quoties is ad miracula procurrit, quod plus momenti in vitæ austeritate ponam: quæ tamen rariora sunt, non facile prætereo. Erat Adelfredus quidam octoginta annos natus, oculis, manibus, pedibusque captus. Mirum desiderium urbis incessit senem, quod Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli sacra ossa multis saluti fuissent. Eo delatus aliquandiu limini fixus adhæsit, cum per quietem Christi Vicarius ei apparens, ut Turones se amoveret, jussit: in S. Martini æde manus ac pedes ad officium ipsi redituros. Inde Antrum insulam peteret: ibi enim luce donatum iri fusis ad tumulum S. Hermelandi precibus. Dicto audiens Adelfredus, pede claudo Turones petit: causam suam ad S. Martini Mausoleum orat: impedita vestigia Divus ei restituit. Attonitus juxtaque lætus clementissimum Antistitem ita cito pedibus suis addidisse alas,

S. Hermelandus cæco lumina reddit, claudo pedes expediente S. Martino.

ad S. Hermelandum contendit. Vbi pervenit, Divum decenti cultu prosequutus, postea in somnum lapsus est. Vix paucis horis dormiendo consumptis, cœlo S. Hermelandus demeans, sacros pollices cæcis oculis impressit, *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, respice*, dictitans. Exactæ oculis mox tenebræ sunt: lucem meridianam hausit Adelfredus. Lumina se in recedentem Cœlitem strinxisse, narravit, nec comparare illum posse nisi ad luculentissimam lucem subito excussam, ac fulguris modo avolantem. Si mihi autem tibi pervellere licet, S. Petrum in memoriam revoco, qui cum terras olim coleret, sola umbra ægrotos levavit morbis: postea cœlicola luce orbum ad S. Hermelandum misit, & quasi S. Martino æquavit, ut intelligerent Galli quanti pretii vir esset. Omitto quod Arnoldo amico apud se diversanti cyathum propinari jusserit, & Cellario excusante, vix heminam in promptu esse, vasculo allato crucis signum imposuerit effeceritque ut non tantum satis esset, verum etiam superesset, quamvis obsequia & servitia dominum stipantia non pitissaverint, sed potaverint. *Sedebat aliquando*, inquit auctor vitæ ipsius, qui visa sibi ac audita scribere se testatur, *sub quadam arbore apud oratorium S. Leodegarii Martyris, legebatque solito attentius: Interim erucæ illam arborem depascentes, in illius librum identidem decidebant, legentemque interturbabant: atque is patientissime perferebat. Porro frater quidam id animadvertens, cœpit eas conterere pedibus, sed vir Domini eum prohibebat ne id faceret, ita dicens: Noli frater quæ divino accidunt judicio, velle avertere. Verum Omnipotens Deus, ut viri sancti patientiam præclare remuneraretur, erucas omnes, quæ jam diu illam arborem vastaverant, usque adeo nocte illa profligavit, ut ne una quidam superesset.* Dixisses signo accepto eas in fugam se conjecisse. Pisce quoque non toto magnum Monachorum numerum pavit.

Quarta sextarii parte multis extinguit sitim.

Dum æquo animo fert erucas, arborem depopulantes, & in legentis librum incidentes, Deus colluviem abegit.

Interdiu Monasterii ac Fratrum commodis studere: noctu post brevem somnum sibi operam dare consueverat. Forte concessit in S. ædem, lampademque extinctam accendere jussit socium, qui dum è laterna candelam profert, & lychno admovet, à vento extinguitur. Ergo ocyus se aufert, lumen aliunde petiturus. Eum S. Hermelandus subsistere imperat: sola cruce lampadem luca instaurat. Aliquando res Monasterii in pago Constantino curantem, Launus equestris ordinis homo convivio accepit. Sanctus ut erat comis, affabilis, jucundus, adivit: parum tamen vini in cella erat, quod soli illius ingenium non ferret vinum. Launus non tantum hospitibus, sed etiam pauperibus, quicquid esset, fundi jussit. Bibentibus omnibus, urna non tantum non defecit, sed propemodum redundavit. Ægre dæmoni fuit, quod ejus animum nullo modo labefactare posset. Itaque rustico se insinuans, ut aliquid de ephippio Antistitis præcideret, persuasit. Stolidus mandato functus, sine mora tragicas edidit voces, videlicet, *Succurre mihi S. Hermelande: nam pro furto exiguo quorem tuam mihi ausus sum vendicare, pœnas luo inæstimabiles.* Adhuc ora movens, furtum cujus nemo indicium fecerat è sinu raptim protulit: solo affixit: quod in æde S. Petri Oglendæ postea suspensum est. *Eufredus quidam*, inquit conditor historiæ ipsius, *impia incensus cupiditate, in pago Oximensi villam, quam Crannam vocant, S. viri Monasterio abstulit: & ecce in somnis paulo post videt S. Albinum Confessorem, omni edendi & bibendi facultate ipsum privantem, donec ad S. Hermelandi sepulchrum accederet, & cum digna satisfactione res ei ablatas restitueret. Expergefactus ille cum multo timore pensitabat quid vidisset, ac illucescente die equo conscenso propere abiit ad aliam ejus Monasterii villam Cludionem, ubi invento Monacho Edramno, quid sibi accidisset, exposuit, rogavitque ut cum ipso ad S. Confessoris sepulchrum proficisceretur. Ille quidem petenti annuit, hortabatur autem ut aliquid cibi & potionis acciperet: quod cum ille temere attentaret, panem sumptum nulla potuit ratione deglutire: immo vero una cum sanguine coram omnibus evomuit. Itaque maturavit susceptum iter, & ad sancti viri sepulchrum accedens, in preces incubuit: ablatam villam se redditurum promisit, atque insuper de suis prædiis & facultatibus Monasterio quædam elargitus est. Ita publice suum facinus confessus sanus effectus est.* O sanctum Numen! quam multis hodie fame ac siti moriendum foret, non villam unam, sed Monasteria integra devorantibus, ac facile concoquentibus! Quod si ad pios Fundatores provoces: si Sanctorum, quibus dicata sunt, vindictam intentes: si denique Deum tremendum judicem appelles, quid faciunt? rident. Ducta è pelvi fulmina esse, per jocum jactitant.

Crucæ lampadem extinctam instaurat.

Rusticus dat furti pœnas.

Item alius, qui Monasterii villam sibi vindicavit.

Disceptatio Placida, edita an. 1630.

* *
*

An. Christi 702. An. S. Benedicti 222.

S. VViro, Monachus: Scotorum Episcopus, Belgarum Doctor: Ruremundensium Patronus.

S. Wiro à teneris virtutibus assuescit. *M. S. ap. Sur. 8. Maii. Marcellin. in Swiberto, c. 34. Trith. l. 3. vir. ill. c. 263. Molan. indic.*

EGregia facinora, à S. VVillibrordo ac sociis ejus designata, etiam alios passim Monachos invitarunt ad imitandum. Nunc post Anglos Scoti se se operi accingunt, vicinis suis de palma nil concessuri. Sed hanc expeditionem ab incunabilis VVironis repetamus. Scotia, fertilis sanctorum virorum insula, VVironem in lucem extulit, natalibus & sanctimonia juxta nobilem. Dum pueritiam ducebat, morum elegantia, dictorum factorumque gravitate, plane viros æquabat, unde omnes vaticinabantur non adhælurum parvis aut mediocribus, sed ad summa enisurum. Poterat pro ætate indulgere voluptatibus, malebat tamen instare virtutibus, se ipse urgens, quod sciret mundum (heu fallacem!) cum cibo venenum apponere. Itaque non modo delitiis, sed etiam delitiarum occasionibus se eximens, corpus inedia domuit: confecit vigiliis: continuis votis ad Deum conceptis munivit, magnorum exempla virorum, veluti Patritii, Cuthberti, Columbæ, sedulo sequens. Exteras adire gentes: Euangelium promulgare, seu promis seu aversis auribus à paganis acciperetur: morti denique se objicere, stabat sententia: aliud tamen Numini tunc visum, cujus ductu Monasterium ingressus, sacrum habitum sumpsit. Non multo post Episcopus illius ditionis diem obiit: populus & Clerus VVironem summo studio successorem renunciavit. Mos autem ferebat, ut sic designati proficiscerentur Romam, petitum Pontificis Max. nutum. VVironi quamvis antiquius fuerit in angusta cellula vitam tradere, quam augustam Cathedram insidere, necessitate tamen à Clero populoque sibi imposita, Romam petivit, SS. Apostolis Petro & Paulo stimulos admoventibus. Comitem sibi adjunxit Plechelmum (Monasterii Maildubiensis Monachum fuisse ajunt) tam annis quam sanctimonia parem. Cum per Angliam iter haberent, Otgerus se se addidit, quod ea tempestate juvenes, senes, nobiles, ignobiles, omnium ordinum homines, etjam Reges, se agerent Romam, tum demum officio Christiano se perfunctos, credentes, si summos Christianæ fidei Doctores in limine salutassent.

Renunciatur Episcop.

Itineris molestias VViro non jucundo colloquio ablterlit: nec in diversoriis à lance & cantharo, ut fit, pependit, sed obstinati silens per obvia & non obvia, templa preces fudit; jejunia stomacho indixit: viam lachrymis sparsit. Potiti urbe, à Pontifice Max. acciti sunt, qui conjectis in S. VVironem oculis, virtutem conditam in fronte deprehendit, sibique persuasit futurum, ut olim Ecclesia ista ex arbore magnos carperet fructus. Quocirca in ejus collum ruens, hic, hic est, dixit, qui Ecclesiæ momentum afferet. Postea rogavit cujas esset? qui vocaretur? quam ob causam iter Romam intendisset? VViro ad vestigia accidens, ab ovo rationes suas Pontifici exposuit: ut Episcopatu absolveretur, etiam atque etiam vehementer oravit. Papa re omni accepta, pugnantem & reluctantem, Episcopum creavit, ut potius populo quam sibi satisfaceret, induxit. Eodem honore etjam Plechelmum affecit. Demum utrumque amplexu premens, recta viam in Scotiam legere jussit, veritus ut cum subditorum dispendio ad diversas Basilicas, Divorum lipsanis celebres, diverterent: vel soluti istis compedibus, aliam telam texerent, paganis instituendis varias per provincias errando.

A Pontifice remittitur in Scotiam.

Cum igitur nil potius haberet, quam Pontifici Max. morem gerere ocyus in viam se dedit, eamque per alpium juga remensus trajecit in Scotiam: impositam sibi Romæ provinciam magno animo adivit, gessitque non sine magno patriæ bono, succollante Plechelmo, quem proinde auctor MS. Coepiscopum appellat, quod à te notari velim, ne hunc Plechelmum cum alio, Candidæ Casæ Episcopo, ut est apud Bedam, confundas. Porro Sedem S. VViro ita in Scotia fixerat, ut tamen animo semper peregrinaretur, ac efferre pedem cogitaret. Unde oblata aliquando occasione, iter in Galliam adornavit priores comites secum trahens, quorum opera in idololatris instituendis uteretur.

Potitus littore, quo se potissimum conferret, circumspexit; ambiguo tantum hoc erat certum, Scotiam non repetere, quod mallet foris egere: contemptui esse: pro Christo vitam in discrimen conjicere: quam domi abundare: honoribus affici: quiete vitam traducere. Fama, uti solet, eum præverterat, & detulerat ad Pipinum, Majoremdomus Galliæ, qui toti regno jus dabat. Reges enim ut Deorum vitam viverent, è mensis deliciis consertam, omnia negotia in hujusmodi præfectos palatii à se amovere consueverant, donec ab iisdem præcipites, acti sunt. VViro cum suis in aulam accitus, humanissime à Pipino acceptus est, qui

In Galliam è Scotia se transfert.

cognita viri prudentia cum sanctitate conjuncta, præcepit palatinis ut singulari cultu
Montem Petri, hodie S. Othiliæ occupat. ipsum prosequerentur. Ne vero frequenti congressu sæcularium à rerum cœlestium contemplatione avocaretur, Montem Petri (hoc nomen loco indiderunt) quem cum suis coleret. Sacellum illic posuerunt, ac honori Beatæ Mariæ Virginis consecrarunt: insuper Monasterium, quod D. Petro dedicarunt hodie mons S. Othiliæ vocatur, medio milliari Ruremunda dissitus. Voti sui compos factus VViro, ex aula se in Montem istum recepit, ubi vigiliis, jejuniis, precibus, contemplatione, variis asperitatibus, quæ in mentem veniebant, dies noctesque consumpsit. Neque perpetuo insederunt monti, sed nonnunquam in Frisiam excurrentes, infideles quantum potuerunt,
Marcell. in vita Sancti Swithberti. adjuvarunt: in Concilio quoque Vltrajectensi sententias dixerunt, ut refert Marcellinus. Cum S. Plechelmus Oudence in Daventriæ Episcopatu sepultus sit, facile adducor ut credam, diversas illos provincias excolendas suscepisse. VViro, quod omnibus virtutibus ornatus esset, tantæ venerationi Pipino fuit, ut eum conscientiæ
Pipino à sacris confessionibus est. suæ arbitrium legerit, ac aures confitenti sibi daturum nudis semper pedibus adiverit: sæpe etiam de rebus gravissimis cum ipso consilium ceperit. Cum enim vir sanctus adulandi causas procul haberet, quid optimum factu esset, libere enunciavit. Affabilis, benevolus clemens erga omnes, tantum in se acerbe consuluit, à veterum monachorum exemplis nil discedens. Ætate exacta beatam animam VIII. Id. Maii edidit;
Martyrolog. 8. Maii. à frequentissimis Monachis cum psalmis ac hymnis in D. Virginis æde, cujus
10. Septemb. paulo ante meminimus, sepultus est. S. Otgerus IV. Id. Septemb. vivere desiit, quem ibidem in Monasterio S. Petri condiderunt: labentibus annis uterque Ruremundam in Ecclesiam Cathedralem translatus est. S.
10. Iulii. Plechelmus VI. Id. Iulii superis se addidit.

Qui non explorant ventos, facile feruntur in scopulos; quapropter diligentius vestigare annos libet, quibus hæc Scotiæ de-
Baron. 631. cora floruerunt. Baronius sub annum DCXXXI. in Galliam eos venisse putat, Pipino
Floruit cum sociis sub annum 700. S. Gertrudis patre, Pipini Majorisdomus avo, vivente: quodque Pipinus, qui nudis pedibus confessarium suum accedere solebat, primus hoc nomen tulerit, vir non vulgaris pietatis, ideoque Sanctis æquatus. Forte animum inducere non potuit, hominem pudendis sceleribus affinem, de quibus historici Pipinum secundum notant, positis calceis Sacerdotem convenire voluisse. Quocunque tamen se vortat Baronius, clarissimi auctores, quos produximus & quorum è fonte nos bibimus, fidem faciunt, VVironem cum sociis pedem imposuisse Galliæ, cum Pipinus II. rerum potiretur in citeriore Frisia. Pro certo enim habetur apud omnes historicos, Ratbodum Regem ab illo pulsum, & in Frisiam ulteriorem rejectum: ab illo insuper divini verbi præcones missos, qui regni partem, nuper in potestatem redactam, fœdis erroribus liberarent: res dæmonum infringerent: fidem Christianam inferrent, ac stabilirent. Deinde mihi expende sis hæc verba auctoris vitæ Codex MS. ap. Sur. 8. Maii.
S. VVironis: *Proponebat sibi Sanctos Patres, præsertim admiranda virtutum & meritorum sublimitate eminentes, Patritium, Cuthbertum, Columbam, egregias patriæ columbas, orbis luminaria: eorumque vestigiis capiebat insistere: religionemque & sanctimoniam imitari.* Atqui Cuthber- Baron. an.
tus (nota loquor, quæque Baronius scri- 687.
psit) anno sexcentesimo octogesimo septimo concessit. Potuerit ergo VViro anno sexcentesimo tricesimo primo teneri desiderio, in S. Cuthberti vestigia eundi, scilicet quinquaginta sex annis antequam ille moraretur? Deinde an non mirum Baro- Bar. an. 697.
nius facit, suaque vineta cædit, dum anno sexcentesimo nonagesimo septimo Vltrajecti Concilium habitum ejusque partem SS. VVironem, Plechelmum, & Otgerum fuisse, affirmat? VVironem, inquam, Pipini I. confessarium. Quam diu igitur illum inter homines fuisse oportuit? Nam annos mihi in digitos mitte, animadvertes. Ætate utcunque provecta se tulit Romam; Episcopatum Romæ acceptum aliquandiu gessit in Scotia: quod si anno sexcentesimo tricesimoprimo trajecit in Galliam, & Synodus anno sexcentesimo nonagesimo septimo celebrata est, fere septuaginta anni intercesserint. Quis autem erit qui credat, tamdiu vitam ipsum produxisse si cæteros annos addas, quos secum in Galliam in Scotia attulit? Tam hoc dici potest de comitibus SS. Plechelmo & Otgero, qui Concilio Vltrajectensi adfuerunt, quam de duce VVirone.

Nec minus à scopo aberravit Arnoldus VVion l. 2.
VVion, cum S. Plechelmum S. VVironis c. 39.
socium sub annum septingentesimum sexagesimum tertium floruisse: mortuum vero an. septingentesimo septuagesimo octavo,
scripsit. Nam alibi VVironem anno septin- Lib. 2. c. 38.
gentesimo floruisse affirmat; cum vero illius comes individuus Plechelmus fuerit, simulque cum eo Concilium Vltrajectense frequentaverit, intelliges, si animum advertas, eum septingentesimum septuagesi-

mum octavum annum attingere haud potuisse. Labitur quoque, dum è S. Petuvino S. Plechelmum facit. Forte legerat apud VVestmonasteriensem, Petuvinum Episcopatum gessisse ad Candidam Casam: apud alios autem, Plechelmum ibidem hoc honore functum, idcirco è duobus conflavit unum. Hæc cum ita, tuo ingenio committo, an non utero, Baronius, inquam, & VVion, calculum perperam posuerit, quibus historici obviam euntes VVironem atque socios ab anno circiter septingentesimo ac deinceps in luce versatos, ore uno testantur. Insuper Plechelmos duos fuisse; unum S. VVironis Coëpiscopum (Oudence sepultum) quod auctor vitæ ipsius refert: alterum ad Candidam Casam Episcopum, cujus Venerabilis Beda mentionem facit, eumque anno septingentesimo tricesimo primo floruisse, ait, quod nemo gnarus historiarum in controversiam vocaverit, etsi non constet quando nam hic vivere desierit, vel ubi ossa condiderit. Profecto nihil est ut credas Oudence, in Germania inferiore. Nec te moveant hæc Marcellini verba: *S. Plechelmus Episc. de Massa candida, vel secundum Bedam, Candida Casa*: nam Marcellino assuta esse, hinc conficito, quod is ante Bedam scripserit. Alterum tibi quoque errorem objicio, historiæ S. Marcellini insertum: nimirum S. Egbertum, qui duodecim Monachos in Germaniam dimisit Euangelii promulgandi causa, Archiepiscopum Eboracensem fuisse. Notarunt hoc egregii historici cum Baronio & Molano, & capita contulerunt, dictum figentes obelisco. Quid tibi est? Sæpe supremæ manui alius altam superaddit.

Matthæus VVestmon. an. 263. & 778.

Sur. 8. Maii.

Beda l. 5. c. 24. Hist. Anglic.

Sur. 1. Mart. cap. 14. in Swiberto.

Baron. an. 690. Molan. V. Egbert.

AN. CHRISTI 703. — AN. S. BENEDICTI 223.

S. Benedictus Biscopius Anglus, Abbas & Magister Venerabilis Bedæ.

Centum ac amplius annis ab adventu Theodori fortunata fuit Anglia, quod tantus ei sanctissimorum Monachorum numerus suppeteret, ut etiam exteris provinciis atque regnis copiam facere potuerit non absque magno Ecclesiæ Dei incremento. Sed hi dum in opus divinum foris incumbunt, nos quid domi agatur, videamus. Libet vero ante alios in lucem producere, S. Benedictum Anglum, hoc quidem anno, ut historici Anglicani ferunt, mortuum, à nobis tamen non sine causa huc usque dilatum. Qui acta ipsius à capite ad calcem memoret, nemo omnium est: plurima tamen Venerabilis Beda, Florentius, Matthæus VVestmonasteriensis suggerunt, quæ nos paucis persequemur.

Beda l. 4. c. 18. & l. 5. c. 20. VVestmon. an. 703. & sequent. Florentius an. 668. & sequent.

Itaque nobili sanguine natus Benedictus, cognomento Biscopius, primos juventutis annos, armorum studio captus, belli consumpsit. Ob res sæpe ex sententia gestas ab Osvvio Rege in familiam aulæ adscitus, opimo censu auctus est. Positis igitur armis cum jam propius à se ipso abesset, quam dubio loco deliciæ, honores, opes, valetudo, vitaque starent, diligentius secum perpendens, mutare vetera consilia, & Romam ire constituit. Nam id temporis frequentes illuc peregrinationem suscipiebant Angli, non solum à SS. Petro & Paulo tracti, sed etiam à SS. Gregorio M. Augustino, Mellito, Iusto, aliisque Apostolis suis impulsi, è quibus Honorius ea tempestate Cantuariensem Pontificatum gerebat, ad quem Benedictus se contulit priusquam in viam se daret, sibi persuadens è voto successurum iter, id si Archiepiscopus approbasset. Bonum factum. Nam ibi in VVilfridum, nobilem juvenem incidit, è Northumbria oriundum, hoc ipsum iter animo agitantem, quem Eanfleda Regina ejusque frater Ercombertus, Cantiorum Rex, Honorio commendaverat: Antistes vero abeuntes litteris prosequutus est. Lugdunum delatos ad se invitavit Dalfinus Episcopus, quos cum aliquandiu benevole habuisset, dimisso Benedicto VVilfridum (quamvis pugnantem) retinuit. Benedictus etsi socium à se avelli moleste ferret, se tamen in viam conjecit, reliquum viæ spatium solus emensus. Quot sacris liminibus oscula impresserit, non facile numeraveró. Defixus in sancta urbe, Deo ac Divo Benedicto peculiare Sacramentum dixit. Rebus Romæ compositis, cum Lerinenses Monachos laudibus ferri non raro audivisset, ad eam insulam viam flexit, inque religiosissimo cœtu biennium exegit. Roma postmodum repetita, commodum accidit ut Theodorus creatus Cantuariensis Archiepiscopus à Vitaliano Papa mitteretur in Angliam, qui Benedicto viarum gnaro negotium dedit, ut salvum, quantum quidem per ipsum staret, eo perduceret. Is cum nullum officiorum genus prætermisisset, fortique animo incommoda universa exhausisset, adeo Theodorum cepit, ut ipsum deinde Monasterii S. Petri extra Cantuariam siti, Abbatem inauguraverit, quod Florentius narrat. Verumenimvero è semita in publicam viam me revocas, plures litteris prodidisse, dictitans, non Benedictum, sed Adrianum, à Theodoro D. Petri Cœnobio impositum.

Benedictus Biscopius armorum studio juvenis tentus.

Positis armis Romam contendit.

Pietatis officiis defunctus Romæ, Lerinum venit.

Florent. an. 669. & 671.

Duo Cœnobia condit: Girvvicense & Wiorense.

Certe: sed tum primum, cum Benedictus tertium proficisceretur Romam. Quamvis cum alius auctor qui nobiscum faciat, præter Florentium in promptu non sit, nulla causa est cur multum contendamus. Hoc tamen pro certo habemus, Benedictum insigne Monasterium in Northumbria prope VViram fluvium: alterum in pago Girvvi erexisse: illud D. Petro, hoc D. Paulo dedicasse; sed cum parvo intervallo distarent, à vulgo pro uno Monasterio numerata fuisse, nominibus S. Petri & S. Pauli impositis. Beda *sexaginta familiarum* censum ab Egfrido in id collatum refert: quæ opes putandi ratio etsi exoleverit, apparet tamen nonnihil fuisse id quod Rex dedit. Accessere aliorum quoque dona, quibus fultum Cœnobium in amplitudinem non pœnitendam surrexit. Religione quoque præstitit, quod primi Abbates sancti ad omnem virtutis celebritatem grassando, disciplinæ nervos ita intenderint, ut facile remitti non potuerint. Eorum acta in memores tabulas se retulisse, Beda ait, sed quas vel hominum vel temporum injuria superioribus sæculis è manibus excussit. Vtrique Monasterio primus omnium præfuit S. Benedictus, qui cum perpetuis teneretur morbis, onus S. Ceolfridum, tunc Priorem, subire jussit, ut est apud Florentium, post quem VVerthbertus clavum excepit. Sunt qui etiam Venerabilem Bedam huic gubernaculo admoveant, sed qui viri monumenta versant, nullo negotio animadvertunt, ipsum tam domi quam foris Abbatis munus detrectasse; legere, docere, precibus Deum venerari, rebus omnibus antetulisse.

Morbisque implicitus utriusque præfecturā S. Ceolfrido committit.

Porro cum homo sine litteris microcosmus quidem seu parvus mundus sit, sed absque sole, ut tam juventuti quam Reip. consultum iret Sanctus Benedictus Anglicus, cum Sancto Ceolfrido scholas hoc loco aperuit: docendi provinciam ipsi quoque graviter obiverunt, summa enim eruditione præditi erant, qua laude crebro à Beda afficiuntur: item à Trithemio. Si peregrinatio, si gymnasia, si cum viris eruditis congressus, sapientiam promovent, facere non potes quin Sanctum Benedictum Biscopium viros inter excultissimos ponas. Romam enim longo itinere confecto, multisque urbibus aditis, quinquies osculo libavit: tempora idonea legit cum viris prudentissimis colloquia miscendi, quodque non tertium, sed primum est, in sanctissima Lerinensi insula Monachum egit, quam jure fontem divinarum humanarumque litterarum appellaveris. Insuper Theodoro & Adriano familiarissime usus est: unde etiam aliquid lactis sincerioris capaci pectore imbibit. Ob hæc itaque eruditionis & religionis ornamenta non tantum Benedictus omnium ore ferebatur, sed etiam Monasterio celebre nomen partum est.

Aperit Academiam.

Trith. l. 2. vir illust. c. 39. & 20.

Quam Beda discipulus nobilitavit,

Hic loci litteras majorem in modum floruisse, unico argumento consecero, quod nimirum Beda septennis puer inter Monachos nomen suum professus, liberalium artium tyrocinium ibidem posuerit: qui sedulo deinde progressus, plane in culmen omnium scientiarum evasit, nihil prætermittens quod cognitu dignum esset. Vasta volumina quæ lucubravit, immensæ doctrinæ quam à Benedicto & Ceolfrido hausit, luculenta testimonia sunt. Neque aliis ex Academiis incredibilem rerum infinitarum notitiam contraxit, sed in Monasterio S. Petri didicit, docuit, scripsit. Quam frequentes discipuli ipsi tam bonas merces vendenti operam navarint, facile potes æstimare, è quibus ego Alcuinum Monachum, Caroli M. magistrum, maximi, ut par erat, semper feci, cum propter alia, tum quod tetrarum Orbis universitatem Parisiensem ipsi debeat, cujus immensi maris fons & origo Asceterium S. Petri habetur.

Et Alcuinus, Caroli M. magister, Bedæ quondam auditor. Trith. de Script. Eccles.

Illa ætate Abbates curas & cogitationes suas eo conserebant, ut Episcoporum jurisdictionem defugerent, jam tum experientia docti, Monasteria sua sub Pontifice Max. tutiora esse: citius & longius provehi: plures juvenes nomina dare, si constet esse libera, à nemine oppressa: plures etiam ali posse, nemine redditibus imminente, vel manum admoliente: ut omittam, non parum splendoris hujusmodi Cœnobiis à Sedis Apostolicæ auctoritate conciliari. Hæc cum S. Benedictus Anglicus comperta haberet, cum Ceolfrido (ut Beda narrat) Romam contendit: à S. Agathone Papa, quondam Ordinis D. Benedicti Monacho, rem tantam impetravit: redeuntibus Rex ipse Egfridus (ille, inquam, Egfridus qui non tantum exigua liberalitatis particula respersit S. Petri Asceterium, sed locupletavit) etiam atque etiam gratulatus est. Quapropter Venerabilis Beda dum eleganti oratione Magistri sui supremum diem celebrat, nunquam eum Roma vacuum reversum, ait: vel enim Indulgentias, vel Divorum lipsana, vel quæsitissimos libros, ultimo litteras Exemptionis, ut vocant, eum attulisse. Abeunti Pontifex Iohannem, Monasterii S. Martini Abbatem, cæremoniarum ad S. Petrum Romæ magistrum, mus[illegible] eximie peritum, addidit, ut in sacras ædes Anglicanas cantus ac rituum Ecclesiastico-

Beda l. 4. c. 18. S. Benedictus Biscopius Exemptionem ab Agathone Papa impetrat:

rum majestatem introduceret. Vbi ventum domum est, undique ex Monasteriis advolarunt juvenes, ut præter alia etiam cantandi artem addiscerent. Quamvis autem Iohannes hoc in Cœnobio fixisset sedem, excurrere tamen quoquoversum, ac ritum Numinis colendi Romanum explicare solebat, donec propagatis cantandi, divinaque officia persolvendi legibus, nil amplius dispar in templis visum vel auditum fuit. Vt tamen quæ docuisset, etiam firmaret, librum de cantu Ecclesiastico conscripsit. Alium quoque lucubravit Biscopius, quo S. P. N. Benedicti Regulam cum omnium aliorum Patrum religionis legibus contulit, illique cum singulis convenire, ostendit. Cum vigiliis nec non aliis corporis afflictationibus vehementer deditus esset, in gravissimos morbos incidit, quorum insignes cruciatus Beda *martyrium* appellare ausus est: nullum is tamen animi impatientis aut indignantis indicium unquam edidit. Anno integro per dolores exacto, tandem post Christum natum septingentesimo tertio, pridie Id. Ian. tam morbis quam corporis vinculis solutus, ad Cœlites abiit, quem Beda paucos post dies, funebri dicam an festa! oratione in astra tulit.

Regulam S. Patriarchæ nostri cum aliis Regulis insigni libro comparat, quem Hugo Menardr S. Benedicto Abbati Anianæ tribuit.

An. 703. prid. Id. Ian. vitâ exuit.

Porro etsi molem negotiorum jam pridem inclinasset in Ceolfridum, quod ipse his ferendis per morbos non esset, non tamen nihil agebat cum per vires liceret. Nunc eo demortuo, S. Ceolfridus utriusque Monasterii curam suscepit: summa prudentia triginta quinque annis administravit, quo præfecturam istam gerente Venerabilis Beda plerosque libros suos confecit, famaque nominis, Angliam implevit. Multorum quoque librorum S. Ceolfridus auctor fuit, doctorum virorum ævi sui, ut sic dicam, alpha: sed tempus nulli non rei infestum, unicam nobis epistolam reliqui fecit, quam Beda Historiæ suæ *Anglicanæ* inseruit. Summam cape. Naitanus Pictorum Rex, qui Scotiæ partem qua illa in Septentrionem vergit, cum imperio tenebat, se cum suis in celebrando Paschate à scopo aberrare, inaudiverat. Quocirca ad Ceolfridum scripsit, in animo sibi esse ad reliquos Christianos accedere: iisdem cæremoniis incumbere: ab aliis qui à linea per Ecclesiam Romanam ducta discederent, se quamprimum sejungere, ubi quid facto opus, ab ipso didicisset. Insuper pensa longius trahere volens, architectos sibi mitti petivit, qui templa Deo Opt. Max. ad normam Romanam conderent. Ceolfridus pientissimum Regem utriusque petitionis compotem fecit. Nam epistola bene longa rationem celebrandi Paschatis eum edocuit: quid in Ecclesia Romana mos ferret, exposuit: ut Christiani Orbis caput tanquam antesignanum sequeretur, pronum Regem induxit, qui omnem absque mora diligentiam adhibuit, ut Resurrectio Dominica deinceps toto regno ad Regulam Romanam exigeretur. Exemplum imitati sunt vicini Scoti. Architectos etiam misit qui ad amussim Romanam templa erigerent.

S. Ceolfridus successor rem graviter gerit.

Bed. l. 5. c. 22.

Pictorum Regem ratione celebrandi Paschatis edocet.

Sergius I. Pontifex Max. ad Ceolfridum litteras dedit, quibus Venerabilem Bedam Romam mitti imperavit, quod ejus opera in negotiis Ecclesiasticis explicandis uti cuperet. Epistolam exhibet Cardinalis Baronius. An Beda eo profectus sit, non perinde constat: nec Baronius affirmat, neque nos factum arbitramur: ex illa vero conjicias S. Benedictum aliquot annis ante præfecturam Monasterii abivisse, quam animam edidisset. Etenim anno DCCIII. vivere desiit, & Sergius Papa biennio ante Ceolfridum, cui scripserat, Abbatem appellavit, qui aliquoties peregrinatione Romam suscepta, Apostolorum principes salutavit: demum septuagesimum quartum annum natus, cum eodem iter per Galliam intenderet, ac æra à Christo nato septingentesima decima septima volveretur, morte captus est. Arnoldus VVion prope Londinum hoc Monasterium locat, cum multis lapidibus distet. Fides habenda Bedæ est, quippe domestico, qui libro quinto Historiæ Anglicanæ, *Ego Beda*, inquit, *servus Dei, Presbyter Monasterii SS. Petri & Pauli, quod est in VVirmuda & Ingirvvo, in ejusdem Monasterii territorio natus, cum septem annorum essem à meis parentibus Reverendissimo Abbati Benedicto traditus sum ut me educaret.*

Beda à Pontif. vocatur Romam.

Bar. an. 701.

VVion lan. 12. & 1. Mai.

Bedæ. Histor. Anglic. sub finem.

Atqui Londinum, Anglo-Saxonum id temporis sedes, Orientem spectans, Bedam nec hospitio accepit, nec vidit unquam. Monasterium, S. Petro etiam sacrum stetisse Londini, non nescimus; inter utrumque tamen discrimen tantum interfuit, quantum inter Cœnobia S. Benedicti Vallisoletani, & S. Benedicti Hispalensis. Hoc quoque subnectimus, Monasterium, quo de agimus, nunquam alicujus Congregationis Anglicanæ caput fuisse, quod Arnoldus VVion affirmat. Neque hodiernis enim lineis rationes Congregationum olim ductæ fuerunt: neque nexu conjuncta Cœnobia: nisi quod domus minores seu Prioratus suis parerent Monasteriis à quibus aliàs pendebant. Fac tamen fuisse quis sibi persuaserit non potius Monasterium Melrosense, Lindisfarnense, Cantuariense, VVestmonasteriense,

quando-

quandoquidem antiquitate ac splendore antecedebant, Congregationi leges dixisse? Deinde nullum auctorem in medium profert Arnoldus, qui de Congregatione illius ætatis verbum faciat. Igitur monendus eras, ut scopulum hunc vitares, quod Arnoldi pace factum cupio, cujus quidem è laboribus quotidie fructum decerpo, meque amicum profiteor, mihi tamen magis amica veritas. Auctorem nullum censorio supercilio examinamus; nulli fidem temere adimimus: si tamen momenta alio nos trahant, imus, & causam afferimus.

An. Christi 704. An. S. Benedicti 224.

S. Althelmus, Monachus Malmesburiensis: Episcopus Schireburnensis.

Beda l. 5. c. 19. Sur. 25. Mali.

S. Althelmus latinas & græcas litteras didicit.

VT initium à nomine hujus Divi ducamus, quidam Aldheimum vocant: alii Aldelmum: Beda Althelmum, quasi veterem galeam, appellat. Patrem habuit Kentenum, Inæ Occidentalium Saxonum Regis fratrem, è bellicosis VVest-Saxonibus ortum, qui postea totam insulam in suam ditionem redegerunt. Vbi ex ephebis excessit, præclaris magistris traditus est, litteris Græcis & latinis imbuendus. Palmam ambobus magistris suis præripuisse olim visus est. Post hanc ingenii culturam fluxas opes contemnere cœpit: despicere delitias, quibus tam animi quam corpora solvuntur: honores magnos parvi facere, quorum fastigia mortales sæpe cœlo æquare contendunt. Convasavit demum, & in Maildubiensi Monasterio, quod hodie Malmesberiam ac Malmesburiam nominant, Deo ac D. Benedicto Sacramentum dixit. Dure mox vitam instituens, vigilando, orando, legendo; famendo quoque, sitiendoque & tempus, & se consumpsit: quibus virtutibus gratiam singularem à religiosa familia inivit, ut consilium de ipso evehendo susceperit. Brevi Althelmus creatur Sacerdos, deinde Abbas. Tum suis ac alienis opibus duo Monasteria extruxit, sed quæ Dani non multo post diruerunt. Malmesburia non excessit, nisi negotiis subactus. Cum Saxones Occidentales coegissent Synodum ad litem, quæ de Paschate celebrando Anglos inter & Scotos vehementissime fervebat, aliquando componendam, negotium Althelmo à Patribus datum est, eruditionis fama celebri, ut quæstionem ita implicitam libro singulari explicaret. Is avidi ingenii ad pugnam dirimendam, frænos veteres Scotis ad errandum injectos, iisdem detraxit: vana tela è solius consuetudinis pharetra petita, rudiq; manu torta, dexterrime rejecit: ut plurimi, (præsertim Britones) abrogato antiquo more, Ecclesiæ Romanæ nutum acciperent, effecit. Librum alterum in laudem virginitatis elucubravit solutæ orationi carminibus mistis, Sedulium Poëtam imitatus. Auctorem Beda virum doctissimum nominat, dignumque admiratione, ob styli elegantiam: raram eruditionem: & litterarum humanarum divinarumq; cognitionem singularem.

Deo in Malmesburiensi Monast. Sacramentum dicit.

Litem de Paschate celebrando diu agitatâ, dirimit.

Hyeme humero tenus subivit aquam.

Iam vero illud quantum est, te obsecro, quod tempestate frigidissima undas vicini fontis, quem postea S. Althelmi dixere, humerorum tenus subiverit, totasque noctes à fonte sic haustus perstiterit, tum demum emergens, cum Psalterium absolvisset? Quis hodie tam strenue in se vadit, quam in hostem? Fecit Althelmus, nostramque impatientiam in ruborem dedit. Cum in Cœnobio suo D. Virgini strueret templum, trabem unam justo breviorem fusis precibus cæteris æquavit. Aliquando propter mare legebat viam. Vilis ipsius habitus forte adverrit nautas, qui se invicem fodicantes, atque digitos in amicum Dei intendentes, ingentem risum sustulerunt: sed mox pœnas solverunt. Nam mare joculari hoc ludibrio, quo inprobi S. Althelmum appetivere, provocatum, decumanos fluctus ciens, navigio incubuit: mortem omnibus intentavit. Perditi mortales supplicantia brachia sublime tollunt: lachrymis ac undis æque perfusi, Althelmi pacem possunt: fidem ac opem implorant. Hic simul in scapham propere se conjecit, expirarunt venti: citati ab imo aquarum montes subsiderunt: mare totum compositum fuit: nautæ littus incolumes tenuere. Aliquoties animum suspicio subiit, S. Thelmum, cui turba nautica concipere vota consuevit, esse hunc S. Althelmum. At cum illustrissimus Ordo D. Dominici sua inter decora habeat S. Petrum Gonzalez Thelmum, à quo nautas votis damnari F. Ferdinandus de Castillo ait, tenuem suspicionem facile ejicio. Vaga, sed tamen vera, de Sancto Althelmo fama, per mare, per alpes volans, usque Romam ad Sergium pervenit, qui virum litteris evocatum amantissime complexus est, secumque habuit. Aliquando re divina in Lateranensi æde peracta casulam exuit, dimisitque, ratus pone à ministro eam excipi. Sed cum hic abesset, radius solis, per fenestram se se intendens, sacram vestem bene diu officiosissime sustinuit, quæ postmodum in Meldunensi Ecclesia asservata fuit.

Trabem justo breviorem oratione extendit.

Mare composuit.

F. Ferdin. de Castillo l. 2. c. 23. 24. 25.

Pontificem infamia liberavit.

Per idem tempus, inquit auctor vitæ S. Althelmi, *puer quidam ex incestu genitus, Romani Pontificis famam nominibus contaminavit, quod vulgus, ut fieri solet, sparso rumore vano, male persuasus eum Pontificem habere patrem existimaret. Anxius igitur Althelmus multumque dolens, Pontificem haud vulgari amicitia sibi devinctum ejusmodi infamia defœdari, puerum non nisi novem habentem dies exhiberi jubet, ejusque virtute & in nomine IESU CHRISTI imperat, ut edicat, num Sergius Pontifex eo se scelere obstrinxisset? Respondit infans absolutissimo sermone, Pontificem nequaquam illi crimini affinem esse: nihil illum cum fœmineo sexu commercii habere. Atque ita Althelmus à Pontifice depulit infamiam.*

Baron. 699. Qua tamen cum labo rasse alii negant.

Negat Baronius Sergium Papam hoc ultimæ levitatis flagitio unquam à quoquam fuisse notatum: nam id à nullo omnium auctore, qui acta Sergii in publicas tabulas retulerit, tradi. Alius omnibus mutis solum id narrare vitæ S. Althelmi scriptorem. Etsi hoc argumento rem non conficiat illustrissimus Cardinalis, pondus tamen isto loco habere debet, quandoquidem historici qui res à Principibus, Regibus, Pontificibus gestas in litteras mittunt dicta factaque memoria digna, casus inauditos, enormes, fama vulgatos, prætetire haud solent. Accedit, eum qui hanc fabulam narravit, remote, alioque sub sole vixisse; cui proinde facile potuit obscurus ac mendax rumor imponere.

Postquam Althelmus Abbatis numeros egregie implevit, VVest Saxonicæ plagæ Episcopatu in duas Diœceses distributo, VVintoniensi quidam Daniel, ipse Schireburniensi Præfectus est cum annus à Servatore nato septingentesimus quartus verteretur. Exacto sub hac mole quadriennio, mitram ac vitam VIII. Kal. Iunii deposuit.

Demũ mortuus, & Malmesburii sepultus est.

Funus in Monasterium Malmesburiense, quod vigesimo lapide à loco ubi concesserat, distabat, summis obsequiis ductum est non absque miraculis. Abbatis munus functus est annis quatuor supra triginta. Anno DCCCCIX. è terra erutum in eleganti urna collocarunt. S. Plechelmus (non ille S. VVironis Comes, & Coëpiscopus, sed Candidæ Casæ Antistites) qui tanquam fidus Achates, quà licuit, S. Althelmi latus stipavit, ejus in Monasterio Monachum professus: doctrina quoque & miraculis celebris. In Monasterio Melmesburiensi publico de suggestu juventutem instituit Iohannes Scotus, quòd Hector Boëtius memorat.

Trith. l. 3. vir ill. c. 142. & l. 4. c. 416. Idib. Iul.

Hector Boëth. l. 10. hist. Scot.

AN. CHRISTI 705. AN. S. BENEDICTI 225.

Ethelredus, Kenredus, Offa, Reges purpuram cucullo mutant.

Kenredus Bedæ appellatur Coenredus l. 5. c. 20. Penda Rex, Christiani nominis infensissimus hostis.

QVantus ardor Deo Opt. Max. hac ætate tenuerit Angliam, vel hinc conjecturam ducito, quod non tantum imi, mediocres, summi, amictu D. Benedicti sese involuerint sigillatim, sed integræ quasi familiæ, alter ab altero provocati, in sacram Regulam jurarint, etiam Regibus Reges invitantibus exemplo. Quis vero non obstupescat Pendam Merciorum Regem, infestissimum Christianorum hostem, quinque Regum interfectorem, à Religione nostra alienissimum fuisse, omnes tamen ejus liberos versis velis Ecclesiæ Romanæ portum petivisse: plerosque solennibus verbis se Deo & D. Benedicto devovisse? VVulferus profecto abdicatis idolis maxima contentione id effecit, ut plerique subditi salutaribus undis capita subjecerint. Templa & Monasteria quamplurima ædificavit: regno leges saluberrimas tulit: sceptrum septemdecim annos non absque publico bono tenuit. Ipsius voluntate Hermelinda uxor, Vereburga filia, in Eliensi Parthenone sumpsere velum, quarum triumphum de mundo actum alibi descripsimus. Filius, cui Kenredo nomen erat, infantiam adhuc ducebat cum genitor mortem oppetiisset: quapropter regni proceres eo posthabito, diadema Ethelredo imposuere, ipsius patruo, Regis Pendæ filio, singulari pietate, comitate, summaque æquitate prædito. Triginta annis imperium tenuit, quibus à Rege Cantiæ, tum etiam à Rege Northumbriæ funestis bellis appetitus fuit. Ostritam, Melfredi Regis Northumbriæ sororem, sibi connubio junxit, ex qua Ceolredum (Beda Coenredum vocat) sustulit. Anno septingentesimo quarto se regno abdicavit: præsenti autem Deo sacramentum inter Monachos dixit. Regnum etsi in suum filium transferre potuerit, nihilominus Kenredo nepoti, vero hæredi, id reddere maluit. Refert historia Anglicana Abbatem factum, quod bene profecto feliciterque evenit. Kenredus rerum potitus S. VVilfridum, longis exiliis actum, ut gratum Ethelredo faceret, Episcopatui restituit. Postquam Ethelredus Abbatis munere summa integritate functus est, è vivis excessit, quem Appendix historiæ Florentii Monachi sanctũ appellat. Num Kenredus uxorem duxerit, aut liberos susceperit, haud constat, illud tamen pro certo

Liberi dissimiles patri: nepotes ac neptes avo.

Ethelredus Rex salutatus.

Deposito regno cucullum induit, Kenredo nepote ex fratre regẽte jussu.

habetur,

habetur, eum regno in Ceolredum patruelem translato, iter Romam intendisse: ibidem Monachum induisse.

Offa juvenis, regno abdicato factus monachus auctore ac socio Kenredo. *Beda l. 5. c. 20.*

Duplex præmium meretur, qui alteri ad bonum est auctor. Id fecit Kenredus: nam Offam Saxonum Orientalium Regem, ætate florentem, induxit, ut diademate, sceptro, regno, patria, valere jussis, pariter secum Romam peteret: in verba S. Benedicti juraret. Beda juvenem fuisse ait prudentem, formosum, in virtutes pronum, suis charum. Itaque relicta patria, conjuge, purpura, in viam se cum Kenredo dedit: vitam in Ordine D. Benedicti uterque sanctissime traduxit.

Tres Reges duæ Reginæ, ac tres Regiæ filiæ imitatæ, S. Benedicto nomina dederunt.

S. Kinesvvitam, Ethelredi sororem, Offæ Regi nuptum dederant parentes: illa cum potius ad vitam mariti expertem adspiraret, etiam atque etiam Regi instititit, ut alia consilia capesseret: cum Kenredo Romam concederet: Deo se dedicaret. Integerrima virgo voti compos facta, in Angliæ quoddam Monasterium, ab Ethelredo fundatum, secessit, sumptoque velo, arctissimo se amoris vinculo junxit Virginum sponso Christo. Sub hunc annum Alfredus Rex Northumbriæ oppetiit. Quocirca S. Chineburga, Kinesvvitæ soror, conjugio soluta, Parthenona ædificavit, quem alii Caster, alii Sabrinam, à proximo fluvio nomine petito, appellant. In hunc locum quamplurimas Moniales contraxit, atque ante alias S. Kinesdridam, S Eadburgam, S. VVedam, suas sorores. Captam hic semel sedem non modo deinceps non deseruerunt, sed solicitis gradibus per angustam viam in cœlum pariter contenderunt. Eadburga & VVeda aliquando rebus magno cum emolumento præfuerunt. Kinesvvidam & Kinesdridam in villa, cui Durgo S. Petri nomen, sepultas, VVestmonasteriensis testatur, additque summum illis honorem ac venerationem haberi. Admiratione prorsus dignum est, Pendam crudelitate ac dæmonum cultu infamem Regem, tam innocentes, tam sanctos liberos suscepisse. Et quidem Sanctum Marcellinum & Sanctum Merobaldum, quos auctor Appendicis in Florentium soboli Pendæ adnumerat, prærerivimus, quod Monastican non professi sint.

VVest. an. 705.

Porro Kenredo ac Offæ Romam petentibus S. Egvvinus VVigorniæ Episcopus se tertium addidit. Fuerat is Monachus, VVigorniensis Monasterii conditor, hacque occasione usus, iisdem libertatem, quam Exemptionem dicunt, à Summo Pontifice impetravit. Alterum VVigorniæ Cœnobium, isthoc longe illustrius & celebratius, (quippe Sedes erat Episcopalis, ubi Monachi Canonicorum officio ac honore fungebantur) alibi describemus. S. Egvvinus etsi doctus videri sibi noluerit, ut tamen doctus videretur aliis, editis libris effecit, unde flores non vulgares se carpere, affirmarunt litterati. Anno septingentesimo decimo sexto per magnis cœlitibus diem supremum obiit.

VVestm. an. 712. Florent. an. 708. Martyrolog. M. 11. Ian. S. Egvvinus de Monacho Wigorniensis Episc. à libris notus.

ANNUS CHRISTI 706. AN. S. BENEDICTI 226.

S. Guthlacus Cœnobita, postea Eremita.

SUb hoc tempus floruit Guthlacus, à Regibus genus ducens. Pater ei fuit Penualdus; mater Tecta, à qua dum in lucem edebatur, rubicunda manus cœlo delabi, ac foribus crucem inscribere visa est. Puero igitur Guthlac nomen posuerunt parentes, quasi Anglice *bonum donum* dicerent. Ubi annum vicesimum quartum attigit, animum ad militiam adjecit, ut vim propulsaret, quam familiæ suæ afferri cernebat. Etenim ub Regulorum multitudinem perpetuis bellis jactabatur Anglia. Contractis proinde copiis hostes magno numero occidit: urbes ac arces cepit: agros ussit: terrorem omnibus vicinis injecit, fama nominis longe lateque propagata. Haud tamen ita exuit humanitatem, quin victis tertiam spoliorum partem redderet. Dum sic ardebat armorum studio, subiit animum incertam belli aleam esse: fumos se humano sanguine emere: præstare seipsum vincere: trophæum de se statuere. Ergo sago posito, milites sacramento solvit: alium ducem sequendi potestatem fecit: ipse Rependoniam contendit, pro sago cucullum induit. Vires, etsi validas, tamen jejunio fregit: vino supremum vale dixit, sitim deinceps in aqua deponens. Auro ac serico spoliatum non informe corpus, vilissimo amictu obtegere: ad omnium vestigia se demittere: insomnes horas trahere atque assiduo psallere, mel & ambrosiam arbitrabatur. Biennii quoque spatio miros progressus in sacris litteris fecit. Sub hæc desiderium animo incessit, secedendi in solitudinem. Quocirca pace majorum, quibus obtemperabat, in Monasterio convasavit: excessit: ubi sedem figeret, circumspexit. Est vero in Britannia vastissima palus, longe lateque petens, ab Austro in Aquilonem longissimo tractu exporrecta, in qua insula cui Croulandæ nomen, extat, pridem quidem habitari cœpta, sed unde lemures infernales, defor-

Rubicunda manus rutilaque, crucem inscripsit ædibus dum in lucem edebatur Guthlacus.

VVestmon. an 714. & sequent. Florentius Mon, an. 757. Guiliel. Ramesiy, Anglus Benedictinus. Felix Crolandensis, Benedictinus, Sur. 12. April.

Post fugam è sæculo actam, vires in se convertit, quas in hostes exercuerat.

Ex Monasterio secessit in solitudinem.

mesque dæmonum larvæ incolas ejecerant. Guthlacus lætus tam præsenti ac secundo Numine, ei pro oblata fidissima statione gratias egit, duobus tantum juvenibus comitantibus in insulam trajecit, qua potitus, vile tugurium ex obvia materia construxit, sub quo cruda pelle amictus officia divina sancte persolvit, neque opere fessus acsolutus quicquam, præter paoxillum hordeacei panis & turbidæ aquæ post solis occasum sumpsit. Quandoque famem ac sitim fefellit contemplando. Gravius pro materia doluit orcus: itaque rostro, & cornibus, & unguibus in solitudine nondum veteranum sed tyronem etiamnum Guthlacum appetendum arbitratus, insignem ei non assueto melancholiam & tristitiam suggessit. Nugas imprimis egit panurgus, Eremita has artes volitantiaque tela objecto fidei clypeo dexterrime excipiente rejicienteque. Paulatim audacia, (hem!) remisit, animusque cecidit: vir fugam spectavit. Mutire jam inter se dæmones, & obscure pœana canere, cum S. Bartholomæus Apostolus, cujus festo die Guthlacus sedem in fortunata insula hac cepit, fluctuanti adsuit, *Age fili*, dicitans, *confortare & esto robustus. Confortetur cor tuum, & sustine Dñm. Impulsus, eversus es ut caderet, sed ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & adjutor es: etenim Dominus supponit manum suam.* Inter hæc verba Divus è conspectu se abstulit: hastam & clypeum Guthlacus repetivit (nam abjecerat:) cacodæmones, qui victoriam furori & odio spe præcipiti æquaverant, demissis auribus pedem retulerunt. Animo sic recuperato, Eremita, atrocem pugnam quam prima in arena depugnaverat, memoria identidem voluit & revoluit: remque majore spiritu deinceps gerere secum constituens, nonnunquam quatriduo & cibo & potu abstinuit.

Diabolus res Guthlaci turbavit.

Solent tyrones his quoque insidiis subinde circumveniri, ut gravius corpus mulctent jejunia vigiliasque nimium producendo, unde fessa anima ad contemplationem attollere se nequit: hoc namque pabulo subtracto plane fatiscit, languet, marcescit. Quicquid autem amari rebus in humanis est, condit contemplatio ac mitigat. Quocirca vafri dæmones animadverso Guthlacum deditum esse longæ inediæ, ut præcipitem agerent quo jam pronus penderet, duo è nigra cohorte sumpto angelorum vultu, quasi casu obviam facti, ave bone vir, inquiunt, satin' salvus? quid cogitas? quid moliris? Benigne excepti ab ignaro consilii, pergunt verba ex verbis serere: multa sciscitari: per ambages ad rerum caput adrepere. Injecta tum de bidui jejunio meotione, nihil id esse, subjecerunt larvati hospites. Sed age, si quid agis, ajunt: Moisen, Eliam, imitare; qui quadraginta diebus continuis jejunio operam dederunt. Fac antiquos Eremi Patres assequaris, qui vix unquam ab inedia respirarunt. Hisce te adjunge, si vis esse aliquis. Tandem novit alienam ora, quæ hi consiliarii mutuo acceperant, Guthlacus: sensit fallaciam, quam sibi intenderent: ne igitur armis quæ in promptu habebat, supersedere videretur, subito psallere cœpit: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum à facie ejus.* Ille hinc mora solverunt obsidionem, nullaque re memorabili gesta se retulerunt in orcum.

Stomachû nimiis jejuniis lacerate, obest contemplationi.

Psal. 67.

Gravi furore Lucifer concitatus, spe sua se frustratum, polita vulpina leonem pellem induere, summisque viribus cum Guthlaco experiri statuit. Aliquando intempesta eum nocte invadentes dæmones injectis vinculis per cœnum, per paludes, per aspera viarum, per aëra quoque incertum sui horrisono ululatu raptarunt: post quam scenam stipitibus duris actum: deinde ut insula quamprimum excederet ab egregiis imperatoribus jussus est: neque enim passuros vociferabantur, ut à quoquam mortalium illa coleretur. Ubi diu aërem verberarunt, infestis unguibus integer orci globus anhelantem corripuit: patefactis tartari ignivomis faucibus incredibile incendium, merfos sulphurea voragine miseros reos, æterna supplicia pendentes, attonito monstrarunt. Flectere deinde oculos in proximum stagnum jussere ubi miserabili fletu alii stridoreque dentium, aures obtundebant. Ancipiti acie locum utrumque spectavit Guthlacus, postmodum fassus, vel solum inferni fœtorem plus sibi cruciatus attulisse, quam omnia tormenta quæ antecessissent. Immo illa nihil prorsus fuisse ad pravissimam mephitim, quam tartarus exhalasset. Præterea, huc ipsum spargendum, minitati sunt, nisi confestim, extemplo, sine mora insula facesseret. Perterritus ille, *Domine Deus meus, in te speravi*, exclamavit: *salvum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.* Mox à tergo adsuit Sanctus Bartholomæus, ad cujus conspectum sibi fuga consuluerunt turpissimi alastores.

Dæmones reducto sipario inferni, scenam attonito Guthlaco aperiunt.

Psal. 7.

Dum circa matutinas laudes solicitus, vice quadam excubaret, inquit auctor vitæ ipsius, *vidit à sinistris duos dæmones, ipsi cæteris notiores; qui cum miserabiliter flerent, & ille causam fletus inquireret, responderant, quia prævales in omnibus contra nos, eoque attrectare aut contingere non audemus.*

Eundem vana gloria nequicquam inflant lepidissimi inferiorum cuculi.

audiemus. Facto autem crucis signo, ab oculis eius evanuerunt. Fuit etiam cum fæx ista Acheruntis ingenti tumultu rueret in insulam, ac voces militares iaceret lingua Britannica, cujus gnarus erat Guthlacus. Perculsus clamore incondito, armorumque strepitu, ocyus è cella se proripuit foras, exploraturus quisnam se oppugnatum veniret. Personati milites, vel si mavis, cacodæmones, intentis hastis exploratorem in primo limine excipiunt, sublime tollunt: Cellæ ignem subjiciunt, domilium dominumque se pariter perdituros, ingeminantes, nisi tandem stationem deserere vellet. Vetus suum carmen repetivit pendulus ex hastis S. Guthlacus: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus.* Cum adderet: *Sicut deficit fumus deficiant: sicut fluit ceræ à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei*, tota phalanx in fumos abijt.

Iterum in fugam versantur alastores.

Psal. 67.

Non hospes ab hospite tutus.

Iterum repulsam passus quid fecit orcus? Iterum comitia habuit. Convenit inter egregios Patres Conscriptos, ut cum insula non posset exui Guthlacus, vita exueretur. Erat Bertelinus, viri sancti discipulus, in quo spes non dubia triumphi sita.

Is ergo sive iniuriam se aliquando accepisse putarit: sive ut Guthlaci reculas sibi vindicaret, insidias meditari ac necem innocenti parare cœpit. Interea Guthlacus cœlo didicit, Bertelinum hostium numero esse: ferrum in vulnus jam expeditum, ac horam destinatam. Ergo nil cunctatus, infidelissimum socium, quem credebat esse firmissimum, accersivit: quod scelus animo agitabat, in os objecit: quo tempore parricidium perpetrare decrevisset, stupore defixo exposuit. Ille ubi rem omnem tenere Guthlacum animadvertit, humi fusus majorem in modum veniam petivit; qua facile obtenta, summo amore magistrum suum est prosequutus, dignus quem olim sepeliret. Vanum igitur hoc quoque diabolorum consilium fuit, cum spe freti metum se Guthlaco injecturos, leonum, taurorum, ursorum, aprorum, luporum, asinorum, serpentium formas subeuntes, incondita musica rugiebant, mugiebant, murmurabant, grunniebant, ululabant, rudebant, sibilabant. At at inanes technas non hujus fecit Eremita.

Alienas dæmonum formas S. Guthlacus ludibrio habuit.

Incredibile vero dictu est, quoties vis ipsis à servo Dei fit facta, præsertim quando humana corpora in suam ditionē redegerant. Inter multus exempla literis prodita versantur. Duo tantum afferimus: reliliqua mittimus. Quidam juvenis Anglus in pessimi genii potestatem venerat. Obvios quosque lapidibus infestabatur: fudibus, ferro pulsabat; nonnunquam dentibus & unguibus in se ipsum grassabatur. Insuper tres neci dedit, qui catenas ei admoliebantur. Parentes injectis vinculis miserum ad SS. lipsana circumduxerunt, sed labore casso. Venit in mentem S. Guthlaci virtutē experiri. Ergo se dant in viam: juvenem ei sistunt, manus ad genua tendentes, ac opem poscentes. Ille tridui tempus orando ac jejunando consumens, ultimo aquam lustralem obsesso aspersit: diabolum Sede non sua exegit.

Stygis tyrannos possessione exuit.

Ethelbaldus à Merciis genus ducens, à Conredo Rege in exilium actus, sæpe ad Guthlacum divertit, promptum ad auxilium miseris ferendum. Erigebat hic animum afflicto, bonaque spe implebat. Aliquando energumenum secum traxit, quem cum Sancti viri Zona præcingere pararet, diabolus quasi in laqueum induendus foret, in citam fugam se conjecit. Ejusdem Ethelbaldi comes pedem spina fixerat. Subeunte pure, intumuit tibia: paulatim femur quoque correptum fuit, eoque res rediit, ut vitæ hominis timeretur. Simul S. Guthlacus cilicium, in quo preces fundere consueverat, pedi circumposuit, spina è vestigio evibrata est: tumor subsedit. Ethelbaldum, etsi tunc patria extorrem, incertique laris, regnaturum, multo ante prædixit, nec vanum vaticinium fuit.

Ethelbaldū regnaturum vaticinatus est.

Postquam annos quindecim in hac insula cum Styge bellum gessit, septingentesimo decimo quarto ad III Id. Aprilis triumphus illi à cœlo decretus est, angelo diem supremum ipsi suggerente: F. Bertelinus, qui pridem in gratiam redierat, scelusq; cogitatum expiaverat, à media nocte usque ad auroram totum tugurium circumfusâ luci innatare: edita autem à Guthlaco animâ, in fastigium illam cœlo tenus acuminari conspexit. B. Pegam virginem sororem suam, etsi vehementissime amaret, in insulam tamen haud admisit, quam cum sibi per mortem fratris patere intellexisset, festinato venit: exanime corpus ætherea balsama spirare læta, inde conjectans quid fratre suo fieret, ejus funus sanctissime cum aliis curavit. Uno anno circumacto, cum alibi tumulandus videretur, aperto sepulchro adeo integri fuere artus, ut Guthlacus dormienti quam mortuo plane similior esset. A situ vestes quoq; intactæ erant, nec minus quam antea candebant. Itaque in priorem urnam reposuerunt.

In cœlos non absque prodigio abiit.

Quo se verteret Ethelbaldus, conjunctissimo amico jam orbatus? Quo navim suam impelleret, hoc gubernatore destitutus? Quadam nocte dum verba lachrymis

miſcebat, ejuſdem conſpectum ſubiit Guthlacus, *Agedum Ethelbalde*, dictitans, *Dominus te reſpexit: confide, & confortare: labores tui finem habebunt, recuperabiſque cum honore regnum tuum.* Intra biennium periit hoſtis; quo ſublato ipſe regno potitus eſt.

S. Guthlaci Monaſteriũ duravit uſq; ad Henric. VIII.

Vt duraret beneficii memoria, Ethelbaldus S. Guthlaci Monaſterio non tantum Croulandiam, Aquilonem verſus longe porrectam inſulam, dono dedit, ſed inſuper latos fundos circumquaque adjecit,

Virgil. Polyd. l. 4.

Virgilius Polydorus etiamnum ſua ætate Regulam S. Benedicti ibi jus dixiſſe, ac floruiſſe, affirmat. Cum autem Polydorus centum abhinc annis in vivis fuerit, facile ſummam conficies, Monaſterium ſartum, tectum, integrum, uſq; ad Henricum VIII. ſtetiſſe, quod S. Guthlaco, & diſciplina non laxata, tanquam fundamentis niteretur. Flagrante hodie per Angliam hæreſi, tanti viri memoria extincta eſt.

AN. CHRISTI 707. AN. S. BENEDICTI 227.

Monaſterium S. Michaëlis, in Virdunenſi Epiſcopatu ſitum.

TAndem calamus revocandus eſt in Galliam & Germaniam. Hoc anno VVolfandus Comes Virduneoſis, qua patebat Auſtraſia Regum Franciæ Prælectus palatii, Monaſterium honori S. Michaëlis Archangeli ſtatuit loco in Ducatu Barrienſi capto. Prolixam ejus mentionem facit Franciſcus Roſiers, potentiſſimum fuiſſe, aſſerens, quippe Ducum Barrienſium conditorium. Cæterum VVolfandus, in Gallia Belgica magnum nomen, ex Adalſinda filium (Grivvaldo ſeu Garibaldo nomen erat) ſuſtulit, quem adhuc ephebulum averſari mundum: aſpernari vana gaudia: inclinare in Monaſteria advertit. Quantus evaſerit vel hinc æſtima, quod olim Tullenſem Epiſcopatum ſanctiſſime geſſerit. Igitur Pater dives opum nobile Cœnobium ædificavit, quod D. Michaëli volvit dedicari, quem tunc temporis ſingulari cultu proſequi cœpit Gallia. Atque utinam avidi nepotes Barrienſes Duces, quod pro Advocatis ſeu Protectoribus ſe ferrent, non ad incitas id redegiſſent! Immo dum armis res geritur, egregii hi Advocati ſeu Protectores emungunt Monaſteria, totaque prædia avellunt, prætexentes militibus inde ſtipendia ſolvenda. Vbi vero debellatum eſt, mordicus ea retinent, cauſam aliam ex alia fingentes, quaſi falli poſſit Numen; neque intelligunt ſe quoque accipere damnum, dum Sanctiſſimorum Fundatorum bonis tam gravia damna inferunt. Neque facile hodie reperias Cœnobium, quod ſacrilegas manus evaſerit, & neque ab inſidioſis Advocatis, neque ab aliis depeculatoribus aliqua parte acciſum ſit. Plena exemplis Hiſpania eſt. Turpem hanc notam ſibi ad S. Michaelem ante alios injuſſerunt Frideric. & Theodoricus Duces, magna poſſeſſionum parte ablata, ſibique vindicata. Ducatu poſtea ad Sophiam hæreditate delato, Monaſterium nonnihil reſpiravit. Nam vidua multis id beneficiis proſequuta, fortiſſimam arcem erexit, quæ illi ac locis circumjectis ſecuritatem præſtaret. Iuſſus inſuper præfectus arcis ſacramentum Abbati dicere. Clavum id temporis tenuit Sigifridus, laude cætera dignus, niſi quod Abbatiam adiverit ab ipſa Duce collatam. Simile jus Henricus IV. Imp. in omnes Epiſcopatus & Imperii Monaſteria ſibi ſumpſerat, unde ingens controverſia ipſi cum Gregorio VII. Pontifice Max. interceſſit. At facti poſtea cum tam Sigifridum quam Sophiam pœnituiſſet, Romam profecti à Papa ſoluti vinculo ſunt, quod ſibi injecerant. Vbi domum reverterunt, illa S. Michaëlis Aſceterium in plenam libertatem aſſeruit: Monachis ſuffragia ferendi pro novis Abbatibus poteſtatem fecit, nec quiſquam deinde præter Summum Pontificem ibi jura dedit. Si cui forte iſta non ſunt ſatis, plura à Franciſco Roſiers petat.

VValbarg. Antiquit. Gall. Belg. l. 2. Franc. Roſiers l. 6. & 7.

VVolfand. Majordomus, honori S. Michaelis condidit Monaſteriũ.

Id à feris nepotibus attonſum: à Sophia piiſſima Ducem libertatem aſſertum eſt.

AN. CHRISTI 708. AN. S. BENEDICTI 228.

S. Bonitus Epiſcopus Arvernæ.

CÆlebre ſub hoc tempus S. Boniti nomen fuit, cujus hiſtoria fidem meretur, quippe ab ejus æquali condita, beatiſſimis Patribus Adelphio & Eucherio jubentibus. Hoc anno à me producitur, quod ſeptingenteſimo quarto Romæ fuiſſe: à reditu vero in Galliam, quadriennium vixiſſe feratur, quicquid aliunde judicet VVion, uſque in annum ſeptingenteſimum viceſimum ſextum eum differens. Sanguinem traxit è nobiliſſima Arvernorum ſtirpe, patre Theodato, matre Syagria natus, ad ſenatores Romanos genus ſuum referentibus. Felices ſobole parentes profecto! præter hunc enim S. Avitum quoque ſuſceperunt, qui ante S. Bonitum Arvernenſem Pontificatum geſſit. Antequam in lucem aderetur Fregio Presbyter denunciavit matri, fore

Sur. 15. Ian. Petrus Aquam. l. 2. c. 23. Catal. Sanct.

VVion. l. 2. 15. Ian.

S. Bonitus ex Arvernorum gente oriundus.

aliquando

aliquando Episcopum. Illa, accipio oraculum subjecit: eia, quod tu prædicis, Deus faxit. Maturus jam scholis summo studio in litteras incubuit suisque condiscipulis palmam præripuit. Imbutus satis liberalibus artibus, Iuri Civili operam dedit, qua in palæstra aliquandiu moratus, aulæ sese insinuavit, ubi gradatim se se extulit, donec ad annulum Regis signatorium usq; evasit. Præfecturam quoq; Massiliensem adeptus, Sacerdotem potius ac patrem, quam dominum aut judicem præ se tulit. Erat in eo singularis humanitas, quam oris venustas, tum prompta eloquentia mirifice condiebant. Neque, quod ante id more fiebat, homines veluti bestias vendebat: vel ferro onerabat: vel pœnas exilio pendere cogebat, sed potius numerato lytro in lybertatem captivos asserebat, miseriisque levabat quos poterat.

De miseris bene meruit.

Avitum ejus fratrem interea morbus corripuit, qui cum sensisset suam telam esse pertextam, ut Episcopatui consultum iret, Bonitum Germanum illis, quorum intererat, commendavit, quod ejus eruditionem ac virtutem singularem perspectam haberet. Summa omnium voluntate legati ad Theodoricum Regem, & Pipinum Caroli Martelli patrem, qui in regno erat τὰ πάντα, mittuntur: Clerici ac populi commune votum uterque approbavit. Relato hoc nuncio, ingenti omnium bonorum gaudio Bonitus in Episcopalem Cathedram raptus est. Auctus hoc honore, non gemmeam mitram, sed montem æthnam se ferre ratus, nihil sibi indulsit, cavens scilicet, ne lucerna candelabro imposita aliquid fumi pro luce funderet. Lectioni, vigiliis, orationi, jejuniis, silentio, jam ardentius quam antea imminens, nec quidem sentire visus est, in quo dignitatis loco res suæ essent. Verno jejunio biduum, triduum, interdum quatriduum à cibo abstinuit, ac si Quadragesima nihil ipsi reliqui, quo vitam toleraret, fecisset. Interea continuis fluebat lachrymis, quasi rationes suas cum Deo explicare non posset. Faciles præbebat aditus: affabilis omnibus: ad populum frequenter verba ipse fecit: alias viris doctis, juxtaque piis hoc negotium dedit. Inopia vel quavis alia calamitate prostratos, qua potuit adjuvit. Cum aliquando per longum temporis spatium nec guttula quidem una cœlo cecidisset, ad eam ariditatem tellus adducta est, ut passim magnis hiatibus fatisceret: spem omnem agricolis adimeret. Ille viritus ne provincia magnum inde damnum caperet, populo in templum contracto præter publicas preces biduana aut triduana jejunia indixit, ut cujusq; valetudo ferebat: defecti autem viribus ut parum panis & aquæ adhiberent, ubi sol occubuisset, permisit. Suscepta deinde in S.Laurentii ædem frequentissima supplicatione, rem divinam fecit, qua peracta, hem Auster gravidis nubibus incumbens, cœlum omne prætexuit, quæ nocte tota vim tantam imbrium effuderunt, ut ipse, populusque postera luce ægre potuerint vestigia relegere domum.

Arvernensem mitram invitus admisit.

Cœlo pluvias devocavit.

Cum aliquando sacrificans lavisset manus, Audomarus depositæ valetudinis Monachus se se admovit, Adelphium Diaconum (postea Abbatem Magnilocensem) ma jorem in modum rogavit, exceptam scutella aquam ut sibi propinaret. Impetravit: scutellam ebibit: salvus evasit. Ex eodem cœtu religioso alius (Natboleno nomen erat) simili potione ardentissimam febrim extinxit. Cum aliquando se domum ex Magnilocensi Monasterio reciperet, claudus à tergo subsequens, & qua valuit nervos intendens, Expecta Domine, clamavit, expecta. Fixit gradum Antistes, auditurus qui se vellet. Et ille, obsecro te, inquit, affecto huic pedi meo manum impone. Subrisit Bonitus, minime sibi tribuens, quod impedita vestigia expedire posset. Annuens tamen petitioni, crucem inscripsit: claudus rectissime abivit. Fæmina quædam ad mare Britannicum colens, utroque lumine cassa, manibus insuper & pedibus capta, cum à peregrinis accepisset, qualis & quantus vir S.Bonitus esset, erecto animo Deum precata est, hoc servo suo Bonito daret, seque tristi cæcitate liberaret, manusq; cum pedibus usui redderet. Voti compos facta est. Obvios duos dæmoniacos, solo contactu salute donavit, atris hospitibus expulsis, & frendentibus quod actum de se esset.

Valetudine laborantibus salutem tulit.

Dæmones in suas latebras rejecit.

Aliquando piscatores Cœnobii Magnilensis vacui domum redierant, vultibus demissis murmurantes quod piscati essent in aëre. Adelphius, penes quē tum præfectura erat, repetere undas, & Boniti nomen ciendo retia explicare jussit. Morem gessere: effusique iterum Sagena piscem magnitudine insignem ceperunt. Mulier cæca obtestata famulos est, ut ejus sibi laticis copiam facerent, quo Sancti manus lotæ fuissent: sed Bonitus aquam spargi per solum jussit. Furtim nihilominus guttulas sublegerunt famuli, quas fæminæ clam suggesserunt cum imperio, ut noctem in Basilica S. Petri (namque Romam vix reliquerat abiens Antistes) insomnem duceret: qua exacta oculos ablueret. Illa ivit: vigilavit: oculos abluit: abstersit cæcitatem: vidit.

Ingens piscis in rete, Boniti nomine jactū, se induit.

Postquam Arvernensem Episcopatum aliquao-

aliquandiu gessit, ingens animo scrupulus incessit. Vetant sacri Canones, ne moriturus Episcopus sibi ipse successorem statuat aut sufficiat.

Episcopatu abiens, petivit Monasterium.

Quod igitur mitram ab Avito fratre excepisset, religio fuit. Quapropter re cum Magnilocensi Antistite alioque Abbate communicata, abire Pontificatu, & Monachum profiteri statuit. Scrupulo accessit vetus vitæ Monasticæ desiderium.

Id tamen prius egit quam Episcopatu se abdicaret, ut Nodobertus, vir litteratus bonosque, Sedi imponeretur: qua cura in oves suas defunctus, se se in Magnilocense Monasterium removit, ubi veræ Philosophiæ vacare rectissime licebat. Nam ab hominum frequentia procul id aberat, collibus nemoribusq; septū ac munitum. Decus haud exiguum addebant viridaria prata, cultus hortus, liquidus in proximo amnis, ut non immerito magni loci nomen ferret. Monasterium hoc, tam situ quā ædificiorū elegantia insigne, Genesius Episc, suo in fundo statuit, clavo cuidam Evodio, spectatæ virtutis viro, commisso. Irrepserat enim id temporis Novatiana hæresis in Arverniam: quidam etiam Ioviniano plaudebant: quocirca arx ista excitanda erat, unde arma contra falsa dogmata expedirentur. Hoc autē Cœnobiū cæteris antepofuit S. Bonitus, quod toto pectore adspiraret ad perfectionem, ad quam se in tanta disciplinæ integritate perventurum hîc sperabat. Obedientia, animi demissione, patientia, omnibus admiratione fuit.

Posthæc Romam iter suscepit; cum autem non nesciret, Lugdunensem inter Pontificem & Burguodionum Principem acres lites intercedere, utrumq; adivit; controversiam singulari prudentia diremit. Dum Lugduni hæsit in Monasterio quod Insulam Barbaræ vocabant, Ararim fluvium aliquando sine commeatu navigavit. De cœna soliciti comites inter se capita conferebant, frigere enim vero culinam, mussantes. Mox Sanctus de diffidentia in Deum ipsos notans, *si fidem*, dixit, *haberetis, non difficile esset præpotenti Deo citra moram ullam vobis præbere res ad victum necessarias*. Necdum ultimum verbum fecerat, & ecce! decumanus piscis ex undis sese excutiens, in navim incidit, quo intercepto stomachari desiverunt. Iter denuo per alpes intendens, in Augunense Asceterium, D. Mauritio sacrum, ad montem S. Bernhardi situm, delatus, prolixe de eo meruit. Progressus deinde in Italiam, ad Aripertum Longobardorū Regem divertit, à quo humanissime acceptus est. Initio amicissimo colloquio affertur ad Aripertum, obsideri urbem. Ergo dimidiata verba relinquens, Bonito vota ad Numen concipere jusso, arma suos capessere imperat: in hostes invadit: nobilem stragem edit: inimicum Regem, hausto ejus ventre & inguine infesto mucrone, capit. Nobilem victoriam hanc S. Bonito io acceptis tulit.

Vacua culina comites convivio accepit.

Tom. 1. an. 555. c. 3. Longobardorum Regi victoriam precibus peperit.

Ariperto valere jusso, littus petivit, seque mari credidit. In altum longiusculè provecti, capite periclitati sunt. Etenim adversi inter se venti moliebantur mare; decumanos suspendebant fluctus, quorum fastigio pendens trepida carina, incredibili metu omnes implevit. Fuit etiam cum immenso hiatu diductā undā, navis ad profundos manes itura videretur. Vectores arrectis auribus stabant pavidi, è quibus nonnulli onera certatim in vesanum mare præcipitarunt, ne vitæ jacturam facerent. Intercessit vero S. Bonitus, relinquite res, clamitans, in nostrum potius ac pauperum usum vertendas: simul oculos ac palmas in cœlum attollens, sinumque lachrymis perfundens, Numinis pacem poposcit. Illico posuere venti: è fluctibus emersit navis: vectores, qui summam sibi diem venisse putabant, vitam sibi invicem gratulati sunt: Bonitum, suom servatorem, in cœlum tulerunt. Roma hic incolumis potitus, limina Apostolorum aliaque loca sacra insigni pietate obivit: magnam insuper pecuniam in lytron captivorum expendit.

Motus maris fluctus composuit.

Cum repeteret Galliam, quacunque incedebat, plurima ipsum turba prosequebatur, quod miracula quæ in itinere patraverat, jam pervulgata essent: quocirca magnam diligentiam adhibebat, ut in pagis ac urbibus in obscuram aliquam casam de publico se subduceret. Immo ne vanæ gloriæ locum linqueret, oleum ad Divi Petri sepulchrum dono acceptum suis dedit, quibus ægros inungerent, hoc pacto futurum sperans, ut eos à se in principem Apostolorum averteret.

A vana gloria sibi cavit.

Dando perpetuo egenis, usque ad incitas redactus est, ut jam nil ei superesset præter unam tunicam. Quando igitur appellabatur à pauperibus, negavit aurum vel argentum sibi esse, sed impertiebat instantibus sanitatem, supra aurum & argentum munus. Vbi amicam Lugduni portam tenuit, anchoram inter Monachos insulæ Barbaræ fixit, nam boni cum bonis facile congregantur.

Aliquando ingressus templum S. Michaëlis, in angulum se abdidit. Sacris rite so-

Rem divinā coram Superis cœlo delapsis fecit.

lutis, discessit populus, ipse perhæsit in latibulo, precibus Numen sollicitans. Æditui curiosis oculis omnia circumspiciunt: angulos universos excutiunt, nec tamen Bonitum vident. Officio igitur suo defuncti fores obserant. Lætus S. Bonitus se non talpas, sed lyoces fefellisse æditųos, Deũ pronus colere, venerari, rata ut essent sua vota majorem in modum precari. Interea Cœlitũ chorus non sine suavissima melodia infusus in templum est: successit Magna Dei Mater, candidissimis angelis septa. Concentus nostrum Servatorem, ejusque Matrem, laudibus ferebat. Ubi ventum ad sacram aram est, inter se quæsiverunt, ecquis rem divinam obiret? Tum Beata Virgo, Ecce, inquit, illic Bonitus est, meus servus: quid differimus rem sacram? dignus est, à quo ea obeatur. Bonitus hoc audito, tegere vultus: retrocedere: fugam parare, cui lapsis cessit, qui vestigia facti hodie præbet. Divi in arcanum angulum flexere oculos: Bonitum, qui se illius fidei crediderat, conspexerunt: inde evulsum ad aram pertraxerunt: sacrifico cultu multa excusantem induerunt. Trepidus sibique tandem imperans, munus impositum sanctissime exequutus est. Aliquo dono tam bonum Sacerdotem afficere ob sacrum ita pie peractum, B. Virgini visum est: igitur cœlesti stola eum donavit. *Res est nota satis*, ait auctor gestorum ipsius, *& apud Arvernenses celebris, maxime in ipsa Arvernorum urbe, ubi usq; in præsentem diem populis illa vestis ostenditur, cujus quidem materia & textura à nullo mortalium potest dignosci. Est autem candoris eximii, miraq; tum lenitatis, tum levitatis.*

Hujus gratia cœlesti veste à B. Virgine donatus est.

Hæc cum ita, labentibus annis alius in eam cathedram evectus, Boniti tamen dissimilis, idem templum subivit, noctem in eo tracturus, spe plenus, haud indonatum se abiturum: sed cum esset bene potus, mox somno oppressus fuit. Postera luce stolidus se bona spe frustratum, & è sacra æde domum relatum vidit. S. Ildephonsum Casula à Beatissima Virgine, quam adversus hæreticos defendit, donatum, alibi memoravimus. Ea tamen non amplius in conspectum profertur, neque constat è qua materia facta sit.

Dissimilis Successor ibidem bene potus pernoctat, ideoque præmiū somniat stolidus.

Alia ex aliis beneficia Ordini tribuit bonus Deus: hæc autem plane singularia sunt, quibus non injuria magnifice Hispania & Gallia gloriantur.

Dum Lugduni morabatur nervos omnes ad sancte vivendũ intendit: nec se restituit patriæ aut amicis, quod nihil aliud liberet animo versare, quam cœlum. Quadriennio exacto, de suprema hora, qua vitam esset posituras, certior factus fenestram cellulæ, in qua decumbebat, patefieri jussit, tanquam admissurus æternum diem: lachrymis postea obortis eum psalmum recitavit, quem solent fato proximi, atque ad XVIII Kal. Feb. beatam animam placidissime edidit. Cum funus duceretur, paralyticus salutem accepit. In funebrem igitur arcam compositus, Lugdunique conditus est: quo audito Nodobertus Arvernorum Præsul, legatos ad Godioum Lugdunensem Pontificem misit, repetitum sacra ossa: at negavit Antistes se passurum ut quisquam thesaurum sibi commissum auferret. Legati repulsam passi redeunt mœsti: quid respondisset Episcopus, exponunt. Agite, subjecit Nodobertus: este bono animo. Mihi enim per quietem se obtulit S. Bonitus, admonens ne nunc temporis in tumulo se interpellarem. Rediturum Arverniam cum visum fuisset Deo Interea Proculus, spectatæ virtutis sacerdos, ad gubernaculum admotus est, qui templum S. Mauritii ex omni parte vitiosum sedulo instaurans, secum consilium inivit, quo pacto quam maxime illud nobilitaret, S. Bonitus in mentem venit, cui si Mausoleum poneret, patriæ commune asylum fore. Impatiens moræ adornavit legationem, è Sacerdotibus & Monachis contractam. Capita legationis erant Adelphius Magoilocensis: Evaldus Voloicensis: Moderatus Teclatensis Abbates. Insuper spes boni successus à quopiam injecta Proculo est, qui per quietem sibi indicatum ferebat, quo ritu sacra ossa revehenda Arvernium essent. Ergo itur: Fulcoaldus Lugdunensis Antistes aditur: ut in animum induceret, quod olim Godinus facere detrectasset, rogatur. Hic, obsecro vos, respõdit, divini Numinis voluntatẽ prius jejuniis ac precibus experiamur, ne thesaurum istum vobis dare, vel mordicus retinere, cœlo non annuente, mihi æque periculosum sit. Præsulis sententia stant omnes: oratur & jejunatur acriter. Portentis deinde cœlestibus ostensum, abitum parare S. Bonitum, nec manus ei ulterius injiciendas ad retinendum. Rebus in hunc modum compositis, tollitur in humeros S. Bonitus: ubique magno studio excipitur.

S. Bonitus ad XVIII. Kal. Feb. morte placida quievit.

Solenni pompa vectatur Arverniam.

Quam multis ægris in via medicinam fecerit, incredibile dictu est, sed quibus recensendis nos immorari non possumus. Cæterum, ubicunque sacrum pignus deposuere bajuli, crucem illico fixere incolæ: multis etiam locis sacras ædes excitarunt. Cum Divus in templum S. Mauritii densas per turbas inferretur, claudus quidam cui Val-

In itinere multos ægrotos curat.

uino

dino nomen, in ipso aditu angustū in angulum se reducens, affectum pedem recepit. Iuxta SS. Apostolorum Petri, Pauli, & Andreæ (quorum is lipsana quondam Roma attulerat) aram conditus est. Ad ejus sepulchrum multi suos morbos postmodum sepelierunt.

AN. CHRISTI 709. AN. S. BENEDICTI 229.

Monasterium Montis Tumba in Gallia.

MAgnos semper honores D. Michaëli habuere Galli. Hinc Ord. militari, qui cęteros præstat, archangeli illius nomen imposuere. Neq; enim uno is tantum loco vult coli, sed cum toti Ecclesiæ tutelam ferat, tam Græcis quam Latinis non raro se in conspectu dedit. Percelebrata apparitio est, qua Gelasio I. Pontif. gerente, in Gargani montis summo vertice visus est, sibique eo loci cœlestes honores adhiberi jussit: fidem miraculis stabilivit, quorum Sigebertus Gemblacensis prolixe meminit. Hoc autem anno sedem novam in Gallia ponere volvit. Childeberto enim Franciæ Monarcha, ut est apud Sigebertum, S. Michaël Archangelus semel atque iterum Autberto Abrincatensi Episcopo apparens, sacram sibi ædem in loco mari vicino, quem Tumbam vocant, quod editus sit, extrui imperavit qui non secus quam Mons Garganus ab accolis frequentaretur. Sub id tempus quidam furti se alligaverat, Leo nomine: scilicet nescatus alienis bobus, unum avertit, inq; Tumbam sublime subductum in vinculum conjecit. Episcopus ab Archangelo plus simplici vice monitus est, fundamenta uti jaceret ubi bos illigatus esset, tantumq; spatii pro templo caperet, quantum corniger ille suis vestigiis designasset. Paruit Antistes: novam ædem S. Michaëli dedicavit: Galli deinceps non segnius Tumbam, quam Itali Garganum trivere. Mutavit nomen locus, hodieq; *periculum maris*, appellatur. Post hæc tota Gallia huc confluxit ad S. Michelem; neq; solum hoc regnum eo suscepit peregrinationes, sed Anglia quoque hujus novi templi celebravit dedicationem, quam Concilium Oxoniense, quod Tomus IV. Conciliorum exhibet, indixit. Populo se junxere mitrati Episcopi: se admiscuere diademate fulgentes Reges, quod Robertus de Monte multis narrat.

Sigeb. an. 488 & an. 707.

S. Michaëli ædes in Gallia posita, locum vulgo Tumbam dixere.

Robert. de Monte Ap. pend. ad Sigeb.

Nos solum referimus, Monti sacerrimo impositum fuissa Monasterium, beneficiis Richardi Nordmanniæ Ducis, votisq; donisq; peregrinantium mire auctum, ut non modo alendis quam plurimis Monachis, sed etiam egestate laborantibus fuerit. Cœnobium istud à Richardo fundatum, præter alios Robertus Gaguinus auctor est, quem tamen potius instauratoris loco habemus. Tempore namque posterior fuit. Vt ut sit tamen, in ditione Ordinis S. Benedicti fuisse, ac esse, & in Abrincatensi Episcopatu, Ducatus Nordmanniæ, ubi Autbertus Episcopum egit, stare, satis est. Quamobrem vehementer miror, è media via se se abduxisse Baronium, ac affirmasse, hunc sanctum Episcopum, fuisse Autbertum Cameracensem Præsulem. Quamvis autem Sigebertus verbis non ita exertis asseruisset, Autbertum priorem ad templum ædificandum à S. Michaële motum & impulsum, Abricatensem Pontificem fuisse, digito tamen errorem Baronii monstrasset Episcoporum Cameracensium catalogus, quem Antonius Demochares, & Christianus Masseus in lucem protulere. Si enim recte tempus putes, Autbertus Cameracensis anno sexcentesimo septuagesimo vivere desiit, hoc est, quadraginta annos ante, quam hæ res gestæ sint. Quis saltem Masseo fidem abroget, Masseo inquam, civi Cameracensi, cui fores in archivum Ecclesiæ Cameracensis patuerunt.

Templo additum Monasterium.

Robert. Gaguin. in Lothar.

Baron. an. 709.

Anton. Democh. l. 2. de Ep. Camerac. Christ. Mass an. 585.

AN CHRISTI 710. AN. S. BENEDICTI 230.

Duodecim Angli, supra producti, adhuc incumbunt Evangelio per Alemanniam promulgando.

SAnctus VVillibrordus seu Clemens, S. Svitbertus atque socii, quam longe lateque fines Ecclesiæ Dei in Germaniam protulerint, esse hominem qui ignoret, arbitror neminem. Excursiones prolixiores facere, S. VVillibrordo non erat integrum, quod ab Vltrajectensi Episcopatu abesse diu non posset. Atqui Sanctus Svvitbertus nulli loco addictus, plerosque obivit, sacra legatione ad Gallo Belgas, Frisones, Hollandos, Saxones, VVestphalos suscepta, effecitque summa contentione, tum etiam miraculis, ut innumeros idololatras suorum Deastrorum tœdium ceperit, sacraque Christiana frequentarint. Forte Brunsvvici divinæ lagis prima elementa barbaros docuerat; interea ictum apoplexia, sola cruce lateri inscripta sanavit, & ecce attoniti omnes tanto malo tam facile levatum fuisse miserum; in quo curando medici operam bene diu perdidissent, sponte sua

S. Svvitb. Brunsvvic. ad veram fidem traduxit.

nomina

nomina Christo dedere. Sacrificuli de se actum fore metuentes, nisi hujusmodi concionibus intercederent, exitium urbi instare vaticinati sunt, nisi pelleretur Svvitbertus. Præfectus etsi adduci se haud sit passus, ut virum sanctum injuria afficeret, ei tamen auctor fuit, ut excederet, qui Felice Cosone sacerdote neophytis excolendis relicto, ad Boructuarios iter intendit, Germaniam inferiorem colentes, quos Molanus hodie Marchenses appellari putat, quod Tacitus Bructeros VVestphaliæ adjungat. Ortelius Comitatui Bergensi connectit, Monasterium eos habitasse, scribit VVillichius: sed nobis hîc nec seritur, nec metitur.

Molan. Indic. Vide Ortelii V. Bruct. populi & VVillichium.

An. 705. Boructuarios (Bergham puta, & Marcham) adit.

In prædura pectora inciderat, quæ tamen colendo emollita sunt, ut multi venerint in fidem. Indigne id ferentes sacrificuli, crebra conciliabula indixere, occulte inter se Svvitberto coquentes necem; vel saltem, ab urbe exilium.

Stipitibus duris à civibus pulsatur lapidibusq; fulminatur.

Aliquando igitur pro concione dicentem pugnis, retortis baculis lapidibusq; incessere ausi sunt, ut de statione virum pellerent. Certe absq; Christianis vires sociantibus fuissent, magno malo innocentissimum Patrem mulctassent. Erat autem id temporis in Boructuariorum villa Velsenberch, homo quidam copiosus cui Ethelhero nomen, sed malo Genio captus, ut ægre vinculis coerceri potuerit. Liber autem in obvins quosque involabat: si nihil erat quod morderet vel laceraret, proprias vestes scindebat. Primus hic omnium fuit, qui S. Svvitberto baculum in caput incuteret: Aliquãdo sacrificulis ad eum visentibus, subito exclamavit infernum monstrum: *Nisi huc veniat servus Dei vivi Svvitbertus, Christianorum Episcopus, hinc non egrediar.* Hoc carmine sæpius iterato se ocyus abstulerunt dæmonis mystæ unà cũ asseclis. Familiares consultant inter se quid facto opus. Dictis sententiis convenit, opem à Svvitberto poscere, qui haud ægre annuit petitioni, dumq; ad villam tendebat, hem, spumas agere energumenus: vincula quatere: horrendum stridere: ululare, ut omnes rapti sint in admirationem. Beato Episcopo tecta subeunte furere non modo desiit, sed lectulo recumbens ita se composuit, ut placidam quietem capere videretur.

Diabolum, homuncionem quendam insidẽtem in fugam agit.

Svvitbertus cum suis in genua provolutus, præsenti malo verba accommodans, oravit bonum Numen, ut ad majus divinæ gloriæ incrementum hospitio diabolum pelleret. Inde se attollens, energumenum sancta cruce obsignans, *In nomine Domini nostri Iesu Christi*, dixit, *præcipio tibi, immunde spiritus, ut exeas ab hac Dei creatura, ut agnoscat suum verum Creatorem & Salvatorem.*

Multum indignatus ille unguibus armatus corvus, aëre fœde vitiato, excessit, simul minas jaciens, Svvitberto brevi solum vertendum. Ethelherus in libertatem assertus ad Pontificis pedes procumbens, precibus infimis petivit, ut se sacris undis lustraret. Eadem non quamplurimorum aliorum fuit, quibus se duo sacerdotes idolorum addiderunt. Postquam capita Christianæ fidei tres hebdomadas exposuit barbaris, ac præter fœminas & parvulos quadraginta duos sacra unda lustravit, itum in idola est: disjectæ aræ: solutus adorandi mos est: posita vero Deo templa: dispositi per provinciam Presbyteri & Diaconi sunt. Biennium eam gentem cum suis excoluit: confluentes undique, quos miracula evocaverant, Ecclesiæ Dei adjunxit. Duos non ultimæ notæ paganos quartana laborantes: unum hydrope tumescentem, non modo incolumes reddidit, sed insuper Christianos præstitit. Mitto alios quibus saluti fuit.

Nihil jam Evangelium late propagatum morabatur, cum Bruno, Saxonum magnus Satrapa, in vicum cui nomen Ratingen venit, meroque gravis virum primarium duobus cum famulis occidit. Vbi facinus emanavit, amici, affines, cognati, raptis armis, æstuantem vino iraque Satrapam cùm omnibus fere comitibus cõtrucidarunt. Inde bellum utrinque susceptum: gestumque acriter. Cum nec pacis nec induciarum spes esset, dilapsi Christiani Sancti Svvitberti nutu, magistrum destituerunt, qui impense rogavit Deum, sibi significaret, quonam annis ac ærumnis fessus se tandem reciperet. Coloniam proficisci: Pipinum, ejusque conjugem Plectrudem adire jubetur. Igitur Boructuariis bello implicitis prolixe vale dicens, viam cum suis Coloniam corripuit. Cum pervenit, Pipinus quidem Ioppiliæ se se cum Alpaide sua pellice oblectabat: Plectrudis vero lectissima conjunx Coloniæ degebat, in palatio Ducum Agrippinensium & Lotharingorum mœsta se tenens, quod postea in Monasterium Monialium vertit, Beatæ Mariæ Virginis ad Capitolium indita appellatione. Vbi primum percrebuit appulisse Svvitbertum, à fama pridem percelebratum, Regina cum Annone Archiepiscopo tanquam cœlo delapsum accepit: sacra collo-

Fervente apud Boructuarios bello, Coloniã concedit.

quia frequenter inivere, multumque temporis de arcanis cœli verba faciendo fefellerunt. Interea Pipinus Geraldum, nobilem palatinum, per obsequium Coloniam misit ad Plectrudem, quæsitum an satis salva esset (quam dum oculis pelustrat ac ora movet, subito fauces hominis occupavit nescio quis tumor, ut hiare duntaxat posset, ac flare parum, sorbore vero prorsus nequiverit. Manus atque pharmaca admovere medici: oleum & operam prædiderunt. Cum passim conclamaretur, Plectrudis supplex oravit Sanctum Svvitbertum; suffocando Palatino guttur ut expediret: omnem spem in ipso positam esse.

Palatino interclusas subere fauces expedit.

Optimus pater ipsa & Sancto VVilleico sacerdote suo comitantibus, ægrum accessit: manu ad interclusas fauces relata crucem pinxit: respondit expectationi. Rupto enim apostemate, sanies, pus, tabes, per nares sparsaque ora proruperunt. Ejusdem Divi opera etiam diabolus è coqui corpore evocatus est: quibus rebus sermonem toti urbi dedit.

Postquam sæpius cum Plectruda verba serere instituit, ea in medium afferendo quæ ex salute animæ erant, adeo pientissimam fœminam cepit, ut ipsum ad Pipinum, comitante Geraldo Palatino, cum litteris commendaditiis miserit, rogaritque Principem impensius, ut ei vicum, cui VVerdæ nomen, in Rheni littore situm, transcribere velit. Cessurum hoc in magnam Saxoniæ, adhuc idolis deditæ, bonum. Quantus vir esset Sanctus Svvitbertus, jam ante Pipinus fama acceperat, quocirca maxime ipsi optatum fuit, ejus conspectu & congressu frui. Venientem proinde familiarissime accepit: de morte de cœlo, de inferno dicentem, suspenso animo audivit: lætus quoque sibi facultatem dari ad abolendo, dæmonum cultus, non modo VVerdam facile Svvitberto cessit, verum etiam Monasterio ibidem ædificando multum auri argentique adjecit. Plectruda conduxit operas, architectos, nec finem beneficiis imposuit. Summa contentione tollitur moles, unde spe citius in summum fastigium educta, & Beatissimæ Virgini Mariæ dedicata est. Hoc Pipini & Plectrudæ consilium quam verterit cum patriæ, tum vicinis provinciis, difficulter poterit explicari.

Favore Pipini & Plectrud. VVerdæ ponit Monasterii.

***

AN. CHRISTI 711. AN. S. BENEDICTI 231.

CAPUT I.

Extrema vitæ Sancti Svvitberti, supremaq; dies.

CLEMENTISSIMUS Deus, ut servo suo auctoritatem apud ignotos conciliaret, miraculi cujusdam singularis eum compotem fecit. Cum forte in villam vicinam cum presbytero suo VVilleico tenderet, rem ibi divinam facturus, quidam paganus, cætera dives, (olim Hungero, postea Petro nomen fuit) materiam novæ fabricæ advehens, à plaustro lapidibus onusto tristi casu oppressus est. Concurritur: extrahitur: sero medicina paratur: jam enim elisa erat anima. Quassa fractaque membra, præsertim afflictum caput, lachrymas universis moverant: præ aliis vero Sancto Svvitberto hoc doluit. Itaque funus in suam Cellam inferri jussit tum autem nihil eorum prætermisit, quibus Deum flecti posse putabat, ut viro vitam redderet, de suo Monasterio tam bene merito. Postquam preces precibus, lachrymas lachrymis cumulavit, surrexit: cadaveri osculum impressit: confestim exanime corpus spirare denuo ac vivere cœpit, membris ita in integrum restitutis, ut ne vestigia quidem vulnerum deprehendere potuisset. Attoniti spectatores complosis manibus Christianorum Deum tulere laudibus, promptique nomina dederunt.

Marcell. vit. S. Svvitberti c. 14.

S. Svvitbertus membrum fractum reintegrat.

Porro in Monasterio novo, inquit Beatus Marcellinus, *collecto agmine servorum Christi, cœpit Evangelium illos instruere disciplinis, non rigorosis, sed doctus & instituit disciplinam vitæ regularis, quam rudes & neophyti capere possent, & custodire juxta vocem Domini dicentis: Iugum meum suave est, & onus leve. Sed ipse cum Beato VVilleico cæterisque devotis discipulis sub arctiore Sancta Regula jugo sanctissimam & continentissimam vitam ducebat.*

B. Marc. c. 15.

Anno à nato Christo DCC. XIV. ad Pipinum, Majorumdomus Franciæ, evocatus fuit. Etsi enim à cæde Sancti Lamberti se jam decimus sextus circumegisset annus, nihilominus cum ille pars magna impii sceleris fuerit, inflictum conscientiæ vulnus nunquam deinceps potuit curari, sed potius extremis annis magis

magisque

magisque recruduit: tandem tædio fatiscentem in lectum deposuit. Ad mœrorem igitur, vel etiam morbum, abstergendum accersitus Svvitbertus, prius cum VVilleico & Theodorico Coloniam profectus est, ut consilia cum Plectrude communicaret. Rebus inter se compositis illa retento VVilleico Sanctum Svvitbertum & Agilolphum Archiepiscopum Coloniensem cum multis aliis illustribus viris, ad conjugem dimisit, dato negotio ut ei persuaderent, ne animum induceret Carolum Martellum, ex Alpaide pellice susceptum, hæredem scribere, Drogone Duce Campaniæ, & Grimoaldo Majoredomus Childeberti Regis, suis filiis, legitimo thoro natis præteritis.

Magnum certe animum Carolus præferebat: majora gessit: ab eo summi Orbis Monarchæ descenderunt, de quo etiam grandia vaticinatus est S. VVillibrordus. Cæterum Antistites opera sua Plectrudi prolixæ satis promissa, Ioppaliam conteodunt: Pipinum lectulo affixum adeunt, qoi salvos venisse gaudere se, dixit: simul negavit hoc sibi quicquam gratius accidere potuisse. Illi novissimam metam decurrentem solantur: ut dolores æquo animo ferat, adhortantur: benevole audiuntur. Vt primum vero de thalamo non legitimo mentionem injecerunt, facessere jussi sunt.

Pipinus pellicis amore raptus respuit medicinam.

Interea Sanctus VVilleicus Presbyter primus Canonicus novellæ Trajectensis Ecclesiæ, ut est apud Beatum Marcellinum, deinde VVerdensis Monasterii Præpositus, Gothebaldum virum primarium fato eripuit. Iam enim funebria à familia parabautur, cum is in ædes se penetrans, semianimem accessit: fusis deinde cum prece lachrymis, & caput languidum Gothebaldi retractans, sic Deum appellavit: DOMINE IESV CHRISTE, *qui dixisti discipulis tuis*: super ægros manus imponent, & bene habebunt: *ostende hic pietatem tuatem, & cura infirmum hunc potenti tua virtute, ut nomen sanctum tuum benedictum in secula m. gnificetur ab omnibus.* Simul hæc verba nuncupata sunt, Gothebaldus morbo solutus est.

S. VVilleicus quendã animam agentem saluti donat.

Legatione sua defunctus Svvitbertus (etsi non è sententia) pace Plectrudis VVerdam suis cum discipulis repetivit, ubi triennium in omnes virtutes incumbens sanctissime exegit: quandoque etiam in viciniam se educens sessus Senex, reliqua idola prostravit: fidei adhuc rudes instituit & lustravit: apud alios insidentem jam animo religionem firmavit, Tandẽ anno septingentesimo decimo septimo cum in suo Monasterio sacra peregisset, vires ac prope vita eum deficere cœperunt.

Vbi morbum quotidie sibi vehementius instare vidit, suum cœtum religiosum, qui viginti admodum Monachis constabat, accersivit, quos ad charitatem, pacem, S. Regulæ ac disciplinæ studium, mundi contemptum calidissimis dictis impulsos, atque bene iis præcando valere jussos, in templum dimisit, solum VVilleicum secum retinens, quocum secretiora æternæ vitæ rimabatur. Abangelo certior factus de suprema hora, fratres iterum confluere, sibique rem divinam fieri imperavit. Sumpto deinde sacro viatico, & se, & suos cruce muniens, annos natus LXIX Kalend. Mart. ad Superos quietissime abivit. Ora demortui nõ modo nõ infecit pallor, sed ingens splendor occupavit: per cellam is fluxit odor, quem cum solo cœlesti conferre potuisses. Anima corpore soluta S. VVillibrordo, Epternaco Veronam tendenti, se obtulit, oravitque ut funus suum curare vellet. Excita etiam Plectrudis est: advolarunt incolæ, accolæ: solennique pompa corpus à S. VVillibrordo humatum est.

S. Svvitb. de summa hora ab angelo certior factus.

Numinis impulsu dæmonis mancipium quoddam per confertam turbam se agens, feretum extremis manibus contingit, furvum hospitem fugavit. Adolescens cui splendida fulgura lumen abstulerant, ferculi attactu pariter lucem recepit. Alius furore captus, tumbæque admotus, tegminis osculo ad mentem rediit. Non incertis auctoribus hæc jactamos, sed B. Marcellinum ut audias, testem ocularum, oramus.

Dæmoniacus contactu capuli S. Svvitb. expulit stygiũ incolam.

Ego Marcellinus Presbyter, qui hanc historiam conscripsi, dudum discipulus & consocius S. Svvitberti, exequiis ejus una cum Sancto VVillibrordo interfui, & ad instantiam dilectorum VVilleici, Gerardi, & Theodorici, cæterorumque fratrum causa consolationis per quindenam in Monasterio VVerdensi mansimus, pauca de multis, quæ oculis meis vidi, proferam miraculorum testimonia, quæ etiam multorum aliorum oculis sunt conspecta, ut merito possit, immo & debeat, veraciter credi, quod magnus sit coram Deo, atque mirabilis sit ejus gloria in cœlis, quem tot fulgoris radiis elucere facit in terris. Nam post migrationem in loco sepulturæ suæ in firmos curare non desinit. Hæc Marcellinus, simulque exemplum subjicit, ut fidem faciat.

Marcell. 24

Quidã Hathagerus de Coesveldia, Christianæ

Hathagerus ex paralysi & calculo laborans, ad Divi sepulchrum utroque malo liberatur.

stianæ Religionis ignarus, non modo ex paralysi, sed insuper ex calculo laborabat. Forte cognatus ejus prope VVerdam colens, & nostris sacris imbutus, propter lectum assidens, ut suis ipse oculis usurpavir quam gravia supplicia utrique malo penderet miser, nec quicquam spei in medicis superesse cerneret, caput proprius admovens, Hathagere, dixit, heus Hathagere cognate, quin te carpento imponi, ac VVerdam vehi pateris, ibique idolis abdicatis, salutem à Svvitberto Christianorum Episcopo, elapsa proxime die Dominica humi condito, reposcis? Valetudo secunda in manibus est, nisi recusas. Non tenuere risum amici circa lectum dispositi, identidem percunctantes, num animum induceret mortuos viventibus præstare posse sanitatem? Arrisisset æger quoque, si valuisset. Sed cum dolores quotidie intenderentur, spopondit Henrico (id enim cognato nomen erat) omnia se è legibus Christianis facturum, si VVerdæ diris cruciatibus absolveretur. Quod Deus bene vertat! excepit Henricus. Ergo mersus culcitris tollitur in currum æger: petitur VVerda prosequente uxore cum familia: quo cum perventum est, impariens moræ Hathagerus, ut se recta ad Episcopi sepulchrum manibus vectarent, suos rogavit.

Itaque è lecto eximitur: conseruntur officiosæ manus: ab anhelis servis petitur templum: ille dicto prope citius voti fit compos. Tum medius in sacrum & saxum hærens, nomenque Svvitberti identidem ciens, dives pollicitis (sed quibus postea stetit) in somnum lapsus est. Acquiescenti Divus cum Pontificio cultu dextraq; crucem tenens, se objecit, ter ei bona verba dicens. Hathagerus à sopore emersus, tam valuit, quam quisquam omnium. Actis deinde Sancto Svvitberto gratiis quantas quis agere potest, à Sancto VVillibrordo leges Christianas cum familia edoctis, pariter à Sancto VVilleico cœlesti fonte abluti sunt. Hathagero Svvitberti nomen inditum est, ne luculentum beneficium memoria excideret.

Ibidem quàplurimis cæcis oculi instaurantur.

Anno post Christum natum DCC. XVIII. quidam adolescens VVerdensis forte Susati, urbe id temporis celebri, hospitabatur. Aliquando VVestphali ut erant profligatis moribus, variis conviciis Christum proscindendo, salivam movere Svvedero (sic dictus fuit juvenis) provocaruntq;, ut is in laudes Sancti Svvitberti, patriæ suæ tutelaris, palam iverit. Crudissimi bipedum Deastros suos postponi arbitrantes insontem ex ædibus illico excutiunt: pugnis infestis onerant: ad extremum linguam ei præsecant. Inde spumanti ore prandia, per intervallum relicta, repetunt, scilicet hilariter se invicem invitaturi, ob præclare navatam idolis suis operam, & ecce! lumina omnibus adempta sunt: panes in lapides versi: Familia universa tristi vindicta perterrita, ædibus excessit.

Hospes vero, quasi non tantum oculis, sed insuper mente captus esset, temerarias blasphemias longo spiritu in venerabile Numen dixit. Immo nec à suis quidem Diis abstinuit. Inauditum spectaculum erexerat totam civitatem, quæ inops consilii, sub crepusculum è luto Svvederum extractum in cænationem, qua oberrabant cæci, introduxit. Simul ac senserunt juvenem adesse, supplices ante pedes ejus procubuerunt, veniam petentes furialibus ausis; nec multis opus fuit, cum post lumbifragium potius doleret juveni, eos VVerdam ad Sanctum Svvitbertum, nisi porrecto scipione, ambulare non posse, quo tamen anhelabant. Ipso igitur auctore postera luce rheda eo portati sunt, ubi ingeniculantes, voce, compressisq; manibus sibi ignosci flagitarunt. Svvederus immemor injuriæ causam cæcorum apud Divum studiosissime egit.

Et præcisa lingua producitur.

Quamvis enim præsecta lingua facere verba non posset, toto tamen pectore pro miseris concepit vota, quod publice interesse arbitraretur, ut luce donarentur. Tum enim fore, ut infiniti idololatræ stupentes miraculo è stygiis tenebris se ejicerent. Cæsam quoque linguam sibi produci summis precibus, prosecontendit, quibus dum indulget, cœlo delabitur Sanctus Svvitbertus, pyxidem unguento instructam referens, ac inter illinendum hoc salutare carmen recitabat: *DOMINVS IESVS qui tetigit linguam muti dicens, Ephetah, quod est, adaperire: det tibi loquelam tuam, in cujus nomine dico tibi, loquere, & da laudem Deo creatori tuo.* Matth. 7.

Ille lingua jam non minus promptus quam antea, exertis verbis grates DEO & medico suo summas meminit. Hinc nova spes salutis incessit cæcos, qui dum precibus multo acrius instabant, lucis denuo compotes facti sunt. Ne verò miraculum obsolesceret, effusos è vidulo lapideos panes facti monumentum esse voluerunt. Evangelica deinde lege triduum imbuti,

sacris undis expiati sunt. Eodem anno quatuor viri, quibus angina fauces præoccupaverat, suspensis ad Sancti Pontificis urnam anathematibus, malo soluti sunt. Eodem beneficio Geraldum, magnæ nobilitatis virum, à Pipino ad Plectrudam missum, olim vivus affecerat: quam ob causam ex angina laborantes in Germania, vota Sancto Suvitberto nuncupare solent.

CAPUT II.

Monasterium VVerdense, cœlestesq; honores S. Suvitberto decreti.

MOnasterium VVerdense Rheno adjacet, asylum sessæ senectutis Sancti Suvitberti, ac Mausoleum tota Clivia notissimum. Cum tria Cœnobia hoc nomen ferant in Germania, nonnulli auctores in graves se errores induerunt.

Tribus Monasteriis nomen VVerda inditum.

Vnum ad ripam Danubii locatum est, nobilis portio Donavverdæ, urbis Imperialis: sed si conferas, cæteris multo recentius, cui etiam Sancta Crux nomen fecit. Alterum Sanctus Ludgerus, primus Archiepiscopus Monasteriensis, prope Ruram fluvium condidit, & Sancti Salvatori nec non Beati Virgini dedicavit. Idem tantam ei famam & favorem cum suis discipulis conciliavit, ut non modo divitiis fuerit mirifice auctum, sed insuper Monasteriis Imperii insertum. Tertium, quo de agimus, Sanctus Suvitbertus ædificavit, vocaturque à nonnullis VVerda Cæsarea. Ansam erroribus præbuit, quod crederetur esse idem cum Monasterio VVerdensi ad Roram posito, cum tamen ætate, dignitate, ac Fundatoribus differant. Alterum enim ut primulum dicebamus, Sanctus Ludgerus, alterum Sanctus Suvitbertus construxit. Deinde hoc fere centum annis illud antecessit, Sedesque fuit Episcopalis, ubi munus Abbatis Episcopus obibat, primusque clavum Sanctus Suvitbertus tenuit: Sanctus VVillericus autem Prioris seu Præpositi munere fungebatur.

VVerd Germanis peninsula.

Albertus Cranzius, cætera vir doctus, indignum se errorem commisit dum Episcopatum VVerdensem Carolo Magno imperante erectum, eumque à Suvitberto, Monacho & Abbate Anglo, qui in Saxoniam promulgandi Evangelii causa venisset, primo adhuc fuisse, scripsit. Etenim Sanctus Suvitbertus anno septingentesimo decimo septimo humana absolvit. Carolo Martello, Caroli Magni avo, septra tenente: adeoque VVerdensem Episcopatum gessit Carolo M. nondum in lucem edito. Tanti est rationem temporis ducere, quam curam si seponas, errores mille feres. Omne tulisset punctum Cranzius, nisi multa sine die atque consule narrasset, subindeque etiam Episcopatus miscuisset. A Marcellino, Sancti Suvitberti fido comite, discere potuisset, eum sub Pipino Crasso, Caroli M. proavo, floruisse. Quocirca longiore annorum intervallo Suvitbertus Carolum antevit, quam ut ab hoc Sedi VVerdensi potuerit imponi.

Cranz. Metrop. Sax. lib. cap. 6.

S. Suvib floruit sub Pipino Crasso.

Præterea si Pipinus Caroli M. pater id egit, ut Sanctus Suvitbertus in Divorum Album referretur, quod Sanctus Ludgerus, primus Monasteriensis Episcopus affirmat, quo pacto, te obsecro, filius VVerdensem Episcopum renunciaverit? Virum doctissimum tam grandi errori patuisse, iterum miramur: existimamus tamen id, quod dicemus, ansam præbuisse. Carolus Magnus bellicosissima Saxonia subacta, nec non ad fidem Catholicam adducta, suos cuique Episcopatui fines descripsit: novos etiam non paucos condidit. Quamvis igitur VVerdense Monasterium Sedes esset Episcopalis, nemo tamen jurisdictionem Antistitum certos adhuc inter limites coërcuerat, sed quocunque illos sua voluntas ferebat, vel studium salutis animarum impellebat, aut necessitas cogebat, ibant. Idcirco Episcopi Regionarii sunt dicti, quod non uni solum loco, sed integræ Regioni operam suam navarent.

Ludger. de Translat. S. Suvitberti apud Sur. 1. Mart.

Documento esse queat primitiva Ecclesia, cujus exempla Ordo S. Benedicti postmodum imitatus est. Quamplurima etiam Monasteria passim excitata fuere, unde commode ad paganos excursiones facere liceret, quibus Abbatum loco hujusmodi Episcopi Regionarii præerant. Ex hoc censu Lobicense Cœnobium fuit, cujus supra meminimus. Omnes enim ipsius Antistites Episc. erant, qui jam hos jam illos populos adibant, sacra Christiana circumferendo. Ad hunc modum Monasterium VVerdense Sedes Episcopalis fuerat, & sanctus Suvitbertus Episcopus Regionarius, tota provincia cum Evangelio volitans, in quod munus multi Monachorum nostrorum ei successerunt. Intelligit credo, ipsum primum quidem Episcopum VVerdensem fuisse, sed à Carolo Magno, certo Episcopatui limites, eo pridem demortuo, fixos: Cranzium vero ad hoc saxum offendisse, ac lapsum esse. Anglia quondam frequês erat Monasteriis Cathedralibus in quibus Ab-

VVerden Monasterii Cathedrale fuit.

frequens erat Monasteriis Cathedralibus, in quibus Abbates Episcoporum, Monachi Canonicorum officia exequebantur. Patriæ hanc cōsuetudinem S. VVillibr. & S. Svvitb. in Germaniam transtulerunt. Porro sanctus Patriarcha Monachorum Benedictus longo tempore jus VVerdæ dixit: nam recte Chopinus: Monasteria Regularium, quæ Regulam Monachorum observant; si in Ecclesias Cathedrales erecta sint; non ideo desinunt esse Monachorum. Multis hoc exemplis, à Monasteriis nostris petitis, confirmat, inter quæ etiam VVerdense ponit, ubi Regula S. Benedicti circa annum millesimum, centesimum, Vrbano II. Pontif. Max. Henrico V. Imptore, Richeberto inter VVerdenses Præsules XXIII. rem gerente, adhuc viguit. Chopinus Catalogum Episcoporum Germaniæ hic appellat, a Casparo Bruschio editum. Aliquando consilium nobis fuit, seriem Episcoporum VVerdensium attexere, uti quibusdam aliis Monasteriis suos Abbates adjunxi: postremo tamen hoc labore supersedimus, eo quod Episcoporum syllabi à multis historicis memoriæ sint proditi, ut Orbi excidere haud facile possint. In Monasteriis vero Abbates sic ab oblivione vindicandi erant. Demochares in errorem Cranzii concessit, de quo te monitum volo.

Renat. Chop. Monast. l. 1. tit. 3. n. 6.

In eo legibus S. Benedicti vivebatur usque ad annum circiter 1100.

Adi Democh. l. 2, c. 31. de sacrif. Miss. Arnoldum VVion l. 2. c. 30.

Ferunt aliqui (quod maximum esset) S. Svvitbertum omnium primum solenni ritu ac majestate fuisse VVerdæ canonizatum, Leone Papa III. & Carolo M. Cæsare præsentibus ac festum facientibus: neque de alio constare qui prius simili triumpho in cœlum sit ductus. Age epistolam Rixfridi Trajectensis Episcopi ad S. Ludgerum lege: *Ego vero promissionis meæ & desideriorum meorum prædecessorum Pontificum Trajectensis Ecclesiæ memor, audiens ipsum Sanctum Svvitbertum jam nuper scilicet II. Non. Septembr. solenniter à sanctissimo Papa Leone, in præsentia serenissimi Caroli M. Romanorum Imperat. cæterorumq; multorum Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, procerum, & primatum, canonizatum, ossaque ejus sacrosancta propter crebra miracula sua, elevata, & in arcam sive capsulam auro & argento compte ornatam, decenter collocata, cunctisque Christicolis venerandа exposita, &c. Idcirco egregie Pontifex Ludgere, mi dilectissime confrater, admonitione fratrum Conventus, Trajectensis, & præcipue fratrum in Dockem, ad tuam fraternam dilectionem fidissimum habeo accessum pie efflagitans, ut ordinem modumq; elevationis & canonizationis ipsius, & qui interfuerunt, amore Albrici Episcopi Trajectensis Ecclesiæ, consanguinei supradicti sanctissimi Episcopi Svvitberti, qui te ad Mimimgardam prius, nunc vero Monasterium dictum, direxit Episcopum, ad confirmandum neophytos, in scripta probato stylo redigere digneris, ut illa addantur libro de vita ipsius exarato à Marcellino.*

Sur. 1. Mart.

Ludgerus, accepta hac epistola, Rixfridum non modo de causa canonizationis S. Svvitberti (quæ frequentia miracula fuisse puta, quibus Pipinus Rex & Carolus M. ipsius filius, impulsi, Summos Pontifices rogarunt, ut eum Divis publice adscriberent) sed etiam de tota pompa, quæ sane festiva fuit, prolixe certiorem fecit. Quis sit ritus Canonizationis: cujus sit servis Dei demortuis cœlestes honores decernere, vide sis apud Baronium & Bellarminum, Ecclesiæ magna quondam lumina: nobis satis est, pauca notasse.

Baron. 4. mart. Bellar. t. 1. l. 1. c. 7. de Beat. & Canonizat.

Quibusdam sanctis vita exacta una tantum provincia cœlitum honores detulit: aliis totus, qua patet Christianus orbis. Cultum illis decernere, quo ab una duntaxat provincia vel Diœcesi celebrarentur, fas olim Episcopis fuerat. Ita in primitiva Ecclesia innumeri canonizati sunt. Quamvis aliqui etiam martyria subjissent, cultu tamen Cœlitibus dedito abstinebat populus, priusquam causa pœnarum ac mortis cognita, Episcopus eos Divis intulisset. Cū enim hæretici non pauci sua corpora in supplicia tunc offerrent, ne Sanctis præpostere accenserentur, eam cautelam Pontifices & Episcopi adhibendam judicarunt, quod S. Cyprianus narrat. Vnde nonnulli Sancti feruntur per ora unius provinciæ, propemodum ignoti in alia. An non Carolum M. ut Divum habent Germani, cum tamen hoc nomine Hispanis non æque celebretur? Simeonem Metaphrasten Græci in suū Menologium retulerunt, cujus Latini non meminerunt. Quando igitur rumor sanctitatis de aliquo increbruit, Episcopi illico quærere solebant, ac investigare, quam nam is viam instititisset? quæ miracula edidisset? si publica veneratione dignus erat, eruta è tumulo ossa, in eminentiori aliqua templi parte, ut populo in conspectu essent, exponebantur, quod *Elevationem Sancti* appellabant, locumq; Canonizationis obtinebat. Vertentibus autem annis cum aliqui Episcoporum ad corpora elevanda justo promptiores esse viderentur, Alexander III. & Innocentius caverunt, ut ne deinceps pro cœlite quis coleretur, nisi Pontifice Max. sciente ac approbante.

Thom. VValdens. l. de Sacram. tit. 14 c. 122.

S. Cyprian. l. 3. epist.

Quid olim Elevatio alicujus Sancti.

Cap. 1. & 2. t. de reliq. & venerat. Sanct.

Publico

Publico insuper Albo Divorum quempiam inscribere, iturum hoc nomine per totum Orbem, unius Papæ negotium semper erat, cum is solus caput Ecclesiæ universalis sit, possitque cæteris omnibus leges ferre. Porrò jam inde ab initio declarare consueverant Summi Pontifices, si quis ob fidem in Christum martyrio affectus fuisset: quod vero etiam Confessores suo calculo Divis adnumerarint, ubique terrarum colendos, haud facile invenias apud historicos. Ex immensa Cœlitum multitudine Cardinalis Bellarminus primum S. Svvitbertum producit, solenni ritu à Leone III. Divis insertum, nec alium ante hunc ab historicis offerri putat, S. Ludgeri Episcopi Monasteriensis auctoritate inductus. Aliorum Canonizationes forte antecessisse, ait Bellarminus, sibi tamen nihil constare. Atqui S. Ludgerus cap. 3. Pipinum Franciæ Regem Caroli M. patrem, memorat Stephano Papæ III. (qui Leoni III. annis non paucis anteivit) ab Aistulpho Longobardorum Rege in fugam conjecto, supplicasse, ut Svvitbertum Sanctorum Confessorum fastis adderet ob vitam singulari virtute traductam, crebraque miracula ab eo patrata. Tum sanctissimum Pontificem valetudine impeditum, venerabilibus Patribus, S. Hildolpho Trevirorum, Bonifacio Moguntinorum, Hildegero Coloniensi, Archiepiscopis, itemque Fulcario Leodiensi Episcopo negotium dedisse, ut de dictis, factisque Svvitberti percunctarentur, nimirum ut acta postmodum censura, in summam hanc gloriam, si ita res ferret, eveheretur. Arma tamen infesta quæ Saxones circumrulissent, atque Pipinus in Aistulphum movisset, obicem posuisse. Vnde apparet solennem Canonizationem Leone III. esse antiquiorem. Honori nihilominus Sancto Svvitberto vertendum, memoria de aliis absumpta, ipsum esse primum, quem sacer syllabus Ecclesiæ Romanæ referat. Sed ad rem, amice Lector: nam Canonizatio ipsa ex S. Ludgero exponenda est.

Bellarmin. c. 8.

S. Svvitbertus in Divorum, ritu solenni Canonizatorū, Albo primus.

Eo loco VVerdense Monasterium conditum est, ut non secus quam bonarum artium gymnasium, fidei Christianæ expertes commodissime excipere potuerit. Simul arx esse poterat, quæ Saxonum, Gallos perpetuo venantium, vim abstineret. Pipinus Caroli M. pater, quem sua virtus olim corona Gallica redimivit, loci occasione usus, munimenta eo collocavit, quibus præsidium imposuit, ut ne suus Svvitbertus rapinæ vel injuriis pateret. Etenim anno post natum Servatorem DCCXLIX. bello cum Saxonibus & VVestphalis gesto, cum exercitum vulneribus aliisque incommodis fessum, Coloniam reduxisset, hostes ingentibus copiis undique contractis eodem maximis itineribus contenderunt. Haud vanum terrorem incussere Pipino ad VVerdam confidenti, & corporibus curandis operam dantibus copiis. Vbi pugnandum esse vidit, ex equo desiliens humi fusus, adversus templum S. Svvitberti, munera utroque digna eidem spospondit, si victoriam retulisset. Vix defunctus hoc voto est, cum mirifici splendoris lux tegminis instar exercitui ipsius incumbens, prope in fugam hostes avertit, eum ignem in suam perniciem effusum esse arbitrantes. Itaque extemplo legatos ad Pipinum miserunt, petitum pacem, quæ postea datis obsidibus composita est: ille victoria incruenta potitus, votum & grates S. Svvitberto affatim solvit. Inmo tantus Divi amor ac reverentia ab hoc beneficio Pipinum cepit, ut tutelarem sibi adsciverit, & quot diebus certo eum precum penso fuerit prosequutus. Deinde cum Stephanus Papa, quod paulo ante narrabamus, Ecclesia Romana ab Aystulpho oppressa, se ad Pipinum recepisset, summis hic precibus ab eo contendit, ut virum, qui omnes sanctitatis rationes exhausisset, in Cœlitum numerum publica cæremonia referret. Annuit Pontifex: sed destinati huic operi sacri Præsules ob irruentes Saxones convenire haud potuerunt. Aberat insuper Pipinus, qui Aistulpho Ecclesiam vastanti obviam ibat, validissimi exercitus ductor: Pontifex autem ad S. Dionysii morbo tenebatur. Ob tantas causas Canonizatio in tempus aliud dilata est.

Pipinus Werdæ presidium imponit defendendis Divi sacris ossibus.

Ejus ope potitur incruenta victoria.

Interea tamen Hildegerus Archiepiscopus Coloniensis, à quo VVerda pendebat, eodem cum Clericis suis proficiscens, IV Id. Iunii sacrificio solenni ritu peracto, Presbyteris atque Monachis prosequentibus ad tumulum accessit: quid fieri vellet, edixit. Operæ correptis ligonibus ad urnam penetrant, eamque ex alta fossa evectam ante ora Pontificis destituunt. Hic simul admovit manum operculo auferendo, Superi! tam fragrans confestim odor nares imbuit, ut totam ibi Arabiam conspirasse non immerito credidisses. Hildegerus attonito similis, Svvitbertum suum è capulo evolvit: vetere cultu Pontificio spoliatum, novo induit: in arcam aliam prædivitem componit: demum in crypta recondit ob frequentes hominum incursiones. Robertus quidam civis Coloniensis Archiepiscopo, Clericis, & Monachis VVerdensibus circa sepulchrum fusis, summa brachiorum contentione viam sibi aperiens, ad feretrum accedit:

Hildegerus Archiepisc. Coloniens. S. Svvitbertum tumulo exemptū, in divite urna componit, iterumque crypta abscondit.

Auribus & lingua captus subito audit & loquitur.

dit: dexteram Divi osculo reverenter libavit: aurium & linguæ usum recepit. *S*anctus Svvitbertus Episcopus Regionarius, tota provincia cum Euangelio volitans, in quod munus multi Monachorum nostrorum ei successerunt. Apparet igitur ipsum quidem primum Episcopum VVerdensem fuisse, attamen à Carolo M. certos Episcopatui limites eo pridem demortuo fixos: Cranzium vero ad hoc saxum offendisse atque prolapsum esse.

Anglia quondam frequens erat Monasteriis Cathedralibus, in quibus Abbates Episcoporum, Monachi Canonicorum officia exequebantur. Patriæ hanc consuetudinem S. VVillibrordus & S. Svvitbertus in Germaniam transtulerunt. Porro Patriarcha Monachorum Benedictus longo tempore

Renat. Chopin. Monast. l.1. tit.3. n.6.

jus VVerdæ dixit. Recte Chopinus: *Monasteria Regularium quæ Regulam Monachorum observant, si in Ecclesias Cathedrales erecta sint non ideo desinunt esse Monachorum*. Multis hoc exemplis, à nostris Cœnobiis petitis, confirmat, inter quæ etiam VVerdense ponit, ubi Regula S. Benedicti circa annum millesimum nonagesimum octavum, Vrbano II. *P*ontifice Max. Henrico IV. *I*mperatore, Richeberto inter VVerdenses *P*ræsules XXIII. rem gerente, adhuc viguit. Chopinus fidem catalogi Episcoporum Germaniæ hîc appellat, à Caspero Bruschio editi. Nobis consilium aliquando fuit, seriem *P*ontificum VVerdensium attexere, uti Monasteriis nonnunquam suos Abbates adjungimus; demum labore hoc supersedimus ne actum ageremus: Episcoporum enim syllabi ab aliis historicis memoria proditi sunt, ut orbi excidere haud facile queant, quæ sors Abbatibus non obtigit, quam ob causam ab oblivione nobis vindicandi erant. Magni pendimus Democharem, sed tamen quæso te aliquantulum vide sis ne in errores induaris. Subinde numeros annorum non recte tractat, dum Cranzio peccanti adhæret.

In eo legibus S. Benedicti vivebatur an. 1098.

Democh. de Sacrificio Missæ l. 2. c. 31. VVerd. l. 2. c. 5.

Ferunt aliqui (quod maximum esset) S. Svvitbertum è Divis omnium primum, solenni ritu ac majestate in Cœlitum tabulas fuisse relatum VVerdæ, Leone *P*apa III. & Carolo M. Cæsare præsentibus, ac festum facientibus: nec de alio constare qui prior hujusmodi triumpho in cœlum sit ductus. Age, epistolam Rixfridi, Trajectensis Episcopi, ad S. Ludgerum datam, lege: Ego vero promissionis meæ & desideriorum meorum prædecessorum *P*ontificum Trajectensis Ecclesiæ memor, audiens ipsum Sanctum Svvitbertum jam nuper, scilicet II. Non. Septembris, solenniter à Sanctissimo *P*apa Leone, in præsentia Serenissimi Caroli Magni Romanorum *I*mperatoris, cæterorumque multorum Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, Procerum & primatum, Canonizatum, ossaque ejus sacrosancta propter crebra miracula sua elevata, & in arcam sive capsulam, auro argento compte ornatam, decenter collocata, cunctisque Christicolis veneranda exposita &c. Idcirco egregie *P*ontifex Ludgere, mi dilectissime Confrater, admonitione Fratrum Conventus Trajectensis, & præcipue Fratrum in Dockem, ad tuam fraternam dilectionem habeo accessum, pie efflagitans, ut modum ordinemque elevationis & Canonizationis ipsius, & qui interfuerunt, amore Albrici Episcopi Trajectensis Ecclesiæ, consanguinei supradicti sanctissimi Episcopi Svvitberti, qui te ad Minimigardum prius, nunc vero Monasterium dictum, direxit Episcopum ad confirmandum neophytos, in scripta probato stilo redigere digneris, ut illa addantur libro de vita ipsius, exarato *à Marcellino*.

Quidam Svvitbertũ è Sanctis Conf. primũ solenni ritu Canonizatum ferunt.

Bar. 1. Mart.

S. Svvitbertus in Albũ Cœlitum inditus à Leone 3.

Ludgerus accepta hac epistola Rixfridum non modo de causa Canonizationis S. Svvitberti (quam frequentia miracula fuisse puta, quibus Pipinus Rex, & Carolus M. ipsius filius, impulsi *S*ummos Pontifices rogarunt, ut cœlestes ei honores publice decernerent) sed insuper de tota pompa, quæ sane festiva fuit, prolixe certiorem fecit. Quis vero sit ritus Canonizationis: cujus sit candidas hujusmodi animas in Sanctorum Album publice referre perscripserunt Baronius & Bellarminus, magna quondam urbis & orbis lumina: nos parce quædam subjiciemus.

Bellarm. t. 2. l. 1. c. 7. & sequent. Bar. 4. Mart.

Itaque olim quibusdam sanctis vita innocenter traducta exactaque una duntaxat provincia cœlestes honores detulit: aliis totus, qua patet, Christianus orbis. Cultum illis decernere, quo ab una tantum provincia vel Diœcesi afficerentur, fas Episcopis erat. Ad hunc modum innumeri post natam primum Ecclesiam Superis adscripti sunt. Etsi enim gravissima martyria passim subiverint, populus tamen non illico ruebat in hujusmodi honores, sed abstinebat, donec Episcopi cognita suppliciorum causa, quid liceret, publice pronunciassent. Hæretici namque non pauci sua corpora in cruciatus offerrebant; unde *P*ontifices *M*aximi atque Episcopi hanc cautelam adhibendam judicarunt, ne Divis præpostere accenserentur furciferi quod *S*anctus Cyprianus narrat. Quocirca nonnulli Sancti feruntur per ora unius provinciæ,

Thom. VValdem de Sacram. tit. 14. c. 122.

Hæretici in Martyrum numerum redigi quondam percupidi.

S. Cyprian. l. 3. epist.

prope-

propemodum ignoti in alia. Certe Carolum Magnum inter Cœlites habent Germani, cum tamen hoc nomine Hispanis non æque celebretur. Item Simeonem Metaphrasten Græci in suum Menologium retulerunt, cujus Latini non meminerunt. Quando igitur rumor sanctitatis de aliquo increbruit, Episcopi absque mora in vitam ab ipso actam, atq; in res supra naturæ vires ab eodem editas quærere solebant. Capto diligentissime horum omnium experimento, deprehensoque in dubium adduci non posse quin cœlo esset receptus, ossa, veluti publica veneratione digna, è tumulo erui, & loco eminentiori, ut in conspectu forent, exponi jubebantur, quod *Elevationem Sancti* appellabant: qui ritus per id tempus pro Canonizatione erat. Labentibus deinde annis cum aliqui Episcoporum ad corpora hunc ad modum elevanda justo promptiores esse viderentur, Alexander III. & Innocentius III. sanxerunt legem, ne quis deinceps pro Cœlite coleretur, nisi Pontificis Max. authoritate jussuque.

Elevatio Sanctorum quid?

Bellar. de reliquiis & veneratione Sanctorum.

Præterea, fastis Beatorum aliquem inscribere, non unam per provinciam, sed totum per Orbem terrarum iturum, solius Papæ negotium semper fuit, cum is solus Ecclesiæ, qua patet, sit caput, & in Cathedra Petri residens, universis jus dicat. Adhæc etsi jam inde à cunabulis Ecclesiæ mos obtinuerit, ut Pontifices hos aut illos pro fide Catholica mortem oppetiisse declararent, at quod etiam Confessores Divorum coetui suis calculis tunc adnumerarint, ubique terrarum gentiumque colendos, haud facile apud historicos videas, historicos, inquam, antiquos. Ex immensa multitudine Cardinalis Bellarminus, primum S. Svvitbertum producit, solenni ritu à Leone III. Divis insertum; nec alium ante hunc ab antiquis tabulis offerri putant, S. Ludgeri Episcopi Monasteriensis authoritate adductus. Aliorum quidem Canonizationes hanc forte antecessisse, ait, sibi tamen nihil constare.

Bellar. c. 8.

Atqui S. Ludgerus Pipinum Galliæ Regem, Caroli M. patrem, memorat Stephano Papæ III. (annis non paucis Leoni III. superiori) ab Aistulpho Longobardorum Rege in fugam conjecto, supplicem fuisse, ut Svvitbertum fastis Sanctorum Confessorum adderet, tam virtute quam miraculis conspicuum. Vnde intelligas rem haud novam fuisse, Leone III. Pontificatum gerente solenni ritu in Cœlitum numerum referri. Cæterum Stephanus valetudine impeditus, S. Hildolpho Trevirorum, S. Bonifacio Moguntinorum, S. Hildegero Coloniensium Archiepiscopis, itemque Fulcario Laodiensi Antistiti, in mandatis dedit, ut dicta factaque Svvitberti summo studio cognoscerent: ad censuram vocarent: se postmodum de omnibus edocerent, ut si res ita ferrent, meriti honores ipsi decernerentur.

S. Ludger. c. 9. Stephanum 3. vulgo pro 2. habent, quod vere secundus tertio die Pontificatu & vita abiverit.

S. Ludger. epist. ad Risfrid. Ep. Trajectens. c. 9.

Hæc dum aguntur, infesta arma, quæ Saxones circumferebant, atque bellum quod Pipinus in Aistulphum movebat, expectatissimæ pompæ, quæ jam jam instrui debebat, intercesserunt. Quamvis autem verosimillimum sit, publicam Canonizationem Leone III. esse antiquiorem, honori nihilominus Svvitberto vertendum, memoria aliorum deleta, è Sanctis Confessoribus Canonizatis ipsum esse primum, quem sacer syllabus Ecclesiæ Romanæ Orbi exhibeat. Nunc saxo Canonizationem ipsam ut spectes.

Eo loco VVerdense Monasterium positum est, ut non secus quam bonarum mercium emporium, Christianæ fidei expertes commodissime exceperit. Firma quoque in speciem arx erat, quæ Saxonum Gallos perpetuo vexantium vim abstineret. Pipinus, quem sua virtus Galliæ corona donavit, situ loci usus, operibus excitatis Monasterium communivit, præsidiumque imposuit, ne suus Svvitbertus piis furtis Christianorum, vel injuriis Paganorum, pateret. Anno post natum Servatorem DCCXLIX. in Saxones ac VVestphalos duxit; victoria parta receptui cecinit Coloniam versus iter flectens, ubi fessi vulneribus milites corpora curarent; cæteri qui evasissent integri, instaurarent vires. Deducto exercitu, auditoque quo tenderet, hostes dissipatis militibus subito contractis, animisque resumptis, cum Gallis ardorem resedisse putarent, è vestigio insequuti sunt, summo impetu collaturi pedem. Pipinus adhuc VVerdæ se tenens, ubi moriendum, vel pugnandum esse vidit, confestim equo desiliens adversus templum S. Svvitberti humi fusus, munera seque Divoque digna vovit, si victoriam retulisset. Vix pauca verba edidit, cum mirifici splendoris lux tegminis instar, exercitui ipsius incumbens, hostes solo aspectu prope in fugam avertit, eum ignem prodigiosum in suam perniciem accensum esse, divinantes. Inter hæc, omnes invasit metus. Prærodunt digitos: inter se de pace tinniunt: postremo legatos mittunt, petitum pacem, quæ datis obsidibus composita est. Pipinus victoria incruenta potitus, gratias, & vota S. Svvitberto nuncupata, solvit, quem ob collatum beneficium in tutelarem adscivit, eumque certo precatio-

Pipinus præsidiarios milites addit urnæ S. Svvitberti.

Pipinus auxilio Sancti Svvitberti potitur incruenta victoria.

num

num obsequio quotidie prosequutus est. Sed cum etiam *Sanctum* à Pontifice appellari vellet, huicque per morbum aliaque incommoda hoc officio fungi non esset integrum, & venerandi Patres quibus partes suas commiserat, ob palantes milites VVerdam proficisci haud possent: ipse Pipinus denique Aistulpho Ecclesiam in Italia vexanti obviam iret, ob tot tantasque causas Canonizatio in tempus aliud dilata est.

S. Hildegerus S. Svvitbertum. 4. Id. Iun. elevavit Pont. Max. authoritate.

Attamen S. Hildegerus Archiepiscopus Coloniensis, à quo VVerdensis insula pendebat, Pontificis Max. authoritate cum suis Clericis eò contendens, IV. Id. Iunii sacrificium solenni ritu peregit: ab ara discedens, Presbyteris atque Monachis prosequentibus ad tumulum se contulit: tam quid fieri vellet, paucis indicavit. Designatæ operæ protollunt manus: certatim ligones corripiunt: terram aperiunt: ad ossa anheli penetrant, eaque exempta ante ora Archiepiscopi exponunt. Hic simul admovit manum urnæ auferendo operculo parumque amolitus est, Superi! tam fragrans, tam insuetus, tamque ambrosius odor illico nares circumstantium imbuit, ut totam Arabiam in unam illam urnam conspirasse crederent. Hildegerus attonito similis, Svvitbertum è capulo evolvit: vetere cultu Pontificio spoliatum, novo induit: in sandapilam aliam, eamque prædivitem, composuit: & quamvis omnes in oculis habere Divum cuperent, is tamen in crypta eum abscondit, quod ob frequentes hostium incursiones referret, tantum thesaurum latere. Robertus quidam, civis Coloniensis, divulsa utrinque turba, submotis etiam lacertorum contentione Monachis atque Clericis circum Svvitbertum fusis, ad tumbam fervens accidit: dextram Divi osculo reverenter libavit: aurium & linguæ usum recepit. S. Svvitbertum ad hunc modum in censu Beatorum collocatum populus deinceps maximo studio coluit: res ac spe suas ei commisit: Elevationis diem, ut vocabant, quot annis festivo ritu religiosissime concelebravit.

Anno post natum Christum DCCLXXVII. Carolus M. Saxonibus & VVestphalis subactis, cum ingentibus copiis trajecit in Hispaniam: quo comperto universa VVestphalia & Saxonia erecta est: impigre habiti delectus: excitum quoque vulgus, militiæ aptum. Vulsis deinde signis præceps agmen per ditiones Christianorum ad Rhenum usque rapitur: agris, urbibus admotæ faces: quicquid ferro obvium erat, cæsum est. Nulla hic discrimina sexus, nulla ætatis erant. In VVerdam, Catholicæ fidei arcem, ferocius sibi sæviendum rati, incolis contrucidatis oppidum ac templum una cum Monasterio usserunt. Sacra D. Svviberti ossa ut diligenter diuque vestigaverint, operam tamen perdiderunt. Christiani quidem plerique erant, sed vi adacti, Carolo M. invitos urgente. Ogellus Oesterbach, domo Paderbornensis, inter perditos primipilus, ignem copiosum ante alios in summum ædis S. Svvitberti fastigium identidem jactavit, sed cassa semper opera. Postremo Numine dissimulante adhæsit flamma, quæ mox per tectum, deinde per omne templum vagari cœpit, donec in cineres tigna redacta sunt. Paria hac, ut ipse quidem putabat, egregia victoria, citatis gradibus ad legiones, quæ in proximo prato humi abjectæ esitabant & potitabant, se tulit: Svvitberto quam fibulam affixisset, non absque cachinno narravit: sed antequam perorasset, solo æquo insistens, supinus corruit: collum fregit: vitæ & victoriæ suæ finem statuit. Dato signo ad convasandum quidam, de commilitonibus cadaver invadunt, & ut possunt in S. Svvitberti cœmeterium vectant sepeliendum. Quo cum perventum est, relicto cadavere, ad fossam moliendam conversi, quicquid glebæ egesserunt, sponte relapsum est. Indignati operam se tamdiu ludere (nam diu luserunt operam) locum alium, iterumque alium solicitarunt, & quoties vacillantibus ligonibus, putarunt se rem jam factam habere, subito glebæ cumulus in marginem ejectus, in vacuam defluxit fossã. Igitur alii subtili ingenio incendiarium ore toto stygem referenté, in undas excusseruot, ut Rheni piaculum, & piscium esset ludibrium. Quidam alius (Nothelino nomen erat) dum Ogellum amne secundo labi audivit, pœana nihilominus cecinit, Svvitbertum ipsum Saxonibus herbam porrigere debuisse, magna voce sonans, cui tamen scelus haud impune fuit. Lux enim homini submota ex oculis fuit.

Ogellus Monasterio VVerdensi ignem subdidit, sed magno suo malo.

Nothelinus dum Ogello, sacrilego incendiario, applaudit, lucem amittit.

Pipino Rege fatis extincto, regnorum molem Carolus filius excepit, qui VVerdenses Monachos in fugam actos revocavit: aluit: fabricum è Saxonibus à culmine præcipitatam, incensam, aut æquatam solo, suis impensis in antiquum statum restituit, ne vero incolæ penuria premerentur, stabilimenta vitæ plena manu dedit: Ecclesiæ quoque de apparatu abunde prospexit: ut S. Svvitbertus in fastos Divorum mitteretur, effecit. Etenim cum Leo III. anno LCCXCVI. Adriano fuisset suffectus, eoque deinde res ipsi rediisset, ut ad Carolum M. Galliæ Regem, confugere coactus sit, hic autem pressis inimicis Pontificem Sedi Ro-

manæ

An. 703. Leo III. præsente Carolo M. S. Svvitbertum festivo ritu Sanctū pronunciavit.

manæ restituisset, Canonizationem Sancti Svvitberti se tam præmii quam beneficii loco habiturum, ostendit. Ergo Leo anno DCCCIII. (secundum alios IV.) suscepto in Germaniam itinere, ad Carolum Imp. à se Romę triennio ante coronatum, contendit, diversa cum eo negotia explicaturus. Rebus compositis, iter VVerdam intendunt; quod ubi fama vulgavit, omnis ordinis, sexus, & ætatis homines eo confluxere: Monachi vero VVerdenses cum civium longissima serie obviam procedentes, summa Orbis capita, qua par est, reverentia excepere, atq; in templum S. Svvitberti introduxere. Eo die jejunium incolis indictum est. Postera luce, quæ fuit pridie Non. Sept. ingenti splendore itum in Ecclesiam est, magnificice apparatam, ubi nuncupatis aliquandiu precibus, Hildebaldus Coloniensis Archiepiscopus festivo ritu sacrum fecit: simulque acta Svvitberti à Marcellino perpetuo comiti in litteras missa, publice recitata sunt. Post quæ Leo Cardinalibus Ecclesiæ Romanæ, aliisque præsulibus applaudentibus, Svvitbertum Divis adscripsit. Quanta gestientis populi lætitia Pontificis Max. sententia fuerit excepta, tu facilius cogitaveris, quam ego dixerim. Inde æs campanum sonare: Monachi humiliter, *Te Deum laudamus*, multitudine voces intercipiente, humiliter cantare: universi, etiam quibus lachrymæ oboriebantur, præ gaudio arridere, & quasi tripudiare. Interea sacra ossa, jubentibus Leone Papa & Carolo Imp. ab Hildebaldo Archiepiscopo de tumulo levata sunt, ivitque toto templo fragrantissimus odor.

Ludger. ep. c. 9. ep. ... 1. Mart.

Facta sunt hæc, inquit S. Ludgerus, *pridie Non. Septemb. præsentibus ibidem victoriosissimo Carolo semper Augusto Rom. Imperatore & Francorum Rege, venerabilibusque Patribus Cardinalibus & Archiepiscopis Bernhardo Ostiensi, & Fortunato Trevirorum, Theodoro Sabinensium, Nicolao tituli S. Crucis in Hierusalem, Eustochio S. Praxedis, Bonifacio tituli SS. Marcellini & Petri, Presbyteris Cardinalibus, Gerbaldo Leodiensi, Volquino Normensium Episcopis: & præsertim felice Hildebaldo Coloniensi Archiepiscopo &c. Statuit Sanctissimus Papa Leo illum diem Canonizationis & exaltationis S. Svvitberti, egregii Episcopi, perpetuis temporibus per totum oppidum à cunctis incolis VVerdæ celebrandum, ob honorem S. Svvitberti Apostolici Episcopi. Obtulit autem idem Sanctus Papa Leo eidem Ecclesiæ speciales indulgentias, & parvam auream Crucem, refertam particula S. Crucis Domini nostri Iesu Christi. Imperator vero Carolus obtulit duos aureos calices, ex auro puro, & totidem ampullas ejusdem auri, cum multis aliis Ecclesiæ clenodiis preciosis, ut dum divinum mysterium in VVerdensi Conventu perageretur, cum eisdem, ipsius Imperatoris jugis fieret memoria. Obtulerunt præterea omnes à majore usque ad minorem juxta devotionem & inspirationem spiritus & pro facultate, ut fieret solennis capsula & preciosum feretrum, in quo collocarentur sacrosancta ossa S. Svvitberti.*

In Rhenum prolapsus & extinctus puer ad tumulum S. Svvitberti in vitam redit.

Non prætereundum est quod tunc evenit. Fama celeri lapsu per provinciam ebucclnaverat, Papam atque Cæsarem navigio ferri VVerdam ad cultum publicum Svvitberto statuendum, jamque duci remos. Excitata inter alias fœminas Irmgarda, Hildebaldi Archiepiscopi germana soror, cum octenni filio Gocellino, navis & Rheni fidei se credidit. Secunda navigatio fuit. At cum carinæ gubernator proximus ripæ puppim in orbem flecteret, ut in eam inveheretur, puer ut stabat pronus in prora, aliquandiu titubans, tandem præceps in Rhenum cecidit: Mater doloris impotens, sequi: subiri undas ac filium revocare conata, ab ancillis retenta est: complosis postea palmis fœmineo ululatu invisa littora complevit. Hildebaldus certior factus, trepido gradu ejulanti & capillos rumpenti se admovit: ne more delirantis brachia cum lamentis jactaret, oravit: aliquid casibus humanis, & Deo permittenti, concederet, postea tecto suo, litatis precibus, succedens, liberius intra parietes, pectora plauderet: denique quiesceret. Sed lavit Æthyopem. Nam illa noctem insomnem trahens, Sanctum Svvitbertum nomine sine fine vocavit, opemque poposcit. Vt verba pondus haberent, filium si incolumem reciperet, in ipsius Ecclesia potestateque perpetuo futurum, spopondit. Quidam nimis mœstam matrem, propemodum mente defectam, miserantes, summo mane uncis ac aliis idoneis instrumentis littus explorarunt. Ad horam octavam quidam Lambertus Dosel exanimem puerum subdito unco cepit, & extraxit. Pallida mater in allatum pignus ruens, ac ora ore premens, in brachia sustulit, ad tumulum S. Svvitberti, densa turba funus ducente, vectavit. Nemo non profudit lachrymas, nemo non fudit preces, spe in præsenti Divo posita, qui tot solicitatus votis, vitam Gocellino à Numine impetravit. Nam puer velut excussus somno membra tendere: huc illuc vigiles oculos volvere: caput circumagere, & quid sibi tot mortales à fronte, à tergo, à lateribus

aſtantes vellent, mirari. Exiemplo proximi madidas veſtes deripiunt (nam undis ſtillabant) & honeſte non ultra, velatum ſublime tollunt, populoque oſtendunt. Omne templum, quaſi ſigno dato, prę gaudio & admiratione conclamavit. Voti rea mater Irmgarda, annuente Bartholdo patre, à Carolo Imp. illis oris præfecto, incolumem filium per Hildebaldum fratrem Monachis VVerdenſibus adjunxit, nomine Svvitberti indito, ut accepti beneficii memoria ſemper refricaretur.

Capvt III.

S. VVilleicus, S. Marcellinus, S. VVerenfridus, S. Acca, ſocii S. Svvitberti.

POſtquam res à S. Svvitberto, memorabilis expeditionis duce, præclare geſtas memoravimus, par eſt ut etiam commilitonum facta narremus, è quibus etſi nonnulli multo poſterius mortem oppetiverint, commode tamen hoc loco producuntur quod aliquam lucem à ſuo duce accipere queant. S. VVilleicus mihi addendus viſus eſt, non quod è duodecim ſociis fuerit, qui in Anglia advectus idola conſpiratione inita, ſimul in Germaniam trajecerunt, ſed quod à S. Svvitberto poſtea ſcriptus, laborando & ſudando cæteris nihil conceſſerit, ejuſque acta S. Marcellinus etiam litteris mandarit. Num gente quoque Anglus vel Hibernus fuerit, me quidem fugit; fuiſſe tamen, ſimillimum vero eſt. Collegio ſe adjunxit cum S. Clemens ſeu VVillibrordus Cathedralem Eccleſiam Vltrajectenſem conderet. Sed cum poſtea bini vel terni Paganos adirent, VVilleicus S. Svvitberto per Friſiam, VVeſtphaliam, & Saxoniam operam ſtrenue navavit. Præter linguam latinam etiam callebat Germanicam, multumque eloquentia pollebat, quæ res magno ipſi uſui fuit. A S. Svvitberto non tantum ſacras litteras, ſed inſuper religioſæ vitæ rationes didicit, unde qui magiſtrum novit, is etiam diſcipulum noverit. Animo erat demiſſo, miti modeſtoque ingenio, ab ira, ambitu, inani gloria, remotiſſimo. Multos pudet ſervire: VVilleicus omnium mendicorum & ægrotorum ſe ſervum profeſſus eſt, quas ob cauſas barbari ſe faciliime ipſi commiſerunt, adeo ut bona pars pulcherrimi triumphi de inferno acti, ad ipſum pertineat. Cum S. Svvitbertus moliretur VVerdenſe Monaſterium, ſtudium ille ſuum deſiderari haud eſt paſſus. Vita periclitantem Godebaldum, virum prænobilem, gravitate valetudinis liberavit. Extructo VVerdenſi Monaſterio Cathedrali, S. Svvitbertus Abbas ſimulque Epiſcopus, communicato onere, ipſe in ſalutem infidelium intentus erat, VVilleico fratres curare juſſo, qui ſubinde tamen, ut ſcribit S. Marcellinus, etiam in viciniam Euangelii explicandi gratia evolabat. Mortuus eſt anno Domini DCCXVII. S. Svvitbertus; at VVilleicus ad DCCXXVII. uſque duravit, nihil de diligentia boni Antiſtitis remittens. VI. Non. Martii ad Cœlites abſceſſit: VVerda ejus oſſa excepit, annua feſta illius honori agens.

S. Willeicus comes S. Svvitberti.

Oppetiit anno 727.

Molan. in Indic. 2. Mart.

S. Marcellinus Anglus, à S. Egberto deſignatus cum undecim ſociis in Germaniam inferiorem tranſmiſſi, conditor hiſtoriæ S. Svvitberti, cui conjunctiſſimus fuit. Nonnulla adjecit, quæ certis auctoribus acceperat. Porro ut in vaſta Germania ſementem latiſſime facere liceret, S. VVillibrordus & S. Svvitbertus habito Vltrajecti Concilio, religioſiſſimos viros iſtos, ut apparebat, Apoſtolicos ſpiritus gerentes, provinciis diverſis deſtinarunt. S. Marcellinus dum commemorat quæ cuivis colenda obtigerit: *Et ego Marcellinus*, inquit, *Presbyter inutilis, à præfatis Pontificibus miſſus ad partes Tranſiſelanas, locum Aldenſeel, Trentam & Tuventam, & Covordiam, & Daventriam rego, & Dei providentia totum ferme populum Chriſto prædicando lucratus ſum, & purgavi à cultu idololatriæ.* Affirmat etiam ſe cum hanc hiſtoriam ſcriberet, inter infideles ſexageſimum quintum annum collocare: S. Ludgerus vero, ſeptuageſimum in hoc munere Apoſtolico eum expleviſſe, refert. Quocirca collegis ſuis palmam præripuit; etſi quidam ſacra tiara antecelluerint. A S. Ludgero *excellens prædicator gentilium* appellatur, quem titulum non tam ab annis, quam ſumma induſtria, cura, vigilia, labore in gentilibus convertendis adhibitis, duxit. Gravis annis Vltrajectum repetivit, in Monaſterio, quod olim ſociata opera conſtruxerant, reliquum vitæ conſumpturus, at non diu licuit eſſe quieto. Allatum enim nuncium fuit, quoſdam ab ipſo nuper ad fidem perductos, per averſam portam ad idola rediiſſe. Quapropter S. Gregorius, qui poſt S. Bonifacium Vltrajectenſem Pontificatum geſſerat, eum vires denuo intendere juſſit: neophytorum enim rem in eo eſſe, ut per ſummum ſcelus à Chriſto deſciſcant. Ille languentes artus allevans, non minori quam olim animo ſe operi denuo accinxit: ad pe[illegible] as oves contendit: multo labore qu[illegible] inventas caulæ reddidit.

S. Marcell. vit. S. Svvitberti c. 14.

S. Marcellinus partes Tranſiſelanas excoluit.

S. Ludgerum Episcopum futurum vaticinatus est.

Quantum deinde illud est, quod Sanctum Ludgerum Episcopum vaticinatus sit? Hoc Ludgerus ipse memoriæ prodidit, adjecto *propheticæ spiritus plenum* fuisse. Cum currum ascenderet, quo ferretur in Aldenseel, ubi dæmon infelix lolium serere cœperat, plerique de cœtu Monasterii capularem senem eo usque officiosissime comitati sunt, ut supremum vale dicerent. Forte pro foribus Monasterii leprosi stabant, tabellas ligneas vinculo consertas identidem quatiendo stipem flagitantes. Ille preces fudit: deinde calicem sibi porrectum sacro signo impertiens, iisdem propinavit. Capiunt ergo poculum tam benigne oblatum: bibunt; pellem subito mutant: pro squalida, lurida, fœda, nitidam induunt. Neophyti qui per obsequium suum patrem & doctorem deducebant; prodigio attoniti, jam multo religiosius fidem à Marcellino acceptam coluerunt. *P*ostquam rediit in suam provinciam, rem Catholicam labore improbo restituit: quamplurima diaboli mancipia qua verbis, qua factis admirandis, in libertatem Christianam vindicavit, nec vestigium amplius à suo grege discessit, donec pridie Idib. Iulii terris excessit. Sacra ossa templum majus Daventriæ collegit.

Leprosis salutare poculum propinavit.

Sacra viri lipsana sibi Daventria vindicavit.

Martyrolog. 14. Iul.

S. VVetensfridus pariter ex Anglia venerat, paratus duram Germaniæ glebam una cum sociis subigere. Cathedralis Monasterii Vltrajectensis Monachus & Canonicus (ut tum res erant) in quibusdam missionibus S. Svvitbertum sequutus est, cui etiam adfuit simul vota nuncupans, cum is vitam in exanime corpus revocaret. Quæ vero provincia ipsi obtigerit, paucis verbis sic exponit Sanctus Ludgerus. *Sanctus VVerensfridus Presbyter & egregius Prædicator versus Batuam missus, novellum Christi populum in Elst & VVesterwvoirt, & in finibus illis feliciter rexit, & infinitis clarificatus miraculis, tam in vita quam in morte, Idib. Septemb. apud VVesterwvoirt spiritum creatori reddens, miraculose in Elst tumulatur.* Quam ob causam sacri fasti ad xix. *K*al. Septemb. eum collocent, me fugit, nisi forte eo die obscuro è tumulo erutus, locum splendidiorem acceperit. VVestersordenses in amplexus demortui ibant, sacra lipsana sibi deberi dictitantes, apud quos ea exuisset. Elstenses nihil vero ambigui hîc esse (nam contra tendebant) dictitabant. Vivum se habuisse & aluisse: nec passuros ut alii mortuum occupent. Res vim spectabat, cum prudens Clericus intercessit, Philistæos memorans arcam testamenti impositam plaustro sacerdotum concilio, vinctisque duabus vaccis fœtis arbitrium ipsis permisisse, ut ferrent, quo vellent. Futurum enim, ut à Deo Israel agerentur. Ergo posita controversia idem facerent. Neutri parti gravis sententia erat. *A*dductum novum plaustrum, adductæ boves sunt, quæ nunquam ante id jugum acceperant. Vehiculo sacris ossibus onusto, ad eundum incitatæ rectissimo temone Elstium petivere. Facile omnes intellexerunt, non sine Numine id fieri. Conditum ipsius honori Collegiatum templum est, in quod crebri debiles, præsertim arthritide laborantes, conveniunt, ac supplice manu non frustra salutem poscunt. Etiam in Ecclesia Vltrajectensi, ubi & Monachum & Canonicum olim egerat, ad ax. Kal. Sept. quotannis coli consuevit. A Trithemio haud immerito inter illustres viros Ordinis S. Benedicti habitus est.

S. Werensfridus Batuam missus, multa miranda patravit.

1. Reg. 6.

Litem de ipsius sacris ossibus ortam, boves diremerunt.

Trith. l. 3. l. 147.

S. Acca etsi non secus quam socii vim adversus orcum paraverit, post initia tamen expeditionis, non absque fructu acta, volente Numine in Angliam revertit. *P*rimum ætatem, ut *B*eda scribit, apud Archiepiscopum Eboracensem (Bosoni nomen erat) egregie duxit. Deinde *S*ancto VVilfrido se applicuit, ut ejus quoque virtutes hauriret, à quo Romam charissima appendix, tractus fuit. *S*anctus Egbertus cum per diversa Monasteria Apostolicorum virorum delectus haberet, in Sanctam Accam incidit, sermonibus hominum passim celebratum, sibique adscivit. Causa reditus in patriam fuit, quod Sanctus Svvitbertus aliorum Patrum auctoritate in *A*ngliam proficiscens, sacra tiara vinciendus, eum sibi voluerit esse comitem. *P*ostea Sanctus VVetensfridus Merciorum id temporis Episcopus, initiatum à se Sanctum Svvitbertum cum duobus VValdis, fortissimis Martyribus, Marcellino, ac aliis, missos fecit, ut densas tenebras, quæ Germaniæ incubabant, dispellerent: Sanctam Accam verò retinens, Domocensem, apud Anglos Orientales Episcopum (ajunt quintum) creavit. Præsenti anno in Augustaldensem regni Nothumbriæ Cathedram evectus est, utrobique vigilantissimus. Cultum divinum in summam majestatem extulit: Cathedrale templum ad S. Andreæ, Beda teste, admirandis operibus exornavit: sacras Apostolorum atque Martyrum reliquias, singulari studio quæsitas, per divinas aras disposuit. Librorum etiam memorabilem copiam congessit, ut in promptu esset, sive quem sacræ litteræ,

Bed. l. 5. c. 21.

S. Achatius Democensis Episcopus creatus.

sive historiæ, sive SS. Martyrum acta temuissent. Caotus Gregorianus magni semper in Anglia æstimatus est, cujus cum Mabanum quendam cæteris peritiorè nodi vis-set, hominem evocavit, ut suos Clericos ea arte institueret, ad decus hoc non ultimum Choro conciliandum. Martyrio etsi, ut quidam de ipsius sociis, affectus non sit, multæ tamen eum ærumnæ exercuerunt. Episcopatu enim suo pulsus, aliquot annos in exilio duxit. Vt alias miserias, quibus jactatus fuit, mittam, oves suas patere luporum incursionibus, viro sancto incredibili dolori fuit. Vita usque ad annom septingentesimum tricesimum sextum producta, cœlo donatus est.

AN. CHRISTI 712. AN. S. BENEDICTI. 232.

S. Adelbertus, Edilvvaldi Regis Deirorum filius: Hollandiæ Apostolus.

Cœnobitæ Medlocens. circa an. 990.

INter duodecim viros Apostolicos, qui ingentibus ausis in vastam juxtaque tunc barbaram Germaniam IESU CHRISTI signa intulerunt, Adelbertum habeo, quem non ultra, ut quodam ipsius socios, differendum judicavimus, eo quod S. Bonifacium assequutus haud sit: deinde quod hoc tempore late sementem fecerit per Hollandiam. *Hanc provinciam (olim Frisiæ partem) à plaga mundi occidua Britannicum mare: à Septentrione Cimbricum pulsat: ab ortu solis fretum amplum Frisiam procul aperit: ad Euronotum Transisalana & Velavia, ad Austrum Trajectina ditio obtenduntur*, ut scribit Mercator. Veteres coloni Batavi dicti, bellica virtute ante plerasque gentes fuere. Immisit S. VVillibrordus Adelbertum cum Euangelio, quod indignum esset, iovictum populum deinceps nervo diaboli teneri.

Tac. de moribus Germ.

S. Adelbertus patrio solo relicto in Hiberniâ se transfert.

Si sanguinem compares, S. Adelbertus collegas anteivit, quippe Osvvaldi Northumbriæ Regis nepos, Edilvaldi Regis Deirorum filius. Titulis tamen exutis, maluit pauperem Christum nudus sequi. Monachos in Hibernia vitam sanctissime instituere, à multis acceperat, quam ob rem patrium solum vertens, itereo intendit, ut à S. Egberto, cujus virtutes singulares fama pridem extulerat, pios mores duceret, cui etiam tam Scoti quam Angli in disciplinam se tradidissent. Admissus in religiosam scholam docilis discipulus, tantos progressus fecit, quantos magister sibi pollicert oon debebat. Aliquando idem Egbertus animo subjecit, ingentem vim hominum salute excidere, quod nemo esset qui facem ad salutem præluceret: quod dum secum volutabat, mirum ipsum desiderium ferendi opem incessit. Ex diversis igitur Monasteriis duodecim viros sanctimonia insignes, legit, quibus tantam molem rerum imposuit. In hanc aciem Adelbertum quoque tunc Levitam eduxit, quem Molanus primum Archidiaconum Cathedralis Ecclesiæ Vltrajectinæ fuisse, asserit. Sacerdotio abstinuit ne modestiam suam temeraret, ratus hoc ordine se indignum. Cum S. VVilhbrordus Epternacense Monasterium conderet, adhibuit Adelbertum ut novi Monachi conjectis in eum oculis viderent, quid sibi facto opus esset. Ille enim omnibus virtutibus erat initiatus. Rebus Epternaci recte constitutis, secundis auspiciis in Hollandiam itum est, ubi stragem idolorum late dedit: infinita capita sacro foote abluit: multa admiranda perpetravit, templaque vero Deo posuit, quamvis ditrumperetur Orcus. Istis pulcherrimis facinoribus Apostoli Hollandiæ nomine ab Historicis celebratur.

Apostolus fit Hollandiæ.

Etsi quoquoversum se se extendens, jam hos jam illos adiret, non alia tamen gratior sedes quam Egmuoda fuit. Rhenum ferunt olim eousque penetrasse, & cum capi non posset, arctas io fauces coactum loco nomen Egmood, quasi angustum os, fecisse. Sed mare, si alibi, hic turbavit non semel Cosmographiam, quod depressa tellus se sponte insanis fluctibus submittat. Egmunda certe sat longe hodie à Rheno abest. Contraxerat hic intimam cum Eggone, viro nobili, amicitiam, & rerum suarum fere omnium reddebat conscium. Aliquando inter cœnandum injecta de Anglia mentione, eo se cogitare, excepit Adelbertus, ut etiam aliquid emolumenti in suos conferret. Moleste dictum tulit Eggo, perii, subjiciens: verumenimvero quot mensibus hoc iterte circumscribere ais? Ille pomi segmentum forte manu versabat, quod Numine plenus io adversum ignem conjecit, tum se Egmundam reversurum pollicitus, cum grana sui pomi in surculos evasissent. Tu *ad Kalendas Græcas* dictum putasses. Tum in viam se dedit, Eggone frustra aures scalpente. Dum trahitur mora in Anglia (nam multum temporis in popularibus erudiendis exhaustum est & sudoris multum) ecce tibi, cœnatio Eggonis, nescio qua origine, concipit ignem: fit denique cinis. Quid manus fricas, Eggo? de arbore actum est. Viden' ubi sementem fecerit tuus Adelbertus? At dum hic impellente bono Deo iterum sarcinam ad proficiscendum expedit in Angliam, seque viæ parat, munere sat diu satque

Egmundæ inauditum miraculum editur ipsius gratia.

probe-

Sepelitur Egmundæ.

Sur. 25. Iun.

probe domi functus, enata eo loci quo pomi frustum projecerat, virgula est, quæ paulatim succrescens, flores aperuit. Adelbertus igitur plaudente sibi Hollandia, revertitur: redintegrato spiritu veterem agrum denuo summis viribus coluit: donec VII. Kalend. Iulii Cœlitibus se miscuit, exuviis Egmundæ relictis. A toto Comitatu Hollandiæ singulari cultu celebratur, præsertim Egmundano in Monasterio, ubi situs est. Funus diligentissime curarunt amici Ecclesia ipsius sepulchro imposita, etsi rudi manu, uti ea tempestate res erant. A Nordmannis Hollandiam perpetuo infestantibus crebro afflicta fuit.

Iohan. Becan. in MS. Chronico Ecclesiæ Vltrajectinæ.

Circa annum octingentesimum septuagesimum sextum nobili Cœnobio fundamenta jacta sunt. S. Adelbertus VVilliræ, Deo dicatæ fœminæ, per quietem tertia vice se obtulit monens efficeret, ut ossa sua è gleba eruta digniore loco reponerentur. Illa Imperii certa Theodoricum primum Hollandiæ Comitem adivit: quid à S. Adelberto in mandatis accepisset, edidit. Ne vero te prætereat, genus ad Aquitaniæ Duce referebat Theodoricus, à Carolo Calvo propter res præclare gestas Hollandiæ ac Zelandiæ Comes renunciatus, à quo longissima series nepotum descendit. Hic nihil cunctandum ratus, accitis Clericis negotium dedit, sepulchrum ut exhaurirent: deinde capulum eximerent. Illi dicto sunt audientes: pallium corpori circumpositum sine labe deprehendunt; crucem auream à pectore pendulam intentis oculis contemplantur, quæ postmodum multis ægris saluti fuit. Capulo sublime sublato, ab imo limpidissimus fons erupit, qui ad hunc diem pellucidas undas sitibundis incolis fundit, quas debiles quoque non raro in sanitatem biberunt. Id Monachi Medelocenses hisce verbis testantur: *Presbyter quidam ex Anglorum gente VVolmarius nomine, ad viginti annos cæcus fuerat. Multa ille Sanctorum loca adiit: ipsa quoque Apostolorum limina Romæ visitavit. At quamvis divina benignitas per merita Apostolica multis sæpe modis se declaravit, attamen hujus viri sanitas S. Adelberto servata est. Itaque Roma revertens ubi celebrem ejus famam comperit, Egmondam venit, ex fonte illo quem sub sacri corporis locello repertum diximus, tertio oculos abluit, & vidit clarissime.*

Tumulus, ossibus S. Adelberti exhaustus, fontem effundit.

Vit. S. Adelberti c. 21.

Ne autem Divo cultores deessent, è lignis excitavit Monasterium, religiosis fœminis habitandum. Cunctis in opus gnaviter incumbentibus cum solus quidam Sigfridus longas traheret oscitationes, subito manibus & pedibus captus est: atqui Comes insigne præmium industriæ suæ tulit. Etenim cœlo hyemante profundum lacum gelu induratum traba superare instituerat; provectus ferme in medium, sensit se rei fragili vitam commisisse. Nam glacies prorsum, rursum fatiscens ac rimas ducens, immani sulco rupta est. Quid hic faceret Comes, auxilio undique destitutus? Fidem S. Adelberti inter eluctandum flebili voce imploravit, novitate mali attonitus. Non alibi profundior lacus erat, ipse tamen pectore super aquam extabat: demum incolumis evasit, nullius rei jacturam passus. Iuvat recitare, quæ Iohannes Becanus Chronico MS. Vltrajectinæ Ecclesiæ refert: *Theodoricus II. post obitum patris sui Theodorici Frisonibus discordare cœpit, quos cum triumphali gladio ditioni suæ subegit. Quapropter idem Comes ædificavit lapideum in Egmunda Monasterium, & amotis Monialibus* (ob imminentes perpetuo Frisones) *plantavit ibidem de religione S. Benedicti Monachorum Collegium, qui continuo Deo devotum obsequium impenderent, & cum opus esset, diris Frisonum insultibus obsisterent. His ergo Comes Egmundensem Ecclesiam largis dotando possessionibus, obtulit Historiam tripartitam, & Textum quatuor Euangelistarum, auro fulvo pretiosisque lapidibus circumtectum. Nihilominus Hildegundis Comitissa consimiliter obtulit eidem Ecclesiæ de liberali munificentia super altare* * *torquem aureum cum multimodis gemmis incomparabilis pretii, valde fulgidum, de cujus cacumine lapis, ut fertur, hostularius furtive sublatus fuit, qui nocturnis temporibus totum sacrarium radiis emicantibus illustravit.* Hæc omnia Michaël Vosmerus in numeros coëgit. Ausculta:

Beneficia reponunt Superi.

Iohan. Becan. Chron. MS. ap. Aubert. Miræum Orig. Benedict.

Iohan. Leidens. Chron. Holland.

Theodoricus II. Hollandiæ Comes ex ligneo Monasterio lapideum fecit Egmondæ, & Monachos S. Benedicti introduxit.

* MS. habet, tum: forsan totum.

Ille ego qui Batavum solii successor & hæres
Bis Frisiæ vici per fera bella duces.
Æquarant illi chari monumenta parentis,
Virginibusque sacris templa dicata, solo.
Templa pater fragili ligno quæ fecerat ante,
Saxea restituo, dans habitanda viris.

Theodoricus Iunior, inquit Molanus, *paternæ devotionis ferventissimus imitator, fabricavit Monasterium Ord. S. Benedicti in honorem S. Adelberti, Egmonda dictum, totius Hollandiæ celeberrimum.* Non perdidit oleum Theodoricus. Filium susceperat Egbertum nomine, quem Deus Opt. Trevirensi Cathedræ olim imposuit. Iuvenis à

Palmarum festivo die usque ad anniversarium *S.* Adelberti lucem, quæ in VIII. Kal. Iulii incidit, ex febri graviſſime laboravit. Divo tam præsente se ipse intendit Egbertus: surgit: vestit: templum & sacra frequentare, stat sententia, non quod tantum viribus polleret, sed quod eas à Sancto Adelberto sibi sufficitum iri, speraret. Dum se comparavit, malignus calor toto corpore extinctus est. Deinde Erlinda filia lusca, ut oculo lumine casso dies impertiretur, à Sancto Adelberto impetravit. Etiam hoc ad Monasterii gloriam intexímus, sepultos in eo Cœnobio esse Theodorum I. Theodorum II. Arnoldum, qui successit: Theodoricum III. Theodoricum IV. non solum Hollandiæ & Zelandiæ, sed insuper Frisiæ Comitem: Florentium I. Theodoricum V. Theodoricum VI. ut omittamus conjuges & liberos. S. Geron *Scotus Presbyter*, anno DCCCLXXXVI. martyrium passus, etiam hic loculum accepit.

Monasterium Egmundanum magnorum nominum Mausoleũ.

Fuit Monasterium istud Egmundanum aliquando liberum, nulli Episcopo subjectum: postea ad Vnionem Bursfeldensem accessit, firmandæ disciplinæ causa. Demum hæretici, antiquis barbaris si in domos religiosas incidunt impietate pares, id evastarunt. Cæterum quinque Monasteria nostri Ordinis numeravit aliquando Hollandia: quatuor à Monialibus, unum à Monachis, colebantur, in quæ aditus plebeio sanguini non patebat, quem morem nos haud probamus: nam Deus nobiles, ignobiles, divites, pauperes, nullo discrimine habet: solis virtute ac vitio nos distinguit.

Trith. Chron. Spanhaim, an. 1485. VVion 25. Iun.

Id demum hæretici pro insita insania everterunt.

AN. CHRISTI 713. — AN. S. BENEDICTI 233.

Status rei Monasticæ in Hispania.

Anni à nato Servatore DCCXIII. & DCCXIV. fatales fuere Hispaniæ: hisce enim subacta à Saracenis fuit. De longa tragœdia nobis aliquid carpendum est etiam invitis. Qua æra in ditionem Mahumetanorum venerit Hispania, certatur sententiis. Hieronymus Zurita barbaram gentem anno septingentesimo septimo signa intulisse putat: illisque feliciter promotis, ad annum septingentesimum decimum rerum dominos factos. Verum nos in communem sententiam rectius descendimus, à fronte Capitis notatam. Mirum vero sit Romanos ducentis annis bellum fecisse Hispaniæ, nec omnem tamen in potestatem redigere potuisse: Mauros autem biennii intervallo tota ferme potitos, nisi qua montes iniqui, vel angustæ fauces obicem posuere. Quin aliarum nationum domitores Gothi, post triumphos de Romanis actos, herbam porrexere obscuræ huic genti, vix à nomine notæ. Certe nullo prius numero Mauritania fuit, quam *Arabes* turpiſſima ei dogmata Mahometis insinuassent. Hoc perfecto, animi coaluerunt: junctisque armis Hispaniam invaserunt: cæde omnia repleverunt: suam fecerunt. Hæc cum ad cotem rationis exigo, tot tantasque victorias nec virtuti Maurorum tribuo, nec ignaviæ Gothorum impingo, sed in peccandi licentiam refero, qua Superûm ira provocata est. Etenim VVitiza post Egicam ad sceptrum Visigothorum admoto, tanta viliorum colluvies in regnũ invecta est, ut nihil passim integri aut sinceri fuerit reliqui. Rex ipse nullum insaniendi modum fecit. *Si vis*, compendio dabo. Fuit schismaticus, crudelis, lascivus, homicida. Ipso regnante fas fuit plures uxores domum ducere: Clericos jugum Christi cum conjugio commutare: à Catholicis mittendus erat nuncius summo Ecclesiæ Dei Antistiti, quibus rebus omnem Hispaniam infecit, regni publica pestis.

Zurita l. 1. c. 1. hist. Arragon.

Ad Witizæ Regis Gothi exemplum tota claudicavit.

Don Rodericus, Theodefridi filius, Cindasuyndi nepos, scelestum caput bello petens, vicit: captum Cordubam perduxit & utroque lumine privavit, quam fabam ipse Theodefrido quondam cudebat. Multæ virtutes Rodericum ornabant, quas tamen libido plurimum offuscavit. Ferunt etiam Cavæ, Don Iuliani Comitis filiæ, vitium non absque vi ab eo esse oblatum. Etsi vero VVitizam flagitiis non æquarit, motam nihilominus jam ante Numini iram acuit, utque præcipitaret in regnum, ansam præbuit. Nam *Iulianus* Comes probrum nefandum filiæ allatum vindicaturus, Mauros ex Africa pretio conduxit; sed nihil memorabile patratum est, donec anno DCCXIII. Enecus Roderici nepos, & regii exercitus supremus ductor, acie victus ac cæsus est: ac anno post Rodericus ipse prope civitatem Xerez collatis cum hoste signis, cecidit. Hæc strages Gothorum res ita infregit, ut regno, quod trecentos fere annos tenuerunt, fuerint exuti. Inde novos dominos accepit Hispania: regnum in plura minora distractum. Inde etiam, ut Rodericus Archiepiscopus auctor est, *cessavit Conciliorum frequentia, Episcoporum eloquentia, Religiosorum reverentia.* Scilicet sub antiquis Regibus densa per Hispaniam stabant Monasteria, præsertim per Castiliam, Galliciam, *Anda-*

Propudio humani generis à Don Roderico exsculpti oculi.

Gothi regno Hispan. à Mauris exuti.

Rodericus l. 3. c. 15.

luziam, S. Fructuosi & discipulorum ipsius opera extructa. Pleraque tum pervastata fuisse, facile tibi persuadebis, præsertim opulentiora; non tamen, quæ Dei benignitas est, funditus perisse. Nam in montes vel non penetrarunt hostes, vel pedem referre compulsi sunt. Asturias, Biscaiam, Guipuzcoam, in potestatem non redegerunt. In Galliciam frustra expeditio suscepta: violenta tela Pyreneis montibus vano conatu intenta; neque enim per opportuna loca dispositi se dediderunt Christiani. His igitur locis sedes fixerunt nostri Monachi, meliorem Hispaniæ vultum expectantes.

Monachi in occulta vallium & montium se receperunt.

Cum Tomum primum molirer, Monasterium S. Æmiliani de Cogolla communis cladis immune fuisse putabam, neque inimicos in altam S. Laurentii stationem evasisse, neque alias domos nostras montibus incubantes à barbaris versas: at certum est plurimas quæ id temporis stabant, à situ non satis munitas nec defensas fuisse, etsi postmodum è ruderibus resurrexerint. In hoc censu sunt Monasterium S. Claudii Legione: S. Petri Arlanzæ, S. Petri Carthagenæ, B. Virginis Valuaneræ, S. Martini Dumiensis in Gallicia, S. Romani Ornisgæ, S. Petri de Montibus, S. Vincentii, Pampliegæ, S. Turibii de Lievana, S. Victoriani in Aragania, B. Virginis veteris Soriæ, Nostræ Dominæ veteris Avilæ, S. Petri de Eslonza. Valclaca, Carracedo, & alia non pauca. Cæterum à quibusdam manus abstinuerunt Mauri, non quod Monachis bene cuperent, sed ut rem suam augerent. Nam multis provinciis Christiana sacra obeundi potestatem fecere, id solum tributum exigentes, quod incolæ Regibus Gothis pendere solebant. Neque enim ita stolidi erant, ut navim perforandam judicarent, in qua ipsi navigarent. Omnibus enim Christianis ferro peremptis, non quisquam agros coluisset: nec mercaturam exercuisset: vacuæ urbes collapsæ essent: à mortuis nihil abradere licuisset. Accedit cum Africa, illa pars Orbis tertia, Christianis fuerit frequentissima, nec ita diu ante ab Arabibus subacta, vero simillimum esse, maximorum exercituum duces etiam ex illis quamplurimos secum traxisse. Deinde Iulianus Comes, Archiepiscopus Toletanus intrusus, cui nomen Oppas, & duo filii Vitizæ, etsi cum suis asseclis à parte Maurorum steterint, religionem tamen Christianam colebant. Capta igitur Hispania multum quidem accisa res Catholica fuit, non tamen penitus deleta vel extincta. Supererant passim templa, sacri Antistites, Monachorum domicilia: Comites quoque & locorum præfecti, quamvis jus in Hispania Rex Mahumetanus diceret. Christianos Mauris sic conjunctos imprimis Mixtos Arabes, postea vocabulo inclinato Mozarabes appellarunt. In quibusdam civitatibus, præsertim Toleti, adhuc digitis monstrantur templa, quæ Gothis regnantibus polita sub Mauris sarta tectaque manserunt.

A quibusdam Monasteriis manus abstinuerunt Mauri, imperato incolis tributo.

Idem de Monasteriis censé, è quibus Agaliense Toleti situm primo obvium est, quod usque ad Regem Froilam duravit, & Argericum Abbatem, qui inde in Galliciam fuga actus, Monasterium Samos construxit. Cordubam mecum adi, aliquando regni Maurorum caput, & Regum sedem, ubi plura quam alibi numeravit Monasteria D. Benedictus. S. Eulogius electus Archiepiscopus Toletanus, illustris Martyr, octo Monachorum, totidemque Monialium integerrimæ disciplinæ Asceteria hanc urbem quondam insedisse, affirmat. Mixti Arabibus vitam absque dubio miseram duxerunt: denique Abderamen, homo insolens clarique animi, sceptrum adeptus, Monachos Corduba exesse jussit. Regnante in Asturia & Legione sub id tempus Alphonso Magno, vel prima fundamenta regio Monasterio de Sahagun, vel altera, quod nonnulli contendunt, jacta sunt, cujus præfecturam VVolambosius seu Alphonsus suscepit, ante id Abbas Cordubensis. Monasterium Lorban, Conimbricæ vicinū, superstite S. P.N. Bened. ædificatum, imperantibus Mauris incolume mansisse, nec ultimas partes receptæ à Ferdinandn Rege civitatis Monachos fuisse, Tomo I ostendimus Hæc & quædam alia Monasteria præter montana, certum est in illa regni vertigine perstitisse, Monachis varias ærumnas animo æquo perferentibus, ac fidem Catholicam summa cura, labore, industria in oppresso regno conservantibus: neque peccare mihi videbor, si Hispaniam Montanis & Vrbanis Monachis nostris sinceram religionem, & quæ consequuta est, prosperitatem ac magnitudinem, bona ex parte debere, dixero. Non enim à veritate discessero. Sed cum magni ad honorem nostri Ord. intersit, hoc tabulis alienis fideque plenis potius, quam domesticis confirmari, prodeat in medium Doct. Ambrosius Morales, vir clarissimus, & rem verissimam sub auras efferat: *Sciendum etiam est*, inquit, *eo tempore tam Monachorum quam Monialium fuisse Monasteria, & à Mauris permissum ut juxta Religionis rigorem viverent. Corduba quoque, imperii Maurorum caput, ubi solium Regum & aula erat, paulo post occupatam Hispaniam multos Christianos, nonnullas*

S. Euleg. tom. 7. Biblioth. SS. Pat.

Abderamen Monachos Corduba expulit.

Tom 1 ... 517.

Oppressâ à Mauris Hispania, sincera fides bona ex parte à Monachis nostris conservata fuit.

Moral. Lib. 1. ult.

etiam Ecclesias & Monasteria habuit cum integra sancta fidei nostræ Catholicæ observatione. Quamvis autem crudelissimus Rex Abderramanus multos in ista urbe affecerit martyrio; ausi nihilominus sunt reliqui lapides ipsis sepulchrales cum scitis epitaphiis ponere. In vita Martyris & Doctoris S. Eulogii, & in ejusdem operibus quæ jam typis edita sunt, multorum Monasteriorum tam virorum quam fœminarum; Conimbricæ sitorum; mentio fit. Item de multis aliis rebus, ex quibus apparet bonum regimen & concordia Ecclesiæ illius temporis in Hispania, quantumvis oppressæ &c. Non igitur Christiani accepto à Mauris jugo ab avitis sacris desciverunt, sed potius vitam, res, omnes, postputarunt, præ Catholica religione. Atqui audiamus quæ præterea narrat Morales. *[Idem l. 14. c. 1.]*

Pleraque Monasteria & Monachorum & Monialium erant, uti ea ætate usus ferebat, non quod simul habitassent, sed quod domiciliis virorum domicilia fœminarum adhæsissent. Quamvis autem de Ordine, habitu, Regula, expressa mentio non fiat, dubium tamen nullum est, hujusmodi Cœnobia D. Benedicti Regulam sequuta fuisse, quippe id temporis per Hispaniam, uti etiam per reliquam Europam, sat late propagatam, quod alibi docere constitui. Itaque Monachi & Moniales notum habitum suum gestabant: Sacerdotes etiam super coronam &c. Si Morali adhuc parumper indulgere potes, ab ipso etiam hæc habe: *Constat proinde omnia Cordubæ Monasteria Ordinis S. Benedicti fuisse, quod is à principio eo usque egregie floruerit, nec ulla alterius cujusdam habeatur notitia. Itaque antiquus iste & per Ecclesiam Dei totam maxime diffusus ac celebratus Ordo, cujus auctoritas in Hispania summa est, suis Sanctis, quos plurimos numerat, etiam multos Martyres utriusque sexus Cordubæ passos addere potest. Non certe immerito benedictus iste Ordo gloriabitur, ut alibi multos magnosque Sanctos habuerit, ab Hispania tamen sola multos Martyres acceperit.* Hæc morales: sed commodum huc etiam se advertit P. F. Hieronymus Romanus, cujus historia de Ecclesiis Hispaniæ MS. Salmanticæ in Collegio S. Augustini servatur, è qua nos hæc afferimus: *Multæ civitates ac populi tempore servitutis habuerunt Ecclesias, Sacerdotes, ministros alios. Immo quibusdam in civitatibus Sedes Episcopales permanserant, aliquando quidem vacantes, alias vero cum per pacem licuisset, suis tum Episcopis existentes. Exempla in promptu sunt. Insuper in multis Monasteriis Ordinis S. Patris Benedicti Catholica fides conservata fuit, opulentis illis ac potentibus à Gothis fundatis, præsertim per Galliciam, Portugalliam (intra Duerum & Minium, ac passim vicina loca) nec non per Asturias, Castellam veterem, Aragoniam & Catalauniam. Sed in regnis Valentiæ & Andaluziæ, ac littore maris Mediterranei nec vestigium quidem Monachi aut Monialis reliquum fuit. Qui enim Religiosi illas partes coluerant, vel omnes vel plerique Ordinis S. Augustini erant, mendicato viventes, & pessum iverunt quod nemo esset à quo sustentarentur. Deinde Mauri frequentius hic quam alibi habitabant, quam ob causam etiam tardius hinc pulsi sunt &c.* Et alibi: *Quo pacto Monasteria & in illis degentes servi Dei acerbas Maurorum vexationes passi sint, & quomodo sicut oves sine pastore diversa per loca errarint, domiciliis vel à Mauris destructis, vel certe incolis destitutis, & sponte collapsis, satis patet. In civitatibus cultisque locis vitæ Monasticæ indicia & signa penitus sublata sunt. Etenim Monasteria copiosa majori ex parte ad se traxerunt inimici, quæ deficientibus benefactoribus & defensoribus paulatim consumpta & extincta sunt. Quæ nullarum divitiarum erant, incolis tantum eleemosynis vitam tolerantibus, cujusmodi sunt Monasteria Eremitarum S. Augustini, funditus perierunt. Cum enim illi fructum Mauris afferre nullum possent concionando, quando nec verbulum de Religione Christianorum facere per sectam Maurorum licebat, eam ob causam eleemosyna defecit, hocque institutum per Hispaniam totaliter expiravit. Saltem ego nec vestigium quidem ejus ante millesimum centesimum annum reperio. Unde constat nullos Monachos præterquam Ordinis Sancti Benedicti degentes in desertis, reliquos fuisse. Cum enim possiderent agros unde pararent victum, nec à Mauris penitus emungerentur, aliquo lucello seu bolo contenti (præsertim cum appareret nullam ab ipsis timendam esse rebellionem, nec armorum tractandorum esse peritos,) manere permissi sunt. Ita perseveravit Monasterium S. Petri de Cardegna in Castella: S. Petri della lanza, & secundum aliquos Nostræ Dominæ de Valuanera, ac aliud de Pampliega. In Galicia Monasterium Dumiense: fuit etiam qui adderet Sahagunense, quasi Gothis regnantibus fundatum, evasisset communem Hispaniæ ruinam. Qua conjectura, vel quibus fabulis nitatur, equidem me fugit. Ad illud sæculum etiam S. Claudii Cœnobium Legionense re-*

[Cap. 7. Ubique multos Sanctos, sed in Hispania multos Martyres numerat D. Benedicti familia.]

[Hieron. Roman. hist. Ecclesiast. l. 3. c. 63.]

[Status Ecclesiasticorum capta Hispania.]

[cap. 6. l. 4.]

ferendum

ferendum est, ac alia quæ S. Fructuosus erexit, in quibus pauci cum summa rerum inopia degebant. Fervente Maurorum vexatione, se inde proripere: post tempestatem eodem reverti consueverant, &c.

His duobus spectatæ fidei ac eruditionis viris nefas sit non credere, cũ hoc argumentũ serio tractarit uterq; nec aliquid ex trivio haustum chartis illeverint, sed ex antiquissimis Hispaniæ tabulariis prompserint. Certe P. F. Hieronymus Romanus, cum fuerit sui Ordinis historicus, antiqua monumenta quæ ad eum pertinebant diligenter inspexit: per alios suæ Religionis scriptores volitavit, diserte nihilominus affirmat, omnia Eremitarum S. Augustini Monasteria tunc occidisse: quæ autem ab expugnata à Mauris Hispania usque ad annum millesimum centesimum perdurassent, Ordini S. Benedicti tribuenda.

AN CHRISTI 714. AN. S. BENEDICTI 234.

Sanctus Gregorius II. Pontifex. Max.

S. Gregor. II. Pontifex. Max Ord. S. Benedicti.

MAgna omnino gloria Ordinis S. Benedicti Gregorius II. fuit, quem anno DCC. XIV. virtus ac rerum divinarum humanarumque cognitio in Cathedram D. Petri collocarunt. Quid? adeo omne ornamẽtum in hac Sede occupavit, ut etiam Sũmis Pontificibus decus non vulgare addiderit. Iste Gregorius secundus eruditione, sanctimonia, animi magnitudine qua principibus dicto non audientibus obviam ivit, Gregorio primo non dissimilis fuit. Domo Romanus erat, Sergio patre, Honesta matre natus. Quod se S. P. N. Benedicto in disciplinam dederit, liquido constat, at quo in in Monasterio eidem Patriarchæ Sacramentum dixerit, non perinde compertum habemus. Ego equidem mihi persuadeo in Lateranensi Asceterio eductum, ubi Monachi è Monte Casino profugi, Pelagii Pontif. benevolentia diversabantur. Etenim Bibliothecarius, Platina, alii, qui vitas summorum Pontificum memoriæ prodiderunt, in Patriarchæ Lateranensi tyrociniũ eum posuisse, narrant. Quis autem unus omnium nescit, quinque Patriarchales Ecclesias Romæ institutas, & ex harum numero fuisse Lateranensem? Quem deinde præterit, Ecclesiæ Monasterium adjunctum, ideoque Lateranense ab historicis appellatum? Cum igitur multi auctores, quorum fide rectissime steteris, extent, qui Gregorium II. in Patriarchia Lateranensi primam ætatem formasse, ac Monachum fuisse, expertis verbis ac veris asserant, ego in Monasterio Lateranensi vota eum nuncupasse, pro certo habeo. Magnus Casinensib' hic loci delatus honor est, ipsi tamen aræ domesticæ focique usq; memores domum anhelabant, quod in illorum pectoribus semper ebulliret, Casini tanquam dulcissimæ matris, desiderium. Creditum est à Gregorio II. Petronacem seu Petronium pro viribus motum, ut Montem sacrum instauraret, & Monachos suos voti compotes præstaret. Hisce duobus indiciis, vel si vis testimoniis, adducor ut mecum statuam, sanctissimum hunc Pontificem in Lateranensi Monasterio S. P. N. Benedicto nomen dedisse.

Ejus patrem Bibliothecarius Marcellum vocat apud Baron. an 714.

Verosimile est in Lateranensi Asceterio à Casinensibus eductũ.

Sua virtute ac favore Pontificum gradatim ascendit.

Vt ut sit, non in hoc rei cardo vertitur: istud potius occupamus, quod de juvenis moribus at litteris bene existimatum Romę fuerit, & Pontifices ubi frugi & modestum, bonisque vehementer probatum cognovissent, eum paulatim attollere studuisse. Sergius Papa primis illum ordinibus initiavit: deinde Bibliothecarium Ecclesiæ Romanæ designavit, quod munus hodie plerumque Cardinalibus committitur, singulari eruditione, prædiiis. Creatus deinde Diaconus Cardinalis à Constantino Pontif. Max. in familiaritatem intimam admissus, gravissima Ecclesiæ negotia explicavit. Insuper cum is Constantinopolim proficisceretur ad hæreticos premendos, Gregorium ante omnes alios secum traxit, ut cum illis in arenam descenderet, quos adeo docte debellavit, ut eos quidem pœnituerit quod in hoc se discrimen conjecissent, auditores vero cæteri ob singularem scientiam, eloquentiam & ingenii promptitudinem Gregorii in summam rapti fuerint admirationem.

Depugnat Constantinopolium hæreticis.

Baron. 714.

Creatur Pontifex.

Vivere desiit Constantinus anno post natum Orbis Servatorem DCC. XIV. ut Baronius docet. Itum deinde in suffragia est, nec quisquam apud Romanos ante Gregorium fuit. Eum ergo summa voluntate ac applausu Pontificem renunciarunt hoc ipso anno. Roma toties à barbaris capta, instauranda, & munienda visa est. Manum is quidem absque mora operi admovit, intercessere vero negotia alia, quæ illam revocare coëgerunt. Inter insignia hujus Pontificis facta etiam hoc celebratur. Cumas invaserant etiã Longobardi, atq; in ditionẽ redegerant. Gregorius sibi non ferendum ratus, ut Ecclesiæ quicquam adimeretur, questus cum Duce Beneventano per legatos, rem repetivit. Repulsam passus Ducem è fidelium numero removit; sed cum is nihil

Cumas à Longobardis captas, recipit.

commoveretur, auxiliares copias à Neapolitannis petivit: collato deinde cum hostibus pede ductu Teuclini Subdiaconi Cumas recepit, Longobardis non paucis in nervum datis, ac Romam raptis. Hinc ferunt primum Pontificem fuisse, qui arma adversus Ecclesiæ hostes sumpserit, exemplum præeundo successoribus, quid cum rebellibus facto sit opus, bona verba si nil proficiant, aut censuræ. Quod S. Gregorius Magnus urbe obsessa Longobardis forti animo obstiterit, ac obviam iverit, narrant historici: quod vero delectus habuerit: militem scripserit: in hostem moverit; pedem contulerit, nemo illorum, quod sciam, memorat. Neminem armis offendendo, se defendit. Atqui Gregorius II. (quamvis disrumpantur hæretici) cum preces, ac minæ, fulmina Ecclesiastica, nihil confecissent, immo contemptui essent, arma cepit. Pereunt verba quæ feruntur apud tyrannos. Ludibrio habent censoriam virgam, nisi ferrea fuerit.

Leoni Isauro Imperiū abrogat.

Quaorum tu id pectus fuisse existimas, quod Leoni III. Imperatori, cognomento Iconomacho, ausum est imperium abrogare, eo quod sacras imagines undique proscripsisset, earumque cultum inter crimina violatæ Reipublic. posuisset? Plus simplici vice literas humanitate ac precibus plenas ad eum dederat: ut commovere aut provocare Superos desisteret, rogavit: postquam à perditissimo hæretico se naso suspendi sensit, tam ipsum quam Anastasium Patriarcham, in Sedem Constantinopolitanam, Germano ejecto, in jussu suo impositum, fulminavit, quod lupus cum lupo ularet. Sacra Comitia Romæ habuit Pontifex, quibus Iconomachis hæreseos infame stigma inussit, quam majestatis suæ deformationem cum ferre non posset Imperator, insidiis Papam excipere, ac interficere studuit: sed frustra mali ficam intentant, clypeum objiciente Deo.

Vrbes Italiæ Sacramento solvit, quod Iconomacho dixerant.

Functus insuper summi viri officio est, Gregorius, quando subditos (nam aliquot per Italiam civitates adhuc parebant Imperatori Constaotinopolitano) quando subditos, inquam, sacramento solvit, quod Leoni dixerant. Populus sua sponte ab Iconomachiæ scelere alienus, haud illibenter hæreticum dominum abdicavit. Incredibile dictu est, quantum illo casu debilitatum Imperium Græcum fuerit, & vicissim sublata res Romanorum Pontificum. Nam inde Ecclesia Romana quasi venientes auras sinu excipiens, potentia, auctoritate, divitiis crevit. Infestus etiam Gregorio Luitprandus, Rex Longobardorum fuit, tum

Vnde res Ecclesiæ Romanæ mirifice aucta est.

Italiæ magnates alii, quos mitto, quod minori negotio fuerint submoti. Satis est memorasse, quantum Pontificiæ constantiæ specimen ediderit hic Pontifex, quantumque Ecclesiæ intersit, hæreticis ac tyrannis non cedere, sed contra pro viribus auspice Deo, & bona causa comite, pertendere.

In Clericos comam relaxantes anathema infixit. Baron. an. 721.

Talis igitur S. Gregorius, qualem descripsimus, in hostes fuit: adversus egenos, miseros, non obstrepentes, pius pater. Cum enim vehementer deditus esset orationi, victus asperitati, contemplationi, teneretur que ardentissimo Numinis amore, justas iras ac ferrum in Ecclesiæ hostes acuit: obtemperantes ac bonos in sinu tulit. Liberalitatis ipsius testes esse possent, qui januam Pontificiæ domus insederunt pauperes: laborantes inopia Clerici & Monachi. Multa Deo ac Divis templa ædificavit: quædam tempestate aut longis annis afflicta, refecit: in pleraque Cœnobia sumptus fecit. Ecclesiis, S. Petri præsertim, ac S. Laurentii, magna pecunia detraxit squalorem & situm. Religiosa domicilia, circa D. Pauli basilicam excitata, & extrema linea, id est, exitin proxima, ab aliquot annis stantia, restituit. Gerontocomium, S. Mariæ ad præsepe vicinum, in Monasterium vertit. Insuper aliud S. Andreæ dedicatum, (vulgo Barbaram appellabant) quod humi procumbebat, erexit, Monachis utriusque domicilii Beatæ Virgini servire jussis. Constat autem morem tum obtinuisse, ut præcipuis templis Romæ Monachorum habitacula adjungerentur, ut ad manum essent, qui divina officia peragerent, quod alibi ostendemus. Adhibuit etiam manum templo S. Crucis in Ierusalem (hoc enim nomen fert, etsi Romæ situm) quod Monachi S. Benedicti curabant. Imprimis vero id acceperat Clericos: his successerunt Casinenses, post quos accepit Carthusianos: denique Cistertienses. Magna mihi seges rerum de istis Monasteriis suppetit, sed cui falcem aliis annis supponam: nunc me iterum ad S. Gregorium confero. Gregorius Magnus paternas ædes vertit in Monasterium. Idem fecit Gregorius II. matre sua Honesta demortua. Singulari vero curæ eam Abbatiam habuit, & possessionibus mirifice auctam S. Agathæ dedicavit.

Ipsius fores denso agmine insederunt pauperes.

Pompejus Ugon. de Stationib. Rom.

Paternas ædes vertit in Monasteriū.

Montem Casinum, Religionis nostræ caput, inter rudera squalere, diutius ferre non poterat. Quocirca Petronio negotium dedit, ut adhibita summa diligentia, fabricam solo æquatam attolleret, quam instaurationem cum aliis quibusdam præclaris S. Gregorii facinoribus commodius alibi memoravero. Hoc anno Pipinus Ma-

jordomus

Hoc anno Pipinus, Majordomus Galliæ, concessit.

Jordomus Galliæ concessit, qui rem Catholicam in Germania per Monachos Anglos vehementer promoverat. Luxere, ut par erat, nostri: Alemannia sibi visa est deserta esse. Sed Deus Opt. qui Orbis curam nunquam ponit, D. Petri navim S. Gregorio non absque magno Germanorum emolumento credidit. Pipini filii ac nepotes late postea regnarunt, idcirco sæpius in hac historia Lectori obviam fient. Quidam inter Pipini Majoris Domus Franciæ, liberos S. Noitburgam Virginem habent: nonnulli Pipinum Regem eam sustulisse contendunt: alii B. Plectrudæ neptem fuisse putant. Hoc certo scimus, sanguine ac virtute nobilissimam fuisse, ac Plectrudæ Reginæ disciplina dignam. Propius tamen à vero stant, qui soboli non Pipini Regis, sed Pipini, qui filius fuit Ansigisi, Austrasiæ Principis, ac avus Pipini Regis, eam inserunt.

Canif. & Molan. in Martyrolog. Sur. 31. Oct. Cratepol. V. Noitburga. Barland. in Belg. p. 5. VVion 31. Oct.

Postquam igitur Pipinus iste, vulgo Heristallus, palatii præfectus, & Dux Lotharingiæ, ex B. Plectruda (Germanis Blutraud) Drogonem Campaniæ Ducem, & Grimoaldum, Aulæ Magistrum Childeberti Regis Francorum suscepit: insuper Alpaidam pellicem in thori commercium admisit, legitima uxor secessionem abeo faciens, Coloniam migravit; palatium, Principum Agrippinensium & Lotharingorum sedem (Capitolio nomen erat) in Parthenona mutavit: B. Virgini dedicatum redditibus liberaliter instruxit: ibidem cum Noitburga vitam sanctissimam duxit. An sacrum velum sumpserint, non pronunciant historici, nisi quod Trithemius & Arnoldus VVion, nescio quibus auctoribus Moniales nominent. Drogo & Grimoaldus Noitburgam nuptui dare cogitabant, sed prior febri correptus, discessit: posterior cum ad S. Lamberti aram preces funderet, ab Rangario quodam occupatus & cæsus est. Vtroque hunc ad modum sublato, instabant cognati, ac idem moliebantur, sed cassa opera. Etenim candidissima virgo à Christo suo sponso impetraverat, ne cuipiam alteri in matrimonium collocaretur; si per ipsam staret, malle se mori, dictitans. Voti compos facta atque mortua est: ad caput & pedes funeris duæ luxere faces, cœlo delapsæ. Sacris hominibus exequiarum justa persolventibus, vespillones forte cadaver quoddam subjectis humeris intulere, & juxta S. Noitburgæ sandapilam deposuerunt. Elapsa anima (hem prodigium!) extemplo in corpus exangue revertit, omnibus horrido stupore suspensis. Demum funebribus rite persolutis, in æde D. Petri

Trith. l. 3. & c. 266.

Inauditum miraculum.

Apostoli, cui crebris miraculis nomen ademit, suumque imposuit, prope summam aram condita est. *Quiescit nunc in monte S. Beati*, inquit Canisius, *haud procul Confluentia apud S. Brunonis Sodales*. In religiosissimo, quod dixit, Capitolio, multæ deinceps Colonienses Virgines habitum S. Benedicti sumpserunt, quo etiam Stephanus Papa, quando S. Svvitbertum in Album Sanctorum retulit, cum cardinalibus venit atque Ecclesiam Monasterii maxima populi sacravit frequentia.

Canif. Martyrol. 31. Oct.

AN. CHRISTI 715. AN. S. BENEDICTI 235.

Eleutherius Dux Austrasiæ: Lambertus frater: S. Sebaldus, Regis Daciæ filius: S. Iohannes Archiepiscopus Eboracensis: S. Erminus & S. Theodulphus Episcopi Lobienses.

De S. Arnulpho & multa, & magna scripsimus: nonnihil tamen refricanda tibi memoria est. Procreavit is Ansegisum, à quo Pipinus Majordomus Franciæ: Carolus Martellus, Pipinus Rex, Carolus M. & Ludovicus Pius Imperatores, nec non S. Noitburga descenderunt. Filium quoque alterum genuit. S. Clodulphum; & hic Martinum, per proditionem ab Ebroino occisum. Eleutherius & Lambertus ejus filii, Austrasiæ Ducatum, alter post alterum, exceperunt: uterque vero instabilis mundi tædio capti, humeris pauperem cultum Divi Benedicti, capiti Monasticam coronam induxerunt.

S. Arnulphus summarum Orbis familiarum progenitor & caput.

Praet. Ros. hist. Lothar. l. 1. c. 31. & 52.

Eleutherius Martini filius hæreditatem adivit patre sublato, duxitque Beatricem, quæ sine prole mortem obiit. Quocirca conjugio absolutus maritus, fugam à palatio meditari cœpit: ac in fratrem Lambertum, moli ferendæ parem, Ducatum inclinavit, elapsurus si qua rima pateret. Incredibili itaque vitæ religiosæ accensus amore, fratrem & Ducatum longum valere jussis, S. P. N. Benedicto sacramentum dixit. Locum etsi Rosiers exerte non exprimat, nos tamen divinamus placuisse viro Meteloch, seu Monasterium Mediolacense, ab ista familia fundatum, quod non solum Lambertus, ipsius germanus, insignibus beneficiis ornavit, sed id quoque olim ingressus est. Ex Monasterio secessit in Eremum, pauculo victu se sustentans, nec non ad veterum Anachoretarum morem vitam instituens. Tungrensis Episcopus interea è vita extrusus, locum alteri fecit: Clerus ac populus

Eleutherius Dux Austrasiæ dat nomen S. Benedicto.

pulus

pulus Eleutherium è deserto produci, & Cathedræ imponi flagitarunt. Ille ubique gentium esse malebat, quam in Tungrensi Cathedra: raptus tamen ac prope concisus mitræ caput submisit: plane ac probe Pontificatum gessit: omnium per ora ivit. Eum tamen Demochares in Episcoporum Tungrensium catalago non exhibet. Deinde Tungrensis Episcopatus id temporis Trajectensis, demum Leodiensis appellabatur, priore nomine extincto. Quamobrem etsi non eam inficias, Episcopum fuisse, me tamen de loco dubitare, fateor.

Democh. l. 2.

Lambertus mundum post annos bene multos in imperio actos pariter fastidiens, etsi ex Maria, Comitis Bononiensis filia, copiosam sobolem suscepisset, inter Monachos tamen nomen postea professus est. Filius maximus natu (Lothario nomen fuit) vestigia patris pressit, Ducatu post aliquot annos deposito. Maria filia Treveris ad Divæ Virginis: Beatrix in Capitolio Coloniensi, Magnæ Numinis Matri quoque sacro, religiosa vota nuncuparunt. Lambertus corpore fuit procero: capillis & barba ruffis: pectore valido: lacertis robustis: animo invito: magnificus & à sordibus alienissimus: equestri gloria insignis. Egregiam operam navavit Carolo Martello: bis suppetias Gregorio III. tulit: rebus in Italia compositis, cum Carolo Martello Burgundiones domuit ac Frisones: æternam pariter nominis famam sibi pepererunt propulsando Mauros, qui redacta in ditionem Hispania, vellere signa, & Galliæ inferre sunt ausi. Nisi Historia quam volvo, esset Monastica, emungerem profecto calamum in militaria Principis istius facinora; at sago aliis relicto, ad togam me converto. Sexaginta trium annorum Dux, secunda semper fortuna usus: charus subditis: opes, honores, familiam, liberos denique, religiosæ paupertati, humilitati, asperitati posthabuit: cucullum induit, cum adhuc bella gereret, aliquot ædes sacras (vel certe qui ipsius auspicia sequebantur milites) expilasse, & destruxisse, fama est; quæ sacrilegia ut expiaret, anno DCCLIX. Mediolacensi Monasterio se devovit, ubi dies noctesque brachia ad cœlum tollens, veniam posceret. Quemadmodum vero in sago bellica virtute omnes anteibat, ita in religiosa toga occasionem omnem rem bene gerendi sancteque vivendi occupans, nulli secundus esse strenue contendit.

Lambertus frater in sago & cucullo magnus.

Fato suo functus, ibidem sepultus est, ad innumerabilia in id Cœnobium beneficia etiam ossa sua addens. Non puto me peccare quod multa prætermittam, quæ Franciscus Rosiers de hoc Principe prolixe narrat, cum propositi, hoc est, brevitatis, vel tua gratia sim tenax. Cæterum Lamberto demortuo res ad Loherum filium rediit.

Rosier hist. Lothar. prin. vil. 10. & 11. & l. 13. c. 53. & 54.

S. Sebaldum regio sanguine ortum, omnium fere historicorum testimonio comprobatur: sed id mirabile est, ambigi Danus an Dacus, Hibernus, Scotus, an Britannus, fuerit. Insuper obscurum esse, quodnam ipsius pater habuerit nomen. Natales è Dania eum duxisse, haud credam, cum ultimi Septentrionis regna hoc temporis densis idolorum tenebris adhuc fuerint perfusa. Bonis litteris Lutetiæ Parisiorum institutum, ajunt. Etsi enim Academia primum à Carolo M. ad annum DCCXCI. fuerit aperta liberales artes nihilominus ibi sedem haboere, etsi minus magnificam. Deinde quicquid se dignum erat, ab ore Monachorum in Monasteriis capere poterat. A scholis ducenda uxor erat, quam ille nec digitulo quidem attingere volens, in Eremum viam flexit, ubi tugurium undique rude constituit, ramis latera intexens, egregiam aulam veteri palatio longe antepoluit. Quindecim anni media, oratione, vigiliis hic tracti. Postmodum sarcinula in humeros sublata, Romam carpere viam juvit. Clavum Ecclesiæ tum tenebat Gregorius II. qui tacitis sæpe cogitationibus volutavit animum, quo pacto dæmonum vinculis vastam Germaniam penitus expediret. Igitur Sebaldum eo, quo sponte ferebatur, dictis impulit, qui proinde sacris liminibus etiam atq; etiam salutatis, templisq; celebrioribus vultu demisso cultis, Bavariam petivit, in itinere quoq; divinorum verborum sementem faciens. Variis viæ incommodis exhaustus, consedit Ratisbonæ hybernavitque. Cum tecto successisset, frigeretque tam paterfamilias quam focus (nam is negavit quicquam fovendo igni in manu sibi esse: an inopia, an inhumanitate, haud sciam:) rigenti manu stririam rapuit: carbonibus suggessit: stupescentibus universis focum excitavit. Interea solitudinis desiderium denuo subivit animum. Igitur statuit sedem in sylva capere quę Ratisbonam inter ac Norimbergam ingenti se spatio explicabat. Nec ponte neque navi Danubium superare promptum erat, ripis nondum junctis, cymbaque deficiente. Impatiens moræ vestes deripit, inque undas jactat, simul Numinis pacem exposcens insistit:

S. Sebaldus peregrinationes ad Gentiles suscepit.

Iac. Middendorp. l. 2. Acad. p. 137. Hari. p. 162.

Quindecim annos in Eremitorio consumpsit.

Cœlo hyemante focū stiria excitat.

Cluver l. 3. c. 8. p. 50. & 1. 2. p. 17.

Vestem in Danubium spargit: insistit: vehitur in adversam ripam.

prove-

provehitur portu, ac cœlo aspirante adversum littus tenet.

Inde in sylvam arboribus densam penetrans, dentro è ramis & quam sors offerebat, materia exiguam casam aptavit, palatia irridens. Hic vigilias, preces, jejunia denuo continuavit: sæpe etiam ad homines sylvestres sacra verba fecit. Vltimo ætate, inedia, vigiliis fractus, Norimbergam in Sancti Martini Monasterium, quod postea à S Ægidio nomen accepit, se contulit, reliquum senectutis inter Cœnobitas acturus. Ad xiv, Kalend. Septembr. supremam diem obiit, à Martino V. Divis additus. Sacra viri lipsana magna pars ornamentorum Norinbergensium fuerunt, donec nunquam frugi hæresis quasi minimi pretii, eineres istos cœpit contemnere, ac nihili pendere. Magnis tibiis Imperii insignia, quæ servat, hæc urbs canit hodie, veluti Ensem, Sceptrum, paludamentum, pomum (*quod ætate nostra Gustavus Adolphus, Suecorum Rex, spe devoravit, at tantum gustavit, ac mortuus est:*) Coronam Caroli Magni: Sed Divorum ossa nullo numero habet. *Condiderant cives paullo antequam Lutherana pestis urbem nobilissimam occuparet*, inquit Matthæus Raderus, *Divo Sebaldo inclitum Mausoleum, quod ut ex rationibus M. S. codicis Norimbergens. constat, ex orichalco singulari opere factum, septuaginta octo millibus sexcentis quadraginta quinq; aureis æstimatur.* Ne mireris: urbis patronus fuit.

Sepultus Norimbergæ est.

Rader. Bavar. Pia. Anno 1519.

Ad hunc nobilem chorum etiam S. Iohannes, Archiepiscopus Eboracensis, confluit, ab ipsa annorum ratione evocatus: Venerabili Bedæ vehementer celebratus. Monachus ad S. Hildæ fuit, ex quo Monasterio, tempore eodem Monachi quatuor totidem Episcopatus in Anglia gesserunt, Beda teste, quæ inter sidera etiam noster S. Iohannes luxit, Hagustaldensis Episcopus, Northumbris populis charus Antistes. In summa dignitate nihil de rignre vitæ remisit, quod eum tiara, S. Benedicti Regulam simul ferre posset.

S. Iohannes è Monacho Eboracensis Archiepisc. Beda l. 5. c. 2.

Quid ego testes alios accersam, qui Venerabilem Bedam habeat? Vel de hoc signo agnosce virum, quod è publica luce in Asceterium S. Petri in Sylva, se subducere consueverit. Verno jejunio negotiis relictis unde damnum capi non poterat, urbe sese extulit, quo tenderet ore premens, obscuroque luco, uno ac dimidio lapide domo distante, exuto splendore se condidit, ibique in S. Michaelis sacello, omnes quadragesimæ numeros emensus est. Imperare famulo clàm solebat, ut à principio sacrorum die-rum hominem sibi pauperem adduceret, in in quem omnia charitatis officia edere posset. Vicina in villa decumbebat juvenis cui defluxerant capilli, purulenta crusta caput occupante: ora infecerat similis lepræ scabies: magno conatu nec verbum expedire vel evolvere poterat lingua, nec aliter quam vitiliginose olebat corpus. Hoc igitur monstrum Iohanni nostro allatum est, nec ideo caperavit frontem indignatione, sed opere tumultuario mapale egregio eivi excitari jussit in vicino, ut in momenta operam ipsi navare posset. Exacta simul una hebdomade, Iohannes age sis, dixit, tuam linguam prome, & habe bonum animum. Verba quæ tibi prævivero, repete, mihique redde. Annuit ille, suspensus expectatione. Tum magister summæ linguæ crucem inscripsit: verba muto prævivit: discipulus fati cepit: eadem verba absque hæsitatione edidit, magistroque reddidit. Scabiem medicos curare jussit: ipse unguento preces addidit: turpis juvenis illico formosorum numerum auxit.

Beda l. 5. c. 2. 3. 4. 5.

Quadragesimam in solitudine agit.

Muto linguam expedit.

Chirurgus, quod Beda refert, cuidam Moniali sanguinem detracturus, venam feriendo trajecit. Confestim brachium ita intumuit, ut non modo jam inutile foret, sed miseram fœminam in vitæ discrimen adduceret.

Beda l. 5. c. 3. Brachium è trajecta vena tumidum, componit.

Cum Antistiti magnæ sollicitudini ejus valetudo esset, sanctum Episcopum evocavit, obtestans ut tanto alumnam suam malo levaret. Ecquandonam venam Chirurgus incidisset, percunctanti, proxima luna quarta, responsum est. Tum is inscitiam hominis, culpans, nullo discrimine dies habentis, crucem & bona verba adhibuit: illachrymanti Moniali brachium restituit.

Postquam Pontificatum Hagustaldensem aliquot annos gessit, VVilfrido Archiepiscopo Eboracensi fatis sublato suffectus est: in qua Sede multa admiranda patravit. Forte aliquo tendebat templi cujusdam dedicandi gratia. Obvia se obtulit Comes quidam, majore in modum supplicans, ut conjugi suæ auxilio ferre ne gravaretur. Iam enim diffuso toto corpore maligno calore quadragesimum diem eam coqui. In proximo erat Monasterium, quo S. Iohannes cogitaverat, quod ægre in sæcularium tectis diversaretur, victus tamen ad Comitem divertit. Aquam deinde lustralem protulit, ac ea ardentem febri & prope fumantem matronam lavari jussit quibus partibus maxime laboraret. Illa sic lota non secus quam olim socrus Sancti Petri, valens atque firma è lecto se proripuit: E-

Fit Eboracensis Archiepiscopus Bed. l. 5. c. 4.

piscopum omni obsequiorum genere prosequuta est.

Beda, c. 5. Juvenem moribundū sano eximit.

Quidam juvenis, ut etiam est apud Bedam, ferme jam agebat animam, parentibus frustra supinis manibus madida vota ferétibus. Quamvis jam nullus esse amplius videretur ægrotus, simul tamen calicem libavit cui S. Iohan. bene precatus fuerat è cubili emersit, nec diu post solide convaluit, mensaque nondum remota, qua tam peritus medicus acceptus fuit, ille jam vestes sumpserat ac advolarat, quasi res quoque sua ageretur. At nolo plus justo à brevitate declinare. Quamvis enim alia atque alia admiranda designavit, me tamen Beda hoc fasce levat, qui prolixe describit, & postremo addit, S. Iohannem abivisse Pontificatu Eboracensi, subrogato VVilfrido presbytero suo, ut tanto facilius rationes suas cum Deo conficere posset: hacque de causa in Monasterium S. Petri in Deirorum sylva situm, se transtulisse. Cœlos Non. Maij petivit.

In domitos tauros insitam ferocitatem exuere docet.

Hoc prætermittere non debemus, quod VVestmonasteriensis ad annum DCCXXI. narrat præsertim cum Baverlacensium vicinorumque fidem appellet. Faciendis festis torta de canabe vincula indomitis tauris gens illa iojicere consuevit. Tum luctantes & pugnantes caute in cœmeterium templi, quo conditus S. Iohannes est, trahunt. Potiti hoc loco, vincula illis adimunt: mirabile visu! bestiæ simul ferociratem exuunt: provocati ab iis, quibus terrori fuerant, colludunt. Morem hunc sua quoque ætate (id est, anno MCX.) viguisse, idem auctor affirmat. Merito grates habemus Numini, quod ubique terrarum atque gentium admirandis factis ad amicorum suorum cultum nos provocet.

Taurilia in Hispania agi solita.

Simile prope festum in Estremadura Hispaniæ apud Brozas, sedem Commendatoris Majoris nobilissimi Ordinis de Alcantara, quot annis adornari solet. Etenim luce D. Marco sacra, cui de templis unum dedicatum est, taurus efferatus, more per manus tradito, non vinctus, ut prior, sed liber in spectaculum agitur, intento populo ut ludos faciat.

Tum præfecti Sodalitatis D. Marci se se admovent: prœlia parantem bestiam se sequi jubent, hæc submisso capite vestigia premit, unaque templo succedit. Vespertinis officiis persolutis, cum bona venia domum discedit. Die postero iisdem verbis legitimis in sacram D. Marci ædem revocatur: pari promptitudine præfectos sequitur: dum res fit divina, pedem figit. Sodalibus supplicantium ritu procedentibus se quoq; adjungit. Interea pueri tam mansueto ac ferme humano certatim incumbentes, spiris farinaceis sertisque venerandum (ut putant) caput coronant. Circumacta supplicatione cum populus dimittitur, ipse pariter abscedens; suum stabulum ac pristinam ferocitatem, immemor S. Marci repetit. Qui mihi primus perpetuum hocce miraculum narravit, Franciscus Sanchea Brozensis fuit, homo propter spectatam doctrinam minime obscurus. Vbi vero Brozenses Commendatori Ordinis clarissimi de Alcantara parere intellexi, cujus insignis Prioratus est Salmanticæ, veri indagandi studio excitatus, accessi; Collegiales (lectissimos profecto & gravissimos mortales) plenus admiratione interrogavi itane tandem res cum tauris Brozensibus se haberet, uti ego à Francisco Sanchez accepissem? Quid vis? summo consensu omnes affirmarunt. Vtinam hæretici, fatuis Lutheri & Calvini mariscis inescati, tam suum erga Cœlites officium facerent, quam boves!

S. Erminius Abbas & Episcopus Lobiensis.

Monasterium Lobiense ad Sabim fluvium, secundo milliari à Binchio Hannoniæ oppido, situm, anno DCLI. spectandum dedimus. Hujus Abbates à Maximis Pontif. etiam Episcopi Regionarii nominati sunt, eo quod non solum Monachis præfuissent, sed præterea ad paganos ivissent: Christiana eos disciplina instituissent: templa sacrassent. Mens enim multis Fundatoribus fuit, ut quidam de cœtu se tenerent domi, sua sque rationes ad S. Regulam dirigerent: alii gentilium ac dæmonum furori se offerentes, obnoxia stygii capita divinas leges edocerent: denique sacris lustrarent. Hac tẽpestate fasces penes S. Erminum fuerunt, qui Lauduni in Francia nobilibus parentib' natus Monachũ in Lobiensi Cœnobio induit. S. Vrsmaro ad Superos trãslato, delectus à Patribus habitus est: placuit ante omnes Erminus. Quod ad labores domi forisq; susceptos sufficeret, multi mirabantur XI. Kalend. Maij concessit: Binchii tamen ubi sepultus est, festum ipsius ad VI. Kal. ejus mensis indicunt.

Molan. Indic.

S. Theodulphus ei successit.

Trith. l. 3. 196.

Postquam S. Erminus oculos cum vita condidit, S Theodulphus, vitæ sanctimonia ipsi non inferior, ad clavum successit. Trithemius cum nonnullis aliis in Sedem Rhemensem eum imponit, quem tamen cum tabulæ Archiepiscoporum Rhemensium prætereant, neque ego illum huc incerto gradu evexero. Quid si Trithemio ansam præbuit, quod Antistites Lobiensis (ut erant Episcopi Regionarii) Rhemos quoque venerint, partaque fama Pontificibus Rhemensibus ab ignaris fint. Charon cœlo animam VIII. Kal. Iul. exhalavit, cujus probatissima Martyrologia meminerunt. Hu-

Demochares l. Catal. Archiep. Remens.

tus primo in Lobienli Monasterio suo; postea cum aliis sanctis Monachis Lobiensibus Binchium translatus est.

Reliquos Abbates & Episcopos, hujus Monasterii suos in annos dispoſuimus: iſtos autem Sanctos Antiſtites tangere oportuit, ut de Germaniæ ſtatu conſtaret, cui ſub hoc tempus undique ſuppetias tulere noſtri Monachi. Tantum enim illis erat animi, quantum idololatris impietatis: quamobrem ex omni parte (quod Alexander Magnus ſolebat urbes expugnaturus) idola obſederunt. Claſſem Vltrajecto admoverunt duodecim de Anglia viri Apoſtolici; ſocias copias ſubmiſit Fontanella ad Frangendos Friſios: Lobienſes & Stabulenſes Flandris perſuaſerunt, ut, averſos ab orco vultus ad cœlum ac verum Deum tollerent: Bavaros & Thuringos S. Bonifacius adortus eſt: S. Priminius Epiſcopus Regionarius, per Alſatiam ſua ſigna in Alemanniam ferens, tot opulenta Monaſteria ædificavit, quot ego edere vix auſim. Ampliſſima quæ habentur in Hiſpania ad mediocria Germaniæ conferre vix auſim. Numerum ac rationes tam horum quam illorum Tomo III. & IV. inhibimus, ſi Deus Opt. vitam ac vires nobis ſuggeſſerit. Hic autem Tomi II. anchoram figimus te quoque annuente, ac plures expectante. Duabus enim navibus omnes S. Benedicti facultates committi haud poſſe, non ignoras.

***

Ad Maiorem Opt. Max. Gloriam.

APPENDIX
TOMI II.

Exhibens litteras è tabulariis petitas.

Firmiſſima actorum fundamenta producuntur ex archivis, ut male Monaſteriis ſuis, poſteriſq́; conſulant, qui fundationum & rerum geſtarum tabulas, ſuperſtitioſe celant, & abſcondunt: tum teneis, blattis, incendiis, furibus, militibus, cuncta per jocum ſcindentibus negligenter imprudenterque objiciunt. Quot Bullæ, Privilegia, Diplomata antiquitatum monumenta ſic peſſum iverunt, (Bello præſertim Suecico) quibus non alia res magis quam typus, æternitatem præſtare potuiſſet, quod aliis ab Ordinibus diligentiſſime obſervatum eſt? Quid vis? Littera ſcripta non manet, manet impreſſa. Ipſum quoq́; tempus vel ſolum, abſq́; alia injuria, nihil non conſumit.

Sunt Monaſteria, quorum ſi Fundatores & Benefactores exigas, incolæ ſcalpunt aures, tacent. Si cauſam ignorantiæ roges, archivum ſemel, bis, ter conflagraſſe: ab hæreticis direptum: à militibus dilaceratum: à blattis exeſum: cum exteris incaute communicatum, non abſq́; gemitu, non abſq́; rubore reſpondent. Hujuſmodi igitur monumenta ſervandi optimus eſt modus (quis negat?) mandare typis quà nocere non poſſunt.

SCRIPTURA I.

Litteræ, quibus Capitulum Cathedrale Salisb. compoſitioni controverſiæ, quæ ei de de loco digniore in publicis Supplicationibus cum Monaſterio S. Petri interceſſerat, ſubſcripſit.

Nos Henricus, Dei gratia Præpoſitus & Archidiaconus, VVolframus Decanus, & totum Capitulum Canonicorum Regularium Eccleſiæ in Saltzburg; Quia ſecundum Apoſtoli conſilium ſervos Dei à litibus abſtinere decet, in quibus peccata gravia committuntur, ideo præſentibus & futuris pateat univerſis, quod propter multimoda bona, poſſeſſiones, libertates, & dignitates, quæ ab antiqua matrice Eccleſia Sancti Petri cum translatione Epiſcopatus, & alias ad noſtram, & Eccleſiæ noſtræ utilitatem translata &

concessa sunt, nos recta deliberatione & jure admisimus compositionem, quam Reverendus PATER & DOMINUS EBERHARDUS ARCHIEPISCOPUS de loco in Processionibus pro tempore agendis, inter nos & Fratres dictæ Ecclesiæ fecit, ut videlicet ipsi Fratres perpetuo ultimum & digniorem locum in eisdem Processionibus haberent, quemadmodum habuerunt pacifice à tempore institutionis Ecclesiæ nostræ, & nos eos præcedere debeamus perpetuo, in signum antiquitatis & dignitatis Maternalis, cum ipsi essent hujus Civitatis primi incolæ, atque eorum Ecclesia prima Mater, ubi Beatissimus Pater & Patronus Rhodbertus Cathedram Pontificalem sibi constituit, unde fundamentum aliarum Ecclesiarum dicitur.

Consensimus insuper, ut idem EBERHARDUS eosdem Fratres perpetuo privilegio muniret de illo postremo & digniori loco in Processionibus. Præterea, ut perpetuam gratitudinem sentirent, firmam eis facimus promissionem, nunquam in perpetuum eos turbare, aut molestare in suis juribus, & consuetudinibus, quas habent & possident, & ab antiquo habuerunt, sed ut Patres nostros antiquæ Matris venerari, & fovere in omnibus. Ideo præsentem litteram sigillorum nostrorum, Præpositi, & Capituli, munimine in evidens Testimonium duximus roborandam.

Testes sunt Hugo de Garsa, Gebhardus Comes de Burghusen, Lultvvinus Castellanus in Saltzburg: Ebo de Berchah; Engelschalcus de Frisaco, & alii plures CHRISTI fideles. Acta sunt hæc ANNO incarnationis Dominicæ M. C. XLVIII. indict. XI. Calend. Ianuarii.

SCRIPTURA II.

Eugenii III. Bulla, anno 1149. Monasterio Sancti Petri data, qua pacta, quæ inter Conradum I. Archiepiscopum Salisburgens. nec non Cathedrale Capitulum & Sancti Petri Monasterium convenerant, confirmantur.

EUGENIUS EPISCOPUS Servus servorum DEI, Dilectis filiis Balderico, Abbati Sancti Petri Saltzeburgensis Monasterii, ejusque Fratribus, &c. Interventu Venerabilis Fratris nostri EBERHARDI, SALTZEBURGENSIS ARCHIEPISCOPI, vestris rationabilibus postulationibus duximus annuendum, statuentes ut Regularis Ordo, qui secundum Deum, & Beati Benedicti Regulam per sanctum Rudbertum, quondam vestrum Abbatem & Episcopum Saltzeburgensem, in eodem loco introductus & institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Ac omnia jura & privilegia, quibus præ aliis Ecclesiis ob celebrem antiquitatem & merita fidei, quæ multis gentibus à vobis illuxerunt, honorati estis, videlicet in prioritate loci dignioris, quam in stationibus & Processionibus, supra Clerum & Canonicos ejusdem civitatis, de mandato & institutione multorum Archiepiscoporum Saltzeburgensium, & consensu Canonicorum per præfatum Venerabilem Fratrem nostrum Eberhardum plene informati fuimus, semper habere consuevistis, una cum cæteris prærogativis, quibus hactenus in quieta possessione fuistis, vobis in confusa permaneant. Sane ne quis vestrum Clericus vel Laicus, post professionem exhibitam proprium quid habere, neve fine Abbatis vel Congregationis licentia, claustra Monasterii deserere audeat, interdicimus: & tam Vos quam vestra omnia Sedis Apostolicæ protectione munimus.

Vobis itaque vestrisque successoribus, in sancta Religione mansuris, beneficia Ecclesiastica & alia omnia perpetuo possidenda facimus, quæ in præsentiarum juste & legitime possidetis, sive in futurum, largiente Deo, justis modis poteritis adipisci. Et ut eò tranquillius in eadem sancta Religione persistere possitis, omnia quæ Venerabilis Frater noster Chunradus, Archiepiscopus ejusdem sedis pro simili conservatione jurium vestrorum statuit, & ordinavit, videlicet, ut electionibus Archiepiscoporum Saltzeburgensium, Abbas vester pro tempore existens, semper interesse debeat loco vestro, ad quos olim electio spectabat, & quem ipse unà cum Canonicis præfatæ Sedis elegerit, Archiepiscopus habeatur, absque aliorum quorumcunque contradictione, & quæ in resignatione Ecclesiæ Plebesanæ, Civitatis Saltzeburgensis, de consensu ejusdem Archiepiscopi præfati, reservastis in decimis, & facultate familiam vestram utriusque sexus tempore paschali Sacramentis providendi, ac in Sabbatho Paschæ

vel Pen-

vel pentecostes aliquos parvulos Baptizandi, in signum recognitionis antiquæ Matricis: obligationem quoque vobis factam à Canonicis præfatis Ecclesiæ S. Rudberti, ob varia bona, possessiones, & translationem Episcopatus Saltzeburgensis, & resignationem dictæ Ecclesiæ plebesanæ, prout in litteris memorati Fratris nostri Chunradi Archiepiscopi plene continetur, unà cum donatione Ecclesiæ in Mülpach, & decimis viginti quatuor patellarum salinariarum ibidem, cum multis aliis bonis, quæ successive tam præfati Archiepiscopi, quam alii pia consideratione morine personæ vestri Monasterii Domino famulantes assiduo studio piæ vitæ, propter temporalium facultatum inopiam, quam ex translatione Episcopatus, & resignatione Ecclesiæ plebesanæ præfatorum incurristis, à Religionis observantia aliquando desisteretis, vobis contulerunt, approbamus, confirmamus, perpetua firmitate inviolabiliter observari volumus, decernentes vigore præfatæ obligationis, dictos Canonicos cecidisse ab omnibus bonis, possessionibus, juribus, etiam Archepiscopatu, & Ecclesia Plebesana, quæ à vestra Ecclesia ad eos multa pietate translata sunt, si unquam in vestris juribus vos molestaverint, vel contra præfata statuta seu unum illorum quicquam attemptaverint, eaque omnia iterum ad Ecclesiam vestram redire debere, & devolui.

Præterea sepulturam vestram antiquissimam ejusdem loci, liberam manere volumus, & concedimus cum omni suo jure, exequiarum peractionibus recipiendi oblata quæcunque. Et eorum, qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni & extremæ voluntati, etiamsi de Ministerialibus, vel illis, qui ad Dominicalia præfati Archiepiscopi, vel Canonicorum pertinere noscuntur, nisi forte excommunicati sint, vel interdicti, nullus obsistat.

Adhæc decernimus, ut nulli omnino hominum facultas sit, vestram Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integre conserventur, eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Metropolitani proprii reverentia. Porro Sacramenta Ecclesiastica ab eodem Saltzeburgensi Archiepiscopo, vestro Diœcesano pro tempore existenti, suscipiatis; siquidem Catholicus fuerit, & gratiam atque communionem Apostolicæ Sedis habuerit, eaque gratis, & absque aliquâ pravitate vobis voluerit exhibere, alioquin Catholicum quemcunque volueritis, Antistitem adeatis, qui nostra fultus Authoritate quod postulatur, indulgeat. Obeunte vero Te, nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi aliqua surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars majoris & sanioris consilii de suo, vel de alieno si opportuerit, Collegio secundum DEI timorem, & Beati Benedicti Regulam elegerint. Electus autem à suo Episcopo Ordinario Benedictionem accipiat. Nec Episcopo, nec Abbati ipsi liceat Cœnobii bona in feudum sive beneficium, sine consensu omnium, vel majoris & sanioris partis, aliquibus dare, vel modis aliis alienare, distrahere, dilapidare, commutare, impignorare, vel inbeneficiare: Sed ipse Abbas, ut bonus dispensator res Ecclesiæ vestræ modis omnibus studeat dispersas congregare, & congregatas conservare.

Nulli etiam Episcopo licentia pateat angarias, vel alias novas exactiones canonicæ quieti & religioni contrarias, vobis & Ecclesiæ vestræ imponere. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam scienter contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine DEI, & Domini nostri IESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco jura sua servantibus sit pax Domini nostri IESU CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, &c.

SCRIPTURA III.

Litteræ Eberhardi II. Salisburgensis Archiep. quibus digniorem locum in Processionibus Monachis ad S. Petrum affirmat

INnocentissimus omnibus, tam præsentibus quam futuris, qualiter Simon Abbas, & Fra-

& Fratres Ecclesiæ S. Petri nobis obtulerunt quoddam privilegium, à Venerabili Eberhardo, Antecessore nostro, eis datum; in quo plene continebatur, quod idem Eberhardus ob antiquam dignitatem Ecclesiæ S. Petri, quæ Metropolis fuit, & omnis salutis Fundamentum totius provinciæ, & multarum Gentium, à qua dignitas omnis & Magnificentia cum multis etiam redditibus ad nostram Ecclesiam processit, & Fratribus ibidem annuentibus eam privilegiaverit, cum consensu Canonicorum Ecclesiæ S. Rudberti, ut in perpetuum ultimum & dignjorem locum in Processionibus nostræ Civitatis habere debeant; quemadmodum ante semper habuerunt, in signum pristinæ dignitatis & Antiquitatis, petentes ut etiam idipsum privilegium de benignitate nostra revocare, & confirmare dignaremur. Nos igitur attendentes antiquissimam ejusdem Ecclesiæ Dignitatem, & consuetudinem in Processionibus, & aliàs observatam, & ab antiquo introductam, Antecessorum nostrorum piis inhærendo vestigiis ex certa nostra scientia eam ut Matrem venerantes antiquam, dictum privilegium & consuetudinem approbamus, renovamus, & confirmamus, &c. Testes hujus rei sunt, &c. Data sunt hæc apud S. Zenonem in Halle, Anno incarnationis Domini M. CC. X. Indictione XIII. præsidente S. Romæ Ecclesiæ Innocento III. regnante Imp. Ottone III. Pontificatûs nostri Anno X.

SCRIPTURA IV.

Nicolaus I. confirmat bona Corbejæ collata.

Nicolaus Episcopus servus servorum Dei, Trasulpho Religioso Abbati, & per te Venerabili Monasterio beatorum Principum Petri ac Pauli, quod appellatur Corbeja in Francia.

QVod Beatus Apostolorum Petrus eximius per attributam & revellatam sibi divinitus gatriam, licet suis longe imparibus meritis, nobis tamen singulari prærogativa, ut in totius Christianæ religionis universitate principaliter excelleremus, contulit. Quatenus sicut dignitate & auctoritate per ipsius singulare privilegium omnibus præeminemus, ita universarum Ecclesiarum Dei sollicitudinem habeamus, singulisq; fidelibus, atq; piis locis in quibus jugi Deo famulantium sedulitate placatur, divinitus opportuna suffragia conferamus. Vnde quia non multis intercedentibus annis Monasterium beatorum Apostolorum Petri ac Pauli, quod appellatur Corbeja Venerabilis qui tunc fuerat Abbas Odo, & gloriosus dilectus filius noster Rex Francorum Carolus, decessorem nostrum sanctæ recordationis Benedictum Pontif. directis ad eum, tam litteris quam missis, postulavere in prædicto Monasterio ut rerum suarum liberam concederet dispositionem, & in eligendo de semetipsis Abbate, regularem daret canonicamq; licentiam. Quorum petionem ille gratanter accipiens, petita concessit, & ut concessionis ejus perpetuitas servaretur, privilegium Monasterio jam dicto fecit. Nunc vero adveniens venerabilis Odo Beluacens. Episcopus qui prius Abbas Corbejensis Monasterii fuerat, innotuit nobis tam petitionem ipsius benigni Principis, quam postulationem tuam, qui prædicti Monasterii Corbejæ Abbas esse dignosceris, quia postulasti, ut quæ prius Monasterio illi à decessore nostro beatæ recordationis Papa Benedicto concessa fuerant, auctoritatis nostræ promulgatione firmare non abnueremus. Nos itaq; considerantes religiosam esse petitionem tuam, & nihil novi nos cōstituturos, si prædecessorum nostrorum decreta sequamur; pastoralis quoq; pariter esse officii servorum Dei jugiter utilitati, commodisq; prospicere, decernimus, ut Monasteriū Corbeję quod ad laudem Dei, in honorem sanctorum Apostolorum Petri ac Pauli constructum esse dignoscitur, & à Baltilde Regina Francorum, filioque ejus Lothario, à principio fundatum, & donariis rebusque necessariis locupletatum, quod est in Pago Ambianensi super fluvium Summa situm, rerum suarum liberam in omnibus habeat disponendi regulariter potestatem, ut quæcunque ejus Monasterio in auro, vel in argento, & in agris, vel famulis seu quibuslibet rebus fuerint oblata, sive in præsenti die collata esse constant, in tua, tuorumque successorum Abbatum, fratrumque maneant dispositione, ut quidquid secundum Dei timorem ad Ecclesiæ ipsius utilitatem regulariter & canonice disposueritis agere, liberam in omnibus habeatis faciendi potestatem.

Episcopus vero Ambianensis, nullam ex eis, vel accipiat, vel exposcat portionem, nec vel in Abbate vel in fratribus, vel in ipso cœnobio potestatem obtineat, neque in cellis ipsius Monasterii dominatione potiatur ulla, neque in clericis, neque in famulis, & in omnibus quæcunque ad Monasterium illud videntur habere possessionis respectum, sicut jam olim concessum illi Mo-

nasterio

nasterio cognovimus ab Episcopo Ambianensi, & ab aliis Episcopis Galliarum, & privilegio cessionis firmatum tam temporibus dilecti filii nostri Caroli præsenti tempore regnantis, quam antiquis temporibus Batilde Lotharioque Francis principantibus, nisi quantum canonicus ordo permittit, nec ad Monasterium seu cellas ejusdem vel ipse per se Episcopus, vel Oeconomus ejus, vel Archipresbyter, vel Archidiaconus illius aut qualibet ex eis agentibus persona, potestatem habeat accedendi nisi forte ab Abbate Monasterii, vel fratribus necessitatis causa, vel dilectionis gratia vocatus advenerit, ne importunitate sui, ministrorumque suorum inquietudine Fratres vel Abbates sustineant ullam molestiam neque in Ecclesiis prædicto Monasterio subjectis, vel in presbyteris eisdem Ecclesiis ordinatis, aliquam tentet facere perturbationem, vel Abbati, vel fratribus novam constituendo, & antiquam consuetudinem violando: sed sicut regulariter, & canonice disposita sunt, & longo jam tempore manentia, ita quoque futuris temporibus maneant inconcussa, nec potestate Episcopalis fastus abutens violenter contra constituta majorum disponere velit aliquid adversus voluntatem Abbatis, & fratrum in ipso cœnobio Deo quocunque tempore militantium. Ordinationes quæ necessariæ fuerint in Monasterio, sive de Monachis, sive de canonicis, & quas petierint Abbas & fratres agere non differat; altaris quoque & basilicarum benedictiones, sive consecrationes, prout necessitas postulaverit, vel in ipso Monasterio, vel in agris ipsius Monasterii libenter concedat; chrisma quoque & oleum consecratum per singulos annos præbere non differat, & pro his omnibus nullum munus accipiat, ne spiritus sancti gratiam vendere conatus, Simonis damnationem (quod absit) sustineat. Hoc constitutum non solum Episcopum Ambianensem, verum etiam omnes per Gallias, Germaniasque Provincias Episcopos ubicumque præfatum Monasterium, vel Ecclesias, vel agros, vel famulos habere dignoscitur, observare sine cunctatione, seu contradictione decernimus, ut nullus potestatis jure de rebus præfati Monasterii, sine voluntate Abbatis, fratrumque ipsius Cœnobii abutatur; sed maneant omnia quæ collata sunt, fuerint in territorio ipsius Monasterii potestate, & regulari dispositione, nec sit aliquis, vel regum, vel ullius potestatis, seu dignitatis fultus gradu, qui de Monasterii præfati rebus, vel violenter, vel potenter invadat aliquid, vel diripiat; Abbatem vero fratres ipsius Monasterii de se ipsius eligendi semper habeant potestatem; & eam personam eligant, quæ Monachi propositum, & habitum Monachi profitetur, non canonicum, aut laicum, nec alterius Monasterium monachum: quoniam monachico ordini præficere, vel laicum, vel canonicum, non est servare ordinis professionem sed evertere: quod unusquisque præpositus cujuscunque ordinis, ejus quoque erit & propagator: nec bene disponit aliquando cujuscunque militiæ vitam, cujus non fuerit ipse qui disponit æmulator: sed neque Rex, neque potestas aliqua ullam Monasterio Corbejensi præponat personam, quam non fratres ipsius elegerint Monasterii. Debent enim mundi principes honorem præstare Deo, quem sibi volunt præstari à Deo, videlicet, ut quemadmodum cupiunt à Deo sibi collatum Regni honorem conservari, sic Ecclesiæ Christi suam non dedignentur servare legem. Non enim decet neque justum videri poterit, ut sibi militantibus de Ecclesiæ CHRISTI possessionibus mercedem restituant, & quod de republica sua retribuere debent, id reddere velint de his quæ collata sunt Deo. Qua de re præcipimus omnino, ut Monasterio Apostolorum Petri, ac Pauli, quod Corbeja dicitur, nullam præficiant personam, vel sibi militantibus, vel ex alieno Monasterio sumptum, quæ non per electionem sumatur probabilem, sive de laico sive de canonico, sive de quocunque fuerit ordine.

Quoniam vero multæ quæruntur ab importunis hominibus malignitatis occasiones, & necesse est semper adversarii tela clypeo protectionis repellere: decernimus, ut Abbas postquam electus fuerit, & ordinatus, nulla potestate prævalente dejiciatur, nisi in criminis causa fuerit deprehensus, cujus merito rectoris non debeat administrare officium. Infamiæ vero maculis, seu criminis alicujus denotatione si fuerit appetitus, non præter canonicam, & regularem deponatur examinationem. Hoc autem constitutum, si fuerit ab aliquo prævaricatum, per Episcopum Ambianensem, quisquis ille fuerit, ex nostra conveniatur auctoritate, aut eum qui hujus sedis constituta convulserit conveniat, & iniquitatis suæ culpam commoveat, cuique periculo subjiciatur, notum faciat. Quod si vel ipse neglexerit vel despexerit, vel timuerit perficere, Metropolitanus Epi-

ſcopus conventus à fratribus ipſius cœnobii perſonam hujus ſanctionis violatricem adire non differat, & hujus noſtri decreti teſtificationem innoteſcat, atque ab eo, quod prave geſſit, recedere non moretur, & ſua noſtraq; autoritate conteſtetur.

At ſi ille contumaciter in ſui facti perpetratione permanere decreverit, & non quod inique geſſit, corrigere maluerit, licentiam habeant fratres Monaſterii prædicti, Romanam Apoſtolicamque Sedem adire, & neceſſitatis ſuæ cauſas ante Papam, qui tunc fuerit urbis Romæ, deponere, & præſentis præcepti conſtitutionem manifeſtare: Sicq; Romanus Pontifex cognita cauſa juſtæ damnationis ſententia reum mulctare non cunctetur. Si quis vero Sacerdotum, vel Clericorum hanc conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens, contra eam venire tentaverit, ordinis ſui dignitate careat: laicus vero cujuſcunque ſit poteſtatis, vel dignitatis, ſi hujus privilegii decreta in aliquo violaverit, rerum ſe judicio divino exiſtere de perpetua iniquitate cognoſcat, & niſi vel ea, quæ ab eo ſunt male ablata, reſtituerit, vel legitima pœnitentia illicite acta defleverit, Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri, ac Pauli autoritate, atque noſtra ſententia anathematis vinculo innodatus, à ſacratiſſimo corpore, & ſanguine Domini noſtri Iesu Chriſti alienus exiſtat, atque examini diſtrictæ ultionis ſubjaceat. Cunctis autem eidem venerabili Monaſterio juſta ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Iesu Chriſti, quatenus, & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud diſtrictum Iudicem præmia æternæ quietis inveniant.

Scriptum per manum Leonis Notarii regionarii & ſcriniarii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in menſe Aprili, indictione undecima. Dat. III Kal. Majas, per manum Tiberii Primicerii Sanctæ Sedis Apoſtolicæ. Imperante Domino Piiſſimo Auguſto Ludovico à Deo coronato, magno, pacifico Imp. anno XIIII. poſt ejus annum XIIII. indictione undecima.

SCRIPTURA V.

Francis. Roſ. privil. 5.

Privilegium Dagoberti I. Franciæ Regis, Monaſterio Theologienſi ſeu Dolojenſi conceſſum.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Dagobertus divina ordinatione Francorum Rex. Prudenti conſideratione agitur, ut diſpoſitionum, vel commutationum ſanctarum memoriæ litterarum conſtitutis tradatur: quoniam per repræſentationem ſcripti oblivionis nebula tollitur, & mala machinantium pravitas deſtruitur. Qua propter comperiat omnis ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium præſentium, ſcilicet, & futurorum ſolertia, quoniam vir Apoſtolicus Pater noſter Dominus Modoaldus Archiepiſcopus Trevirenſis, adiit culmen ſerenitatis noſtræ, ſuplicans, ut quandam Abbatiam ſancti Mauritii Martyris (quæ vocatur Monaſterium Theologienſe) à nobis conſtructam, ac juxta fluvium Sarræ in Ducatu Auſtriæ Moſelanicæ nuncupato conſtitutam, ad Eccleſiam ſancti Petri, Principis Apoſtolorum, quæ conſtructa conſtat in civitate Trevirenſi, ubi principalis Epiſcopatus, ſive Sedes eſſe dignoſcitur, ad honorem Dei, ſanctorumq; ejus, ibidem quieſcentium, traderemus. Statimq; nos congruæ ejus ſuaſioni volentes ob reverentiam ſui gratanter ſatisfacere, decrevimus ita fieri. Dedimus quoq; eandem Abbatiam cum univerſa integritate ſua, ad præfatæ ſedis Eccleſiam, in beatæ memoriæ Chilperici Regis avi noſtri, nec non Clotarii genitoris noſtri, paternorum quoque noſtrorum, videlicet Chilperici, & Chlotarii Chriſtianiſſimorum Regum, animæque noſtræ perpetuam commemorationem, cum Eccleſiis vineis, campis, hominibus, viis quæſitis, & inquirendis, mobilibus, & immobilibus, & cum univerſis appendiciis, & adjacentiis ſuis & præfatis Eccleſiis, & Patri Fratrum Prædictæ cellæ ſancti Mauritii ſuper ſarræ flumen conſtructæ, protectorem, rectorem, & advocatum illuſtrem, Dominum Clodulphum Auſtriæ Moſelanicæ Ducem, Arnulphi Ducis filium, ſanguine regio natum, conſtituimus. Hæc itaque univerſa per hoc præſens noſtræ authoritatis præceptum, ad ſæpe memoratam ſedem æternaliter pertinenda donamus.

Tradimus ea ſcilicet ratione, ut præfatus Epiſcopus, ſucceſſoreſq; illius ſimilem perpetuis temporibus ex prælibata Abbatia habeant poteſtatem, veluti de cæteris ejuſdem Epiſcopatus cauſis, juxta utilitatem ipſius Eccleſiæ cuncta, prout illis placuerit, ſecure diſponere, quatenus rectores ejuſdem ſedis cum omni Clero, eorum regimine ſubacto, tam pro nobis, quam pro antedictis prædeceſſoribus noſtris & protectore conſtituto Dei miſericordiam ſemper exorare delectet. Hæc donationis noſtræ authoritas nullo unquam ſucceſſore noſtro irrumpente ſolidiſſimam in Dei nomine per omnia mundi volventis ſæcula obtineat ſtabilitatem, quam munimine noſtro roboratam manu noſtra cũ Duce Clo-

dulpho subtus eam firmavimus. Quod & fecit Cunibertus Archiepiscopus Coloniensis. Annulorum nostrorum impressionibus jussimus sigillari. Datum Kal. Maii anno Dominicæ incarnationis DCXXXII. Actum Metis in palatio Regali in Dei nomine fæliciter.

Dagobertus Francorum Rex. ✠
Cunibertus Archiepisc. Coloniensis. ✠
Clodulphus Austriæ Moselan. Dux. ✠

Hoc diploma tribus sigillis firmatum est: primo aureo Dagoberti, secundo cæreo Cuniberti, tertio etiam cæreo Clodulphi in quo est scutum partitum impressum, prior pars decorata cruce, ac carbunculo; altera: fascia.

SCRIPTURA VI.

Iacob. Meyer. rer. histor. Fland. anno 956.

Privilegium Monasterio S. Petri Gandavensi à Clotario Rege concessum, petente Arnulpho Magno, Flandriæ Comite.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Clotarius gratia Dei Rex. Si ea quæ fideles nostri pro statu, & utilitate Ecclesiarum, in locis sibi commissis statuerunt, nostris confirmamus edictis, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem, & totius regni à Deo nobis commissi tutelam mansurum esse credimus. Igitur notum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris sanctæ matris Ecclesiæ filiis, quod venerabilis Comes Arnulphus, noster videlicet consanguineus, & Regni nostri Marchio nobilissimus, nostram audiens excellentiam, humiliter petiit, ut quoddam Monasterium in honorem beati Petri Apostolorum Principis constructum super fluvium Scaldam (quod antiquitus vocatum est Ganda) nostræ authoritatis præcepto muniremus: cujus petitioni tunc assensum præbuimus, & statuimus, ut idem Monasterium cum Dei auxilio à dicto Arnulpho venerabili Comite, moderno tempore restauratum, & in melius exaltatum, juxta ejusdem loci scripta, & regalia, & Imperatoria præcepta in ordine Monastico, sub regulari disciplina res suas pia largitione fidelium concessas quiete possideret. Decrevimus quoque, & regia authoritate cum omni imperio præcepimus, ut præfato Monasterio de rebus suis aliquod dispendium nemounquam inferre præsumeret, neque ad dominium, seu prioratum ejus loci, aliquis tyrannica usurpatione ascenderet, sive per generis nobilitatem sive turpis lucri illicita largitione, sed secundum beati Patris Benedicti Regulam, ibi Abbas constitueretur & constitutus legitima potestate uteretur.

SCRIPTURA VII.

Trith. hist. Franc.

Privilegium Monasterio S. Petri VVeissenburgensi à Dagoberto Rege concessum. Ejus fragmenta apud Iohannem Magnum & Baronium invenias: integrum fere apud Tritbemium.

DAgobertus divina favente clementia Francorum Rex, omnibus Regni sui primatibus, imo cunctis fidem Christianam profitentibus, tam futuris quam præsentibus. Votum quo Deo, vel sanctis ejus se quis obligaverit, sine macula irritum fieri non poterit: & quanto major, & dignior est is, cui vovetur, eo ferietur graviore judicio, voventis & non reddentis præsumptio. Debemus igitur, & volumus nos quoque reddere, quod vovimus domino Deo terribili, & ei qui aufert spiritus principum, terribili apud omnes Reges terræ. Qui qualiter in brachio suæ virtutis terruerit, & qualiter percutiens, & sanans rursus nos visitaverit, omnibus ad exemplum correctionis notum fieri duximus, præcipue ut quisque fidelis audito nostro periculo ab Ecclesiarum Dei vastatione se contineat, & honorem congruum rebus Deo dicatis exhibeat. Primum ergo de divina super nos habita terribiliter examinatione postea de voto, & voti nostri redemptione, breviter exponemus. Patre meo Lothario, fælicis memoriæ, defuncto, patrii Regni curam suscepi, sed vivendi ductus levitate, dominandique cupiditate distractus, regalis officii debitum neglexi, nihil exhibens commissæ sollicitudinis, vel diligentiæ, nihili faciens, vel judicans mansuetudinis, aut zelo justitiæ. Inter alios excessus meos Ecclesiarum Dei destructor & dissipator esse cœperam, quarum defensor & sublimator esse debueram, nec divinæ majestatis oculos, nec hominum veritus acclamationem. Tandem Dei benignitas obstinatæ mentis superbiam conterens, virga correptionis iniquitates meas visitavit, & castigato mihi veniam non negavit. Nam raptus in sublime, divinæque Majestati inter choros sanctorum in habitu judicantis sedenti præsentatus, à sanctissimis Ecclesiarum patronis, pro rebus Ecclesiasticis per rapinam distractis à me & consumptis, graviter &

constanter sum accusatus, maxime à sanctissima Dei genitrice Maria, & beatissimis Petro & Paulo Apostolorum principibus.

Cumque conscientia gravatus, non auderem delicta defendere, occurrit mihi tandem specialis patronus meus Martyr Dionysius, qui precibus suis instantis pœnæ dilationem mihi, & tempus obtinuit. Idem ipse, quasi modum statuens pœnitentiæ, in hoc mihi spem plenæ posuit indulgentiæ, si ad honorem Dei, & sanctorum prædictorum, quos magis offenderam, domum divinis aptam servitiis construerem. Qua promissione libens vovi, dimissusque à superis redii. Igitur sub certa spe remissionis, & indulgentiæ peccatorum nostrorum, reddentes alacri studio votum quod fecimus, Ecclesiam in honorem sanctæ Trinitatis & sanctæ Mariæ perpetuæ Virginis, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, in loco, qui dicitur VVissenburg, construximus, quam sublimare, & regali munificentia ditare decrevimus. Donamus ergo ei, & in perpetuum datum esse volumus, de rebus fisci nostri illic adjacentibus, quicquid ad nos spectat, tam in villis, quam mancipiis, sylvis, vineis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, & omnia hæc in usum fratrum ibidem sub monastica professione Deo servientium libera traditiooe redigimus. Et ut hujus nostræ donationis authoritas in omne tempus perseveret stabilis, & firma, terminos, & circumjacentium nomina locorum subnotare curavimus. Versus Orientalem plagam extenditur Marcha, quam tradidimus usq; Morchohoven, & ad aldenherden, & inde ad Goboldesvvege, & inde subter Nadumlutræ, & inde Buozdigenhurst, & inde ad limitem qui stat in summitate vallis Invenesdal, & inde ducit ad meridianam plagam super VVarsbach, & inde ad Bodenlosestaffa, & inde ad Sebach, & inde ad Kierchdal, & inde ad Ingoldesizahe, & inde ad sylvosos montes usque ad Bedebur. Ad occidentalam verò plagam, usque ad Lutembach, & Bernbach, & inde ad Grunenbrunnen & inde ad Otterichescheyt. Ad septentrionalem plagam usque ad Eichenerembérg. Locum autem ipsum quem singulari devotione amplectimur, nunc & deinceps ab omni servitutis oppressione liberum sub regali volumus esse tuitione, ita videlicet, quod nullus publicus Iudex, nullus ex judiciaria potestate, quicquam potestatis, vel negotii in ipsa Marcha sine patris Monasterii licentia exercere, vel habere præsumat: nec homines ipsius loci constringere, vel ad causas audiendas, aut fœuda, aut tributa solvenda. Postremo nihil penitus ab eis audeat exigere. Illud etiam pari decrevimus authoritate, ut nullus Pontificum Nemetensis Civitatis, vel reliquorum Episcoporum aliquam dominandi ibidem, vel quaslibet causas agendi habeant facultatem, sed sub nostræ immunitatis defensione omnia illuc pertinentia, pater Monasterii cum fratribus suis libere, & quiete possideat. Ad hæc monetam in se habentem imagines, & litteras, expressamque similitudinem Nemetensis monetæ, eidem loco concedimus, parique nostræ authoritatis donatione ratum, & firmum esse volumus, ut homines ejusdem Ecclesiæ, per omoes civitates Regni nostri libere negotiis suis inserviant, ita videlicet, ut nulli debitum telonii persolvant. Et nullus Iudex seu qualibet cujuscunque ordinis persona, in hujusmodi causa violentiam eis aliquam inferre præsumat. Fratribus autem ibidem Deo servientibus, ut eo devotius, & tranquillius sanctæ conversationis ordinem custodiant, liberam inter se eligendi sibi Abbatem, donavimus potestatem. Cui Abbati omnibusque sibi succedentibus, hoc speciale concedimus privilegium dignitatis, ut in ordinem & ejus possit promovere ministerialium, quemcunque è familia tali honore dignum judicaverit. Omnes etiam ministeriales ejusdem Ecclesiæ ex dono Abbatis accipiant beneficium, solique Abbati serviant, nec aliquam potestatem super eos advocatus exercere audeat, nisi forte ex aliqua inobedientia, quasi rebelles illos ministeriales Abbas, advocatum constringendos invitet. Reliqua vero familia, legitimo loco eo tempore, ter in anno, pro justitia facienda, ad placitum advocati debet convenire, & io servitium advocati, si præsens est, singuli singulos denarios solvere, exceptis his, qui sunt in immunitate. Quod si in his placitis absens fuerit advocatus, nihil ei ex his denariis debetur, nisi in servitio Regis esse probetur. Vt autem hæc nostra traditio, & juris, & concessæ dignitatis institutio, stabilis, & inconvulsa jugiter permaneat, chartam hanc conscriptam adjectione sigilli nostri roborotam signavimus. Datum quod fecimus in ipso Monasterio, mense Maio, die undecima, anno Regni nostri vicesimo tertio, in Christi nomine fæliciter, Amen. Anno Domini DCXXIII.

Datum etsi errore laboret, reliquimus tamen ut invenimus.

* *
*

SCRIPTURA VIII.

Gaß. Brusch. Cent. Monast.

Privilegium Dagoberti I. Regis, concessum Monasterio S. Maximini Treviris.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Omnium Christianorum noverit industria, qualiter Ego Dagobertus Rex potentissimus cum convenienti consilio Episcoporum meorum, comitumque, legatos de mea parte ad Abbatem Memilianum direxerim, mandans ei, ut diligenter inquireret, indeque per se ipsum indicaret, quibus authoribus illud Monasterium sancti Maximini constructum, vel cujus imperio à pristinis temporibus esset subjectum. Hanc legationem Abbas cum fratribus solicite percipiens, perlectisque in eodem loco quibusdam vetustissimis Chartulis inventum est, id ipsum Monasterium Constantini Imperatoris, fuisse Regale templum, atque jussu ejus dedicatum in honore Sancti Ioannis Euangelistæ à Sancto Agritio venerabili Archiepiscopo, in quo videlicet templo (ut idem pater Monasterii nostræ Regalitati patefecit certa relatione) Helena sacra Dei famula petente, & faciente, suprà dictus Imperator pauperes Christi congregavit, eisque virum Dei Ioannem præposuit, ut in servitio Dei semper vacarent, & pro se orationibus insisterent, & insuper illius loci habitationem aliæ personæ nolint subdere, nec suæ successorumque Imperatorum potestati. His rebus ita esse firmiter intellectis, regio more constituto, atque firmissima jussione præcipio, ut nullus unquam proterve illud Monasterium, in quo Abbas supradictus præesse videtur, audeat inire, vel ullam inhumanitatem illi violenter inferre. Igitur ut assidua recordatio mei meorumque præsentium maneret in prædicto Monasterio, ipsorum Sancti Maximini præbendariorum victualia sub præmemorato Imperatore constituta, meis ex parte prædiis augere curavi quorum nomina hæc sunt: Kannis, Crasiacum, Luncubich, Regidiola, Vallis, Golich, Budeliacum, Taletuanc, Loania. Hæc loca ad Regiam curtem quæ dicitur decima pertinent, quam curtem cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, hoc est, quidquid prædii visus sum habere à fluvio (qui nuncupatur Rubera) usque ad sylvam (quæ dicitur Ider) Sancto Maximino præsuli in perpetuam hæreditatem contradidi, Insuper etiam cum consilio, & rogatu meorum principum, cætervis ibi Deo deservituris hanc legem firmiter, & perpetualiter in posterum habendam decrevi, scilicet ut centenorum ibidem Monachorum semper integra maneat & inconvulsa congregatio, excepto si Imperatorum principumve per sæcula succedentium benevolentia prædiis augmentetur, vel thesauris. Et si propter Paganorum, vel infidelium Christianorum devastationem, eisdem Christi servitoribus penuria ultra modum ingruerit, per thesauri effusionem expellli nequiverit, Dei omnipotentis, & mei meorumque successorum habeant licentiam, alodium cum familia à fidelibus illo contradicentibus dandi, & vendendi, antequam Dei destruantur servitia. Et ut istius chartulæ confirmatio firma in ævum permaneat, describi eam præcepi, & nostro sigillo eam inde firmavi. Actum pridie nonarum Aprilis anno Regni nostri duodecimo Moguntiæ fæliciter, Amen.

SCRIPTURA IX.

Aimon. l. 4. hist. Franc.

Fragmentum testamenti Dagoberti Regis Galliæ, quo bona quædam legat Monasteriis S. Vincentii Parisiis, hodie S. Germani: S. Petri, nunc S. Genovefæ, S. Dionysii, S. Columbæ & S. Lupi apud Senones.

IN nomine Trinitatis Domini Dei omnipotentis. *Apostolicis Patribus, Pontificibus*, videlicet ac Abbatibus & reliquis Sacerdotibus intra Regnum nostrum consistentibus, Dagobertus Rex Francorum.

Quantum intellectualis sensus humani potest mente sagaci pensare, atque solerti indagatione perpendere, nihil amplius valet in hujus sæculi luce, ac fugitivo gaudio lucrari, quam quod de rebus transitoriis, locis venerabilibus, quis studeat, in alimoniam pauperum impendere: quatenus, qui fragilitatem naturæ generaliter patiuntur, priusquam subitanea transpositio eveniat, pro salute animæ invigilent, ut non inveniatur quisquam imparatus, vel sine aliquo respectu discedat è sæculo. Quin potius dum propriæ libertatis jure subsistit, ex caducis substantiis intra æterna tabernacula, vitam studeat mercari perpetuam, ut inter justorum consortium desiderabilem valeat locum adipisci.

Itaque nobis sana mente, sanoque consilio placuit & (ut diximus) devotio divina nos admonet, ut pro salute nostra, & pro æterna retributione conscribendum præciperemus testamentum, & pro immutabili beneficio, quatuor uno tenore firmavimus

instrumenta, & quicquid ubique per loca Sanctorum contulimus mibi, simili annotatione contexuimus. Ex quibus unum Lugdunum Galliæ direximus, aliud vero Parisiis in archivis Ecclesiæ commendavimus, &c.

Donamus igitur ad Basilicam sancti Vincentii Parisiis, ubi sepulturam, quandoquidem Deus jusserit, habere disponimus, donatamque in perpetuum esse decrevimus, Villam cognominatam Cumbis in pago Parisiaco, quam Vesa filia Alderici tenuit. Pari modo ad Basilicam Sancti Petri Apostoli Parisiis, ubi Sancta Genovefa requiescit in corpore, Villam Dravernum, in Brigedio. Ad Basilicam vero Divi Dionysii, item Parisiis, ubi cum sociis suis requiescit, Villam Barannatem in Brigedio. Ad basilicam Dominæ sanctæ Columbæ, & Domini sancti Lupi Senonis, Villam Grandecampum in Gaulinensi.

Post hæc Dagobertus aureis gravissimisque verbis Sigebertum & Clodoveum filios suos hortatur ut de suis privilegiis atque donis ne minimum quidem detrahant aut vident; aliter pro certo habeant idem ipsis eventurum, nimirum Reges posteriores etiam sacrilege rapturos, quæ ipsi Ecclesiis dedissent. Plerumque enim ferimus, quæ aliis fecimus.

Reveremini, inquit, me Patrem vestrum, qui rogare malo cum possim jubere, ut statuta nostra inconvulsa servetis, sicut vestra à successoribus vestris servari voletis: profecto scientes, quod si à nobis sancita contemptui habueritis (quod non arbitror) parimodo, & vestra à posteris contemnentur decreta.

SCRIPTURA X.

Rosiers. hist. Lotharing. *Privilegium S. Modoaldo, Trevirorum Archiepiscopo, concessum, quædam scitu digna de Monasterio S. Maximini, & de illustrissima progenie S. Arnulphi Metensis Archiepiscopi continens.*

IN nomine Domini, Amen. Dagobertus Rex Francorum illustribus, Duci Austriæ Mosellanicæ Arnulpho, ac cæteris Ducibus, Comitibus domesticis, vel omnibus agentibus tam ultra quam citra Rhenum, Ligerim, Mosellam, tam absentibus, quam præsentibus. Illud ad augmentum, vel stabilitatem regni nostri sine dubio in Dei nostri nomine credimus permanere, si sacerdotum petitionibus, vel Ecclesiarum rectis postulationibus id, quod nostris auribus patefecerunt, perducamus ad effectum. Ideoque vir Apostolicus Pater noster Modoaldus Archiep. Trevirensis præceptum prædecessorum nostrorum anteriorū Regum, parentum nostrorum Sigeberti, Theodeberti, Theodorici, imo bonæ memoriæ, ac recordationis, Lotarii gloriosi Regis, genitoris nostri, eorū manibus roboratum obtulit obtutibus nostris, in quo erat insertum, quod non solum idem genitor noster, verum etiam præfati Reges prædecessores ejus, videlicet Francorum Reges, quascunque res boni, ac sancti viri pro divinæ contemplationis intuitu ad partem sancti Petri Trevirensis Ecclesiæ delegaverunt, suorumque authoritatibus sigillorum confirmaverunt, quatenus eorum regnum superno auxilio tueretur, & postmodum in æthereo regno cum Christo sine beato gauderet. Pro rei firmitate, idem præfatus Præsul Modoaldus, deprecatus fuit sublimitatem nostram, ut paternum ac prædecessorum morem sequentes, hujuscemodi auctoritatis præceptum ob amorem Dei, & reverentiam sancti Petri, de eisdem rebus fieri juberemus. Cujus petitioni libenter assensum præbuimus, & hoc nostræ auctoritatis præceptum erga ipsam Ecclesiam pro divini cultus amore, & animæ nostræ remedio fieri decrevimus. Per quod præcipimus, ac jubemus omnes res, vel facultates, ad Ecclesiam sancti Petri Trevericæ urbis pertinentes, scilicet cellam sancti Hilarii, quæ modo appellatur cella sancti Maximini, quæ est in prædio sancti Petri constructa, castella, vicos, villas, vineas, sylvas, homines, vel quidquid largiente clementia divina, deinceps ad eam augmentādam Ecclesiam circa Rhenum, Ligerim, vel Mosellæ fluvium in regno nostro insistentia omnia super jure & potestare S. Petri Trevirensis Ecclesiæ, ejusque Pontificis, perpetualiter mancipatura permanere. Pro qua re melius observanda, ac ut præfatarum Ecclesiarum res prospere serventur, videlicet beati Petri, ac beati Maximini, ne deinceps à grassatoribus quidquam molestiæ infestatur, præfatæ Ecclesiæ beati Petri Trevericæ urbis, & Fratribus antedictæ cellæ beati Hilarii, quæ modo appellatur cella sancti Maximini, quæ est in prædio sancti Petri constructa, protectorem, rectorem, & advocatum damus illustrem Dominum, Dominum Arnulphum, sanguine regio natum, parentem nostrum, ac instructorem, Austriæ Mosellanicæ Ducem, cui hæc omnia fideliter observare præcepimus. Propterea pari modo statulmus, ut nullus ex Ducibus, publicis Iudicibus, vel aliquis ex judiciaria

potestate

potestate in Monasterio circa Ecclesias, cellas, vicos, agros, homines, vel loca alia impedimenta ponat, sed liceat memorato præsuli, suisque successoribus, omnia præfata in integrum perpetuo tempore pro remedio animæ nostræ, seu parentum nostrorum, sicut in præcepto genitoris nostri piissimi continetur, quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere imperio, ac nostri Domini Arnulphi. Sed ut hoc nostræ auctoritatis præceptum pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, & à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ matris, videlicet præsentibus & futuris temporibus, verius credatur, & diligentius à successoribus nostris conservetur, illud propria manu cum principibus nostris subter firmamus, & annulorum nostrorum impressionibus signari jussimus. Data. 4. Kal. Augusti, anno ab incarnato Domino. DC. XXIII.

Dagobertus Rex Francorum. +
Cumbertus Archiepisc. Coloniensis. +
Atto Episcopus Metensis. +
Principius Episcopus Spirensis. +
Arnulphus Dux Austriæ Mosellan. +
Pipinus Majordom. Dux Hasbaniæ. +

Hæc charta sex sigillis roborata est, uno aureo, quinque cæreis. Primum quod & aureum, Dagoberti est, habens insculptum scutum liliis plenum. Secundum, tertium, quartum, quæ & cærea, Episcoporum sunt sigilla, in quibus impressæ sunt Episcoporum sedentium figuræ. Quintum quod & cæreum Domini Arnulphi, in quo impressum est scutum ornatum cruce & escarbocle seu carbunculo. Sextum, quod & cæreum, Domini Pipini, in quo est impressum scutum munitum fascia.

SCRIPTVRA XI.

Aimon. l. 4. c. 41.

Exhortatio Clodovei Regis, S. Batildæ mariti, habita Parisius ad Episcopos Synodum celebrantes, in qua meminit libertatis seu Exemptionis Monasterii S. Dionysii.

QVanquam Francigenæ cives, terreni nos cura principatus admonuerit, publicis vos consultores rebus advocare: tamen prius nobis convenit, ea quæ Dei, & sanctorum ejus sunt disponere, ut postmodum ea quæ nostra sunt, dante Deo, ex sententia cedant. Ille enim qui per semetipsum polliceri dignatus est, dicens: Primum quærite Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis, nobis suis obtemperantibus præceptis, sua conferet promissa. Requiramus itaque quæ sunt placita sanctis in regno jam consistentibus æterni Patris, & cuncta nobis evenient prospera in terris, si ea curaverimus adimplere factis. Intentionem igitur nostri cordis vos Sacerdotes, qui Dii vocati estis, & filii excelsi omnes, attendite & audite, & audita si probaveritis, una nobiscum ad effectum adducere elaborate. Nostri itaque devotio hæc extat animi, ut Monasterium patroni nostri Domini Dionysii, in quo ipse cum consortibus testimonii veritatis requiescit humatus, & piæ memoriæ genitores nostri (Dominus videlicet Dagobertus, ac Domina Nantildis) se sepelire mandaverunt, ab omni solvamus Dominio mortalium: Quatenus Abbas vel fratres eo loco commanentes, possessiones à parentibus nostris, sive ab aliis fidelibus Christianis, sibi traditas, absque ullius dominantis inquietudine possidentes, pro salute nostra, ac statu Regni nostri liberius Deum deprecentur. Hic autem nostræ suggestioni consentit venerabilis vir Landericus Parisiacæ urbis Præsul, in cujus Diœcesi Cœnobium illud situm est, & cui usque ad præsens tempus subjectum fuit. Hanc ergo libertatem servi Dei inibi constituti, dum fuerint adepti, nulliusque præter Dei, ac sanctorum ejus, nostrumque (cui etiam tota natio Francorum paret) fuerint perpessi dominatum, sciant se debito tali, genitoribus nostris, & nobis, eisque qui nostro (ut speramus) per Dei gratiam orientur ex semine, fore obnoxios, ut pro nostra eorumque quos memoravimus præsenti, ac futura requie non desinant Deum exorare.

SCRIPTVRA XII.

Quædam fragmenta ex archivo Monasterii Sancti Dionysii prompta.

Petrus Bonfons in fastis & antiquit. Parisiensib.

DAgobertus Rex Francorum &c. Per hoc præceptum, quod specialius decernimus, & in perpetuum volumus esse mansurum, jubemus atque constituimus, ut neque nos juniores, neque successores nostri in perpetuum, neque aliquis de judiciaria potestate accinctus in cunctis præfatæ basilicæ beati Dionysii, ubi & in quascunque regiones, vel pagos in Regno nostro Deo propitio, quod à die præsenti pars ipsius Monasterii possidere, & dominari videtur, vel quod à Deum timentibus hominibus per legitima cartharum instrumenta, ibidem fuit concessum, aut in antea erit ad-

dictum,

dictum, vel delegatum, nec ad causas audiendum, nec ad fidei jussores tollendos, nec ad freda vel bannos exigendum, & ad mansiones, vel paratas faciendum, nec ullas redhibitiones requirendum intra immunitatem sancti Dionysii ingredi, vel requirere quoque tempore non præsumat, nisi quidquid fiscus noster exinde poterit exactare, omnia & ex omni mercedis nostræ augmento sub integra, & firmissima immunitate, à die præsenti concedimus. & si quispiam hanc nostram authoritatem, vel immunitatem infringere voluerit, & alios ad hoc conduxerit, unusquisque pro semetipso libras 30. ex aureo purissimo, partibus sancti Dionysii coactus componat, ut dictum est. Quidquid exinde forsitan filius noster ad partem nostram sperare poterat, in luminaribus, vel stipendiis Monachorum, seu & in alimoniis pauperum ipsius Monasterii, perenniter per nostra oracula ad integrum sit concessum, &c.

SECUNDUM Fragmentum.

DAgobertus Rex Francorum, vir illustrissimus, omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Centenariis, Vicariis, & cæteris agentibus nostris, &c. Itaque nos in Dei nomine, in palatio nostro Clypiaco, in Synodo generali residentes, pertractavimus una cum Episcopis, &c. qualiter honor & laus Ecclesiæ beatorum Martyrum, videlicet peculiaris patroni nostri Domini Dionysii, haberetur, & observaretur, id est ut quisquis fugitivorum pro quolibet scelere, ad præfatam Basilicam beatorum Martyrum fugiens, tricenam pontem advenerit, vel ex parte Paris. veniens, montem Martyrum præterierit, vel de palatio nostro egrediens publicam viam, quæ pergit ad lupa ram, transierit, sicut nos quidem Deus liberavit per ipsos sanctos Martyres de manibus inimicorum nostrorum, & furore Domini genitoris nostri, ita omnes quicunque ibi confugerint, liberentur, & salventur. Si autem Deus omnipotens per intercessionem sanctorum, brutum animal, videlicet cervum manifeste inibi, in ipso sacro loco liberavit, multo magis dignum est, ut homines rationabiles, quocunque delicto facinoris, sive contra nos, vel succedentes Reges Francorum, vel contra quemlibet alium fidelem sanctæ Dei Ecclesiæ, aliquod crimen commiserint, relaxentur, & liberentur, &c.

FRAGMENTUM III, *agens de Carolo M.*

PRæcepit etiam Imperator, ut omnes Franciæ Reges, & Episcopi præsentes, & futuri, Pastori ejusdem Ecclesiæ essent obedientes in Christo, nec Reges sine ejus consilio essent coronati, nec Episcopi ordinati, nec apud Romam recepti, aut damnati. Rursumque post plurima dona eidem Ecclesiæ S. Dionysii collata, Regali diademate super altare deposito eidem martyri cunctis audientibus dixit: Domine S. Dionysii, honore Regni Franciæ me exspolio, ut vos de cætero ejus dominium habeatis. Et tunc quatuor bisantios aureos super altare obtulit, in signum, quod Regnum Franciæ à Deo solo, & ipso sancto gladio cooperante tenebat. Et constituit, ut omnes successores sui Reges Franciæ consimiliter facerent annuatim, in oblatione tangendo caput proprium, non tantum astricti servituti humanæ, sed divinæ, quæ summa ingenuitas debetdici, cum Deo servire sit regnare. Præcepit etiam Imperator, ut unusquisque cujuscunque domus totius Galliæ, quatuor nummos annuatim ad ampliandam ejusdem S. Ecclesiam, ab ædificio Dagoberti, usque ad Crucifixum daret, & omnes servos, qui eos nummos libenter darent, liberos fecit, & qui daturi erant imposterum, Francos S. Dionysii vocari perpetuo jussit. His devotissime peractis, Carolus cunctis audientibus Dionysio sic tunc dixit. Domine S. Dionysii à vobis nunc licentiam accipio, Franciamque vobis relinquo, ut post Deum sitis ejus Dominus, atque custos.

Vide quæ memoravimus ad annum Christi 664. cap. 4.

SCRIPTURA XIII.

Privilegium Caroli Calvi Imp. concessum Monasterio Sancti Dionysii, ubi humatus est.

IN nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis, Carolus Dei gratia Francorum Rex. Si ergo loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, eorumque in eisdem locis famulantium beneficia opportuna largimur, præmium æternæ remunerationis recipiendi non diffidimus; idcirco notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris tam præsentibus, quam futuris, quod vir venerabilis Ludovicus Abbas, ex Monasterio Sancti Dionysii Martyris, ubi ipse excellentissimus Martyr, cum sociis

corpore

corpore requiescit, detulit obtutibus nostris quasdam authoritates Avi nostri excellentissimæ memoriæ Caroli, nec non Domini & genitoris nostri Ludovici, bonæ memoriæ, Serenissimi Imperatoris, in quibus continebatur insertum, qualiter ad petitiones servorum, ibidem Deo famulantium, concessissent omnes teloneos, vel varganaticos, sive pontaticos, vel pulveraticos, seu rotaticos, cespitaticos, salutaticos, mutaticos, vel reliquas exactiones de omnibus navibus, quæ per universa flumina tam per aquam ultra Ligerim, tam ad surrectum, quam & ad descensum navigare videbantur, nec non de omnibus carris, & sanguinariis, &c. Cujus cum aliis petitionibus liberum assensum præbentes, hoc authoritatis nostræ præceptum firmitatis gratia pro divini cultus amore, & animæ nostræ emolumento fieri decrevimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus Iudex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate de navibus ejus quæ per diversa flumina Imperii nostri, tam ad surrectum quam ad descensum discurrunt; de carris vel sanguinariis atque hominibus ipsius, & per ipsam casam Dei pererrare noscuntur, ubicunque advenerint, tam in Civitatibus, Castellis, vicis publicis, bortis, portibus, vel reliquis mercatibus seu de hominibus ejus cæteris, qui super ejus terram commanere videntur, vel in ejus villis, vel agris, nec de hominibus, qui à foris in ejus villis ad negotiandum, vel unia comparanda advenerint, nullum teloneum, vel Varganticum, nec Rotaticum, nec pontaticum, nec Cespitaticum, nec pulveraticum, nec salutaticum, nec mutaticum, nec ad nostrum opus, nec ad vestrum, nec ad juniores nostros ullo modo exigere, aut exactare præsumatis, sed quicquid fiscus noster ad partem nostram exinde poterit sperare, ad ipsum sanctum locum sit concessum, atque indultum &c.

SCRIPT. XIV.

Bulla Zachariæ Pontificis Max. qua libertatem Monasterio S. Dionysii à Clodoveo II. impertitam confirmat.

Zacharias, urbis Romæ Episcopus, servus servorum Dei, &c. Constat enim tua dignissima postulatio ad nostram dilectionem ut privilegium, quod Dominus & venerabilis Landericus, Parisiacæ urbis Episcopus, Monasterio sancti Dionysii specialis (ut scripsisti) tui patroni fecit, & una cum consensu venerabilium illius pariæ Episcoporum roboravit, in quo secundum terminos à se dispositos, à sua & omnium successorum (videlicet urbis Parisiacæ) Episcoporum potestate commanentes, & Ecclesiis ibi servientes Presbyteros, Diaconos, & Clericos absolvit, & pro reverentia sancti Martyris pariterque amore & reverentia, nec non petitione Domini Clodovei Regis Dagoberti filii, atque quiete fratrum, ibi Deo famulantium, ne à Clericis infestarentur, & ab oratione retardarentur, Abbatis & Monachorum ipsius Monasterii, & successorum eorum potestati, & dispositione subdidit: nos etiam nostro, immo potius Apostolico privilegio firmaremus, & in perpetuum confirmatum mandaremus. Petiisse etiam, ut in eadem Ecclesia bis in anno fratribus Monachis baptisterium consecrare, & novos Deo regenerare filios, permitteremus: quod libenter pro amore tanti martyris simul, & pro tua reverentia, atque benevolentia annuimus, in vigilia videlicet sanctæ Paschæ, & in Pentecostes. Hoc autem omnino caveant, ne aliquando, nisi in jam dictis festivitatibus illud agere præsumant, quod si præsumpserint, regulariter ab Abbate tempore illo existente, emendentur. Privilegium vero pro reverentia sanctissimi Dionysii, & pro tua petitione illi Ecclesiæ facientes, authoritate Patris omnipotentis & Filii & Spiritus Sancti, cum invocatione cœlestium virtutum & beati Petri Apostoli, & omnium Sanctorum, Dei authoritate, & nostra statuimus, & roboramus, ut privilegium Domini Landerici, & nostra constitutio inconvulsa permaneat. Et ne quis futurorum magna parvaque persona, hoc infringere præsumat, interdicimus. Promulgantes etiam sancimus, ne quid Parisiacæ urbis Episcoporum, jam dicti Monasterii Monachos pro his omnibus, quæ prædicta sunt, quoquo modo interpellare audeat, vel ad concilium provocare præsumat. Scriptum per manum Iohannis Scrinarii, anno octavo Domini nostri Zachariæ. Datum secundo nonas Novembris, imperante Constantino, anno decimo quarto, indictione sexta.

* *
*

SCRIPTURA XV.

Bulla Stephani PP. qua potestas fit Monachis ad S. Dionysium Episcopum è suo cœtu designandi, qui Iurisdictionem Episcopalem in Monasterio, & locis ei subditis exercere queat.

STephanus Episcopus servus servorum Dei, Fulrado Deo amabili, Presbytero, & Abbati venerabilium diversorum Monasteriorum, Deo auspice fundatori, & per seriem omnibus successoribus ejus vicissim Abbatibus in perpetuum. Igitur qui postulasti à nobis dilectissime noster fili, quatenus in Regno Franciæ ubi, & ubi tibi placitum fuerit in rurībus, ac mœniis diversorum locorum, sive in his etiam, quæ per emptionis paginam tibi advenerint, sive in rebus parentum tuorum, vel undecunque tibi acciderint Monasteria, sicut à te, sine refragatione de aliquo judice, vel reclamatione constructa sunt, ita libera sub jure sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui (Deo authore) deserviunt à nobis firmata privilegiis in futuro permaneant. Nos igitur tam piis desideriis faventes, ac nostra benedictione, id quod petis effectui mancipantes, per hanc Apostolicam Authoritatem tibi, successoribus Abbatibus Cœnobii Sanctorum Martyrum Dionysii, Rustici, & Eleutherii, licentiam & potestatem concedimus ædificandi Monasteria ubicunque in Franciæ Regno volueritis, sive in locis proprietatis vestræ, sive in his quæ per comparationis seriem, vel concessione Regum, vel parentum vestrorum dono, vel undecunque vel ubicunque vobis quolibet justo modo obvenerint. Et quoniam ad preces Clodovei, filii Dagoberti Regis, Dominus Landericus Parisiacæ urbis Episcopus, à sua & omnium successorum potestate, deinceps cum consiliis suorum Canonicorum, & fratrum suorum Coepiscoporum regionis illius Cœnobium vestrum & omnes ad illud servientes Clericos, quorumcunque ordinum in procinctu vestri Monasterii absolvit. Nos etiam habere vobis Episcopum, per singulare privilegium concedimus qui de vobis ab Abbate, vel à fratribus in Monasterio vestro electus, & à fratribus nostris Episcopis de illa regione consecratus, illa Monasteria vestra à vobis ædificata provideat, & vice nostri nominis, ubi & ubi fuerint, regat, & prædicationi tam in ipso Monasterio vestro, quam in ipsis sibi adjacentibus deserviat. Ut autem alicujus Ecclesiæ Episcopus, vel Sacerdos, illa Monasteria aliquo cupiditatis vinculo deceptus invadat, & illi Episcopo, quem tu, vel successores tui elegerint, & ordinari fecerint, per invidiam, aut per quamlibet occasionem aliquam contradictionem inferat, omnino prohibemus, sed sint reliqua vestra Monasteria sub Apostolica ditione, sicut & ipse sanctus locus constitutus est, ad quem ipsa prædicta Monasteria pertinere videntur. Hoc autem Christi Dei & Domini nostri, & beati Petri Apostolorum Principis, & nostra qua prævalemus authoritate promulgantes sancimus, & ista quæ dictamus ita roborata permaneant, ut nemo Episcoporum de quacunque Ecclesia Presbyterum, vel Diaconum ordinare, vel aliquod ministerium Ecclesiasticum celebrare, vel concilium provocare in prædictis Monasteriis audeat, nisi ille quem Abbas illo tempore existens, ad hæc officia peragenda invitaverit. Tuas autem & tuorum Monasteriorum causas, tu, atque tui successores per tempora quæ sunt ventura, ad nostram, & Apostolicam audientiam reportare, & reclamare per nostrum præceptionis licentiam habens. Et cum veneris ad nos, vel legatos tuos miseris, nullus interea, te vel illos, videlicet tuos successores condemnare audeat, vel res tuas invadere quoquomodo præsumat, si quis autem Rex vel Episcopus, vel aliquis de potestatibus hujus sæculi, contra istam nostram authoritatem facere voluerit, & nostra, & Apostolica authoritate fraudaverit, &c.

SCRIPTURA XVI.

Bulla Innocentii PP. III. qua jura & bona confirmantur Monasterio S. Dionysii.

Hugoni Abbati S. Dionysii, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum quod eorum jura privilegiaque confirmet.

EFfectum justa postulantibus indulgere, & vigor æquitatis, & ordo postulat rationis: præsertim quando petentium voluntas,

luntas, & pietas adjuvat, & veritas non relinquit. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium Sancti Dionysii, quod specialiter beati Petri juris existit, in quo divino estis obsequio mancipati, ad exemplar fœlicis recordationis Zachariæ, Stephani, Leonis, Alexandri, Paschalis, Calixti, Innocentii, Eugenii, & Lucii Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. *In primis siquidem statuentes, ut ordo Monasticus qui secundum Deum, & beati Benedicti regulam*, &c. usque ad verbum *permaneant*. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis donatione præbendarum in Ecclesia Sancti Pauli. In Episcopatu Parisiens. Ecclesiam Sancti Leodegarii, Ecclesiam Sancti Martini in strata: cellam Beatæ Mariæ prope Corbolium, super fluvium Essone sitam, cum appendiciis suis Ecclesiæ de Trembleiaco, Monasterium de Argentolio, quod situm est super fluvium Sequanam, cum pertin: suis. In Archiepiscopato Rothomagen: Ecclesiam Sancti Petri de Calvomonte cum tribus capellis, sibi adjacentibus, scilicet Sanctæ Mariæ, Sancti Ioannis, & capella de Calloel: Eccle: de Cergiaco, quæ nec Synodum, nec circatam persolvunt: Ecclesiam de Bubiaco, Ecclesiam de Sagiaco, Ecclesiam de Cormeliis, Ecclesiam de Caiz, Ecclesiam de monte Gerulfi, Ecclesiam de Ablegiis, Ecclesiam de Sconclaro, Ecclesiam de monte Genualdi. In Normannia vero Ecclesiam de monte Reniaco, Ecclesiam de Liliaco, Ecclesiam de Floriaco, Ecclesiam de Bernevalle, Ecclesiam de Sancto Martino, Ecclesiam de Frexellis. In Episcopatu Carnoten: Ecclesiam de Trapis. Concessionem etiam patronatus Ecclesiæ beatæ Mariæ de Medonta, cum omnibus possessionibus, & appendiciis suis, à charissimo filio nostro Philippo, illustri Rege Francorum, vobis provide factum: ita quod decendentibus Canonicis ejusdem Eccles: loco eorum vestri Monachi ordinentur, per quos gratius in eadem Ecclesia Deo servitium assidue impendatur. In Episcopatu Aurelianen: Ecclesiam de Toriaco, Campum manerii Vilare, Vendrous, villam Mevi bens, Luins: ad hæc compositionem illam, quam bonæ memoriæ Henr: quondam Sylvanecten: Episcopus super diversis querelis, quæ inter vos, & nobilem virum, Vull: de Melloto tam in taliis, quam in corbeis, & terris censualibus, & quibusdam aliis vertebantur, statuit observandum. Concessionem vobis, & per vos Monasterio vestro factam à bonæ memoriæ Guidone, quondam Senonem. Archiepiscopo & ejus antecessoribus, de Ecclesiis, de Bella, de Sancto Lupo, de Iosanvilla, de verde Firiaco, de Grandipute, de sancto Audoëno: præsentationem etiam Presbyterorum in eisdem Ecclesiis concessionem similiter vobis factam à bonæ memoriæ Rog: quondam Cameracen: Episcopo & ejus antecessoribus Gualchero, Odone, Nicolao, de Ecclesia de Forest, altari de Solemnio, altari de Vernuilo, cum decimis & omnibus appendiciis eorum portionem cujusdam decimæ de Ruu. Item compositionem, quam jam dictus sylvaneten. Episcopus super controversia, quæ inter vos & Albertum de monte Omorio de quadam viatura, & quibusdam pravis consuetudinibus vertebatur, statuit observandum. Concessionem quoque Cœnobio vestro factam à venerabili Fratre nostro Philippo Belvacensis Episcopo, tam de personatu quam de præsentatione in Ecclesiis Sacerdotum, videlicet Ecclesiam Sancti Martini de Colle, Ecclesiam de Asneriis, Ecclesiam de Villiaco, Ecclesiam de Ciris, Ecclesiam de Croi, Ecclesiam de Morentiaco, Ecclesiam de Maflieres, Ecclesiam de Nolaico, Ecclesiam de Murno, Ecclesiam de Buxorta in pago Menten: Cellam novam, cum omnibus appendiciis suis, videlicet Hulspere, Asminge, Emelingas, Ecclesiam de Fulcrepa, Salinas, ac patellas saleninarum apud Massaltien: In Episcopatu, Laudunen: Altare de Cadursa, altare de sancto Gaberto, Altare de Pirolis, Altare de Seiriaco, cum cappella Sancti Dionysii, quæ est apud Ribomontem. In jussa valle, Altare de Sorbeis, Altare de Altrepia, Altare de Rosoes, Altare de Rocheniis, Altare de serenis fontibus: ex dono illustris memoriæ Ludovici quondam Regis Francorum, quicquid in villa de Trapis habebat, præter annualam hospitationem, quando ibidem jacuerit, & talliam, quam apud Gergiacum in Vuscalin: & apud Cormelias vobis donavit. Ex dono bonæ memoriæ Gaufredi Carnotensis Episcopi, Altaria de Monarvilla, & de Tubrido. Ex dono Alvisii bonæ memoriæ, quondam

Attrebaten: Episcopi, Altare de Anechin. Ex dono illustris memoriæ, Eduardi, scilicet, & Vull: quondam Regum Angliæ, Deherstham super fluvium Sabrinæ situm, Tantoniam. Molam cum Appendiciis suis. Ad hæc Comitatum Vulcasini, qui juris Beati Dionysii, & quem illustris memoriæ Ludovicus quondam Rex Francorum, per Sugerium quondam Abbatem sancti Dionysii in beneficium, & feudum suscepisse cognoscitur, quoniam is possidet, cujus nomine possidetur, tibi tuisque successoribus confirmamus Vicariam quoque, & omnimodam justititiam, ac plenariam libertatem juxta Villam Sancti Dionysii, sicut subscriptis terminis distinguitur à fluvio, videlicet Sequanæ, à molendino, quod vulgo appellatur Baiart, usque ad supremum caput Villæ, quæ vocatur Abervillare, quam præfatus Rex juris esse, beati Dionysii recognoscens, eidem Monasterio restituit, vobis nihilominus confirmavimus. Præterea omnimodam potestatem, omnemque justitiam, & universas consuetudines nundinarum in dicti ipsius regia liberalitate vobis concessas, ut perpetuis eas quiete obtineatis temporibus, confirmationis nostræ munimine roboramus. Ad hæc refutationem pravæ consuetudinis, quam Burcardus de monte Morentiaco, in vineis vestri Monasterii, in Diogico villa sitis habebat, & Rotagici terræ suæ. Similiter compositionem initam inter Monasterium vestrum & Ecclesiam Sancti Exuperii Corbolien: in præsentia bonæ memoriæ Ioannis quondam Carnoten: Episcopi super integritate præbendæ ejusdem Ecclesiæ. Ad exemplar fœlicis memoriæ Innocentii, & Anastasii Rom. Pontificum prædecessorum nostrorum, compositionem super controversia, quæ quondam inter Monasterium vestrum, & Monasterium S. Michaelis vertebatur, sicut in eorundem Romanorum Pontificum plenarie continetur, authoritate Apostolica confirmamus. Has siquidem compositiones omnes, seu refutationes, sicut absque pravitate factæ sunt, receptæ, & in scriptis authenticis continetur, ut etiam hactenus sunt servatæ, Apostolico munimine roboramus. Sine novalium vestrorum, &c. Licet quoque vobis Clericos, &c. Prohibemus insuper, &c. Discedentem verò, &c. Authoritate quoque Apostolica prohibemus, ne aliquis Abbas Monasterii ipsius, terras, redditus, ad ipsum spectantes, parentibus suis, aut aliis domos, vel etiam ea, quæ de caducis proveniunt, aut ministeria domus, nisi illi tamen, quæ sunt servientium Clericorum, dare præsumat, nec pecuniam, ultra centum libras, sine assensu totius capituli, vel majoris partis, mutuo suscipere audeat. Nulli quoque Monachorum quicquam sine consensu Abbatis, ab aliquo mutuo recipere liceat. Is autem, qui ministerium domus habuerit, ultra centum solidos mutuo non accipiat, præter Abbatis consensum. Statuimus etjam, ut Abbas sigillum proprium habeat, sicut est de consuetudine hactenus conservatum. In Parochialibus autem Ecclesiis quas habetis, liceat vobis Sacerdotes eligere, & Diœcesano Episcopo præsentare, quibus si idonei fuerint Episcopus animarum curam committat, ut ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus, debeant respondere. Iustitias etiam, aut officia Laicorum quæ bonæ memoriæ Vu. quondam Abbas ejusdem Monasterii ad manus suas ab omnibus in Burgo Sancti Dionysii commorantibus legitime revocabit, de cætero aliis assignari. Regulares etjam consuetudines à prædecessoribus vestris, & à vobis hactenus observatas aliqua levitate mutari, nisi de tua, sive tuorum fuerit providentia successorum cum consensu Capituli, vel majoris, & sanioris partis authoritate Apostolica prohibemus. Novas præterea & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis seu Decanis, vel aliis Ecclesiarum Prælatis omnino vobis fieri prohibemus. Chrisma verò, oleum sanctum, consecrationes Altarium, seu basilicarum, ordinationes Clericorum, seu Monachorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, à quocunque malueritis suscipiatis Episcopo siquidem Catholicus fuerit, & gratiam Apostolicæ Sedis babuerit, & ea vobis, & absque aliqua pravitate voluerit exhibere. Inhibemus insuper, ut infra fines Parrochialium Ecclesiarum vestrarum nullus sine Diœcesani Episcopi, & vestro assensu, capellam, vel oratorium ædificare præsumat, salvis privilegiis Romanæ Ecclesiæ: Missas sane puplicas celebrari aut stationes in eodem Monasterio, præter Abbatis voluntatem, fieri prohibemus, sed nec interdicere, nec excommunicare, nec ad Synodnm vocare, vel Abbatem, vel ipsius loci, Monachos, Episcopis, aut Episcoporum ministris permittimus facultatem. Apostolica etiam authoritate vobis duximus indulgendum, & non nisi Legato à Latere Romani Pontificis destinato, legationis obtentu teneamini respondere. Porro tam tibi, quam tuis successoribus licentiam

indul-

indulgemus, in gravioribus negotiis Sedem Apostolicam appellare, nec appellantes ante negotii finem læsio ulla contingat quatenus authore Deo in sanctæ religionis studiis sedulo permanere possitis. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, &c. Sepulturam verò, &c. Obeunte verò, &c. usque ad verbum eligendum. Electus autem, vel à Romano Pontifice, vel à quo maluerit Catholico Episcopo, munus benedictionis accipiat. Decernimus ergo, &c. Salva sedis Apostolicæ authoritate, & in prædictis Ecclesiis Diœcesanorum Episcoporum canonica justitia. Si qua igitur, &c. Dat, ut supra, &c. II Idus Maii.

SCRIPT. XVII.

Privilegium antiquissimum, à Cindasvindo Rege Gotho concessum Monasterio Complutensi, ædificato à Sancto Fructuoso. Servatur in Ecclesia Cathedrali Astorgæ, ad quam hodie Monasterium illud pertinet.

Habes simul rudis per id tempus Hispaniæ ingens exemplum.

DOminis Sanctis gloriosissimis, mihique post Deum fortissimis patronis sanctorum Martyrum Iusti & Pastoris, sive sanctæ Mariæ & sancti Martini Episcopi, quorum Basilica, vel Monasterium situm est juxta rivulum, quod dicitur Molina, sub monte Irago, in confinio Vergidensi: & est fundatum ipsum Monasterium à te Fructuoso Abbate. Ego Cindasvinthus Rex, & Reciberga Regina. Nihil Deo cœlorum in cunctis terrenis, atque cœlestibus creaturis deesse videtur, quod non creatum possideat, aut quod possessum gubernatione propria non disponat, & ideo si ejus opificio condita & ordinata sunt universa; quid Deo dignum possumus offerre, qui ab eo accepimus flatum vitæ? & tamen quia ipse promittit placari se posse sacrificio humilitatis, spes ea quæ de manu ejus accepimus, gratissima devotione lætemur. Dominus noster IESUS CHRISTUS, qui est bona voluntate largitor, & ipsius bonæ largitionis verus amator, ipse nobis tradidit in mandato, sectando Ecclesiastica jura veteris hominis viam facere, & ipsius nostri Redemptoris vestigia sequi, ejusque ex animo præceptis obedientes existere, ostendens talibus monitis, ut qui errantes improvide cæci dum fueramus in tenebris mortis, luce gratiæ ejus illuminet, ipso Duce Domino, & rectore vitæ, directum gradiamur iter, quam nobis suis salutaribus tradidit mandatis. Et quia observatio mandatorum ejus vitam acquirit æternam, probat ipse qui dicit: *Si vis venire ad vitam, serva mandata*: & iterum: *Si feceritis quæ mando vobis, jam non dico vos servos, sed amicos.* Servatores enim mandatorum ipse in sua fide fortissimos reddit, ipse stabiles efficit, ipse & sui amoris ab omni operis monimento facit locupletes: cuncta enim bona, quæ in suis fidelibus jussit inhærere, de sui sancti timoris magnitudine fecit initium sumere, sicut scriptum est: *Principium sapientiæ timor Domini*, & iterum: *Timor Domini principium Religiositatis*: de timore etenim Domini nascitur Sancti Spiritus fructus, quod est religionis omnimodæ decus: unde per hujus timoris Domini largitatem, & pro vestræ venerationis honore, juxta decreta Catholicæ & & Apostolicæ disciplinæ, & juxta sacrorum canonum institutionem, adhibito bonæ deliberationis tractatu; cum cunctis in Christo pro sancto ordine instituimus decretum quatenus locum ipsum venerabilem Ecclesiæ vestræ Domino ædificatum, per tuas beatæ manus sanctissime Fructuose Abbas regali prosapia exorte, ipsum locum supra nominatum tuis satis magnis hæreditatibus, nostra tamen regalis authoritas non decet abesse. Scimus enim ipsum Monasterium supra nominatum nomine Complutum, in honorem sanctorum Martyrum Iusti & Pastoris, quorum nos confidimus patrocinio adjuvari: cantamus, & concedimus, atque donamus ad ipsum Monasterium Complutum supra nominatum, & tibi Sanctissime Fructuose Abbas, in opus Monachorum, Anachoretarum, & Eremitarum, & omnium ibidem Deo servientium, ipsos montes, & valles ab integro, per terminos ubi nascitur Fonsfridus, sub montes quos nuncupant Becerril, sicuti discurrit per ipsas valles, & sicut nascitur rivulus de Molina, de parte de foras, usque ad terminum, qui exit ad strata de Irago per Roboretum de Equa, & quomodo discurrit ipsa strata usque in valle de Sonies, & inde exiit per ipsas convalles usque in Tablatello, & de parte da salas, per terminum quomodo discurrit rivulus Etrata, usque ad Ixarralem de Portello de Scalios, deinde quomodo concludit ipsa Karral, quousque in petra sita, & quomodo vadit ipsa via per foveam de Paradiso, usque ubi iterum nascitur Fonsfridus. Damus atque conce-

concedimus, & confirmamus ipsos montes, & ipsas valles ab integro per terminos supra nominatos, & quidquid infra concluditur. Offerimus vasa altaris, calicem argenteum, & patenam, Crucem argenteam similiter deauratam: vestimenta altaris omnia ad plenum, sive frontalia, sive principalia; lignum fusile aeneum, bonae modulationis demulcens auditum. Item in thesauro Ecclesiae offerimus libros Ecclesiasticos, id est Psalterium, & Dialogorum, & Passionum. Si quis igitur deinceps, & in subsequentibus hujus mundi temporibus tam à Pontificibus Ecclesiae, quam Comes, Iudex, Princeps, Abbas, Monachus, Presbyter, Laicus vel cujuslibet generis homo, & ordinis, quam etiam quibuslibet omnibus pro hujus decreti nostri infringendo robore, aut in conculcando ordine quocunque conatu, vel ausu temerariae praesumptionis invalor voluerit exurgere, aut de loco, vel Ecclesiae ipse vestrae gloriae *monasticham traditionem, aut regulae sanctae constitutionem, voluerit evellere,* & conaverit agere contra Apostolicum documentum, & patrum praecepta, quod in isto est institutum decretum: quicunque fuerit ille, sit anathema in conspectu Dei Patris omnipotentis, & sanctorum Angelorum ejus: sit condemnatus, & perpetua ultione percussus in conspectu Domini nostri Iesu Christi, & sanctorum Apostolorum ejus, sit etiam in conspectu sancti Spiritus, & Martyrum ejus repetita anathema maranata, id est duplici perditione damnatus, ut etiam de hoc saeculo, sicut Datham, etiam Abiron, vivus terrae continuo absorbeatur lacu, & tartareas poenas cum Iuda Christi proditore perenni proferat cruciatu, & insuper inferat parti meae, partique vestrae ipsum Monasterium duplicatum & triplicatum. Facta chartula testamenti die 15. K. Novembrium. Era DC.LXXXIIII.

Ego Chindasvintus Rex, hanc seriem testamenti, conf.

Ego Reciberga Regina hanc seriem testamenti, conf.

Ego Eugenius Toletana Ecclesiae Metropolitanus, conf.

Condedatus Astoricensis Episc. conf.

Vasconius Lucensis Episc. conf.

Odoagius Comes Cubicularsorum, conf.

Paulus Comes Notariorum, conf.

Evantius Comes Scantiarum, conf.

Richila Comes Patrimoniorum, conf.

Eumenfredus Comes Spatariorum, conf.

Fugitibus Abbas.

Anasbolius Abbas.

Eusitius Abbas.

Ildefonsus Abbas.

Simpronius Abbas.

Notarius Regis, &c.

SCRIPTURA XVIII.

Privilegium Ordonii Regis, & Giloyrae seu Elvirae Reginae, concessum Monasterio S. Petri de Montibus, & Gennadio Abbati, postea Episcopo Asturgensi. *Ex archivo monast.*

Etiam hîc stylus vexat Priscianum.

DOminis Sanctis gloriosissimis, mihique post Deum fortissimis patronis sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, sive & sanctae Crucis ejus, sancti, venerabilis, cujus basilicae sitae sunt, sive Monasterium constructum juxta rivulum, quod dicitur Oza, sub monte Aquilana, subtus Castello antiquissimo Rufiano, in confinio Vergidensi. Ego Ordonius Rex, & Giloyra Regina. Nihil Deo cęlorum in cunctis terrenis, atque coelestibus creaturis deesse videtur, quod non esse creatum possideat, aut quod possessum gubernatione propria non disponat. Et ideo si ejus opificio & condita, & ordinata sunt universa, quid ei dignum possumus offerre, qui ab eo accepimus flatum vitae, & tamen quia ipse promittit placari se posse sacrificio humilitatis spiritus, ea quae de manu ejus accepimus ei gratissima devotione litemus. Dominus noster Iesus Christus qui est bona voluntate largitor, & ipsius bonę largitatis verus amator, ipse nobis suo tradidit in mandato sectando Ecclesiastica jura, veteris hominis viam fugere, & ipsius nostri Redemptoris vestigia sequi: ejusque ex animo praeceptis insistere: ostendens talibus monitis, ut qui errantes improvide caeci dum fueramus, in tenebris mortis luce gratiae ejus in lumine ipso duce Domino & rectore vitae, directam gradiamur iter, quam nobis suis salutaribus tradidit per mandatis: & quia observatio mandatorum ejus vitam adquirit aeternam, probat ipse qui dicit: *Si vis venire ad vitam, serva mandata* & iterum: *Si feceritis quae mando vobis, jam non dico vos servos, sed amicos*: Servatores etenim mandatorum suorum ipse in sua fide fortissimos reddit, ipse stabiles efficit, ipse & sui timoris, ac boni operis monimento, facit locupletes. Cuncta enim bona quae in suis fidelibus jussit inhaerere, de sui sancti amoris magnitudine fecit initium sumere: sicut scriptum est: *Principium sapientiae timor Domini:*

& iterum:

&iterum: *Timor Domini principium religiositatis.* De timore etenim Domini nascitur sancti Spiritus fructus; quod est religionis omnimodæ decus.

Vnde pro hujus timoris Domini largitate, ac pro vestræ venerationis honore, juxta decreta Catholicæ & Apostolicæ disciplinæ, & juxta sacrorum Canonum institutionem, adhibito bonæ deliberationis tractatu, cum cunctis in Christo, pro sancto ordine instituimus decretum, qualiter locum ipsum venerabilem Ecclesiæ vestræ quamvis Domino dudum sanctificatum per manus beati Fructuosi ædificatum, primo confessione monachorum, postea vero multis temporibus manebat desertum, modo tamen nostris jussionibus eundem locum nos Ranulphus Episcopus Astoricensis sedis ordinavimus pro consecrationis officio Abbatem nomine Genadium, dedimusque ei regulam observationis sanctæ vitæ, cunctaque illi monastica instrumenta.

Præcepimus ego Ordonius Rex, & Giloyra Regina, offerimus ad honorem nominis Christi, sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, sive & ejusdem sanctæ Crucis, hæreditatem nostram propriam, vallem quam dicunt Oza, ab integro intrinsecus, sive homines qui ibi habitant, vel qui ad habitandum venerint, tam eremum quam populatum, tam molinarias, quam piscarias sive pratis sive paludibus, tam domitum, quam & indomitum, damus atque concedimus ipsam vallem per omnes suos terminos, id est, pro illo monte de Aquiliana per carraria qui discurrit per Moscattero ad Castellum usque in Ecclesiam sancti Tirsi, & de alia parte per Pine albæ, & per campo Paulo, & per illustrata quę discurrit de Portello de Escalios usque in terminos sancti Tirsi. Omnia ut jam supra diximus, quantum infra ipsos terminos includunt, quæ ad usum hominis pertinent, omnia ab integro contestamus, atque adfirmamus, & ab hodierna die, ac tempore, in jure atque dominio ipsius Monasterii, & fratrum in eo degentium sic perpetim mansuram, ipsi sancti Petri Monasterio semper diutissime ex integro deservire optamus.

Offerimus vasa Altaris calicem argenteum, & patenam, capsam argenteam deauratam gemmis suis ornatam, Crucem argenteam, similiter & deauratam cum lapidibus pretiosis instructam: mihi Principi Ordonio Monasterii S. Petri in domo domini offertam coronam argenteam unam, vestimenta altaris omnia ad plenum sive frontalia, seu principalia, signum fusile ærerum bonæ modulationis demulcens audientium aures, in thesauro Ecclesiæ conferimus: libros Ecclesiasticos, psalterium, Comicum, Antiphonarium, Manualium Orationum, Passionum, Sermonum, Ordinum, precum, & Orarum, & data jam Regula sanctæ observantiæ monachorum firmaremus, sicut & fecimus, & omnem *doctrinam deificam constitutam in Regula beati Benedicti quam eis observandam tradidimus*, cum cunctis, sibi subjectis monachis *retinendam injungimus*, hanc *jure monastico observare* eligimus. Si quoq; ut omnem sanctam à patribus institutionem, & cunctæ beatitudinis excellentiam regularem in eodem vestro sub nuper electo Monasterio, idem Abbas nomine Genadius, cum sibi delegata plene conservet, & in omni spirituali exercitio semper intentissimus extet, hi ipsi Monachi, vel Abbas, ad regularem jugo subjectum regularia jussa complentes, & sanctum ipsum Monasterium bonis testimoniis ornent, & sibi lucrum æternæ vitæ prævidendo augmentent. Post hujus denique meæ præceptionis optabile instrumentum, quod ipsum sanctæ Ecclesiæ vestræ Monasterium monimentum canonicæ authoritatis præceptione, ut eam perenniter obtineat regulariter firmitatem, *sicut & cuncta Christi ab antea per totum orbem institutæ Monasteria habent*, ut vota servitutis meæ pro hujus Monasterii vestri dicatione sanctius, & perfectius omnipotens Dominus roboraret, per hujus decreti nostri paginam adgressi sumus, hoc confirmatum manere, obsecrantes, & contestantes cuncta religiositate, & omnem omnino populi Christianitatem per summæ divinitatis coæqualem, coæternam, & inseparabilem Trinitatem, & in carne Nativitatem, atque regnum gloriæ Domini nostri IESU Christi, quo omnes clarificati sunt sancti, ut ordinem regulæ, & institutum hujus nostri decreti ab eodem Monasterio, nullus ab hac die in subsequenti tempore conetur infringere, aut quolibet modo in deterius commutare; Ea duntaxat ratione servata, ut omnia supra taxata, & locis suis à me ordinata, nullus hominum immutare, infringere, vendere, aut in alio loco concedere, donare, aut immutare præsumat. Si quis igitur deinceps, & in subsequentibus hujusmodi temporibus, tam à Pontificibus Ecclesiæ, quam Comes, Iudex, Princeps, Abbas, Monachus, Presbyter, Laicus, vel cujuslibet generis, ordinis, quem etiam quibus omnibus pro hujus decreti nostri infringendo robore, aut inculcando ordine, quocumque conatu, vel ausu temerariæ præ-

sumptionis invasor voluerit exurgere, aut de loco, vel Ecclesia ipse vestræ regulæ monasticam traditionem, aut Regulæ Sanctæ constitutionem voluerit evellere, & conavérit agere contra Apostolica documenta, & patrum præcepta, quod in isto est institutum decretum, quicumque fuerit ille, sit anathema in conspectu Dei Patris omnipotentis, & Sanctorum Angelorum ejus, sit condemnatus, & perpetua ultione percussus in conspectu Dei nostri Iesu Christi, & Sanctorum Apostolorum ejus: Sit etiam in conspectu Sancti Spiritus, & Martyrum, repetita anathema maranatha, id est, duplici perditione damnatus, ut de hoc sæculo, sicut Datan & Abiron, vivus continuo absorbeatur jactu, & tartareas pœnas cum Iuda traditore perenni perferat cruciatu, & insuper inferat parti meæ, partique vestræ ipsum Monasterium duplatum, vel triplatum. Facta carthula testamenti v. Kalend. Maij, sub Era DCCCC. XXXVI. Luna XIII.

Sub Christi nomine Ranulphus Dei gratia Episcopus Astoricensæ sedis Ordonius Rex, confirmans hujus series testamenti.

Geloyra Regina hoc testamentum confirmat.
Sanctius, confirmans.
Adefonsus, confirmans.
Scema, confirmans.
Garsea, confirmans.
Ranemiro, confirmans.
Hodoarius, Dei gratia Episcopus confirmans.
Ordonius, Rex.
Ordonisindus, Episcopus confirmans.
Furacasus, confirmans.

Sub Christi nomine Recaredus Dei gratia Metropolitanæ Lucensæ sedis Episcopus confirmat.
Sub Christi nomine gratia Dumiens. Sedis Episcopus confirmat.
Sub Christi nomine Nataler Dei nutu Episcopus Aucensæ sedis, conf.
Sub Christi nomine Frunimus Dei nutu Episcopus Leginnensæ sedis. conf.
Sub Christi nomine Ansericus Dei nutu Episc. Sisensæ sedis conf.
Sub Christi nomine Ermogius Dei jussu Tudensæ sedis, Episc. conf.
Sub Christi nomine Gundisalvus Dei gratia Episc. conf.
Sub Christi nomine Fredrisindus Dei gratia Episc. Salmaticæ sedis, conf.
Sub Christi nomine Ovesso Dei gratia Episc. conf.

Gutier Osoriz.
Beas Menendiz.
Flaginus Diaz.
Fredenando Diaz.
Lupi Benalgotiz.
Seyrigutas Maureali.
Silegutus Petriz.
Teodericus.
Nuno Alveriz.
Tellageric.
Manaldo.
Sub Christi nomine Notarius Episcop. Astoricensæ sedis, conf.
Turibaldo.
Abzuleymon.
Cresconio Cubicularius.
Zaiteiben Alub.
Garsea Fornenici.
Lupici.
Fabila Odariz.
Tidon Ludici.
Gundemarus.
Aluarus Pepi.
Alvarus.
Sub Christi nomine Scemenus Episcop. Astoricensæ sedis.
Didacus Remirez.
Garsea Fortuniz.
Zafa Iuanus.

SCRIPT. XIX.

Bulla Honorii PP. data Monasterio Sancti Petri de Montibus.

HONORIUS Episcopus servus servorum Dei. Dilectis Filiis Abbati Monasterii Sancti Petri de Montibus, ejusque fratribus, tam præsentibus, quam futuris, regularem vitam professis, in proprio Monasterio religiosam vitam eligentibus, Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringatur, ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Monasterium S. Petri de Montibus, Asturicen. Diœcesis in quo divino estis obsequio mancipati, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsenti scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo Monasticus, qui secundum Deum, & Beati Benedicti regulam, in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem Monasterium in

præsentiarum juste, ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, Largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque Successoribus, & illabata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo præfatum Monasterium est, cum omnibus pertinentiis suis; Ecclesiam Sancti Petri de Villarino cum pertinentiis suis; Sancti Ioannis de Valdeossa: Sanctæ Cosmæ, Sanctæ Mariæ de Foyocobare, Sancti Thomæ, Sancti Andreæ de Montexos, Sancti Salvatoris de Quintaniella, & Sanctæ Mariæ de Villanova, Ecclesias cum omnibus pertinentiis earundem: Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Castrello cum pertinentiis suis, Sancti Salvatoris de Priaranza, Sancti Christophori, S. Ioannis de Corpnrales, Sancti Andreæ de Salzeda, Sancti Martini de Rio, de Porcos, Sanctæ Mariæ de Casayo, Sancti Martini de Alixo, & Sanctæ Mariæ de Valdeorres, Ecclesias cum omnibus pertinentiis suis earundem, Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Saguata cum pertinentiis suis, Ecclesiam Sancti Pelagii de Saguaza cum pertinentiis suis, Sancti Iannis de Turgencio, Sanctæ Marinæ de Paramis, S. Mariæ Alve, Sancti Petri de Quintana, Sancti Pelagii de Morales, & Sancti Petri de Sobradelo, Ecclesias cum omnibus pertinentiis earundem. Prioratum S. Romani de Ornissia, cum pertinentiis suis, Ecclesias S. Mariæ de Villafraciæ, S. Mariæ de Cavannero & S. Mariæ de Ecclesia rubię cum omnibus pertinentiis earundem: Et quidquid juris habetis in Ecclesia S. Mariæ de Vocibus, S. Vincentii de Borrevibus, & Sancti Stephani de Freinadelo, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usvagiis, & pascuis in bosco, & plano, in aquis, & molendinis, in viis, & semitis, & omnibus aliis libertatibus, & Immunitatibus, suis. Sacræ novalium vestrorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non præcipit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos, vel Laicos liberos, & absolutos, & à sæculo fugientes, ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in Monasterio vestro professionem, fas sit sine Abbatis sui licentia de eodem loco, nisi religionis obtentu discedere; discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat ritinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto. Chrisma vero, oleum Sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad ordines fuerint promovendi, à diœcesano suscipietis Episcopo, si quidem Catholicus fuerit, & gratiam comunionis sacrosanctæ Romanæ sedis habuerit, & à vobis volverit sine pravitate exibere. Prohibemus insuper, ut infra fines parochiæ vestræ, si eam haberis, nullus sine assensu diœcessani Episcopi, & vestro, Capellam, seu Oratorium, de novo construere audeat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc novas, & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Archidiaconis, Episcopis, seu Decanis, aliisque omnibus Ecclesiasticis, sæcularibusve personis à vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, aut etiam publici usurarii, nullus obsistat: salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum Corpora assumuntur. Decimas prætetea & possessiones ad jus Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à Laicis detinentur, redimendi, & legitime liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias ad quas pertinent revocandi, libera sit vobis de nostra authoritate facultas. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis, astutia, seu violentia proponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum major pars consilii sanioris, secundum Deum; ac Beati Benedicti regulam, providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna imposterum solicitudine providere volentes, authoritate Apostolicâ prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum, nullus rapinam, seu furtum facere, ignem opponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates, & immunitates, à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Monasterio vestro concessas, nec non libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus & Principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti communimus privilegio. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum

liceat

liceat præfatum Monasterium temere pertorbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, miouere, seu quibuslibet exactionibus fatigare, sed omnia iotegra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis Apostolicæ authoritate, & diœcesanorum Episcoporum Canoniea justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit potestatis, honorisque sui eareat dignitate, reamque divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore, ac sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiat, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inveniat. Amen, & Amen. Ego Honorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Ancherus titul. Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis. Ego Hugo tituli S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis. go Comes tituli Sanctorum Marcellini, & Petri, Presbyter Cardinalis. Ego Gaufridus, tituli Sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis. Ego frater Bentevenga Albanensis Episcopus. Ego frater Latinus Ostiensis, & Veloliensis Episcopus. Ego frater Hieronymus Prænestinus Episcopus. Ego Bernardus Portuensis, & Sanctæ Ruffinæ Episcopus. Ego Gotifridus Sancti Georgii ad Velum Diaconus Cardinalis. Ego Iacobus S. Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis. Ego Iordanus, Sancti Eustachii Diaconus Cardinalis. Ego Matthæus Sanctæ Mariæ, in Porticu Diaconus Cardinalis. Dat. Romæ apud Sanctam Sabinam, per manum Magistri Petri de Mediolano, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarii, Calendis Maij indictione quartadecima, incarnationis Dominicæ anno millesimo ducentesimo octogesimo. Pontificatus vero Domini Honorii Papæ quarti anno. primo.

SCRIPTURA XX.

Privilegium Alphonsi Regis Legionis æra M.CC.LXVI. æra M.CC.XCIII. ab Alphonso Rege Castulæ confirmatum.

CONOCIDA *cosa sea à todos los bombres, que esta carta vieren, cuemo yo Don Alfonso por la gratia de Dios, Rey de Castiella, de Toledo, de Leon, de Gaucia, de Sevilla, de Cordoua, de Murcia, de Iaen, vi un previlegio del Rey Don Alfonso meo abuelo, fecho en esta guisa.*

In nomine Domini amen. Regis Catholici interest, Sancta & religiosa loca tueri, ac venerari, & ea possessionibus ampliare. Idcirto, ego Adefonsus Dei gratia Rex Legionis, & Galitiæ, notum facio præsentibus, & futuris, præsentem paginam inspecturis, quod concedo, & cõfirmo, Deo & Monasterio Sancti Petri de Montibus, Ecclesiam Sancti Pelagii de Morales de Rey, cum omnibus pertinentiis suis, quam ex donatione patris, mei Regis Domini Fernaodi obtinui, & quidquid in eaodem Villa usque in hodiernam diem idem Monasterium alias justo titulo acquisivit: Nulli ergo hominum liceat hanc meæ concessionis, & confirmationis chartam infringere, vel ei ausu temerario contraire, quod qoi præsumpserit, idem Dei Omnipoteotis & Regiam indignationem iocurrat, & quantum invaserit duplo componat, & pro ausu temerario Regiæ parti, in pænam, mille moravatinos exolvat. Facta charta apud Benaventum duodecima die Augusti, era de 1266. Bernhardo Compostellano: Ioanne Ovetensi: Roderieo Legionensi: Materno Camorensi: Pelagio Salmanticensi: Michaële Civitatensi: Petro Cauriensi: Laurentio Auriensi: Michaële Lucensi: Stephano Tudeosi, Marino Mindonensi, Domino Petro, Petri Magistri Scholarum, Infante de Petro existente Majordomo Domini Regis Tenente legionem, Taurum, Comoram, Extrematurum, Transferram, & Limiam, Domino Roderico Fernandez signifero Domini Regis Tenente Obetum, Astoricam, Majoricam, & Benaventum, Domino Roderico Gomez Tenente Montemrosum Montemnigrum, & Trastamaram: Domino Fernando Gutierrez, Tenente Perticam S. Iacobi: Domino Alvaro Ruderici Tenente Infantaticũ, &c.

El yo sobredicho Rey de Alfonso Regnante en uno con la Reyna Donna Ioland mi muger, y con mis fyas la Infan-

ta Don-

ta Donna Berenguela, y la Infanta Donna Beatriz, en Castella, en Toledo, en Leon, en Gallicia, en Sevilla, en Cordova, en Murcia, en Iaen, en Baeza, en Badaloz, en el Algrue: Otorgo este privilegio, è conformolo, è mando, que vala assi como valiò en tiempo del Rey, Don Alfonso mi aguelo, è, del Rey Don Fernando mio padre. Fecha la carta, en Valladolid dozedias andados del mes del Iulio, era de 1293. en el anno que don Duarte fyo primero, è heredero del Rey Enrrique de Ingalaterra recibio Cavalleria, en Burgos del Rey Don Alfonso sobredicho. En la rueda dize. El Rey don Alfonso signũ. Luego se ponen los Infantes: Don Alonso de Molina, Don Federico, Don Enrrique, Don Manuel, Don Fernando, Don Felipe electo de Sevilla: Don Sancho electo de Toledo è Chanciller del Rey Don Ioan Arcobispo de Santiago: Don Aboabdille Abenazar, bassalle del Rey: Don Mahomat Abemmahomath: Abenuth Rey de Murcia, basallo del Rey: don Abenmathforth, Rey de Niebla, basallo del Rey: Don Gaston Vizconde de Beath, basalle del Rey: Don Gui Vizconde de Limoges, basalle del Rey; Don Aparicio Obispo de Burgos: Don Pedro de Palencia: Don Remon de Segovia, Don Pedro de Siguenza; Don Gil de Osma; Don Mateo de de Cuenza; Don Benito de avila: Don Azanar de Calaborra; Don Lope electo de Cordoua: Don Adam Obispo de Plasencia; Don Fray Petro Obispo de Cartagena Don Martin de Leon: Don Pedro de Oviedo: Don Suero Perez, electo de Camora: Don Pedro de Salamanca: Don Pedro de Astorga: Don Leonardo de Cibbad: Don Miguel de Lugo: Don Ioan de Orense: Don Gil de Tuid: Don Iuan de Mondonedo: Don Pedro de Coria: Don F. Roberto de Silve: Don F. Pedro Obispo electo de Badallez: Don Pedro Yuannez, Maestre de la orden de Calatrava: Don Pelay Perez Maestro de la Orden de Santiago: Don Garcifernandez, Maestro de la Orden de Alcantara: Don Nunno Goncalbez: Don Alfonso Lopez: Don Rodrigo Concalez: Don Simon Ruyz: Don Fernando Ruy de Castro: Don Pedro Nunnez: Don Pedro Guilen: Don Pedro Guzman: Don Rodrigo Goncalez el niño: Don Fernando Garcia: Don diago Gomez: Don Gomez Ruyz: Don Rodrigo Alfonso: Don Martin Alfonso: Don Rodrigo Gomez: Don Rodrigo Frolas: Don Iuan Perez: Don Fernando Yannes: Don Martin Gil: Don Andres Pertiguero de Santiago: Don Gonçaco Ramirez: Don Rodrigo Rodriguez: Don Alvar Diaz: Don Pelay Perez. Concluye este privilegio con algunas firmas de Oficiales, del Rey. Ruy Lopez de Mendoza, Almirage de la mar: Sancho Martinez de Iodar, Adelantado de la frontera: Garci Perez de Tolede, Notario del Rey, en Andaluzia: Diego Lopez de Salzedo, Merino Mayor de Castilla: Garci Xuarez, Merino Mayor del Reyno de Murcia: Maestre Ferrando, Notario del Rey en Castella Gonsalvo, Merante Merino Mayor de Leon: Roy Xuarez Merino mayor de Galicia: Don Suero Perez, electo de Camora, y Notario del Rey en Leon.

SCRIPTVRA XXI.

Bulla Alexandri II. super translatione S. P. N. Benedicti.

Append. Leon. Ostiens.

ALEXANDER Episcopus servus servorum Dei, omnibus Ecclesiæ Filiis salutem, & Apostolicam Benedictionẽ. Pastoralis sollicitudinis nostræ bonum, si debet prospicere & proficere omnibus, etiam extraneis, & longinquis, multo magis domesticis & propinquis: ipsis quippe secundo gradu post Deum, admovenda est invisibilis claritas, & per eos, velut quædam visibilis flamma gradatim ad remotiores quoque discurrit: Piis ergo locis, & divina religione venerabilibus debitæ consolationis & defensionis porrecturi manus, illem cæteris præferendam non ambigimus, quem monasticæ normæ constat esse principale Gymnasium, & Sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedi contiguum, quem cives Romani patres, videlicet eximii Benedictus, Maurus, Placidus, cum nonnullis aliis fundarunt, quem quia à gentibus destructum Sanctissimi prædecessores nostri Gregorius & Zacharias, reædificarunt, & privilegiis Apostolicę Sedis merito cæteris cœnobiis prætulerunt, utpote non studio hominum, sed Dei imperio, à Sanctissimo Patre Benedicto constructum, quorum nos Sacræ authoritate, sicut loco, & tempore succedimus, sic eorum exemplo, ut oportet, initimur. Sed quia rerum gestarum series ad hoc litterarum fidei committitur, ne illarum veritas posterorum memoriæ subtrahatur, ea quæ nostris temporibus acta sunt, pandere curamus. Nam cum dilectissimus filius noster Desiderius, eandem renovaret Ecclesiam, & aditum basilicæ dispo-

nerec

neret adæquare, cum tres non integras ulnas fodisset in dextero altaris latere, laterem ejusdem Confessoris nomen continentem reperit. Cumque fragmenta altaris remota fuissent, invenit supra sepulchrum sindonem sparsam candidissimam, quæ cum tangeretur, evanescebat. Hac visione certissimus redditus, reserari Sanctissimi Patris præcepit tumulum.

Quo facto Sanctissima Corpora intemerata & indiminuta inveniens, nuncios nostros asciscens, præciosissimaque Corpora eis ostendens, tam præsentes quam futuros, certissimos & indubios, de Sanctis Corporibus reddidit. Igitur cum ad eandem venissemus dedicandam Ecclesiam una cum decem Archiepiscopis, & XLIV. Episcopis, Cleroque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, idem filius noster conquestus est, esse quosdam, nec Deum metuentes, nec homines reverentes, qui B. Benedicti per diversa loca Casinensi cœnobio possessiones auferentes, in suum retorquere dominium satagunt. Vnde Episcoporum nostrorum præsentium, scilicet, ac Cardinalium, Consilio habito, præfato cœnobio possessiones suas confirmantes, imperpetuum habendas statuimus. Si quis vero (quod non optamus) possessiones & Ecclesias Villas, Civitates, & castra SS. Benedicti invaserit, & bis vel ter admonitus, non emendaverit, sciat se authoritate Dei Omnipotentis, & Beatæ Mariæ semper Virginis, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Beati Benedicti, & omnium Sanctorum esse communicatum, & perpetuo anathematis vinculo innodatum, & à Regno Dei alienatum, & cum diabolo atrocissimis pœnis, & Iuda Iesu Christi domini nostri proditore, æterno supplicio, æternæque maledictioni deputatum, & sicut hæ lucernæ extinguntur, ita ante Deum lucerna ejus extinguatur, nisi forte res injuste invasas reddiderit Sancto Benedicto, & dignam pænitentiam gesserit. At vero qui hujus Apostolici instituti observator extiterit, Benedictionis gratiam à Deo domino nostro, per intercessionem Beati Benedicti consequatur, & Vitam æternam accipere mereatur. Statuimus, & ut quicumque devotus ad ejusdem Ecclesiæ dedicationem annualiter venerit, de peccatis suis, XL. dierum remissionem accipiat. Ego Petrus peccator Hostiensis Episcopus. Ego Iohan. Tusculanus Episcopus. Similiter & omnes Cardinales, una cum duodecim Archiepiscopis, & quadraginta Episcopis subscripti sunt.

***

SCRIPT. XXII.

Bulla Zachariæ PP. qua Episcopos & Presbyteros, Galliæ hortatur, ut corporis S. Benedicti restitutionem in Montem Casinum promoveant.

Adrebaldus l. 1. c. 25. Mirac. S. Benedicti.

ZAcharias Episcopus servus servorum Dei, Sanctæ Sedi Principis Apostolorum B Petri præsidens, omnibus Episcopis, ac Presbyteris Ecclesiæ Francorum salutem dicit. Egregius Apostolus ait: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: & iterum idem ipse, dum tempus habemus operemur bonum ad omnes: & item scriptura: Quam speciosi pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona. Innotuerunt nobis religiosus Abbas & Presbyter Casini Monasterii B. Benedicti, & Carolomannus Deo amabilis Monachus germanus Filii nostri Pipini, excellentissimi Majordomus, per hos præsentes religiosos Dei servos Monachos, concordiæ & pacis sermones inter eum, ac Griphonem fratrem ejus expedire, nos mittere, ut & nos hæc ipsa admonendo, dirigamus excellentiæ jam dicti Pipini filii nostri, ut ad pacis concordiam redeant, vobis propter Deum pacificis mediatoribus. Verumetiam pro Corpore beati Benedicti, quod furtive ablatum est à suo sepulchro, ut ei restituatur. In hoc opere pietatis & misericordiæ, libenter aurem accommodare hortamur dilectionem, ac Sanctitatem vestram. Vt primum omnium, frater ad fratrem pacis jure in unum redeat, & confundatur iniquitas è medio eorum: Charitas vero Dei, nobis prædicantibus, & ministrantibus exuberet inter eos. Deinde & præfati Benedicti Corpus, juxta petitionem servorum, sublimitas filii nostri dilecti Pipini, vestra cooperante sanctitate indubitanter ad proprium remittat locum, jam dicti servi Dei de suo gaudeant, sibi restituto Patre, vosque perennem habeatis mercedem, & laudem, pro eo quod juste operati fueritis, ut ad suum Sanctissimi viri corpus referatur tumulum, ex quo clam ablatum est. Nec enim habet sanctitas vestra quid offensionis in hoc bono opere restitutionis ejus pertimescere debeat coram Deo: Dum creditur, quia ad obtinendum hoc, ipsius suffragantibus orationibus, & voluntate, præfati religiosi Dei servi sunt permoti.

***

SCRIPT. XXIII.

Bulla Alexandri II. Monasterio Floriacensi data.

ALEXANDER EPISCOPUS servus servorum DEI: Guillielmo venerabili Abbati Floriacensis Monasterii, ubi venerabile Corpus Beati Benedicti requiescit, ejusque successoribus regulariter intrantibus in perpetuum. Si in Apostolica sede præsidenti hæc solicitudo & cura singularis incumbit, ut ex ipsa consideratione regiminis omnibus Ecclesiis, & venerabilibus locis, tam in temporali defensione & corroboratione diligentiam, quam in Spirituali speculatione, & doctrina, quantum Deo auxiliante prævaleat, vigilantiam adhibere debeat, valde congruit ut earum profectui & utilitatibus, quæ sub tutela Sanctæ Romanæ Ecclesiæ specialiter constitutæ sunt, tanto impensioris curæ studium impertiatur, quanto & generalis providentiæ corpus cum cæteris, & singularem Apostolici Privilegii lanceam præ cæteris sortiuntur. Nos itaque in Apostolatus administratione non nostris meritis, sed divina locati gratia, petitionibus tuis charissime fili & frater in Christo Guillelme, cum omni charitate & benevolentia consentientes venerabili loco, cui præesse dignosceris, tibi quoq; tuisq; successoribus, nostræ Apostolicæ defensionis, & confirmationis privilegia, prædecessorum nostrorum statuta servantes, impendimus: Statuentes & Apostolica authoritate corroborantes, ut ipsum Monasterium, & possessionis ejus res, tam mobiles, quam immobiles, seu cujuscumque modi bona sint, quæ nunc ibidem juste sunt collata, vel imposterum Deo annuente à fidelibus conferenda, sine omni inquitudine, sub tua, tuorumq; Successorum gubernatione firma, & inconvulsa permaneant, ut nulla potestas sæcularis, Ecclesiastica, seu aliqua persona magna vel parva, idem Monasterium vel ejus pertinentia invadare vel comminuere, aut in quocunq; molestare audeat, nec subjectas illi personas, sine voluntate Abbatis distringere, vel quidquid fiscus exigit, aliquo modo præripere præsumat. Addimus etiam, ut quia venerabilis Pater Benedictus Monachorum legislator, ex divina gratia dux est monasticæ religionis, sit etiam, qui eidem Monasterio præfuerit, primus inter Abbates Galliæ, nec aliquis de ordine Sacerdotali, Archiepiscopus, scilicet, aut Episcopus, aut inferioris ordinis, eum inquietare, nec contra voluntatem ipsius ad idem Monasterium venire, aut aliquam ordinationem facere, vel Missas celebrare præsumat, ut omni tempore quieti, & securi, absque omni molestia, vel controversia Monachi in eodem Monasterio Deo deservire possint. Abbas vero, qui ordinandus ibi est, cum electione fratrum propter vitæ metur, & honestate morum, & non propter turpia lucra, seu pro pecunia eligatur, & absq; ulla calumnia à quocumque Episcopo, prout sibi placuerit, benedicatur. De Sacerdotibus vero aut Diaconibus ordinandis id observetur, quod regula præcipitur, ne saltem aliquis Episcopus subjectionem ab eis requirat, quos ordinaverit, ne unquam Officio dignos ordinare differat. Denique si contigerit, ut Abbas accusetur de criminalibus causis, non unius Episcopi judicio terminetur sententia, sed Provincialis Consilii expectetur censura, aut si forte maluerie appellare sedem Apostolicam, res ad Romani Pontificis deferatur audientiam: & quotiescumque necessitas urgebit eum venire Romam, ei in omnibus liceat. Sed, & solvendi, & ligandi eam potestatem, habeas, quam antecessores tui per Romana privilegia probantur habuisse. Quod si peccatis habitatorum terræ exigentibus excommunicationis anathema ad eos pervenerit, id privilegium eidem Monasterio indulsimus, ut fratres ejusdem congregationis, exclusis aliis omnibus, ipsi absoluti divinum Officium peragant. Visum quoq; nobis est, ut hanc licentiam eidem tribuamus, ut fratres qui in quibusdam cœnobiis degunt, quod vivere regulariter nequeant, si voluerint studio meliorandæ vitæ ad ipsum ducem Monachorum confugere, permittatur eis in eodem cœnobio tam diu degere, si contenti fuerint monastica consuetudine, quousque in suis Monasteriis videatur ordo redire. Permittimus etiam, ut si alicujus de ipsis fratribus onerosa conversatio fuerit, ipso potius cum suo detrimento discedat, quam alios inquinet.

Hæc igitur omnia, quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, tam eidem Abbati, quam cunctis in eo, in quo est Ordine, locoque successuris, in perpetuum servanda decernimus. Si quis vero Regum, Sacerdotum, atque quarumlibet personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, vel de Ecclesia Sanctæ Mariæ cum omnibus appendiciis, pertinentibus ad


tibus ad ipsam Ecclesiam quæ est in Castro Sancti Bricii, quam Robertus dominus ipsius castri ipsi Monasterio contulit, aliquid abstulerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reumque se divino Iudicio existere de perpetrata iniquitate agnoscat, & nisi illa quæ ab illo sunt male ablata restituerit, & digna satisfactione acta emendaverit, sub anathematis interdictione fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inveniant. Datum Lucæ septimo idus Novembris. Per manus Petri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, anno undecimo Pontificatûs Domini Alexandri Papæ, indictione decima.

SCRIPT. XXIV.

Apographum Instrumenti, ex archivo Monasterii Floriacensis productum, quod S. Ossa N.P. Benedicti an. 1581. in arcam ligneam Floriaci reposita esse, docet.

ANNO Domini millesimo quingentesimo sexagesimo primo accidit ut florentissimum olim Galliarum imperium, à suis incolis & alumnis, propter regionis diffidium, civilibus & intestinis bellis obsessum undique, & irretitum esset. Et qui pietatem impugnabant, & impietati favebant, omnia propemodum sacra, vi & arte, ditioni & rapacitati suæ subegerunt, ita, ut inter tot ærumnas, & incidentium procellarum tempestates, vix ullus reperiri potuerit locus sacer, cui pepercerit impia & sacrilega manus. Nam præter trucidatos ubique, aut saltem fugatos Monachos, Sacerdotes, Moniales, & cæteros Ecclesiarum ministros, templa omnia vel exusta vel solo æquata, funditus everterunt. Aut si cui pepercerunt, attamen ad unum omnium confracta undique reliquerunt, ac illa vasis consecraris, preciosis ornamentis, auro, & argento, penitus spoliarunt, dejectis ad ignem & exustis sanctissimorum Patrum, membris, & ossibus, quorum præsentia & præsidio adversùs hostes, insultantium inimicorum conatus, tota Gallia firmissima nitebatur anchora, donec Deus ille maximus, peccatis nostris vehementer iratus, tanto præmiæ nos privare. Tamen speciali privilegio eidem placuit Divinæ Majestati, ut hocce nostrum celeberrimum & Regium Monasterium integrum & erectum servaretur, & quod magis est prædicandum, nec minus gloriandum, tanta benignitate & favore amplissimo illa immensa bonitas nobiscum usa est, ut Sacrosanctum Sanctissimi Patris nostri Benedicti Corpus, aurea & præciosissima theca ab impiis & sacrilegis spoliatum, in fractum tamen & integrum nobis ad hanc usque diem remanserit. Quamobrem pacatis utcunque civilibus bellis, ne tanti beneficii immemores, ingrati animi vitium incurremus & pœna gratiam sequeretur, V. in CHRISTO Pater ac Dominus Claudius Sublesius, pius, Abbas, hanc thecam pro ratione temporis, sumptibus suis extruendam curavit: & in eadem Sanctissimi ejusdem Patris membra recondi mandavit. Quod & factum est 27. Mensis Maij Millesimi quingentesimi Octogesimi primi, in medio chori summi templi, adstantibus Domino Priore cum cæteris fratribus, tam Officiariis, quam claustralibus, Parocho, & ministris ejus; comitante etiam pia, & catholica turba ex tota Parochia & vicinoribus locis collecta: pulsantibus omnibus templi campanis, Dominus dictus Prior frater LUDOVICUS POTHIN pretiosioribus ornamentis amictis, sua benedictione hanc consecravit, & aquæ Sacræ aspersione perlinivit. Deinde gravi Ordine & incessu itum est ad processionem cum omni modestia & pietate, electis antea & præmissis ad portandum feretrum quatuor probatissimæ vitæ viris. Qua peracta eodem animo, eademque pietate, & gravitate, à dicto Priore, Missa de eodem sancto solenniter celebrata est, in cujus fine idem Sanctissimi Benedicti corpus in antiquo & præordinato scrinio inde reportatum, & repositum est. Actum per me scribam Capituli, anno & die prædictis addito, & expresso Sigillo Conventus.

Signatum de Pothin Sainfard, Dargerii, Paris Fimbaut, Foubert, Paolin, Moyreau Desboys, Filland, & Bernard, Secretarius, Capituli.



SCRIPT. XXV.

Litteræ Oderisii Abbatis Casinensis, datæ ad Monachos Floriacenses, in quibus mentio fit de corpore S. P. N. Benedicti.

Ioh. Boscus Biblioth. Floriacens.

Oderisius, Dei gratia Cardinalis & Abbas cum omnibus fratribus Casinens. Congregationis, Sancto & Venerabili Guillelmo, omnique ordini vel Congregationi Floriacensis cœnobii beatam Vitam, & Hierusalem cœlestem.

VEnient, ait Salvator, ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in Regno Cœlorum. Necesse itaque, & dignum est, ut qui ad illam pervenire societatem æternæ plenam charitatis, & insatiabilis dulcedinis, enituntur, in præsentis Vitæ transitu, mutuæ dilectionis collegati vinculo teneantur. Si enim ex temporali cohabitatione magna quædam & sincera coalescit affectio, quanto magis qui in æternum cohæredes & concives futuri sunt, eorum debet adhuc mortalium mentibus abundare dilectio? Denique cum sancta & universalis Ecclesia, pro sola spe suæ fidei, tanta necessitate ad fraternam exercendam charitatem constringitur, necesse est, ut quorum non solum fides, sed & ordo, vitæque professio una est: Monachorum charitas præcellere videatur, quanto enim vicinores esse Divinitati, Ordinis sublimitate cernuntur, tanto magis etiam in se debent præferre puritatis, & simplicitatis exemplum. Qua propter nos ex magna devotione, & sincera charitate, decrevimus familiariter scribere sanctitati vestræ, ut vestrum & nostrum quasi unum sit Monasterium: & quodam spirituali atque inviolabili amore, in perpetuum fœderemur. Siquidem certa etiam & digna ratio est, ut nostræ, & vestræ fraternitatis conventus, alterutrum se se præ cæteris diligant, qui pari gaudio habere se incomparabilem thesaurum reliquiarum Patris Benedicti exultant. Licet à nobis haberi multis miraculis, & prodigiis, ac revelationibus, & quorundam etiam nostrorum oculis sit veritas comprobata. Verum, sive illud habere vos quælibet occasio fecerit: sive quid illius habere gratulanter speratis, singularis utrique invicem nobis, & præcipui debitores sumus amoris. Igitur, nos sinceram vobis amicitiam societatemque promittimus, ut vos etiam amici nostri sociique existatis, devotissime & humiliter flagitantes expetimus, ita ut si ab aliquo fratrum nostrorum ad vestrum, aut vestrorum aliquando ad nostrum Monasterium ventum iri evenerit, confidenter quasi proprie suum adveniat, omnemque charitatem illic & solatium necessitatis inveniat, atque honorifice quandiu voluerit ibidem commorari, habeatur licentia. Siquidem, & nomina omnium viventium nostrum ad præsens vobis scripta, per VValterum vestræ sanctæ congregationis venerabilem fratrem direximus, atque vestra nobis invicem dirigenda nomina desiderabiliter expectamus, ut nostra, inter vestra, & vestra inter nostra nomina conscribantur: quatenus & viventes, & defuncti, alternis interventionibus meritis & orationibus protegamur.

Originale istius societatis erat olim in altero textuum Evangelii deauratorum in thesauro Floriacensi.

Alias Societates contraxerant tum Floriacensi cœnobio Garmerius Abbas & Conventus Sancti Martini Maciacensis, Monachi Sancti Michaelis, Casæ Dei Cabilocenses, de Bardunn Tyronenses, Beatæ Mariæ de Iosaphat, Sancti Martini Eduensis, Sancti Fidis de Conchis, & alii de quibus prolixe Floriacense authenticum.

SCRIPT. XXVI.

Bulla Innocentii III. data Corbejensi Monasterio, in Episcopatu ambianensi sito, de quo ad an. 662 egimus.

Ex 1. I. Decretal. Innocentii III.

APOSTOLICAE sedis authoritate debitoque compellimur, pro universarum statu Ecclesiarum satagere, & earum maxime, quæ specialius eidem sedi adhærent, ac tanquam proprio iure subjectæ sunt, utilitatibus providere. Ea propter dilecte in domino Fili, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & ad exemplar prædecessorum nostrorum, felicis memoriæ, Nicolai, Benedicti, Leonis, Vrbani, Paschalis, Innocentii, Eugenii, Adria-

ni, Alexandri, Clementis, Celestini, Romanorum Pontificum, præfatum Corbejense Monasterium, in Pago ambiensi situm, quod ad jus, & proprietatem B. Petri specialiter pertinet, in quo estis divino obsequio mancipati, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsenti scripti pagina, & privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut ordo Monasticus cui secundum Deum, & Beati Benedicti regulam, in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona, quæ idem Monasterium in præsentiarum juste, ac canonice, possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, sive aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant: in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Omnes Parochias Corbejæ, & Parochiam Patrorum, Parochiam de Naars, Parochiam de Rus, Parochiam de Thanes, & Parochiã de Uscia, &c. Ad hæc adjicientes interdicimus, ut possessiones ipsius Ecclesiæ, & beneficia, absq; Abbatis & fratrum consensu, nullus hominum in vita, sive in morte, aliis Ecclesiis dare, vel alio quolibet modo alienare præsumat ab ipsa. Nec liceat Rhemensi Archiepiscopo, nec Ambianensi Episcopo, in Abbate & fratribus, vel Clericis, sive famulis, aut in laicis infra præfatas Parochias, contra eos ad extraneis factas, aliquomodo recipere, vel pro emendatione criminum, actionis quærere præmium, neque potestatem aliqua in possessionibus ad ipsum Monasterium, vel cellas ejus pertinentibus, vel in posterum juste, & rationabiliter acquirendis, sibi audeat vendicare. Prohibemus quoque ne Rhemenses Archiepiscopi, vel Ambianenses Episcopi, aut alii, vel eorum Oeconomi, vel Archiadiaconi, seu coram Nuntii, absque vestra, vel vestrorum fratrum gratuita vocatione, ad Monasterium vestrum, vel loca prædicta accedant, aut molestionem aliquam, seu perturbationem inferant, aut consuetudines pravas, seu novas imponant. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum benedictionem Abbatis, ordinationes Monachorum, & Clericorum vestrorum, qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, à diœcesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem Apostolicæ sedis habuerit, & vobis ea gratis, & sine pravitate voluerit exhibere, alioquin liceat vobis quemcumque malueritis.

Obeunte vero te, nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia proponatur, nisi quem tantum fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Deum, & beati Benedicti Regulam, de eodem collegio, vel alterius cœnobii, si ibi aliquis ad hoc regimen dignus repertus non fuerit, providerint eligendum, qui juxta antiquam Ecclesiæ vestræ consuetudinem, à quocumque malueritis Episcopo consecretur. Apostolica insuper authoritate statuimus, & sub interminatione anathematis prohibemus, ne Abbates vestri qui pro tempore fuerint altaria, decimas, præbendas monachales, aliquo titulo alienare præsumant, nec alias possessiones Monasterii, seu thesauros vendere, obligare, aut infeudare, sine communi consensu capituli, vel majoris aut sanioris partis, aliquatenus audeant. Ad hæc autem adjicimus, ne aliqui Monachi, seu conversi, sub professione domus vestræ astricti, sine consensu Abbatis, & majoris ac sanioris partis Capituli vestri, pro aliquo fide jubeant, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiant, ultra pretium Capituli vestri, rationabili provindentia dinitum, quod si facere præsumpserint, non teneatur conventus pro his aliquatenus respondere. In dictũ autem, sicut hactenus Corbejense Monasterium celebrare consuevit, vobis confirmamus, & ne quis eos qui ad ipsum convenerint in eorum bonis, vel in personis offendere, vel molestare præsumant, authoritate Apostolica prohibemus. Illis vero, qui locum ipsum in hac die devotionis intuitu visitaverint, & beneficia ei contulerint, de injuncta eis pœnitentia quadraginta dies Apostolica authoritate relaxamus. Hospitali autem vestro, quod Partaria dicitur, decimas à catholicis ipsius loci Abbatibus, & aliis Dei fidelibus, rationabiliter concessas, authoritate Apostolica confirmamus. Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat præfatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum guberratione, ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salva sedi, Apostolicæ authoritate. Ad indicium autem, quod Monasterium vestrum ad jus & proprietatẽ beati Petri pertineat, & perceptæ à Romana Ecclesia libertatis, unciam auri nobis &

succes-

successoribus nostris annis singulis prosolvetis. Si qua igitur, &c.

Datum Lateran. per manum Reinaldi Domini Papæ Notarii, Cancellarii, vicem agentis quinto decim calendas Ianuarii, indictione secunda, incarnationis Domini Pontificatus vero Domini Innocentii Papæ III. anno primo.

SCRIPT. XXVII.

Relatio de Concilio Rothomagensi, in quo sancitum fuit, ut Regula S. P. N. Benedicti perpetuo observaretur in Monasterio Fontanellæ: excerpta è vita S. Ansberti, Rothumagensis Archiepiscopi: ante id Monachi Fontanellæ.

Ansgrad. Monach. apud Sur. 9.

INTEREA dum multimodam ejus in omnes gratiam memoro, etiam super Fontanellensis cœnobii sancta Monachorum congregatione quantam solicitudinem, & pervigilem curam indesinenter habuerit, restatur inter reliqua prærogativæ ejus gesta etiam Privilegii sui authoritas, quam prædicti cœnobii habitatoribus ob Dei amorem, & Sanctorum reverentiam summa devotione edidit. Denique cum Sanctorum Sacerdotum, & omnium civium Rothomagensium electione, & gloriosi Regis Theodorici consensu, in Pontificem consecratus fuisset, nimio dilectionis fervore, quem erga prædictum venerabile cœnobium semper habuerat, privilegii sui authoritatem eidem edidit, ut per succedentia tempora, secundum Sancti Patris Benedicti regulam, & ut præcedentium Regum, Clodovei videlicet, & Clotarii, simulque Childerici, & Theodorici, privilegiorum authoritates docent, ex semetipsis sibi peromnibus temporibus Abbatem eligerent. In qua etiam justæ allegationis verbo præsentes futurosque, qui ibidem Domino militaturi erant constringit, ut sicuti sub ejus regimine, ita & deinceps, & ipsi, & posteri eorum, secundum Regulam Sancti Benedicti, fideliter Christo deservirent. Quod si aliquando peccatis exigentibus aut negligentia pastorali, à via rectitudinis, & observatione Regulæ Sancti Benedicti in futuro deviare conarentur, aut cogerentur, tunc convocatio sanctorum Sacerdotum reliquorumque militum Christi, unanimiter fieret eorumque per consilium in pristinum reducerentur statum.

Si vero hac Pontificali authoritate postposita, qualibet cavillatione. Sinistram elegissent vitam ac conservationem tenere sub vinculo anathematis se damnandos scirent. Facta est autem hæc privilegii authoritas, sub anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo octuagesimo secundo, Indictione decima, qui erat annus præfati gloriosi Regis Theodorici tertius decimus, & præfati venerandi Præsulis Pontificatus annus quintus, in Synodo generali, Rothomago urbe habito, ubi plurima Deo accepta, & Sanctæ Ecclesiæ utilitatibus profutura, disputata sunt. Affuerunt quoque, & Sancti Pontifices, aliique venerabiles viri, ab ipso præcipuo præsule, evocati, quorum subter tenentur nomina adscripta. Ansbertus, Archiepiscopus urbis Rothomagensis, huic concilio præfui & subscripsi: Radbertus Episcopus.

Regulus Episcopus Airadus, Episcopus Carnot. Vrbis: Ansoaldus, Episcopus Pictaviensis Vrbis: Aquilinus Episcopus Ebroicinæ Vrbis. Cadœnus Episcopus: Arnonius Episcopus: Salvius Episcopus: Desiderius Episcopus: Fulorannus Episcopus: Ioannes Episcopus: VVillebertus Episcopus: Gerebaldus Episcopi Bajocasinæ Vrbis: Taurinus Episcopus: Annobertus Episcopus Sagientis Vrbis. Celsus Abba: Audomarus Abba: Scladio Abba: Bosochindus Abba. Genardus Vicedominus gloriosus antesati magni Pontificis. Ermentrannus, Ferrocinctus, & Fortianus Arcbidiaconi venerandi. Aderat quoque Presbyterorum residentium, & Diaconorum circumstantium magnus numerus. Rognorhirus Lector hujus sancti Concilii gesta, & hanc privilegii authoritatem, ipso Sancto Pontifice jubente, recognovit & subscripsit.

SCRIPT. XXVIII.

Bulla Innocentii III. data Monasterio, Crux S. Leufredi dicto: qua lis componitur quæ huic Monasterio cum S. Audoeni Asceterio in Nordmannia intercesserat. Ejus meminimus ad an. 677.

INter Monasterium S. Audoëni Rothomagen, & vestrum super modo eligendi. Abbatem in dicto Monasterio vestro, jam dudum fuit quæstio agitata: pro qua partibus ad sedem Apostolicam accedentibus, venerabilem fratrem nostrum Oct. Episc. Host. & dilectum filium G. S. Georgii ad velum aureum Diac. Cardin. dedimus auditores, in quorum præsentia propositum fuit pro Monasterio vestro, quod cum Abbatia ipsa olim pastora vacaret, vos convenientes in unum, Richardum, Monachum, Virum Religiosum, secundum B. Bened. Regulam, & Eccles. libertaté, Apostol. privil. roboratá, de gremio ipsius Eccles. in Abbatem

vobis per electionem canonicam assumpsisse: electum ipsum ad benedictionis munus obtinendum, diœcesano Episcopo præsentantes, qui per dilectum filium Gaufridum Abbatem, præfati Monasterii Sancti Audoëni, prohibitus, quod postulatum fuerat non concessit.

Vos ergo videntes vestrum propositum retardari, ne aliquid in præjudicium Monasterii vestri fieret, Sedem Apostolicam appellastis: à qua postmodum ad venerabilem fratrem nostrum Henr. Episcopum, & dilectos filios Hen. Cantorem & R. Archidiac. Bajocen. sub eo tenore per nuntios vestros Commissionis litteras impetrastis, ut partibus ad suam præsentiam convocatis inspecto privilegio, & rationibus omnibus, quas utrinque ducerent proponendas, causam ipsam, appellatione remota, concordia, vel judicio terminarent, nullis litteris obstantibus, ipsarum mentione non habita, à Sede Apostolica impetrastis. Quod si omnes interesse non possent, Episcopus cum eorum altero, ea nihilominus exequaretur. Cum igitur partes in præsentia prædictorum Episcopi, & præcentoris Bajocen. constitutæ Archidiacon. collegia ipsorum ex certa causa, & necessaria excusato, non possent ad concordiam revocari, parte vestra volente testes suos omni exceptione majores producere ad prohibendam electionem canonice celebratam, juxta tenorem privilegii bonæ memoriæ Lucii Papæ prædec. nostri, super electione facienda indulti, R. Monachus procurator dicti Abbatis Sancti Audoëni, eis ven. fratris nostri Rothomagen. Archiepiscopi, Episcopi Ebroicen. Archidiac. patentes litteras præsentavit, nec in eam procederent, inhibentes pro eo, quod super ejusdem discussione mandatum se dicebant Apostolicum recepisse. Verum quia tenor mandati litteris illis non erat insertus, nec procurator, licet sæpius requisitus, Originale ostendere volvit, vel rescriptum, eorum prohibitione post posita, probationem vestram oblatam sæpius super electione cononica, decreverunt pariter admittendam. Sed Procurator jam dictus probationi obviare contendens, in electione præmissa Monasterium S. Audoëni spoliatum fuisse cujusdam juris sui possessione, dicebat, quam usque ad creationem Abbatis illius loci novissimi obtinuerit inconcusse, qui de congregatione S. Audoëni à monachis de Cruce postulatus fuerat, & electos, Ego igitur id probare volente, testes vestros super electione canonica, procuratores vero super spoliatione opposita, receperunt, quorum dispositiones cum post diligentem examinationem disponerent publicare, ad injustitiam dicti procuratoris secundæ productioni testium, qua sa dixit fore contentum, diem alteram assignarunt. Cumque partes ad diem & locum pariter convenissent, requisitus procurator, ab ipsis judicibus de testibus producendis, ipse quasi testium productioni renuntians, dilectorum filiorum N. de Bellebec. & N. de Mortuomari, Abbatum, & N. Prioris de Bellebec litteras eis porrexit, ne in causa procederent inhibentes. Dicebant enim suscepisse mandatum primo præjudicans, cujus tenorem, & suis litteris adjunxerunt. Cæterum cum primi Iudices rescripto diligenter inspecto cognoscerent, illud per falsi suggestionem & veritate tacita impetratum, cum in secundo mentio facta non fuerit Apostolici privilegii, ut in primo, ex quo electio sortiebatur præcipuam firmitatem, & ipsi Iudices in secundis litteris à monachis Sancti Audoeni dicerentur certa ratione suspecti, quod ostendere non potuit procurator, causis quibusdam suspicionis satis frivolis allegatis, ab eis contumaciter nulla expectata intoleratione recessit. Attendentes igitur judices recusationem hujusmodi, & allegationem dictæ suspensionis feram & supervacuam extitisse, præsertim post litem inchoatum, & testes utrinque productos, quæ forte ante litis ingressum colorem aliquem poterat habuisse; considerantes etiam idem mandatum non plene, sed perfunctorie prioris fecisse mentionem prohibitioni posteriorum judicum, sicut nec priorum acquiescere noluerunt, magis volentes jussionibus ac mandatis Apostolicis obedire, quam inferiorum mandatis indebitam reverentiam exhibere: multis qui aderant jurisperitis sentientibus cum eisdem. Quod cum sæpe dictus Abbas Sancti Audoeni primo ad priores Iudices litteras impetrasset, quarum non habeatur mentio in secundis, carere debebat beneficio utrarumque; si deberet mandatum alterum alteri prævalere; primo esset parendum potius, quam secundo, in quo non habetur mentio de priore: cum neque primum ab eodem Abbate Sancti Audoeni obtinendum de illo faceret mentionem, quod pars altera impetrarat. Præscriptionis, itaque rationibus moti, & usi consilio discretorum

publicatis etiam attellationibus partium, & earum rationibus & allegationibus subtiliter intellectis, prædictam electionem, authoritate mandati nostri ratam habuerunt, & firmam: super illa molestatione ipsius electi perpetuum Abbati & Monachis Sancti Audoëni silentium imponentes: quos condemnarunt etiam in expensis centum librarum Andegaven. Licet pars altera deducentis vellet Sacramento præstito declarare. Pars igitur vestra petebat à nobis factum delegatorum judicum confirmari, & electo manus benedictionis impendi. Cæterum pars altera proposuit ex adverso, sæpe dictum Monasterium vestrum à primordio constructionis suæ in tantum ex consensu Diœcesani Episcopi alteri fuisse subjectum, ut non aliunde assumeretur ibi aliquis in Abbatem, nisi de Monasterio Sancti Audoëni dummodo in eo posset aliquis idoneus ad hoc reperiri. Correctio quoque Monachorum, & Abbatis de Cruce si negligens esset, fuit S. Audoëni Abbatibus reservata: & ita obtinuit à longis temporibus quorum memoria non habetur, & hæc siquidem institutio, & usus ipsius, à bonæ memoriæ Alex. Papa prædecessore nostro proponitur confirmata. Unde cum quondam Monachi S. Leufredi Abbatem quemdam aliunde, quam de Sancti Audoëni gremio elegissent, Abbas Sancti Audoëni hæc comperiens appellavit, & per sententiam Delegatorum Apostolicæ Sedis electum renuntiare oportuit Abbatiæ, qui cum facta professione Abbati S. Audoëni per dies aliquot in ipso monasterio resedisset, per Abbatis concessionem datus fuit præfatis Monachis in Abbatem. Cæterum Abbate novissimo adhuc Monasterium detinente, à quo Regio metu compulsus secessit ad tempus, & Monachis se in libertatem volentibus vindicare, atque ad electionem procedere insuetam, Abbas S. Audoëni hoc præsentiens, Sedem Apostoli appellavit, sicut Ric. tunc electus vellet in judicio est confessus, adjiciens tamen, se primitus appellasse. Verum sæpe dicti Monachi eum eligentes nihilominus in Abbatem, ad jam dictos Hen. Episcopum Bajocen & collegas suos rescriptum Apostolicum impetrarunt: quorum judicium, ut suspectum, Abbas S. Audoëni expietis declinare, ad præfatos Abbatem, & Priorem litteras revocatorias impetravit, qui post inhibitionem priorum Iudicum, qui eis tenorem mandati Apostolici, per suas litteras intimarunt, & postquam procurator Abbatis eis authenticum præsentavit, asserentes litteras illas per falsi suggestionem obtentas, quia privilegii partis adversæ in eis mentio non fiebat, post appellationem quoque ab eodem procuratore interpositam, in causam nihilominus processerunt: quorum factum pro Monasterio S. Audoëni petebant in irritum revocari. His igitur, & similibus, quæ jam dicti Episcopus, & Car. nobis, ac fratribus nostris prudenter ac fideliter retulerunt, plenius intellectis: cum constiterit nobis primam commissionem non fuisse per ultimam revocatum, tum quia causæ suspicionis in jure positæ frivolæ videbantur, quas etiam tanquam dilatorias ante litis ingressum opponere debuissent: quibus coram delegatis eisdem subeundo judicium renunciasse videntur, tum etiam quoniam de privilegio Apostolicæ Sedis, & processu negotii, usque ad publicationes testium coram primis judicibus, nihil in secundis litteris dicebatur: quod si fuisset expressum, obtineri minime potuissent, non obstante sententia, quæ pro Monasterio S. Audoëni dicebatur fuisse prolata, quæ tamen nobis ostensa non fuit: cum si prædictis Iudicibus fuisset ostensa, ea posthabita contrarium statuissent. Alioquin est quod eam objicientibus imputetur, cum sub prætextu novorum instrumentorum leges non debeant instaurari. Communicato fratrum consilio, factum priorum Iudicum ratam, & firmum habemus, & eorum sententiam approbantes, ipsam authoritate Apostolica confirmamus, & electo à vobis postmodum nos ipsi munus benedictionis, salvo jure Diœcesani Episcopi, curabimus exhibere. Nulli ergo, &c. & confir. &c. Datum Lateran. III. nonas Iunii.

SCRIPT. XXIX.

Testimonia, ex vita S. Aichadri petita, ad fidem faciendam uno die 450. Monachos in Gemmeticensi Monasterio extinctos.

Folbert. Monach. auctor vita S. Aichadri apud Sur. 13. Sept.

Multa sunt hujus Viri, & admiranda gesta, atque ad ædificationem posterorum utilia, quæ dum miseræ vanitatis vitabat jactantiam, ne ad hominum notitiam pervenirent, perpetuo studuit, commendare silentio. Quæ autem vel referente fama, vel etiam virorum illustrium testimonio ad nos usque pervenere, ne hæc quidem universa stylo comprehendere possumus. Verum unum, unum, inquam, stupendum quidem relatu, sed memoria dignum refero, ex quo vir iste sanctissimus, quantus apud summum judicem sit, indubitanter agnosci potest, vel ad obtinenda quæcumq;

poposcerit, seu ad exterminanda quæcumque vitaverit. Quadam die intra cellulam, in qua familiare contemplationis secretum agere consueverat, solitarius residebat, ubi hæc ipsa, quæ eum urgebat sine cessatione, cura super grege dominico, tunc quoque animum ipsius cœpit vehementer agitare, quod viribus exhaustis veterana ætas ad regendam tantam Christi familiam, jam sibi sufficere non videbatur. Erat sane, sicut textus vitæ B. Philiberti commemorat, qui in loco eodem præcesserat, nongentorum Monachorum. Quod sane nulli mirum videri potest; nam patris hujus egregia fama, & loci circumquaque effusa religio, de remotis partibus homines velut apes ad mellea castra conversionis amore ad hunc unum locum attraxerat. Dum ergo supra vires unius hominis sibi negotium inesse considerat, hæret incertus animo, quam in partem pronior inclinare se debeat; nam multi eum ea tempestate à labore desistere, & tranquillam ledem quietis suadebant eligere. Quod ille alto consilio respuerat, dicens, illam boni operis victimam nequaquam ante oculos, interni judicis placere, quam finis boni non approbat consummatio: quod in lege caput & cauda offerri jussa prefigurant. Alii autem intolerabilem multitudinem in breviorem summam redigi hortabantur. Et hoc quoq; vehementer devitabat clamans, hujusmodi hortamentum de cœlo nequaquam inspiratum, ut familiæ numerus dirimendo minuatur, qui Angelici ordinis formam, vel ipsa numeri similitudine præseferre videbatur; nam centenarius novies multiplicatus, quid aliud innuere videtur nisi, ut ita dicam, illos civium superiorum novem ordines, ad quorum societatem ipsa numeri tetragona forma præsentem familiam invitabat? Hac interna speculatione animatus vir Domini quamlibet senio perfractus, adversum se semetipsum erigens, tanquam conjurationem init, & de infirmitate virtutem, & de imbecillitate constantiam exerit, ne sacri collegii beata societas, nisi Christo vocante summe potentis numerum amittat. *Post hæc narrat Fulbertus, S. Aichadro apparuisse angelum, qui sub onere fatiscentem de morte dimidiæ partis religiosæ familiæ ipsius fecerit certiorem.*

In proximo est horum fratrum vocatio, sed & nomina eorum scripta sunt in ordine eorum, qui sequuntur agnum. Tu ergo primo diluculo convocatis ad te omnibus, edicito ut internas mentium conscientias per confessionem funditus exhauriant, & quantum superest diei, pœnitentiæ se arctius summittant. De hinc sumpto Corporis & Sanguinis Dominici viatico, solicite vocationis horam expectent, parati ad cœnam agni venire. Hinc vir Dei, qui sunt hi, inquit, & quanti ex familia, qui vocantur? Et Angelus, media pars horũ, inquit, jam ad hanc expeditionem ascripta est, & hi ex nomine, quos hac Virga designari mox considerabis. Tu diligenter animadverte, & hos nominatim jube mox esse paratos. *Paululum inferius.* Ecce quæ dicta sunt tibi, memoriter tene, & quæ nunc ago diligenter intuere, nam quos tactu virgæ hujus attigero, hi sunt qui vocantur à Domino; quos vero pertransiens intactos relinquo, hi servantur ad tempus vocationis suæ. Hæc fatus Angelus, fratres placidæ quietis somno affectos aggreditur, & coram deambulans, alios tangebat, alios præteriens reservabat, quæ omnia vir Domini solicite intuitus, horum qui vocabantur nomina memoriter in pectore recondebant. At noctem illam vir Domini totam insomnem ducens, prima luce fratres in auditoriũ collegit. Quibus circumsedentibus, & in certa causa quærentibus, pater affabilis cœpit ab eis sciscitari, si quid nocte illa vidissent, vel audissent? Cui respondentes alii, dicebant se vidisse tanquam Paschali festo procedere ad Ecclesiam inæstimabilis altitudinis arce fundatam, gemmarum multicoloria varietate pulchre distinctam. Alii referebant, audisse fratres ad cœnam magni Principis invitatos, cum quibus & ipsi procedere optabant; sed is qui illos vocaverat dicebat istis, ne ad præsentẽ cœnam exire, deberẽt injussi: deberent potius modicum tempus sustinere, donec militiæ suæ cursu peracto, & ipsi ex nomine vocarentur.

Hinc vir Domini paulo silentium tenens intra se, tandem alte suspirans ait: Non sunt hæc fratres mei, vana somnia, nec illusio phantastica, sed sunt certi mysterii documenta, quæ vobis novæ transmigrationis proprietatem prope diem prænunciant affuturam, vobis inquam, quos de ærumnis hujus sæculi ad supernam Hierusalem phaschali transitu prædocent evehendos, ut ad cœnam illius magni Principis, & æternum convivium cum electis suis discumbere, & donis cœlestibus uberius perfrui valeatis. Ne autem vos super hoc mysterio suspensos teneam, qui Paschali lætitia festum acturi, ad montem procedere videbantur, hi sunt quos præparari divina vocatio jubet, ut de ergastulo carnis emigrantes, in superna cœli arce lætum Pascha cum civibus cœlestis Hierusalem concelebrent.

Qui autem ex vobis resistere ad tempus jussi sunt, ne ad instantem cœnam ire debeant, hi sunt quos adhuc in hoc mortali

corpore

corpore retineri jubet, donec carnis tentamina plenius evinsant, & contemplationis arcam comprehendant, & tandem superatis hostibus ad palmam cœli emigrabunt victoriosi. Quare agite fratres mei, & filii charissimi: utcumque pigra inertia huc usque vestri immemores & somnolentos vos effecisset, nunc tamen hora est jam vos de somno surgere, & instantem vocationis vestræ exitum subsidiis auxiliaribus præmunire, ne quid in vobis pars adversa inveniat, quo cursum vestrum præpedite, aut à beatæ regionis sede vos valeat avertere. Proinde accelerando vobis sunt medicinalis pœnitentiæ remedia, & tanto instantius in lachrymis & confessione quærenda, quanto induciis præfinitis, nulla superfedet spes residua. Præoccupemus igitur faciem, quam offendimus, judicis magni, ut sicut Ninivitarum veteres offensas triduana lamenta expiarunt, ita continuatis triduano jejuniis errata nostra expiantes, nos ipsos Domino in cinere & cilicio mactare festinemus, quatenus animas ab omni corruptionis labe emundatas illi reddete valeamus.

Iam fratres aliquantulum turbati (nec dum enim illis vir Dei visionem exposuerat) cœpere sciscitari ab eo, quid hæ induciæ, quid portenderet toties repetita vocatio? Quibus ille, ne ultra manerent incerti, ex ordine cuncta, quæ viderat, exponit. Tum vero videres homines tanquam alto vulnere sauciatos, in planctum erumpere, cum luctuosa hujusmodi querimonia: quid audivimus, dominator domine, quid audivimus? Hæccine nobis instat inaudita calamitas? Siccine nos rapit mors repentina? Oresum summe Deus, numquid tuo sic judicio præfinitum esse constat, ut ex una familia tot repente funera efferantur, & Mater Ecclesia tot filiis orbata remaneat? Enim vero si est hæc ira furoris, quæ scelerum nostrorum exigat vindictam, aut certe magnæ pietatis gratia, quæ eos de ærumnis vitæ mortalis ad requiem transferri jubeat, nos quid sumus, Domine, qui te in causam vocare debeamus, aut quare hoc facias, quærere habemus? Sit potius Domine libera tibi in omnibus quæ agis, potentia: & si leniri non potest de nobis præfinita judicii censura, non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Sit nobis fas, vel sub ipsa mortis expectatione optare à te celerem peccatorum indulgentiam, qui potens es sub hora multi temporis reparare negligentiam, dum nimirum pœnitentia apud te non tempore annorum pensatur, aut mensium, sed profunditate luctus & lachrymarum.

His dictis quis, obsecro, tam saxeum pectus haberet, qui se à fletu & lachrymis continere potuisset, cum videret famulos Christi in terram prosternere corpora nuda, virgis cædere, pugnis conscia pectore tundere, culpas voce lachrymabili damnare? Nec minus erat videre proprios lectos, ne quid furtivum, inter paleas lateat, penitus evertere tanto adeo studio, ut si pilus cilicinus inveniatur, mox coram fratribus in medium proferatur. Sed neque hoc sibi impunitum transire optabat is, qui attulerat. Sic sancta illa Christi familia universa in luctu & amaritudine persistens, superventurum diem expectabat: Flebant isti, quod fratres charissimos amittebant: illi, quod ab istis separabantur: & tamen dolendi affectus istis & illis æqualis esse non poterat, dum illi vocantur ad præmia, isti ad laboriosam militiam retinentur. Sed quis dicere sufficiat, quantæ se pœnitentiæ asperitate alias affecerint, cum totum illud triduum, atque etiam quartum expectati sui obitus diem absque ullo corporeo alimento transegerint? Etenim cui poterat delectare ciborum refocillatio ulla, ubi ad protelandum vitam cibi comestio nulla suppetebat? Et jam quarti diei aurora illuxerat, & fratres universi in Monasterium conveniunt, divini Sacramenti percepturi viaticum. Qui ut Missam Dominicam & sacra Mysteria compleverunt, à beatissimo patre suo absolutionis sacræ pignus extremum acceperunt. Dehinc Sacramentis cœlestibus communicati pacem sibi osculantes dederunt, sicque in capitulare sessorium, se subsequente patre, contulerunt. Ibi se suasque animas sibi invicem commendaverunt. Cum nihil super esset, nisi horam vocationis expectare, vir sanctus singulis adhibuit custodes; qui obeuntes attentius observarent, & exitum eorum divinis psalmodiis præmunirent. O dignum memoria spectaculum! etenim ante ipsum animæ exitum videres facies singulorum indicibili claritatis, specie clarescere, ut nulli dubitandum foret in eis jam futuræ resurrectionis gloriam de mutatæ carnis specie demonstrari. Iam hora die tertia inclaruerat, & ecce pars una tanquam somno quietis resoluta, dulci quievit in pace. Hora autem sexta pars altera manibus in cœlum erectis, se ipsam Domino commendabat. Simili modo hora diei nona, pars tertia spirans obdormivit in Domino. Vespere autem facto, subsequenter pars quæ residua erat, facta oratione spiritum reddidit.

Nos sane fælicis hujus transitus horas non abs re enumerare jure putabit, qui hos,

de quibus loquimur, corporis Christi vere membra esse crediderit, qui caput suum sequentes, hora qua Christus ad passionem ductus est, & qua crucis sustinuit patibulum, & qua etiam spiritum emisit; immo qua sanctum corpus ejus sepulchro tumulatum est, ipsi quoque terræ corpora, beatas Christo animas reddiderunt. Nec illud quæri opus est, quantam observantiam circa exequias defunctorum hi qui remanserant exhibuerunt. Instauratur per octonos dies celeberrimo cultu sepultura sanctorum. O fœlix locus! O tellus! O ager preciosus tot beatorum corporum thesauro ditissimus! Nescit appreciare humanum genus, quanta in te virtus, quam salutaria mentis & corporis medicamenta in te lateant, si fides exigat.

SCRIPT. XXX.

Bulla Iohannis PP. VIII. pro Monasterio S. Vedasti à Carolo Calvo Imp. obtenta.

Papir. Masson. in vita Iohan. 8.

IOannes Episcopus servus servorum Dei fratribus Monasterii S. Vedasti, quod vocatur Noviliacus, vel Atreus, ubi ipse Sanctus Vedastus, Confessor Christi Corporis quiescit salutem. Si utilitatibus servorũ Dei pie consulimus locaq; Christo dicata Apostolicis fulcimus santionibus, quo divini cultus servitores inibi Deo vacantes à turbinibus, & variis tempestatum secularium minuantur incursibus, nihil hoc holocausto gratius redemptori nostro credimus offerẽdum. Qua de re luceclarius patet omnibus Sanctæ Ecclesiæ filiis, quia charissimus filius noster Carolus Rex adiens limina beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli, honorifice à nobis susceptus, postquam solemniter vota Regia persolvir, apud sepulchrum beati Petri die navitatis Domini nostri, in Ecclesia ipsius beati Petri Apostolorum Principis, dignitatem Imperialem per impositionem manunm nostrarum, adeptus est. Dehinc non minus devote, quam humiliter à nobis expetiit, ut beati Petri Apostolorum Principis, simulque nostri Apostolatus authoritate decerneremus privilegium, Romanæ atque Apostolicæ Sedis astipulatione, roboratum fratribus, jam dicti Monasterii, Confessoris Christi Vedasti, per quod stabili jure, ac sine perturbatione possiderent castrum, atque prædictum Monasterium, & omne quod eis per suum præceptum concessarat, ac Gallicanorum Episcoporum decreto muniri fecerat, hujus rei gratia. Qui eundem Augustum divino contractum amore, id fecisse perspeximus, gratanter petitionibus præbuimus assensum Decernentes Apostolica authoritate, ea quæ hic inserta habentur inconvulsa manere. Data quinto Calend. Ian. manus Anastasii primi Scrinarii, anno primo Imperii, Caroli Serenissimi Imp. Augusti, & per consolatum ejus, anno primo indictione octava.

SCRIPT. XXXI.

Privilegium Monasterio S. Emmerani in Bavaria à Carolo M. concessum.

Metropol. Salisb. VVigulei Hundii.

CArolus gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, & Patricius Romanorum. Quidquid ob amorem Dei locis Sanctorum venerabiliũ benevola deliberatione dedimus, vel condonamus, hoc nobis ad æternæ remunerationis præmia capessenda pro futurum liquido credimus. Quoniam hoc procul dubio ad salvationem corporis & animæ nostræ fore creditur, ut hi, qui in laude Dei sunt, sine querela persistant, & exinde sæpius & devotius in nostra maneant memoria: Igitur notum sit omnibus successoribus nostris & fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentibus & futuris, qualiter nos propter nomen Domini & æternam remunerationem, seu pro opportunitate dilectissimi filii nostri Ludovici Regis, absque omnium hominum contradictione confirmamus Ecclesiam Dei liberam esse, & in potestate Imperatorum, sive Regum, usque in ævum permanere, quæ est constructa in honorem Domini nostri IESU CHRISTI, & Matris ejus, & Principis Apostolorum Petri, & Sancti Georgii Martyris, & pretiosi Dei Martyris Emmerani, atque Pontificis Aquitaniæ juxta muros Civitatis nostræ Regensburgk, ubi venerabile corpus ejus miraculis declarantibus, requiescere comprobatur, & Rectorem ejusdem Cœnobii, ejusque successores, unoquoque anno 7. aureos Romam ad altare Sancti Petri persolvere. Proinde noverit omnium Christi, nostrique fidelium universitas, omnia quæ à Patre meo Pipino Rege, & ab antecessoribus meis, ubicumque locorum hactenus tradita sunt, & collata, per hanc nostram authoritatem perennibus temporibus, ea videlicet ratione confirmamus, ut neque Dux, neque Episcopus ejusdem loci aliquam potestatem babeant, prænominata bona præfatæ Ecclesiæ auferre, vel ab alienare: Sed Rector ejusdem loci, ejusque successores, habeant potestatem, quicquid eis placuerit faciendi

ad

ad utilitatem tantummodo Monachorum, sub Sancto ordine consistentium. Et ut hæc authoritas firmior habeatur, & diuturnis temporibus, Domino auxiliante, melius conservetur, manu propria subter confirmavimus, & annulo nostro sigillari jussimus.

SCRIPT. XXXII.

Bulla Leonis III. Sedis Episcopalis è Monasterio S. Emmerami in Ecclesiam Sancti Stephani translationem recensens.

IN nomine Domini nostri IESU CHRISTI: Leo Papa, agnitum esse volumus cunctis Christianæ religionis fidelibus, tam præsentibus, & quam futuris, qualiter Christianissimus Imperator & Augustus nomine Carolus, Deo aspirante, Christum hæreditatis suæ desiderans fieri possessorem, quoddam Monasterium, juxta muros Tiburniæ Civitatis, quæ à Tiberio Cæsare Augusto ædificata est, quæ modo volgo appellata est Reginaspurg, quod est constructum in honore Sanctæ Mariæ Matris Domini nostri IESU CHRISTI, & Principis Apostolorum Petri, & Sancti Georgii Martyris, ubi præclarissimus Martyr, & Episcopus Pictaviæ, corpore requiescit Emmeranus, in nostram immunitatem successorumque nostrorum gratia defensionis transfudit. Et nos continuo pro Christi amore gratuita mente petitioni ejus pie annuentes, decrevimus ita fieri, & jussimus hanc chartam authoritatis nostræ inde conscribi. Et Episcopus ejusdem Civitatis tertius, nomine Adalvvinus, juxta decreta Canonum, & cum nostra authoritate, in præsentia piissimi Imperatoris Caroli, recta ratione, in Synodali Concilio, cum Iudicio Episcoporum, Clericorum, nec non nobilium Laicorum, de eodem loco Cathedram Pontificialem mutavit, & Canonica authoritate, in Civitatem, in Ecclesiam Sancti Stephani Protomartyris statuit, & suæ, successorumque suorum proprietati, ac potestati, deinceps in futurum abalienavit. E contra autem dictus Christianissimus Imperator dedit ad illum locum, ubi modo Sedes Episcopalis est, à parte meridiana ipsius Monasterii perticos decem pedes XLI. CC. & in alia parte, C. in longitudine CCVII. & Ecclesiam Sancti Pauli juxta muros prædictæ Civitatis & Vunnitigen, & Egilolfesheim, & Ecclesiam Nababurck, quæ vocatur Bersaria, & confirmavit Monasterium pretiosi Dei Martyris Emmerani in potestate Imperatorum, sive Regum, usque in ævum permanere. Et ita confirmavit ut Abbas & Rector ejusdem Cœnobii, unoquoque anno 7. aureos Romam ad altare Sancti Petri persolveret. Hæc mutatio & confirmatio fuit anno ab incarnatione Domini DCCXCVIII. authoritatis nostræ, ita ut si quis Imperator, aut Rex eandem Ecclesiam tam Sanctam alicui præstet, anathema sit. Congregatio autem Monasterii liberam habeat potestatem & electionem Abbatis, juxta decretum Sancti Benedicti, sine omnium contradictione sustinendi, & præfatum Monasterium cum Monachis, & omnibus ibidem in præsens collatis, vel imposterum conferendis, in nostram successorumque nostrorum immunitatem recipimus fæliciter. Amen.

SCRIPT. XXXIII.

Privilegium Ludovici Pii, Monasterio Sancti Emmerami concessum.

IN nomine Domini nostri IESU CHRISTI Dei Omnipotentis; Ludovicus divina favente gratia Rex: Oportet igitur nos, qui divina sumus gratia quodammodo cæteris mortalibus sublimati, ejus in omnibus parere præceptis, cujus clementia existimus prælati, atque cujus præcellimus munere, loca utique ipsius sibi dicata, ante omnia nostris rebus sublimare, atque dilatare. Quoniam hoc procul dubio ad salvationem corporis & animæ nostræ fore creditur. Idcirco oportet nos ob amorem Domini nostri IESU CHRISTI, & Matris ejus Mariæ, invidiam destruere malignorum spirituum & hominum, quam volumus manere, quæ est à Ratisbona Civitate, inter Ecclesiam Sancti Stephani Protomartyris, ubi modo sedes est Episcopalis, & inter Ecclesiam Sancti Emmerani pretiosi Martyris, juxta muros ejusdem Civitatis, ubi Cathedra erat Pontificis, usque dum Pater meus Carolus Magnus, anno ab incarnatione Domini DCCXCVIII. eum authoritate Leonis Papæ destruxit, & cum consensu Adalvvini Episcopi ejusdem Civitatis, in Civitatem statuit, & confirmavit Ecclesiam pretiosi Martyris Emmerani recta ratione, ad potestatem Imperatorum sive Regum pertinere, ad Rectorem ejusdem Cœnobii unoquoque anno Romam persolvere 7. aureos ad altare Sancti Petri. Quapropter compeperiat omnium fidelium nostrorum scilicet, &

futurorum solertia, quod nos confirmamus eandem Ecclesiam, cum authoritate Eugenii Papæ, absque omnium hominum contradictione omni tempore permanere in regimine Imperatorum, sive Regum, & eundem censum ad Romam dare, ea videlicet ratione confirmamus, ut neque Dux, neque Episcopus ullam potestatem habeant intus, aut foris, sed totum, quod ad eandem Ecclesiam pertinet, in jus, & donationem Sancti Emmerani Martyris, provisorumque ejus tradimus, atque transfundimus. Et per hoc nostræ authoritatis præceptum, plenius in Dei nomine confirmatum, nullo inquietante, sed Deo auxiliante, ad servitium Sanctæ Mariæ, & Sancti Petri, Sanctique Emmerani Martyris, Monachorumque ejus, qui ibidem Domino famulantur omni tempore, absque ullius contradicentis obstaculo, tradita & confirmata permaneant, & ut hæc authoritas confirmationis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora melius conservetur cum sigillo Papæ, & de annulo nostro subter jussimus sigillari.

SCRIPT. XXXIV.

Baron. ad an. 1052.

Bulla Leonis IX. qua corpus S. Dionysii Areopagitæ Monasterio Sancti Emmerani Ratisbonæ adjudicatur.

LEo Episcopus, Servus servorum Dei, charissimo filio inclyto Regi Francorum, ac venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis in Christo filiis, Abbatibus, Prioribus, & Decanis, universisque tam subditis, quam Prælatis ejusdem Regni, salutem & Apostolicam benedictionem.

Deus Omnipotens qui non immerito per prophetam in Sanctis suis esse mirabilis prædicatur, mira quædam inscrutabilis consilii sui profunditate disponit, quæ dum considerare non sufficit mens humana, ipsa sui met infirmitate deficiens, in quendam sui excessum rapi cogitur, & stuporem, quos ipsi nos nuper experti, & vobis in Christo charissimis, & universitati fidelium promulgare compellimur, ut & Dei opera pariter admiremur. Nam cum per instantiam Sereniss. Imperatoris Henrici III. ad partes Germaniæ visitandas, ac præcipue ad urbem quæ dicitur Ratispona, vel Regenspurg, evocati essemus, ad venerabile corpus Beati VVolfgandi, ejusdem urbis Episcopi, transferendum, hoc ea, quæ docuit, reverentia & devotione peracto, tui, Francorum Rex, in Christo fili charissime, nos Legati tua tuorumque omnium vice sollicite rogaverunt, quatenus litem quæ inter vos, & urbem prædictam super sacrosanctis ossibus Beatissimi Dionysii Areopagitæ fuerat diutissime ventilata, veritate discussa dirimere curaremus. Vobis quidem eadem apud vos esse dicentibus: Civibus autem ac incolis urbis præfatæ astruentibus è converso, ea per invictissimum Arnolphum, quondam Imperatorem, ad Ecclesiam Beati Martyris Emmerani esse translata, ibique deinceps contineri. Quæ quidem Ecclesia inibi sita est, atque ab omni aliorum subjectione ac Iurisdictione libera, & exempta, ad jus atque proprietatem Beati Petri Apostolicæque Sedis immediate pertinere dignoscitur, oblatione videlicet Excellentissimi Romanorum Imperatoris Caroli Magni, ac posterorum ipsius, qui eidem hactenus successerunt seu in Imperio, seu in Regno. Idipsum nihilominus venerabilis Abbas Reginvvardus, ac fratres ejusdem Ecclesiæ cum universitate Ratispona instantissime petiverunt fieri.

Nos ergo utriusque partis precibus inclinati, nec volentes ulterius corda fidelium dubii hujus ambiguo caligare, in fratrum nostrorum, ac plurium Episcoporum ac Prælatorum præsentia & conspectu, scripta Arnolphi Augusti, ordinemque rei diligentissime perlegentes; nec eo contenti, Capsas, Thecas, & scrinia, in quibus sacræ Reliquiæ conditæ dicebantur, ac titulos & epigrammata eorum oculo tenus solerti examine discutiendo, nihilque omittendo quod ad indagationem certitudinis pertinet, tam Imperialibus quam Papalibus antecessorum nostrorum litteris sufficienter instructi; picturis quoque parietum multiplicibus, & sculpturis vetustissimis exprimentibus, indicia veritatis & notas, indubitata fide comperimus, dicti Doctoris & Martyris ossa venerabilia, excepta particula unica, simul & minima, manus dexteræ, apud memoratum Beati Emmeranni Martyris Cœnobium integraliter contineri. Etenim ne testimonia hominum, quæ jam diximus, non sufficerent, divina quoque non defuere prodigia & portenta, quæ dubium omne penitus abegerunt, quæ nos quoque conscribi jussimus diligenter, vobisque transmitti per vestros Nuncios ac Legatos, nec non apud Ecclesiam prædictam perpetuo conservari, ut & ad posteros gestæ rei notitia deducatur, & ulterius litigandi mate-

ria penitus conquiescat. Insuper districte præcipimus statuentes, ut Translationis ipsius veneranda solennitas tam à Fratribus ejusdem Ecclesiæ, quam ab universis Vrbis jam dictæ annis singulis cum omni jucunditate & gaudio celebretur, totaque tripudiet regio Germanorum, tanti patris atque patroni adventui non ingrata &c.

SCRIPTVRA XXXV.

Litteræ Leonis PP. IX. quibus factum Arnulphi apud Regem Francorum excusat.

Baron. loc. cit.

VOs autem in Christo dilectissimi filii, Rex Francorum, tuique fideles, quamvis invidendi Theutonicæ genti videamini justam quidem habere materiam, ita ut putatis merito de Alemannorum vobis lætitia sit dolendum, considerantes tamen & Dei Omnipotentis, & invicti Martyris sui voluntatem, quem ablatum plangitis, consolationis tandem admittite placamentum, pensantes attentius quod nec vobis ablatus est, quippe qui charissimos prædicationis suæ & passionis consortes, Rusticum & Eleutherium, in dilectionis adhuc & tutelæ pignus & certitudinem dereliquit. Nec dolete si Germanos jam visitare dignatus est vel defunctus, qui vobis adhuc vivens prædicavit, & apud vos bonum certamen certando, cursum consummando, fidem servando triumphum peregit, victoriosissimæ passionis Apostolatus sui super vos signa tam in vita perficiens, quam in morte. Qui igitur Alemanniam ipsius ossa fovere non permittatis in solatium & tutelam, quem vobis Athenæ, ut Christo lucrifaceret vos, vivum recipere, audire, & cœlo transmittere permiserunt. Accedit nihilominus consolationis & alia ratio, & auctoritas scilicet, & excellentia subtractoris. Pretiosum quidem thesaurum nos perdidisse, fatemur, sed ablatoris attendite dignitatem, simulque Patris & Apostoli vestri gloriæ congaudete, qui cum vos meritorum atque doctrinæ suæ gaza ditaverit, ut reliquiarum saltem suarum ac ossium preciositate locupletaret Theutonicas etiam apothecas: tam devotum corporis sui furem habuit, quam insignem, auro utique & topazio meliorem, qui sui valore ad ossa sua sanctissima subtrahenda Cæsareum etiam verticem inclinavit: nec majestas Imperialis, nec Regia Celsitudo pii furis hîc notam aut nomen erubuit in Arnolpho, dummodo Beati corporis opibus, vel doli, vel furti, vel sacrilegii modo sacrari atque ditescere mereretur, qui fures atque sacrilegos erat solitus condemnare, dummodo Macarii Dionysii precioso corpore frueretur, fur ipse hinc fieri & sacrilegus non contempsit. Cujus insuper fides atque devotio dubium etiam omne per hoc penitus amputavit, quod non in ipsa Roma, non in quacunque Metropoli, non in urbe qualibet Regni vel arce sibi studebat eligere sepulturam, sed ubi suum se Dionysium condidisse & scivit, & lætabatur, suo se sperans patrocinio defendendum & conresuscitandum in die novissimo cum Beatis. Præsentibus igitur dilectionem vestram monemus attentius, & hortamur in Domino, districte præcipientes quatenus Rustico & Eleutherio pie contenti, non fallentes vosmetipsos & alios, Beatissimi Dionysii ossa in urbe Ratisbonensium apud Ecclesiam Beati Emmerani Martyris, & noscatis & fateamini coruscare.


Datum & actum Ratisbonæ per manus Friderici Diaconi Bibliothecarii & Cancellarii S. Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ Ecclesiæ Anno Domini M L II. Anno Pontificatus Domini Leonis Non Papæ IV. Indict. V. Non. Octob.

SCRIPTVRA XXXVI.

Privilegium Arnulphi Imp. Monasterii Sancti Emmerani amantissimi.

IN nomine Dei, Sanctæ & individuæ Trinitatis, Arnulphus divina favente gratia, Imper. Augustus. Si igitur his, qui sub obtentu sacræ religionis jugiter divinis mancipantur officiis, aures serenitatis nostræ benigno favore accomodamus, eorum affectui satisfacientes, liquido credimus eos promptiores in sustentatione nostri Sacri Imperii, & devotiores in orationis constantiæ statu permanere pro nobis, atque à remuneratione omnium bonorum, divinis nos remunerare præmiis. Quapropter omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet, & futurorum, cognoscat industria, qualiter nos pro absolutione divinæ recordationis antecessorum nostrorum, Augustissimorum scilicet Imperatorum, & pro

remedio animæ nostræ & corporis salvatione, & pro remedio filii nostri Ludovici, atque interventu etiam dilectæ conjugis nostræ Vtæ, volumus amplificare, & augere Civitatem nostram, quæ vocatur Ratisbona, ob amorem scilicet & honorem patroni nostri, & pretiosi Dei Martyris Emmerani, & eandem Civitatem totam noviter factam, cum 40. vineis in monte, qui est in ripa Danubii, juxta eandem Civitatem, tradimus, nullo contradicente, vel inquietante, pretioso Martyri Emmerano, & glorioso Sancto Martyri, cujus nomen in libro vitæ cœlestis scriptum est. Proinde omnium successorum suorum magnitudo cognoscat, postquam patruus meus Carolus Imperator pro petione, heu, tam venerabilis Episcopi Embrichonis, prænominatam Ecclesiam præstavit, nunquam postea habuit victoriam, neque corporis & animæ sanitatem, usque ad finem vitæ suæ. Quapropter omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium solertia cognoscat, quod nos eundem censum de prædicto Monasterio, quem Carolus Magnus dedit Leoni Papæ, successoribusque ejus, & abavus meus Eugenio Papæ, & avus Pius Ludovicus Nicolao Papæ ad Romam ad altare Sancti Petri, stabile sancimus, in præsentia Domini & Venerabilis Papæ Formosi, & eandem Ecclesiam confirmamus in potestatem Imperatorum, sive Regum, sine ullius malevolentis minutione usque in ævum permanere, & cum ejus benedictione, & consecratione, & confirmatione. Ita confirmamus, ut si quis Imperator, aut Rex, eandem Ecclesiam alicui præstet, in maledictione Sanctæ Mariæ, Sanctique Petri successorumque ejus, & omnium Sanctorum, persistat, usque dum ea traditione resipiscat. Et ut hoc Imperiale authoritatis nostræ præceptum firmius habeatur, & in posterum verius credatur, hanc chartam conscribi jussimus cum sigillo Papæ annulique nostri impressione assignatam, manu nostra subtus roboravimus.



SCRIPT. XXXVII.

Othonis Imp. Privilegium Monasterio Sancti Emmerani concessum.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Augustus. Si fidelium ac servorum Dei nobis fideliter ac devote famulantium petitiones dum nobis pro suis & nostris utilitatibus ac necessitatibus innotuerint, ad effectum perducimus, non solum antecessorum nostrorum Regum atque Imperatorum imitando consuetudinem: verum etiam ad beatæ & æternæ remunerationis mercedem talia nobis facta pro futura liquido credimus. Qua propter omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorumque, tam præsentium quam futurorum, cognoscat industria. Quando antecessor noster Carolus Magnus pro æternæ mercedis augmento, quoddam Monasterium in Ratisbona Civitate, quod est constructum in honore Sanctæ Mariæ, Matris Domini, & Principis Apostolorum Petri, & pretiosi Dei Martyris Emmerani, ubi venerabile corpus ejus requiescit humatum, & cum eo corpora & multæ reliquiæ Sanctorum sunt locatæ, recta ratione fideliter in suam, & successorum suorum potestatem recepit. Proinde ipse cum authoritate Leonis Papæ, filiusque ejus Ludovicus, cum Eugenio Papa, & Pius Ludovicus Rex, cum Nicolao Papa, & Arnolphus Rex, cum Formoso Papa, confirmaverunt de prædicto Monasterio, unoquoque anno 7. aureos persolvi ad altare Sancti Petri. Idcirco cunctorum Sanctis Dei Ecclesiæ fidelium, præsentis scilicet, atque futuri, manifestetur collegio, quod nos per interventum dulcissimi fratris nostri Henrici, Ducis Bojariorum, eundem locum in Synodali Concilio ante altare Principis Apostolorum Petri, in præsentia Domini & Venerabilis Papæ Ioannis, & in præsentia Episcoporum CXVII. confirmamus in potestate Imperatorum, sive Regum, usque in ævum permanere, propter improbitatem Episcoporum ejusdem Civitatis. Quia non omnes, sed multi ex eis semper insidiose contendebant contra eundem sanctum locum. Propterea volumus ob amorem & honorem Sancti Petri, de prædicto Monasterio censum augeri, ut Rectores ejusdem Cœnobii pro deten-

defenlione & pro libertate ejuldem loci, unoquoque anno offerant Romæ dimidiam libram coćti auri ad altare Sanćti Petri, & ita confirmamus cum authoritate Papæ, & Episcoporum (qui sunt post Italicos & Gallicos) Moguntinus, Magdeburgensis, VVormaticensis, Constantiensis, VVirziburgensis, Rubilocensis, Augustensis, Halberstattensis, Spirensis, Curiensis, Leodiensis, Trajećtensis, Mindensis, Osemprugkenlis, Trevirenlis, Metensis, Citlcensis, Verdonensis, Tullenlis, Iuvaviensis, Bataviensis, Frisingensis, Briginensis, Pragensis, Ratisbonensis: ut si quis Imperator, aut Rex, eandem Ecclesiam, tam Sanćtam, alicui prælset, sit anathema maranatha, id est, perditio id adventu Domini, & in ea maledićtione persistat, quam Sanćtus Formosus Papa super eum confirmavit, usque dum resipiscat. Et præfatum Monasterium cum Monachis, & omnibus ibidem in præsens collatis, vel in posterum conferendis, in immunitatem Papæ, & in nostram recipimus. Et ut hæc autboritas confirmationis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora diligentius observetur, manu propria nostra eam confirmavimus, annulique nostri impressione muniri præcipientes.

SCRIPT. XXXVIII. & XXXIX.

Clement. Reyner. Tract. I. fol. 150.

Testamentum Leodebodi, Abbatis Sanćti Aniani, & Fundatoris primi Floriacensis Abbatiæ, secundo anno Clodovei II. æra Christi vero DCXXIII. *nimirum ab obitu Sanćti Columbani anno* VIII. *adi annum* DCLX. *factum.*

DEliberata voluntate in agro Floriaco, quem cum glorioso & præcelso Domino Clodoveo Rege, & gloriosa Domina uxore ejus Batildæ Regina, de rebus meis propriis commutavi, Monasterium ædificavi, ubi pro salute regia, vel cunćto populo exorandum; ubi jam dićtus vir Dei, Sanćtus videlicet Præsul Anianus condigne jacet tumulatus, in quo Monachi juxta Regulam Sanćtissimi Benedićti, & Domini Columbani consistere debent, &c.

Unde apparet Regulam Sanćti Columbani tantum jussu constitutiones Regulæ Sanćti Benedićti additas. Immo quam Ionas Monachus Regulam Sanćti Columbani apellat, eam Sanćtus Romaricus in fundationis tabulis Regulam Sanćti Benedićti vocat. Audiamus utrumque. Qui (Romaricus) in primis nobilibus fuerat apud Theodebertum habitus, *inquit Ionas*, postquam per exemplum Columbani, ac per Eustasii prædicationem monitus, ad Luxovium veniens, Monachicæ institutioni se subdidit, quo diu sub regulari tenore vitam agente, postea Eustasio annuente, puellarum Monasterium in suo proprio inseruit, & regulam Columbani illis custodiendam indidit.

Ionas in vita S. Eustasii 19. Mart.

Nunc testamentum, ut Franciscus Rosiers nominat, Sanćti Romarici libet recitare. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sanćti, Amen. Quoniam mundus in maligno positus, legitimas fidelium donationes impie conatur infringere, idcirco ratio postulat, ut ea quæ pro augmento Ecclesiarum donata sunt, nos quoque rationabiliter confirmare curemus. Noverit igitur omnium Catholicorum, tam præsentium, quam futurorum, universitas, Quod ego Romaricus Avendi Comet, videns viros virtutis voluntaria paupertate, pauperis IESU stigmata in suis corporibus circumferre, & in desertis ac spinosis locis habitare, ut amaritudinem Crucis & asperitatem pœnitentia sanća sæculis omnibus celebrem prædicarent, secundum desiderium meum paravi eis locum in Monte Rombeiense juxta Castrum meum, in monte sylvestri satis & horrido, haud procul à Mosellæ fluminis ripa, quatenus ubi prius fremitus & ululatus ferarum frequenter sonabat in auribus hominum, ibi deinceps in Psalmis, & Hymnis & Canticis spiritualibus crebrius resonaret gratiarum aćtio, & vox laudis in auribus Angelorum. Monsque ille sylvestris faćtus est mansio sanćtarum harum, quæ cogitatione & aviditate conversantur in cœlis. Nam spinis & vepribus extirpatis, construxi ibi Monasterium Monialium Ordinis Divi Benedićti in honore Sanćtissimæ Trinitatis, & Beatissimæ Genitricis Mariæ Virginis, & Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac omnium Sanćtorum. Quod scilicet Monasterium à proprietate loci congruum sortitum nomen, *Mons Sanćtus* vocatur. Tunc communi consensu meorum convocavi congregationem Sanćtarum Monialium, quibus concessi præfatum Monasterium, & Abbatissam

Francisc. Rosiers hist. Lotharing. l. 5. c. 79.

Gertrudem filiam meam primogenitam, cui & forori suæ Claræ, filiæ meæ, ac cæteris Monialibus, ut secure & libere, ac fine bonorum terrenorum metus cura Deo famulentur, do & concedo libere, & pure, quia Deo servire cupio, totum patrimonium meum, videlicet totum Comitatum Avenduni eodem modo, forma, authoritate, proprietate tenendum, qua pater meus & ego tenuimus. Factum est autem hoc donum quarto Nonas Martii, anno ab Incarnatione Domini DCXX. Clotario glorioso Francorum Rege regnante. Testes sunt Arnoaldus Episcopus Metensis: Dodo Episcopus Tullensis: Paulus Episcopus Viridunensis: Arnulphus cognatus meus Dux Austriæ Mosellanicæ: Brunulphus Comes Templatensis: VVambertus Dux inferioris Austriæ, Comes Salmensis. Et ne quis hanc eleemosynam audeat unquam temere calumniare, vel aliquam injuriam Monialibus in hoc loco Deo servientibus inferre, sigilli mei authoritate, ac præfatorum Regis, Episcoporum, Ducum, & Comitum, confirmavi.

Hæc cum ita, Regulam Sancti Columbani modum psalmodiæ, pœnitentiarum, ac ejusmodi rerum fuisse putem, quas S. P. N. Benedictus permisit arbitrio Abbatis.

* *
*

SOLI DEO HONOR
ET GLORIA.



INDEX

INDEX

IN TOMUM II.

Chronici Generalis Ordinis

D. BENEDICTI.

A.

Abbatia S. Arnulphi. Reges demortuos condidit. Patribus Meatens. Concilii locum præbet. 109

Abbates in Synodis provincialibus gaudent voto consultivo & decisivo, posteriore carent in Conciliis Generalibus. 246

Abbates manent perpetui. 178

Abbas Corbetensis Comes & Præfectus Regii ærarii. 313

Acephalorum hæresis extirpando, Concilium habetur Hispali. 73

Adalbaldus ducit Rictrudam. 154. *Ab invidis cæditur.* ibid.

S. Adelbertus Othone Magno in Russiam missus Conversionis fidei gratia. 147

Adelgunda Deo consecratur. 223

Adeodatus fit Monachus in Sancti Erasini Cœnobio. Postea Cardinalis. Denique Summo consensu Pontif. Max. 334. *Sedem supremam defendit contra Archiepiscopos Ravennates.* ibid. *Monasterium Sancti Martini Episcoporum jurisdictioni exemit.* 335. *Miracula.* ibidem.

Adrianus Monachus mitram detrectat. 332. *Commendat Pontif. Andream Monachum sed nihil agit.* ibidem. *Invitatur Theodorus & capescit mitram.* ibidem.

Agatho Monachus creatur Pontif. Max. 360. *Lepram amplexu bonisque verbis abstergit.* ibidem. *Sanctum Sebastianum Patronum legit adversus pestem.* ibidem.

S. Agili patria, parentes. 71. *Imminens capiti suo ferrum cruce propulsat.* ibidem. *Eligitur Abbas Monasterii Resbachensis.* 72. *mors.* 73. *Tendentem ad superos, Angelorum & Virginum chori prosequuntur.* ibid.

Agrestinus dum alios quærit, se perdit. cum Schismatico amicitiam colit. 61. *Premitur à Concilio Matisconensi.* ibidem. *Capite plectitur.* ibid.

S. Aichardus detrectat militiam. 378. *Vitam monasticam sectatur.* ibid. *Ædificat Monasterium opibus paternis.* ibid. *Abbas Gemmeticensis cælitus designatur.* 379. *Hortatur suos ut se parent morti.* 380 *Centum & quinquaginta uno die ad superos abierunt.* 381

S. Aidanus vaticinatur se brevi moriturum. 125. *Ab amico proditur & occiditur.* 126. *Maris fluctus oleo componit.* ibid.

Albertus III. Rector Academiæ Salisburg. inde Abbas S Petri. 17

Alcoranus ferro introducitur & propagatur. 87

Alcuinus auctor universitatis Parisiensis. 54

Alcuinus Anglo-Saxo in Northumbria natus. ibid.

Albinus & Alcuinus unus idemque homo. ibid.

Alii homines, alii mores. 112

Allowinus dictus fuit cognomine Bavo. genus & origo. Rem egenis distribuit. Fit Clericus. Fagum incolit. 97. *Revertit Gandavum. Maledicum beneficio afficit. Mortuum in vitam revocat. Tergum præbet cædendum servo.* 98. *In cippum pedes induit. Grandem lapidem brachiis sustinet.* 99. *Moritur.* 100. *Miracula.* 101

Alphonsus VI. Monasterium SS. Petri & Pauli à Mauris dejectum restituit. 247

Alsatia nulli provinciarum Germaniæ secunda tam clementia cœli quam soli fœcunditate. 135

S. Althelmus Monachus Malmesburiensis, Episcopus Schireburnensis. 447. *Moritur.* 448

S. Amandi Parentes. Nativitas. Fit Monacus. Sacerdotio initiatur. Romam contendit. 94. *ad limina D. Petri per-*

noctas, infula redimitur. agrum Gandavense excolit. 95. miracula. 94. & 96. lustrat incolas. Blandinense Monasterium ponit, & S. Bavonis alterum. 96

S. Amandus Martinum I. Pontificem per Legatum adit. Episcopatum deponere conatur. Abnuit Pontifex. 234

A Pontifice missionem accipit. Elnonense Monasterium condit. 235. Rictrudam convertit. 154. moritur. 304. Miracula. 305. 306. 307

Amadelgarius Hannoniæ Comes cum VValdetruda conjuge Monasterium intrat. 222. Cœnobii alti Montis fundator. ibid.

S. Amati patria, parentes. 779

S. Amatus Monachus Luxoviensis. Abbas Montis S. Romarici. 77. in profundum Eremum se immergit. ibid. à Sancto Eustasio in Eremo deprehenditur. ibid. dure corpus habet. ibid. lignum æquo brevius extendit. 78. fidem docet infideles. ibid. Asceteria & Eremitoria Vogesi curat. 81

S. Amelberga quatuor liberorum mater, Divis additorum. 228

Angliæ status inversus. 118

S. Ansbertus puer non vult capere muscas aut nugas agere. 355. Ingreditur Monasterium. Initiatur Sacerdos. 356. Fit Abbas Monasterii Fontanellensis. Detrectat Archiepiscopatum Rothomagensem. 357. Agitur in exilium. 358. Moritur. ibid. Ejus miracula. 358. & 359

S. Anscharius veteris Corbeiæ Monachus, Bremensis Archiepiscopus. 312

Apostatæ maluerunt ululare cum lupis, quam psallere cum Angelis. 151

Arabum annos numerando variant historici. 87

Arabum anni lunares. ibid.

Arbogastus Argentinensis Episcopus. Eremum prius coluit. Amnem absque cymba trajicit. Ereptam Sigeberto vitam reddit. 136

Arcadius atrox consilium adversus Aygulphum capit. ibid.

Archiepiscopi Salisburg. Electi olim penes Monachos S. Petri. 23

Arno Archiepiscopus Salisburgensis. 20

S. Arnulphi pueritia diligenter exculta. Res magnas gerit. ducit Dodam. 105. Metensis Pontifex creatur. Non tantum manus, sed etiam loculos dat pauperibus. Inedia tridui se conficit. De peccatis sibi remissis experimentum capit. 106

Adolescentiam Dagoberti moderatur. Abire cupit & Aulæ & Archiepiscopatu. 107. In eremum se recondit. Restinguit incendium. In eremum omnibus se submittit. ibid.

Arnulphus sede Metensi relicta fit Monachus. 79. Condit Parthenona. ibid. Ejus parentes. 104

S. Amatus subit antrum. 81. asperas à se pœnas exigit. 82. Supremo tribunali se anxie parat. Mortem obit. ibid. Epitaphium ipse sibi condidit. ibid.

Artesia 7. habet Monasteria Ord. S. Benedicti. 344

S. Attala, seu Attalus. S. Columbano succeßit, Ejus patria, parentes & adolescentia. Summæ rerum præficitur Bobii. Hæresis Arianæ fuit odium injicit. 58. Miracula. Mors. 59

Audenus externo cultu aulicus, in cute Monachus. 72. Extruit Monasterium Resbachense. ibid.

S. Audoenus obiit anno 677. 353. Multa Monasteria condidit. ibid. Crux præfulgida in aere objicitur. 354.

S. Audomarus cum Patre Luxovium tendit. 345. Renunciatur Episcopus Tarvanensis. ibid. Sithiense Monasterium extruxit. 346. Capitur oculis. Æquo animo fert cæcitatem. ibid. moritur febri. 347. Ejus miracula. ibid.

S. Aurea auctore S. Eligio fit Abbatissa. 202. Miracula. 203.

Austreberta à teneris pietatem colit. Velum à Sancto Audomaro capit. 374. Antistes Pauliaci renunciatur. Insidiis appetitur. Evadit. 375. Ejus miracula. 374. 375. 376.

Aygulphus Lerinensis Abbas, Monachos desciscentes ad frugem revocavit. 301.

Aygulpho & sociis præscinduntur linguæ. ibid. Elingues tamen laudibus Deum celebrant. 302. Capitibus plectuntur. Lerinum portantur. ibid.

B.

BAlduinus II. opes Monasterii S. Bertini exhausit. 351

Balduinus VII. rem Monasterio restituit & factus est Monachus. ibid.

S. Bathilda illustri sanguine orta. Erchinoaldi nuptias declinat. Eam sibi Clodoveus II. connubio jungit. 309. Genesium Monachum & Archiepiscopum ærario pauperum præficit. 310

Calense

Calense Cœnobium condit. Ex Monasterio Yotro accersit Moniales. Simoniam opprimit. Ad vitam religiosam amplectendam multos impellit. 310. Regnum deponit & sacrum velum sumit. Moritur. 311. Monasterium Corbejense fundavit. 312
Beatrix de Sylva ob raram formam in suspicionem sinistram adducitur. 247. In Monasterio S. Dominici se includit. ibid.
S. Begga S. Gertrudis soror. 233
S. Benedictus recepit puerulos. 114
Benedictinis cum Cisterciensibus magna necessitudo. 351
S. Benedicti Ossa ex Monte Casino sublecta & Floriacum translata sunt Anno 660. 287. Negant Casinenses S. Benedictum aliquando in Galliam ablatum. 288. Affirmant Galli. ibid. Varia de translato S. Benedicto testimonia 290. 291. 293
S. Benedictus à Desiderio Abbate inventum. 293. Adamus Casinensis Monachus inter gemitus de Lipsanis S. Benedicti fit certior. 294
S. Benedictus in Monte Casino colapho expellit dæmonem. ibid. Hugo miles S. Benedictum ex urna prodeuntem videt. ib. Idem Divus Casini sua ossa composita esse S Henricum docet. 292
Paschalis II. Ossa D. Benedicti Casinensibus adjudicat. 296
S. Benedictus Biscopius Anglus, Abbas & magister Venerabilis Bedæ. 444 Armorum studio Juvenis deditus. ibid. Positis armis Romam contendit. Inde Lerinum venit. ibid. Duo Cœnobia condit Girvvicense & VViorense. 445 Morbis implicitus utriusque præfecturam S. Ceolfrido committit. ibidem. Aperit Academiam, quam Beda discipulus nobilitavit. Et Alcuinus Caroli M. Magister, Bedæ quondam Auditor ibidem.
S. Benedictus Biscopius Exemptionem ab Agathone Papa impetrat. ibid. Moritur an. 703. prid. Id. Ian. 446
S. Bertinus fundator Monasterii Sithiuensis. 349
Bertinenses bene merentur de Cisterciensibus. 350
S. Bertulphus fit Abbas Bobiensis, à S. Petro, Roma discedenti, Febri sanatur. 60
S. Birinus Anglo-Saxones Occidentales adit jussu Honorii PP. 122. Miracula. sedem collocat Dorcestriæ. ibid.
Bobiense Monasterium eximitur Jurisdictioni Episcoporum. 46
Bonifacius IV. Ord. S. Benedicti Pontifex Max. 1
S. Bonifacius Pontifex Cathedram Episcopalem Herbipoli posuit anno 751. 388 Ducatum Episcopatui transcribit Pipinus. ibid. In Ecclesia Cathedrali Monachi Canonicorum loco fuerunt. 389
S. Bonitus Episcopus Arverniæ. 452. Ejus miracula. 453. 454. moritur. 455
Brevia scapularia quibus Ordines militares utebantur in bello Sanbenitillos appellata. 369
Bursfeldensis Congregationis parva Origo. 175.

C.

Cagnerici liberi in Cutullos se condunt. 131
Carolingiorum genus. 189
Capetorum genus. 189
Carolus Martellus ob res Ecclesiarum direptas æterna supplicia persolvit. 317
Cecilius abdicato Episcopatu fit Monachus. 75
Catalogus Abbatum S Dionysii. 194
Catalogus Abbatum S. Emmerani. 418
Catalogus Abbatum Farfarensis Asceterii. 362
Catalogus Abbatum Lobiensium seu Laubacensium. 248
Catalogus Abbatum S. Mariæ ad Martyres. 406
Catalogus Abbatissarum S. Mariæ de Horreo. 163
Catalogus Abbatum Monasterii S. Matthiæ. 176
Catalogus Abbatum S. Maximini. 168
Catalogus Abbatum S. Petri. 17
Catalogus Abbatum Stabulensium. 270
Catalogus Abbatum Monasterii Theologiensis. 85
Catalogus Abbatum Imperialis Monasterii VVeissenburg. 147
Ceadda sponte vult abire Episcopatu. 335. Non impetrat missionem. 336. Extruit Monasterium. ibid. Moritur. ibid.
S. Ceddus Monachus postmodum Londinensis Pontifex. 325. Saxones Orientales excolit. ibid. Lastingense Monasterium ædificat. Moritur. 326
Cenvvalchus avito regno potitur. 321. S. Agilberto subditos suos commẽdat. ib. Hic dissuta cum Rege amicitia Galliam repetit. Parisiorum Episcopus renunciatur. ibid.
Childericus salutatur Rex Galliæ. 383
S. Chilianus in Regulam S. Benedicti ju-

rat. 316. Præficitur Monasterio. ibid. Cum Sociis proficiscitur Romam petitum Evangelii promulgandi licentiam. ibid. A Conone Pontifice Max. Episcopus creatur. ibid. Gozbertum Ducem baptizat. ibid. Eundem ad frugem vocat, utq; fratris uxorem missam faciat, hortatur. ibid. Cum Colomanno trucidatur. ib. Sicarii & cædis auctor Geilana pœnas persolvunt. 388. Tumuli SS. Martyrum deteguntur à Burgunda pia fœmina, & ab insontibus pueris. ibid.

S. Chillenus Luxovium se ducit. 132

Civitates, multæ per Germaniam suam originem duxere à Monasteriis. 138

Civitates plurimæ collapsæ suam instaurationem debent Ordini S. Benedicti. 138

Civilia bella geruntur in Gallia. 337

S. Claudius Vesontionensis Episcopus. Discendo traducit primos annos. Fit Canonicus. Deinde Bisuntinus Pontifex. Cucullo ad S. Eugendi induitur. 112 Eligitur Abbas. Ad Superos abit. Ejus miracula. 113. 114. Apocalypsis S. Ioannis Evang. Manuscripta servatur ad S. Claudium. Negat Robertus Zenalis & errore solvitur. 114

Clerici, Episcopi, Archiepiscopi magno quondam numero se abdebant in Monasteria. 116. Etiam milites. ibid.

Clericos futuros à teneris virtute & timore Dei imbui, interest. 116

Clotarius Chilperici & Fredegundæ filius Galliæ Occident imperat. 2

S. Cludolphus ut apparet Fundator Monasterii Mediolacensis 179. Ejus filius Basinus factus Monachus, Monast. S. Maximini. 180. & 181

S. Colomannus Archiepiscopatu Lindisfarnensi se abdicit. 320. Inopem Vitam cum sociis instituit. ibid. Anglos & Scotos Monasteriis distinxit. ibid.

S. Columbanus gente Hibernus. 3. Ejus nativitas. Pueritia. Adolescentia. Exponit Psalmos etiamnum Iuvenis. Inter Monachos Benchorenses nomen profitetur. Meditatur expeditionem in exteras provincias. 4
In Galliam se ejicit, 12. Monachorum ductor. Locum in Monte Vogeso pro Monasterio capit. 4. Fame laborantibus subvenit Deus. Ante festa solenniora in specum se subducere solitus. 5
Religiosos milites conscribit. Luxovio Monasterium ædificat. In eo multi S. viri inhabitant. Cœtus Luxoviensis 600. Monachorũ. Laude perenni Deum celebrant obedientiã summo studio colunt. 6

S. Columbanus ægros sanat. Monasterium Fontanense molitur. abscissum digitum manui reddidit aliaq; miracula patratur. 7. 8. 10. 11. 12. 40. 41. 46. Sigeb. Regi charus. Theodorici Regis amantis animum reficere conatur. 8. Spurios Regis filios aversatur. Itemq; Cibos ac potionem. Brunechildis Theodorici Scorta, quavis via in virum Dei grassatur. Rex eum Luxovio ex esse jubet. 9. Toto regno dein pellitur. 10. Beneficio prosequitur hominem sibi exitio molientem. 11

S. Columbanus per Regnum Theodeberti viam in Italiam capit. Hospitio diabolum pellit. Theodebertum Regem convenit. 40. Brigantii capessit sedem. Idola invadit. Theodeberti & Theodorici cruentum prælium per somnium videt. 42 Dæmones adversus Columbanum conjurant, audiente S. Gallo. 43. Bobiense Monasterium ædificat. 46. A Theodeberto Rege Galliæ evocatur ex Italia. 47 Ejus obitus è Cœlo significatur S. Gallo ibid.

S. Columbanus ad Ordinem pertinet S. Benedicti. 47. 48. 49. 50

S. Columbani Monachos Ord. fuisse S. Benedicti confirmatur. 80

Concilia adversus Monothelitas celebrantur. 360
Legati ea de causa Constantinopolim mittuntur. ibid.

Concilium Aquisgranense non fuit glossa Regulæ S. Augustini. 57

Concilium IV. Universale celebratur Constantinopoli. 363

Conrado I. Archiepisc. Salisburg. auctore, Monachi jus Parochianum Canonicis Regularibus cesserunt. 15

Consuetudines & leges sæpe mutavit tempus. 116

S. Cuthberti acta & gesta. 327. 328. 329. 331. 391. 392.

D.

Dacianus ingenti strage Christianos Saragosam habitantes afficit. 523

Dagobertus Theologiense Monasterium non fundavit, sed auxit. 85. Solvit ingenium. 107.

Dagobertum libidines transversum agunt. 109. Revocantem in viam Amandum, regno pellit. 110. Frugi esse incipit. 134. Erigit Argentinensem Episcop. pridem collapsum. Nascitur ei filius Sigebertus. Baptizatur. 135

Dagobertus thermas Badenses VVeissen-

burgo donat. 152. *illius diploma.* ibid.
Fundat Monasterium Surburgense Regioponcanum. 153. *Condit Treviris* Monasterium *S. Mariæ vulgo Horreum & Palatiolum.* 162. *Palatiolum Monialium fit Canonicorum.* 163
Dagoberto morti proximo Comitia indixit. 217
Dysenteria extinctus est. Conditur in templo S. Dionysii. 218
S. Deicola, seu Deicolus Monasterii *Lutrensis, seu Lutrense, Fundator.* 12
Sitienti Deus toto fonte affundit aquas. VVersarium in vitam restituit. 13
Domingus Evangelii facem in Carinthiam intulit. 18
Dristhelmus rerum alterius mundi spectator. 330

E.

Eansvvida fit Monialis. 128
S. Eata Abbas Melrosensis & Lindisfarnensis. 326
Earcongote Monialis *Brigensis.* 130. *Ab* Angelis in cælum vehitur. ibid.
S. Ebba caput velo submittit. 127
Ebroinus Majordomus *Franciæ Cucullum deponit, fitq; corvus inter Columbas.* 6
Ebroinus ex Cucullo & Luxoviensi Monasterio se effundit. 371. *Bello petitur, sed malus bonos vincit.* ibid. *Sanctos Episcopos pellit in Exilium.* 383.
Ebroinus Luxovium se recepit. 384. *confoditur.* 385
Ecclesia S. Petri, fundamentum fidei multarum provinciarum. 24
Edilruda bis nupsit, virginitate semper integra. 394
Edvvinus matrimonio sibi collocari petit Regis Cantiæ filiam. 89
Edvvino laqueus nectitur. ibid. *Capitur sicarius.* 90. *Guichelmum fundit.* ibid. *Ambiguus fidei fluctuat.* ibid. *Redoaldus Rex manus ab Edvvino abstinet ob fidem datam.* ibid. *spe evadendi & regnandi impletur Edvvinus.* 91. *Vaticinium nocturnum super spem Edvvini.* ibid. *cædit hostem Edelfridum.* ibid. *in fidem inclinat.* 92. *proscribuntur Idola.* ibid. *Baptizatur.* ibid. *Regem sequuntur subditi.* 92
Edvvinus belli aleam subit & superatur. 118
Edelbertus Cantiæ Rex opera monachorum Christo se dedit. 3
S. Edilberga dare vitam instituit. 130. *Post septennium integra in tumulo.* ibid.
S. Egbertus induto monacho Ratmersigii sedem figit. 396. *Expeditionem ad Barbaros adornat.* ibid. *Componit litem de paschate celebrando ortam.* 397
S. Eligius Episcopus Noviomagensis extruit monasteria. 200. *Ejus gesta.* 201
Embricho Episcopus Fundator monasterii S. Iacobi, Scotorum dictum, in suburbio Herbipolensi. 389
S. Emmeranus Episcopus Ratisbonæ rogatu Ducis Bavariæ sedem figit. 416
Contendit Romam. Stupri insimulatur. Retrahitur ex itinere. ibid. *In frustra secatur. Ratisbonæ. in æde D. Gregorii conditur.* 417
S. Engratia cum. 18. *famulis variis tormentis laceratur.* 253
Episcopi olim se subducebant in monasteria. 76
Episcopatus Salisburg. 330. *annis in monasterio S. Petri stetit.*
Episcopatus Trajectensis Leodium translatus est. 263
Eremitæ & Cœnobitæ Montana S. Petri incoluerunt. 209
S. Eucharius Treviris fidem prædicat & miraculis confirmat. 173. *Primum templum dedicat ibidem. Et in eodem sepelitur. Fuit primus Trevirorum Episcopus.* ibidem.
S. Eugenius III. Archiepiscopus Toletanus. De monacho fit Archiepiscopus. Magnum inter viros doctos nomen. Diem obiit. 254
Europæ Summi Principes genus à S. Arpho trahunt. 104
Eustasius Abbas Luxoviensis creatur. 41
promulgat Evangelium. 61
Sexcentorum monachorum in Luxoviensi monasterio Pater. alibi Ecclesiam sustentat. alibi ædificat. Cæcam puellam luce donat. 65
Febrim solo tactu abigit. 66. *Iter ad regem suscipit.* ibid. *vaticinatur.* ibid. *moritur.* 67
Evvaldi fratres martyrio affecti. 414

F.

S. Fara habitum monasticum sumit. 66
Cagnericus Pater Faræ, eam cogitat dare nuptui. ibid. *mavult à Deo duci.* 67. *præcipiti fuga se sponso ac patri aufert.* ibid. *Capitur & in custodiam immittitur.* ibid. *Deo consecratur.* ibid. *Fratri mundo valedicere suadet.* 68
moritur. 69
Faro fugam ex aula & mundo meditatur.

Fugit. Episcopus fit. 131. Ejus miracula. 132
Fœminæ à templo S. Bertini arcentur. 351
Alisa Adolphi Comitis Flandriæ conjux irrepere ausa, salutem retulit. ibid.
Fiacrius Eremum subit Cœnobium condit. Regnum detrectat. Lepram ferre mavult quam sceptrum. Moritur. 133. Ejus miracula. 134
Flandriæ Comitum inauguratio. 104
Flavius Gundemarus Hispaniæ imperat. 2
S. Florentius in Alsatia rudi opere domicilium ponit. 314
Feræ agitatæ à Venatoribus apud eum receptum habent. ibid. Dagoberti Regis filiam & oculis & lingua donat. ibid. Argentinensis Episcopus creatur. ibid. Locum Haselacensi Monasterio condendo capessit. ibid.
Floriacense Monasterium conditum an.651. S. Leodebodus, ejus fundator. 288
Floriacum bonarum artium domicilium. 300
Philippus Rex ibidem sepultus. ibid.
S. Floribertus officio S. Amandi fungitur. Suppetias ei S. Levinus fert. 110
S. Foilanus in sylva Carbonaria cæsus est. 232
Fraconia sedes Francorum. 386
Franci summis viribus Galliam invadunt. ibid.
S. Fructuosus à regibus genus duxit. Fit Monachus. SS. Iusto & Pastori Monasterium posuit. 205. In Eremum se conjicit. Ejus miracula. 206 & 207. Iter intendit Hierosolymam. 208. Benedicta Virgo audito semel S. Fructuoso nuptias Sponso renunciavit. ibid. Monasterii S. Petri de Montibus fundator. ibid. ipsius regulæ. 209. & 210
S. Fructuosus Potamio in Archiepisc. succedit. 251. Ædificat duo Monasteria. ibid. Corripitur febri. Moritur. Transfertur Compostellam. 252
Fuldæ. 400. Monachi simul litteris operam ded.re. 141
Fundationis Haselacensis documentum regium. 315
Furseus sanguine illustris. Mira videt angelis Monstrantibus. Terribilem pugnam cum diabolis depugnat. 229. Moritur. 231. miracula. 232

G.

S. Gallus S. Columbani discipulus. 41. Febri corripitur, iterumque convalescit. Frideburgam Gunzonis à dæmone liberat. 44. Illa ut sacrum velum sumat suadet & Parthenoni Metensi præficit. Episcopatum Metensem detrectat. 45. Et abbatiam Luxoviensem. 70
Moritur. ibid. Ejus invidenda supellex cilicium & catena. 71. Ejusdem calcei claudo pedes expediunt. ibid. In Eremo sepelitur. ibid.
Gallia in Austrasiam & Neustrasiam divisa. 107
Gallia à victoribus Francia dicta Francia. 104
Gedericus inferiorem germaniam ad cælum invitat. 104
S. Gennadius Episcopus Asturgensis renuntiatus, insignatur infulæ. 209
S. Gerardus lapsa Monasteria instaurat. 101
Gerbertus Monachus Floriacensis Clepsydrarum architectus. 300. Creatus Pontif. Max. & Sylvester II dictus. ibid.
Germania hodie latius patet & quam olim. 130
Germani olim diversi habitarunt. ib. Cur Germani aliquandiu incertis laris. Cur Alemannia dicta. 139
Germanis plurima beneficia à Monasteriis profecta. 140
Germanorum barbariem diluere Monachi. 141
S. Gisleni patria, parentes. 220
Grævium flagitiorum rei olim in Monasteria immissi. 368
S. Gudula nuptias post virginitatem habet. 228
Guido Aretinus Monachus ad S. Leufridi, Notarum Musicarum. Vt, Re, Mi, Fa, Sol, La, author. 355
Gulielmus Dux Nordmandiæ Monachum induere cupit. 382. Habitum Monasticum cista conclusum circumfert. ibid.
Guntharius ad S. Emmerani Monachus, tanti fecit Episcopatus honores, quanti suos calceos. 419
Guntherus Elnonensis Monachus res à Friderico Barbarossa gestas decem libris prodidit. 308
S. Guthlaci Cœnobita postea Eremitæ gesta & acta. 449.450.451

H.

Habitus qui damnatis ab inquisitione injicitur, damnatis inquam pœnitentibus San Benito appellatur. 368
S. Helladii patria & origo. 74. Cathedræ

Toletanæ imponitur. ibid
Ecclesiæ Toletanæ Diaconus S. Helladium proscindit mox pœnas exolvit. 75
Henricus III. Malmundarium à stabuleto avellit. 265
Heraclius. I. Imperii sceptra moderatur. 1. Illo regnante venit Mahomed & prophetam se jactitat. Turcæ & saraceni quoquo versum pedem permovent. 2
S. Hermelandus primos annos in palatio ducit. 438
In Fontanellensi Monasterio Monachum induit. ibid.
Sacris initiatur. 439 suscipit Expeditionem in minorem Britanniam. ibid.
Insula imponit Monasterium quod vocat Antrum. ibidem. Ejus miracula. 440. & 441
Hibernia olim Scotia major dicta. 3
S. Hilarion primus Monachus in Syria. 51
S. Hilda Regum stemmate orta. Sumit sacrum velum. 131. Monasterio Strenealcensi præficitur. 319
S. Hildebertus VI. Martyrio coronatur. 101
Historia quævis in promptu erat, cum Orbis unum haberet Dominum. 1
S. Honorius Cantuariensis Archiepiscopus renunciatur. 93
S. Honorius Roffensis Episcopus. 118
Hugo de Folieto Monachus Corbejensis Cardinalis eligitur. 313

I.

ILdephonsus invito patre ad vitam religiosam adspirat. 255. Fit Abbas. Fit Archiepiscopus Toletanus. ibid. Pauperibus de perpetua mensa prospicit. ibid. Ejus miracula. 356. Mors. 257
In jactura sæpe lucrum est. 2
In Ecclesia Cathedrali Sancti Martini Monachi Canonicorum officia fecerunt. 405
Irenes patria, parentes. 248. Remigius Monachus jussu Abbatis. Se lu litteris & pietati eam imbuit. ibid. Remigium amore insanientem rejecit. ibid. detrectat nuptias cum Britaldo. ibid. Britaldus in Virginis Caput emisit percussorem. Occisa in flumen abjicitur. In fluvium provoluta ab Angelis sepelitur. 249
Iohannes Mindanus, Ord. S. Benedicti per Germaniam rem Monasticam restituit. 175
S. Ioannes Monachus & Episcopus Sarazozanus. 75
Iudicail Rex Britanniæ minoris fit Monachus. Ejus duo filii sequuntur signa D. Benedicti. 199
S. Iustus à Pontifice ornatur Pallio. 89

L.

S. LAmbertus D. Benedicti Monachus Episc. Trajectensis. 427. Prima ætate sacrum habitum sumit. 428. Vestibus non violatis prunas gerit. ib. Creatur Episcopus. 429 A Theodorico & Ebroino pulsus in stabulense Monasterium se recipit. ibid. A Pipino revocatur Trajectum. 430. Pipinum ad frugem revocat. Exhibito à regia pellice poculo non vult benedicere. 432. Dodo Alpaidæ frater insidias tendit Antistiti. ibid. Humi fusum occidit. ibid. Leodii Martyris ossa jacent 433. Dodo cum sociis pœnas Deo dedit, ob interfectum S. Lambertum. ibid.
Landelinus puer à S. Autberto baptizatur. Magistro suo se subducit. Vitam per latrocinia trahit, 235. confugit ad S. Autbertum. Romam petit. Facultatem fidei promulgandæ Pontificem poscit. 236 Condit Monasterium Lobiense. Albense. Guaslartense. Crispiniense. 237. miracula. mors. ibid.
S. Landrada ad solitudinem adspirat. 430 Erigit Eremitorium. ibid. Vbi sepeliri S. Lamberto acquiescenti indicat. ibid. Invitis incolis tumulum mutat. ibid.
S. Leodegarius illustri sanguine ortus. 383. A Didone Pictaviensi Episcopo Diaconus initiatur. ib. Fit Abbas ad S. Maxentium. ibid. S. Leodegario tenduntur insidiæ. 384. Ab Ebroino Capitur. Luminibus privatur. ibid. Capite plectitur. 385. ejus miracula. ibid & 386. In Monasterio S. Maxentii conditur. ibid.
S. Levinus cum sociis Galliam, Belgicam lustrat, non absque miraculis. Occiditur. Sepelitur. 111
S. Licinius cœlum in cucullo quærit. 88
Lirinenses quam regulam à principio secuti sint, incertum. 55
Lobiensis Monasterii Abbates priores fuere Episcopi. 238
Lutera Castrum, vulgo Lauterburg. 144
Luxovium Virtutis & eruditionis emporium. 66

M.

S. MAcarius vinum mutat in aquam 390.

Turrim monasterii sui ruinam trahere videt Romæ. ibid.
Magnericus Archiepiscopus Trevirensis fastis sanctorum adscriptus. 166
Mali monachi non fiunt boni Canonici. 149
Marchiæcensis Collegii Academiæ Duacensis auctor. 156
Martianense Cœnobium à Martiniacensi diversum. 155
S. Maurontii puteus. Defendit Duacum. 159.
Maurontius frater S. Rictrudæ à S. Richario signo Crucis benedicitur. Ad monasterium accingitur. Rebus à sancto Amando præficitur. Broilensem Abbatiam in S. Amatum rejicit. 158
S. Maximinus legitur Archiepiscopus Trevirensis. 166
S. Athanasium exsorrem humanissime excipit. Arrianæ hæresi strenue resistit. Moritur. Treviris sepelitur. 167
Moduvenna condit Parthenonas. 128. puellam flumine submersam ad ripam revocat. ibid.
Monachi in Ecclesia Cathedrali Canonicorum leges exequuntur. 136
Monasterium S. Albani Moguntiæ abdicavit S. Regulam Idem fecit Elvvangen in Suevia. S. Burchardi Herpiboli. Camberg in Franconia Seiz in Diœcesi Argentinensi. Clingenmunster. 152
Monachi S. Benedicti Evangelium ubique prædicant & incolas gnaviter imbuunt. 2
Monasterium Blandinense antiquissimum. Ab Arnulpho Comite instauratur, Sacer illius thesaurus. 103
Monasterii Corbejensis in Saxonia Conditor S. Adelhardus. 312
Monasterium S. Dionysii Regum Galliæ mausoleum est. 183. Canes venatici non possunt irrumpere in sacellum S. Dionysii. ibid. Ædes S. Dionysii à Christo sacrata. 185. Descriptio Templi S. Dionysii. 186. 187. 188. opes divitiæ & dignitates. 191. 192. 193
Monasterium S. Dionysii jurisdictioni Episcoporum eximitur. 310
Monasterium Gandense reliquiis illustre. 102
Monasterium Haselacense à Dagoberto fundatum anno. 613. 316
Monasterium S. Mariæ ad Martyres à S. Clemente conditum. 406. Hic Thebæa Legio cæsa. ibid.
Monasterium S. Martini prope Treviros à Tetradio viro consulari extructum. 165
Monasterium S. Matthiæ prope Treviros ordine S. Benedicti antiquius. 173. Insignis illius Bibliotheca 174. disciplina regulæ hinc Bursfeldiam traducitur. 175
Monasterium S. Maximini à Constantino M. & S. Helena fundatur. 166. Plenum sacris Lipsanis. 167. A Gregor. II. mitra Pontificia ornatur. 168. Abbates S. Maximini Archisacellani Augustæ dicuntur. ibid.
Monasterium S. Michael. in Virdunensi Episcopatu situm, condit VVolsanaus Comes Virdunensis. 542
Monasterium montis Tumba in Gallia, quod S. Michaelis sacrum. 546
Monasterium Nivellæ hodie Canonissarum est. 233
Monasterium Ornisgæ S. Romano monacho dedicatum. 214
Monasterio D. Petri Gandensis S. Bavonis nomen imponitur. 102
Monasterium Torense Canonissarum Ord. S. Benedicti. 226
Monasterium Tunnonense ab Alphonso M conditum. 215
monasterium SS. Vrsmari & Ermini ad Canonicos transit. 240
monasterii Vallis S. Gregorii in Münster Origo & fundatio. 302
monasteriorum insidiatoribus obviam itum per Congregationes. 150
monialium Cœnobia Abbatibus sapienter committuntur 73
moniales duæ, disciplinæ severioris impatientes, Deus tremendum Exemplum statuit. 69
morituri dæmones imminent. ibid.
mons Casinus evastatur. 288
mons S. VVinoci. 348

N.

S. NIvardus extruxit monasterium Altavillariense. 308
S. Nummolus Abbas Floriacensis Aygulphum monachum in montem Casinum misit petita Ossa SS. Benedicti & Scholasticæ. 289. Exhausto S. Benedicti & Scholasticæ sepulchro, domum contendit. ibid.

O.

OLim ab Ecclesiasticis judicibus in monasterium conjici, idem erat, quod Conversum aut Donatum S. Benedicti fieri. 139
Ordo S. Benedicti magna incrementa capit. 73

Photi-

Origo monasterii S. Vedasti ad S. Autbertum referenda: augmentum ad Theodoricum Regem 403. Opes Vedastinæ incredibiles. ibid. Eas involavit Balduinus Flandriæ Comes. 404. S. Vedasti monasterium magnorum Virorum seminarium ibidem.

Origo nominis San Benito. 368. Aliunde originem deducit Perez. ibid.

Ositha nuptui invita datur sigero Saxonum Oriental. Regi. 128. Conjugio se expedit ac velamen religiosum sumit. ibid. Agit Abbatissam. A Danis capite decollatur. Ambulat absq; capite. Ejus miracula. 129

S. Othilia in Vogeso monte sedem ponit. 399. Cæca nata est. Cæcitatem baptismate abstersit. Duram vitam instituit. Exemplo multas altæ stirpis Virgines traxit. moritur. 400

Osvvaldus Northumbriam in potestatem redigit. 119. Concionanti Aidano operam & verba locat. ibid. liberalem dextram mors corrumpere non potest. ibid. Monasterium in Lindisfarnensi insula condit. ibid. moritur. 125

Osvvinus Rex Ecclesiasticos veneratur. 125

P.

S. PApolenus monasterium Fossatense condit. 269. Cæcum luce donat. ibid.

Pascha movet litem. 318. Osvvius Northumbriæ Rex concilium cogit ad litem componendam. ibid.

S. Paulinus expeditionem in Northumbriam suscipit. 89. Regi rudimenta fidei instillat. 90. moritur. 119

Pueris è monasterio gradum revocare an licuerit. 115

S. Paulus monachus Theologiensis. Episcopus Virdunensis. 83
Vitam Eremiticam affectat. 84. auctore Theologiensi Abbate Cœnobiticam amplectitur. ibid. miracula edit. ibid. Grimonem regio sanguine ortum, instituit. 85. Cogitur tiaram Virdunensem imponere. ibid.

Penda Rex Christiani nominis hostis. Ejus liberi se Deo & D. Benedicto devovent. 448

Pharamundi I. Regis Francorum mausoleum in Vogeso. 80

S. Philibertus Iuvenis monachus magna sanctitatis specimina edidit. 371. Ejus miracula. 372. Clodoveus Rex & Bathilda Regina Philiberto Gemmeticense monasterium molienti multum fortunarum contulerunt. 373

Photini grassantem hæresin reprimunt Monachi Luxovienses. 65

Pipinus Senior Brabantiæ gloria. Liberos ex Hiduberga, sustulit Grimoaldum. S. Beggam. S. Gertrudam. 226. Mors Hiduberge. 227

Pipinus S. VVilibrordo atque sociis viam in Frisiam inferiorem aperit. 405. Pipinus amore Alpaidæ capitur. 427

Potamius Archiepiscopus Brocarensis occultum scelus publica confusione luit. 251

S. Præjecti patria. Litteris imbuitur. 337. Fit Abbas Candidinensis Monasterii. 338. Eligitur Avernorum Episcopus. ibid. Martyrio coronatur. 339. Ejus miracula. 338. & 339

Prioratus olim Cellæ dicti. 348

Privilegium Regis Dagoberti. 137

R.

S. RAinelda in S. Gertrudis vestigia concedit. Oranti templi fores sua sponte se pandunt. Suas fortunas cedit Monasterio. Contendit Ierosolymam 241. Martyrium subit. 242.

Ratbodus Rex Frisonum mavult ire ad plures in Orcum, quam ad paucos in cælum. 437

Reccesvvinthus Rex multa se digna facit. 246. Moritur. 340 Sepelitur in Monasterio cui Gertigos nomen. 340

Reginbertus Monasterii S. Georgii Conditor in Tyroli. 22

Regulæ S. Augustini ante an. 1000. nulla sit mentio. 55

Regulorum multitudo huc illuc rapit Angliam. 317. Ruenti regno succollant S. Aidanus & S. Finanus. ibid.

Remacli pueritia, parentes, 263. Fit Abbas inde Trajectensis Episcopus. ibid. In sylva Arduennensi nobile Cœnobium extruit. 264. Moritur. 265

Remigius Abbas Mediolacensis. 182

Rei Catholicæ in Belgio propagatores. 228

Res Catholica in Hispania incrementum sumit. 245

Res Venetorum augentur. 2

Richarius Monachos Hybernos tecto recipit. 159. Fit Monachus. Vitam dure instituit. Tendit in Britanniam. Dagobertum instituit. In Eremum se abdit. 160. Moritur miraculis clarus. 161

S. Rictruda Idolis nuncium mittit 110. Nubit Adalbaldo. 154. Fit vidua & ad secunda vota urgetur. ibid. Pio astu Regem circumducit. Monasterio Martianensi se addicit. 155 Cum liberis vi-

tam

iam sanctæ traducit. Moritur. 157

S. Romaricus Monasterio se infert. 81. *Meditatio ipsi ante alia cordi est.* ibid.

S. Romarici Monasterii litteræ Fundationis. 79

S. Rupertus Bojorum Apostolus Monasterii D. Petri Fundator. Sacram expeditionem suscipit. A Theodone III. invitatur, & venit in Bavariam. Baptizat Ducem & proceres. 14. *Sedem Episcopalem Salisburgi ponit. Monachos S. Benedicti introducit.* 15. *Ossa S. Amandi Salisburgum tulit.* 17. *Ejus mors.* 18

S.

Sacra ossa barbaris subducuntur. 101

Sacri Fasti Ecclesiæ Stabulensis & Malmundariensis. 278

Scoti è Northumbria migrant quod Paschatis celebrandi consuetudo à S. Aidano accepta. 3[illegible]

Sebbi Rex Londini diadema cum Monastica Corona commutat. 393. *De fatali die, æternoque præmio cælitus fit certior.* 394

Siciliam tolunt Monachi Latini & Græci. 3

Siculi, Casinensibus Monachis instant ut Monasterium S. Placidi instaurent. 333

Sigebertus Rex Austrasiæ ædificavit. 12. *Monasteria.* 263

Sigebertus Rex mundo se eruit. 124. *In Galliam se amovet, metu Redualdi.* ibid. *Redux rem Christianam pridem collapsam restituit.* ibid. *Academiam Cantabriæ aperit.* ibid. *Fit Monachus. Cadit in acie.* ibid.

Schismate in Ecclesia orto, disciplina remitti cœpit. 150

Sisbertus è Cathedra Toletana excussus. 401

Situs Gemmeticensis Monasterii amœnissimus. 373

Situs Melrosensis Monasterii. 326

S. Suvitberti acta & gesta. 409. 410. 411. 412. 414. 415.

Synodus Salisburg. Abbates, Capitulum Provinciale diu intermissum revocare jubet. 25

S. Syra velum accepit. 130

T.

S. Theodardus fit Monachus. Posteà Abbas Stabulensis. Inde Episcopus Trajectensis. Accisa Ecclesiæ bona recuperat. 267. *Telis conficitur. Puer sparsa Martyris membra studiose concinnat & componit.* 268. *Ejus miracula. Sepelitur Leodii.* ibid.

Theodebertus in Austrasia, & Theodoricus in Burgundia regnant. 2

Theodoricus Rex damna ab Ebroino illata, studuit resarcire. 401. *S. Vedasti Monasterium condidit vel auxit.* 402. *Anno 694. moritur.* ibid. *Ejus Epitaphium.* 403

S. Theodardus insidiis exceptus & interfectus. 429. *Leodii conditus est.* ibid.

Theodo Dux Bojorum S. Emmerano Monasterium ædificat. 417

Theodorus Archiepiscopus Cantuariensis diem obit. Ejus Epitaphium. 398

S. Theodulphus auctor Hymni Gloria laus 300

Theophanes Abbas, Patriarcha Antiochenus creatus. 364

S. Thiemo, Monachus, Abbas, Archiepiscopus, Martyr. *Carnifex ei caput adempturus aerem verberat.* 21

Templum Cathedrale Leodii S. Lamberto dicatum. 433

Tempus & historicorum silentium multas res præclaras aboleverunt. 334

Tenuis origo Farfarensis Monasterii. 362

Toletani Concilii Patres ex ordine S. Benedicti. 1.7

Toleti an. 633. habitum Concilium. 114

Toleti celebratur Synodus. 343

S. Trudo regio sanguine ortus. 279. *Fortunas suas transscribit Ecclesiæ Metensi. Fit Sacerdos. Euangelium per Hasbaniam promulgat.* SS. *Quintino & Remigio Templum ponit cum* Monasterio *Ord. S. Benedicti.* 280. *Ejus* Miracula. Mors. 281. 282

Tuto ex Monacho Episcopus gemmeum Euangeliorum librum Monasterio S. Emmerani donavit. 419

V.

Valerius vitam Eremiticam colit. 343. *Honores deprecatur.* 344

Valetudini, laboranti Monacho, medicinam facit Deus. 4

S. *Vedastus cæcum luce impertit.* 402. *Creatur Attrebatensis Episcopus primus.* Moritur. ibid.


Veterani Cœnobitæ sæpe in Eremum secedebant. 54

S. *Virgilius Episcopus & Abbas* Salisburgensis. 19. *Condit Templum* S. *Ruperto. Conradus III. id fulcit.* 27. *Sub Wolffgango Theodorico igne in cineres actum,* Marcus Sitticus *Archiepisc. novum tem-*

diose

plum molitur, sed nondum expleto moritur. Paris Lodromus ultimam illius manum imponit. 28
S. Vitalis Salisburgensium Patronus & medicus. 18
Vltrajectum multarum urbium centrum. 405
Vogesus mons varia induit nomina. 80
Vogeso Theologiense Monasterium impositum. 83
S. Vrsmarus primus Abbas Lobiensis. 238 Sacris litteris addictissimus. Ejus miracula. Mors. 240
S. Vulmarus, rustica proles animum ad litteras applicat. 398. Initiatur sacris. Speluncam petit. Boloniense Monasterium ædificat. Ceaduualla Rex eum visit. 399
S VValbericus præficitur Luxovio. 70
S. VValarici patria, parentes, adolescentia. Hortum colit qui postea solus fructum tulit. Gymnasium cælesti odore imbuit. Omnes virtutes exercet. 62
VValdelinus cum VValarico movet in Idola. Parvus puer arborem jussu Sancti VValarici imis à radicibus vellit, ac solo affligit. 63. Mors S. VValarici. Ejus honori ac nomini erigitur Monasterium. 64. Hugoni Capeto, per quietem oblatus, regnum pollicetur. 65
VVamba à se sceptrum summis viribus removet, cogitur regnare. 340. Capit arma. 341. Hostes in triumphum ducit. 342. Cathedras Episcopales in Monasteriis posuit. 343
VVamba Rex Gothus purpuram mutat cum cucullo. 365. Ervvigius ad regnum per nefas adspirat, à VVamba Rex designatur. 365
VVandregesili acta & gesta. 283. 284. 286. 287.
VVeissenburgh Monasterium Imperii D. Petro dicatum, Dagobertus extruxit. 144. Tabulæ fundationis. ibid. Huic Monasterio ab Episcopis Nemetensibus cavit. ibid. Reliquiæ. 145
VVeissenburgi apertæ scholæ publicæ. ibid. Construxit 4. Monasteria. S. Remigii, S. Germani, S. Mauritii, S Pauli. ibid.
VVigbardus Cantuariensis Archiepiscopus Romæ moritur. 332
S. VVilfridus bona indole præditus. 321. Ex aula ad Lindisfarnense Monasterium flectit. 322. Creatur Eboracensis Archiepiscopus. ibid. Cathedra sua pellitur. ibidem. Regulam Sancti Benedicti per Angliam propagavit. 323. Romam petit. 324. Moritur. Ejus Epitaphium. ibid.
S. VVillibrordus. 12. Apostolicorum virorum ductor ex Anglia in Alemanniam à Summo Pontifice Clemens appellatur. 397. Nondum natus, prodigioso fidere proditus qualis esset futurus. 398 Vltrajectensis primus creatus Archiepiscopus. 405. Epternacensis monasterii conditor suppetias ferente. Pipino. 425
S. VVinebaldus Abbas Tricassinus. 88 S Lupum è luporum faucibus eripit. ib. moritur. ibid.
S VVinfridus (postea Bonifacius dictus) Archiepiscopus Moguntinus. 415
VVinus Monachus, Angelos Ceaddam morti vicinum invisentes videt. 336
S. VViro à teneris virtutibus assuescit. 442 Renunciatur Episcopus. ibid. à Pontifice remittitur in Scotiam. In Galliam è Scotia se transfert. ibid. Pipino à sacris confessionibus est. 443. Floruit cum sociis sub annum 700. ibid.
S. VVulfranni patria, parentes. 436. miracula. ibid. & 437

FINIS INDICIS.



tam sanctae traduct. Moritur. 157
S. Romaricus Monasterio se infert. 81. Meditatio ipsi ante alia cordi est. ibid.
S. Romarici Monasterii litterae Fundationis. 79
S. Rupertus Bojorum Apostolus Monasterii D. Petri Fundator. Sacram expeditionem suscipit. A Theodone III. invitatur, & venit in Bavariam. Baptizat Ducem & proceres. 14. Sedem Episcopalem Salisburgi ponit. Monachos S. Benedicti introducit. 15. Ossa S. Amandi Salisburgum tulit. 17. Ejus mors. 18

S.

Sacra ossa barbaris subducuntur. 101
Sacri Fasti Ecclesiae Stabulensis & Malmundariensis. 278
Scoti è Northumbria migrant quod Pascha iis celebrandi consuetudo à S. Aidano accepta. 320
Sebbi Rex Londini diadema cum Monastica Corona commutat. 393. De fatali die, aeternoque praemio caelitus fit certior. 394
Siciliam colunt Monachi Latini & Graeci. 3
Siculi, Casinensibus Monachis instant ut Monasterium S. Placidi instaurent. 333
Sigebertus Rex Austrasiae aedificavit. 12. Monasteria. 263
Sigebertus Rex mundo se eruit. 124. In Galliam se amovet, metu Redualdi. ibid. Redux rem Christianam pridem collapsam restituit. ibid. Academiam Cantabriae aperit. ibid. Fit Monachus. Cadit in acie. ibid.
Schismate in Ecclesia orto, disciplina remitti coepit. 150
Sisbertus è Cathedra Toletana excussus. 401
Situs Gemmeticensis Monasterii amoenissimus. 373
Situs Melrosensis Monasterii. 326
S. Swvitberti acta & gesta. 409. 410. 411. 412. 414. 415.
Synodus Salisburg. Abbates, Capitulum Provinciale diu intermissum revocare jubet. 25
S. Syra velum accepit. 130

T.

S. Theodardus fit Monachus. Postea Abbas Stabulensis. Inde Episcopus Trajectensis. Accisa Ecclesiae bona recuperat. 267. Telis conficitur. Puer sparsa Martyris membra studiose concinnat & componit. 268. Ejus miracula. Sepelitur Leodii. ibid.
Theodebertus in Austrasia, & Theodoricus in Burgundia regnant. 2
Theodoricus Rex damna ab Ebroino illata, studuit resarcire. 401. S. Vedasti Monasterium condidit vel auxit. 402. Anno 694 moritur. ibid. Ejus Epitaphium. 403
S. Theodardus insidiis exceptus & interfectus. 429. Leodii conditus est. ibid.
Theodo Dux Bojorum S. Emmerano Monasterium aedificat. 417
Theodorus Archiepiscopus Cantuariensis diem obit. Ejus Epitaphium. 398
S. Theodulphus auctor Hymni Gloria laus 300
Theophanes Abbas, Patriarcha Antiochenus creatus. 364
S. Thiemo, Monachus, Abbas, Archiepiscopus, Martyr. Carnifex ei caput ademturus aerem verberat. 21
Templum Cathedrale Leodii S. Lamberto dicatum. 433
Tempus & historicorum silentium multas res praeclaras aboleverunt. 334
Tenuis origo Farfarensis Monasterii. 362
Toletani Concilii Patres ex ordine S. Benedicti. 9.7
Toleti an. 633. habitum Concilium. 114
Toleti celebratur Synodus. 343
S. Trudo regio sanguine ortus. 279. Fortunas suas transscribit Ecclesiae Metensi. Fit Sacerdos. Evangelium per Hasbaniam promulgat. SS. Quintino & Remigio Templum ponit cum Monasterio Ord. S. Benedicti. 280. Ejus Miracula. Mors. 281. 282
Tuto ex Monacho Episcopus gemmeum Evangeliorum librum Monasterio S. Emmerani donavit. 419

V.

Valerius vitam Eremiticam colit. 343. Honores deprecatur. 344
Valetudini laboranti Monacho, medicinam facit Deus. 4
S. Vedastus caecum luce impertit. 402. Creatur Atrebatensis Episcopus primus. Moritur. ibid.
Veterani Coenobitae saepe in Eremum secedebant. 34
S. Virgilius Episcopus & Abbas Salisburgensis. 19. Condit Templum S. Ruperto. Conradus III. id fulcit. 27. Sub Wolffgango Theodorico igne in cineres actum, Marcus Sitticus Archiepisc. novum templum

plum molitur, sed nondum expleto moritur. Paris Lodromus ultimam illius manum imponit. 28
S. Vitalis Salisburgensium Patronus & medicus. 18
Vltrajectum multarum urbium centrum. 405
Vogesus mons varia induit nomina. 80
Vogeso Theologiense Monasterium impositum. 83
S. Vrsmarus primus Abbas Lobiensis. 238 Sacris litteris addictissimus. Ejus miracula. Mors. 240
S. Vulmarus, rustica proles animum ad litteras applicat. 398. Initiatur sacris. Speluncam petit. Boloniense Monasterium ædificat. Ceadualla Rex eum visit. 399
S VValbertus præficitur Luxovio. 70
S. VValarici patria, parentes, adolescentia. Hortum colit qui postea solus fructum tulit. Gymnasium cælesti odore imbuit. Omnes virtutes exercet. 62
VValdelmus cum VValarico movet in Idola. Parvus puer arborem jussu Sancti VValarici unis à radicibus vellit, ac solo affligit. 63. Mors S. VValarici. Ejus honori ac nomini erigitur Monasterium. 64. Hugoni Capeto, per quietem oblatus, regnum pollicetur. 65
VVamba à se sceptrum summis viribus removet, cogitur regnare. 340. Capit arma. 341. Hostes in triumphum ducit. 342. Cathedras Episcopales in Monasteriis ponit. 343
VVamba Rex Gothus purpuram mutat cum cucullo. 365. Ervvigius ad regnum per nefas adspirat, à VVamba Rex designatur. 365
VVandregesili acta & gesta. 283. 284. 286. 287.
VVeissenburgh Monasterium Imperii D. Petro dicatum, Dagobertus extruxit. 144. Tabulæ fundationis. ibid. Huic Monasterio ab Episcopis Nemetensibus cavit. ibid. Reliquiæ. 145
VVeissenburgi apertæ scholæ publicæ. ibid. Construxit 4. Monasteria. S. Remigii, S. Germani, S. Mauritii, S Pauli. ibid.
VVighardus Cantuariensis Archiepiscopus Romæ moritur. 332
S. VVilfridus bona indole præditus. 321. Ex aula ad Lindisfarnense Monasterium flectit. 322. Creatur Eboracensis Archiepiscopus. ibid. Cathedra sua pellitur. ibidem. Regulam Sancti Benedicti per Angliam propagavit. 323. Romam petit. 324. Moritur. Ejus Epitaphium. ibid.
S. VVillibrordus. 12. Apostolicorum virorum ductor ex Anglia in Alemanniam à Summo Pontifice Clemens appellatur. 397. Nondum natus, prodigioso fidere proditus qualis esset futurus. 398 Vltrajectensis primus creatus Archiepiscopus. 405. Epternacensis monasterii conditor suppetias ferente. Pipino. 425
S. VVinebaldus Abbas Tricassinus. 88
S Lupum è luporum faucibus eripit. ib. moritur. ibid.
S VVinfridus (postea Bonifacius dictus) Archiepiscopus Moguntinus. 415
VVinus Monachus, Angelos Ceaddam morti vicinum invisentes videt. 336
S. VVitro à teneris virtutibus assuescit. 442 Renunciatur Episcopus. ibid. à Pontifice remittitur in Scotiam. In Galliam è Scotia se transfert. ibid. Pipino à sacris confessionibus est. 443. Floruit cum sociis sub annum 700. ibid.
S. VVulfranni patria, parentes. 436. miracula. ibid. & 437

FINIS INDICIS.

